Pamph V

CXLIX. b. 2.64

99

0583. Jus.

EDITIO NOVA

# AXIOMATVM POLITICORVM,

*Acceßione* CLXXIIII. *novarum Regularum, multarumq; Sententiarum & Exemplorum aucta & locupletata*—,

à

GREGORIO RICHTERO GORLICIO.

*Acceßit Index Verborum & Rerum memorabilium prolixus & copioßus.*

Bibliot. Collegii Majoris Unius Gymn.

GORLICII
Excuſa Sumptib. & Typis Ioh. Rhambæ.
ANNO 1604.

# GENEROSIS DNN. BARONIBVS, ALIISQVE REVERENDA DIGNITATE, NOBILITATE GENERIS, SAPIENTIA, CONSILIO, AVTORITATE, OMNIQ. VIRTVTVM SPLENDORE PRÆSTANTISSIMIS ATQVE MAGNIFICIS DOMINIS, ORDINIBVS ET STATIBVS PROVINCIALIBVS IN MARCHIONATV SVPERIORIS LVSATIAE, DOMINIS SVIS ET PATRONIS OMNI OBSERVANTIAE CVLTV DIGNISSIMIS,

S. D.

*AD Generoſos, Magnificos, Reverenda dignitate & Nobilitate excellentes, aliosq; Ordinis Equeſtris Viros verba facturus ego, non putavi alienum fore: ſi paucis oſtenderem: quàm honorificè de vera Nobilitate eaq; præſtantibus ſit ſentiendum. Nec tamen, Generoſi, Magnifici, Reverendi, Nobiliſſimiq; Domini, id ita intelligi volo: quaſi vobis normam aliquam ſim*

præscripturus vivendi: cui ferundo oneri humeros meos planè esse impares, ipsemet novi: nec vos, ut splendidissima Lusatiæ nostræ lumina, mea adhortatione indigere sciunt omnes: sed ut breviter tantùm cunctis ob oculos ponam: inter dona Dei, quæ sunt varia & multiplicia, Nobilitatem veram, inprimis autem cum pietate, virtute & doctrina conjunctam, minimè locum obtinere postremum. Ea de re igitur ut me tribus saltem (quod ajunt) verbis discurrentem, benignè audiatis, submissè rogo.

Vox Nobilitatis apud Latinos à nosse deducitur: quòd qui sint Nobiles, passim apud omnes propter virtutem & res præclarè gestas sint noti, indieṣq; latiùs innotescant. Hinc propriè nominis & famæ celebritatem, honestamq; de aliquo significat existimationem. Etsi autem interdum in malam quoq; usurpetur partẽ, de iis præsertim, qui sceleribus innotescunt & nobiles fiunt: ut de Laïde prostitutæ pudicitiæ nobili scorto dicitur: nos tamen omissa hac significatione læva, dextrè intelligimus: deq; vera virtute sumimus:

de

*de qua ille apud veteres præclarè inquit:* Verum decus in virtute positum est; quæ maximè illustratur magnis in Rempub. meritis. *Quod dictum aliquando ita expressimus:*

In Virtute decus verum nomenq; repositum est:
Clarius hoc reddunt fortia facta virûm.

*Hoc est etymon vocis apud Latinos. Apud Germanos verò Aquila de suo nomine Nobilib. partem & dignitatem communicavit: quæ illustre est Romani Imperij insigne: idq; fortassis eam ob causam: ut quemadmodum Aquila, omnium aliarum volucrum Domina & Regina, volatu altiùs penetrando, omnes alias aves longo post se relinquit intervallo: & ut Poëta ait,*

Ingrediturq; polo, & caput inter nubila condit:

*ita & hi belli gloria, rerumq; optimè gestarum laude & celebritate cæteros mortales longè antecellant.*

*Atq; hinc facilè colligere licet, quid sit ipsa Nobilitas, nimirum clara & illustris nominis aut generis celebritas: qua quis tam propter suã, quàm majorum virtutem, magistratuum, & hominum prudentum rectèq; sentientium judicio,*

*ſolenniter ornatur & commẽdatur: idq́ in eum finem: ut virtuti honeſtiſq́ conatibus debitum reddatur præmium: & alij quoq́, inprimis autem poſteri hujus perſonæ, ad imitationem, ſimiliaq́ ſubeunda & cum laude tentanda, extimulentur & excitentur: atq́ ita reliqui diſcrimen inter homines claros & nobiles, & promiſcuam multitudinis fecem, ſancitũ eſſe, animadvertant.*

*Porrò duplicem nonnulli faciunt Nobilitatem: ut alia quidem ſit vera: alia verò vana. Vanam dicunt eſſe: quando quis aliud nihil, niſi familiam claram, majores, virtutemq́ alienam jactat & ſtrepit: interim omnis virtutis expers, flagitioſam turpemq́ vivit vitam: atq́ ita à majorum veſtigiis, non ſine magna honeſtæ exiſtimationis jactura, turpiter deſciſcit. De talibus ait Juvenalis:*

Tota licet veteres exornent undiq́; ceræ
Atria: Nobilitas ſola eſt atq; unica Virtus.

*Et Epicharmus quoq́ de iſtiusmodi ita diſſerit:* Quibus natura nullum attulit bonum proprium: illi confugiunt ad monumenta majorum, genuſq́ ſuum: avoſq́ numerant, quot habuerunt. At nẽ u-

num

num quidem videris aut nominaveris, cui non sint avi: aliter enim quomodo nati essent? Quisquis suapte natura proclivis ad honesta fuerit: Nobilis est, quamvis matre natus Æthiopissa. *Hæc ille.* *Et de Bione narratur, quòd Antigonus Rex exagitatũ eum propter obscuritatem generis interrogaverit:* Quis & cujas es? Vbi tua civitas est? Vbi sunt tui parentes? *Cui Bion respondent:* Atqui, ô Rex, benè facis, cùm indiges sagittarijs, quòd non interrogando genus, sed scopum proponendo, optimos illorum tibi deligis. Sic igitur amicos explora: non unde nati, sed qui & quales sint. *Sensit vir sapientissimus: veram Nobilitatem non tam ex patria & parentibus, quàm ex virtute & vitæ integritate æstimandam esse. In tales quadrat festiva & elegans similitudo Plinij:* Minimi, *inquit*, cancri, quos pinnoteras vocant, quò tutiores sint, inanium concharum testis se condunt: & cùm accreverint, migrant in capaciores: ita quidam majorum suorũ titulis tuentur se, cùm suis dissideant virtutib. *Circumfertur etiam Epistola Phalaridis: in qua inter alia & hæc verba leguntur:* De Nobilitate generis non minùs, quàm de aliis bonis, gloriari indignum est. Ego autem, præter virtutem,

nullam

nullam agnosco Nobilitatem: reliqua ferè cuncta fortunæ imputo, &c.

*Hæc tamen non ita dicta velim: ut Nobilibus fama & laus majorum prorsus adimatur. Nam & hoc singulare donum est, natalium splendore esse illustrem. Ideoq; Nobilitatem hac prærogativa, qua cæteros mortales antecellunt, defraudare omnino neq; volumus neq; possumus. Nam verisimile est, præsertim si diligens & pia accedat institutio (aliàs sæpe contrarium videmus fieri) optimorum Virorum optimos esse liberos. Id quod & Horatius innuere videtur, cùm inquit:*

Fortes creantur fortibus & bonis.
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

*Ipsi etiam Evangelistæ* CHRISTI *majores longa serie recensent: ut de persona ipsius, quòd sit Messias, & verè Nobilis ille, qui in longinquam profectus est regionem, ut est Luc. 19. eò minùs dubitetur. Hæc omnia suam quidem habent celebritatem: sed tamen id, quod est potissimum, sine quo Nobilitas perfecta esse nequit, adhuc deest.*

*Vera itaq; Nobilitas est, quam non tantùm prosapia majorum, aut longa avorum series, sed potiùs ipsa Virtus efficit. Ubi vera virtus ad genus & natalium splendorem accedit: ibi vera est Nobilitas. Quemadmodum enim Sol alias omnes in orbibus cœlestibus stellas suo fulgore præstringit & obscurat: ita talis Nobilitas longè omnes alios homines laude & dignitate superat & excellit. Sæpe soleo dicere, &, ut mihi videor, non malè: homine Nobili, qui idem sit literatus, virtutisq; maximè studiosus, nihil esse pulchrius, nihil præstantius, nihil præclarius. In tali homine vestigia quasi aliqua divinæ alicujus elucent majestatis: ita ut in aliis rectè sentientibus non parvam sui excitet admirationem: atq; ita revera circumgestet caput Gorgonis: quod nihil significat aliud: quàm autoritatem divinam: qua Deus & ornavit & armavit Nobiles: quos ad gubernacula rerum collocavit.*

*Talis præterea Nobilis decente morum gravitate, vultusq; majestate, alios ad se amandum & colendum facilè allicit. Nam quem studia,*

*liberaliumq; disciplinarum cultura emollivit: is non erit talis: de quo Poëta ait:*

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli:

*sed comitate sua, humanitate, mansuetudine & affabilitate quoscunq; sibi devinciet & obstringet. Talis nimirum studium virtutis & literarum consequitur fructus: quod si hodie observaretur promiscuè ab omnibus, qui reliquis præstare volunt & debent: minus certè esset querelarum & difficultatū. Verum est enim, quod Ovidius canit:*

Adde, quòd ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

*Causa igitur procreatrix aut efficiens veræ Nobilitatis est virtus, tam majorum, quàm propria. Licet autem virtus bellica maximum habeat ad promerendum illam momẽtum: tamẽ & sua laus & celebritas est togatæ: quæ non minùs Rerumpublicarum est conservatrix & gubernatrix: quàm illa propugnatrix. Id quod & Cicero innuit, cùm ait:*

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

*Hæc non ideo in medium profero: quasi vos Viri Generosi, Magnifici, Reverendi & Nobiliß-*

*biliſſimi, ut tales ſitis, cohortatione opus habeatis: ſed ut, quia nemo in nobiliſſimo veſtro Ordine & conſeſſu reſidet, qui non cum Virtutis, etiam politiorum literarum ſtudium conjunxerit, atq; ita perfectam & literatam Nobilitatem, quæ ſola celebres & immortales reddit, conſecutus fuerit, alij quoq; Ordinis Equeſtris homines laudatiſſimis veſtigiis veſtris laudabiliter inſiſtant: & vos, ut lumina & decora hujus noſtræ Luſatiæ, nunquam non imitandos ſibi proponant.*

'*De Bernhardo Principe Aſcanienſi in oratione quadam VVitebergenſium hæc referuntur:* Nec ullarum rerum commemoratione, quàm gloriæ majorum, magis delectabatur. Avitæ laudis enim exempla generoſæ menti calcar ad virtutem addere, & voluptatem omnium afferre maximam, nec niſi degenerem & ἄσοξγον eſſe cenſebat: quem celebritas nominis, & fama parentum non afficeret: quam, etſi ſit aliena virtute parta, non alienam tamẽ ab hæredibus, ſed aliquantò his magis propriam, quàm facultatum hæreditatem, eſſe judicabat. *Hæc ibi. Ita recto tramite & via ad ſolidam gloriam incedetis: qui majorum veſtigia inoffenſo pede fuerit ſectatus.*

*Pertinent huc veterum similitudines, quibus veram Nobilitatem aliis commendare conãtur.* Quod flores, *inquiunt*, sunt in pratis: id Nobiles sunt in Republica. Et sicut non satis est, florem præ se ferre pulchram speciem: sed tum verè delectat & suaviter afficit: cùm accedunt salutares vires: Ita non satis est solo familiæ titulo tumere & efferri: sed propriam etiam virtutem, splendore nominis dignam, accedere æquum est. *Hæc demum vera illa laus est & gloria: cujus memoriam nulla abolere unquam poterit vetustas. De qua Cicero:* Omnes boni semper Nobilitati favemus: & quia utile est Reipublicæ, Nobiles esse homines, dignos majoribus suis: & quia valere debet apud nos clarorum hominum & benè de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum.

*Tales vos, Generosi, Reverendi, Magnifici, Nobilißimi Viri, Dñi & Patroni summè honorandi, cùm sitis omnes: qui non tantùm familiarum antiquarum splendoribus, sed propria quoq; virtute, literis & armis, arte & Marte, aliis præluceatis: vos ego quoq; elegi pio studio, quibus hanc novam politicarum Regularum editionem (quæ propter ingentem accessionem*

quasi

*quasi nova & planè alia videri poterit) jam dudum à multis passim desideratã & expetitã, inscriberẽ: ut & ego quoq; Vestris Generosit. Magnif. Rever. dign. & Nobilit. pro meo modulo & pede debitum honorem deferrem: & vestram mihi gratiam benevolentiamq;, quarum apud nonnullos Ordinis vestri significationem non obscuram jam dudum experior, eo modo conciliarem: utq; eò minùs de favore vestro, & hilari hujus qualiscunq; muneris chartacei acceptatione, dubitem: vestra illa insignis, qua rem literariam ejusq; cultores prosequimini, humanitas & candor facit.*

*Quàm profutura sit lectoribus hujus libri cognitio & lectio: meum non est dicere: illud satis sit monuisse: quòd ij, qui diligenter in hujus voluminis lectione versati fuerint, judicium suum non mediocriter confirmabunt: consilia, ut felicem finem sortiantur, informabunt: imò, quod caput est, de rerum eventis vates & conjectores non dubij evadent. Semper enim in mundo fabula geritur eadem: mutatis tantùm nonnihil*

*temporibus & personis. Et* nihil, *ut Salomon ait,* sub Sole geritur novi. *Unde respicientes acta præterita, de eventu præsentiũ non difficilè judicare possumus. Benè & feliciter Vestræ Generos. Reveren. Dign. Magn. & Nobilit. valeant, & hanc compellationem meam mente æqua & benevola admittant. Dabantur Gorlicij, ipsis Calendis Mais, An. Christi* 1604.

Vestrarum Generositat.
Magnificent. Reverend.
Dign. & Nobilitat.

*Studiosissimus*

Gregorius Richterus
Gorlicius.

## EPIGRAMMATA.

*In Axiomata Historica*

Reverendi & Clarissimi Viri, Dn.

GREGORII RICHTERI,

*Ecclesiastæ Gorlicensis vigilantiß.*

EPIGRAMMA.

QVi vel Philosophos Poëticosve,
Qui vel Theologos Themistiosve,
Cum censu legit atq; emit libellos,
RICHTERI legit atq; emit libellum;
Doctum, Iuppiter, & bonum libellum,
Illa, illa Historica Axiomata. euge!
Namq; hic aureus & pius libellus
Viris Philosophis, Poëticisq;,
Viris Theologis Themistijsq;,
Omnis dona scientiæ ministrat.
Ergo hunc quis neget optimum laborem?
Ergo hunc quis neget utilem libellum?

*Pro primo Amicitiæ ingressu f.*

M. Balthasar Exnerus Poëta L. Cæs.
& Iur. Vtr. Candidat.

## ALIVD.

CONductura viris, & conductura iuventæ,
RICHTERE Aonidum lux, facis orbe legi.
*Quæ vis ingenii, quæ sit sollertia, promptum est,*
*Ipsa adhibent certam scripta polita fidem.*
ἄξια proponis normasq; fideliter; unde
*Res-bene consistat-publica. templa, domus.*
*Vt per te historiæ, sic tu,* RICHTERE; *per ipsas*
*Vivis ab extremis secula sera rogis.*
*Et quisquam superi valvis inscribere celi*
*Addubitet nomen linguâ animoq; tuum?*

De

## De iisdem.

*Iudicium*, RICHTERE, *tuum quod, quale sit, edunt*
*Scripta satis, Iudex es bonus; arte nites.*
M. Tobias Aleutner Silef. Poëta Meliſſæus.

## ALIVD.

ORganon electum, divinus APOSTOLVS ille;
*Symmiſtas* domui rite præeſſe suæ;
postulat. Ergo tuæ, RICHTERE, præcsq; , præisq;
perbene; fragranti thure ditasq; precis.
Quod *præcepta domus* ostendunt aurea planè;
queis tua, queis omni stat vel labat ve domus.
Et quia quæq; domus *respublica* parva videtur;
nec sine *rescriptis* hujus ea accolitur:
*Civilis* merito *rescripta* salubria *Vitæ*
pandis, & exemplis pluribus omne probas.
Deniq; *sacratæ normas* illustrius *adis*
*munifici* profers agnitione PATRIS.
Vtilis ô labor, ô liber utilis, utile scriptum;
dignus & invidiâ liber hic esse liber.

*Melchior Hauſz. P. C.*

## ALIVD.

SVnt hominum Historici muti certiq; Magistri,
Vt gnoma illustri docta caterva probat.
Historiæ vitæ speculum normæq; Iuventæ
Censentur, quibus hæc Vita carere nequit.
Ergo ex Historicis, RICHTERE, quòd elegis aptè
Gnomas, quæ sapiunt cum pietate salem;
Musicolis gratam præstas rem proq; futuram
His, qui consiliis regna Ducesq; juvant.
Felix, quem faciunt aliena pericula cautum,
Ne stultè sapias, facta aliena monent.
Ergo quod è doctis concinnas fontibus aurum
Et datur exemplis regula quæq; suis.
Nulla tuas tollet, RICHTERE, oblivio laudes,
Docti donec erunt Historiciq; super.
Sic & GORLICIVM per sacras Pallados artes,
Inter utrumq; polum fama manebit anus.
Et liber iste tuus vivet, tantiq; laboris
Iudicium melius posteritatis erit.
Volve igitur gnomas illustres, grata juventus,
In terris vitam sic sapienter ages.

*Ioach. Schlegelius Sag. P. Laur.*

AXIO-

# AXIOMATA
## POLITICA.
## PRIMA REGVLA.

*Tales Periodi Imperiorum.*

*Intuentes historias à prima antiquitate, reperimus regna & Respublicas potentiores 500. annis plerunq; floruisse: plurima hunc terminum non attigisse: nulla aut paucissima superasse: sed in quingentesimi anni momento aut propè incidisse mutationes: quibus vel eversa ac deleta funditus, vel aliò translata desierint: vel in aliam novam sint transmutata formam.* Hæc periodus definitur à Daniele cap. 9. ibi prædicitur tempus durationis politiæ Iudaicæ: Septuaginta hebdomades præfinitæ sunt populo tuo: id est, 490. anni. *Peucerus de diuinat. pag. 18. b. Strig. Psal. 95. pag. 169.*

*Magnæ mutationes universaliter cadunt in quingentesimum annum.* Probatur per Danielem de 70. hebdomadibus, id est, annis 490. sicut ibi dicitur. *Ita regulare est: quòd circa quingentesimum annum fiunt insignes mutationes regnorũ & status generis humani. Quingẽti anni habẽt insignes mutationes. Philip. d. 9. Decemb. An. 1554.*

A Fiunt

*Fiunt magnæ mutationes familiarum in* Fünff Hundert Jahren. *Idem 26. Decemb. Anno eod.*

*Periodus quingentorum annorum insignes solet afferre & Ecclesiæ & Rebuspublicis mutationes. Laurent. Ludovic.*

*In omnibus regnis & Rebuspublicis quatuor res sunt fatales, vt ita dicam: hoc est, divinitus ordinatæ: quæ humano consilio mutari non possunt: constitutio regnorum & Rerumpublicarum: limites: periodi: & impetus gubernatorum. Strig. 2. Reg. 13.*

*Post annos 500. incidunt plerunq; in Rebuspublicis fatales mutationes & universales: vt ostendunt historiæ omnium temporum: & exempla sunt in conspectu. Peuc. in lect. Chron. 17. Decemb. An. 1569.*

*Numerus quingentesimus est fatalis. Vltra quingentos annos non durant regna. Id. An. 70.*

*Ferè aut integra quingentorum, aut dimidia ducentorum quinquaginta annorum periodo circumacta, accidere solent mutationes quasi fatales non regnis solùm & Rebuspublicis: sed etiam Ecclesiæ. In Chron. Philippi pag. 416.*

*Plerunq; fatales periodi, aut insignes mutationes Imperiorum eveniunt circa annos quingentos. Philip. in Postill. per Pezel. ed. part. 3. pag. 534.*

Regnet

*Regna non sunt stabilia: sed habent suas fatales inclinationes & ruinas.* Strig. Esa. 16.

*Ruinæ Rerumpub. non sunt fortuitæ, sed fatales.* Idem Esa. 23.

*Omnia regna habent suas fatales periodos: quibus circumactis, transferuntur aut mutantur.* Idem 1. Sam. 2.

*Universaliter circa quingentesimum annum fit mutatio cuiuslibet regni.* Phlip. referēte Buchol. in Cordiali.

*Propemodum singulis quingentis annis, aut circiter, fiunt insignes mutationes Imperiorum.* Idem ibid.

*Universaliter septuagies septies est periodus usitata Imperiorum. Universaliter habetis mutationes regnorum circa annum 500.* Idem in Locis Manl. pag. 604.

*Usitata periodus magnarum mutationum congruit ad annos quingentos.* Strig. in Chron. par. 1. pag. 38.

*In populo Israël semper fuerunt mutationes in quingentis annis.* Philip. 26. Decemb. 1554.

*Illud est ab antiquissima memoria proditum: civitates omnes anno quingentesimo converti aut everti.* Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 2. pag. 655.

*Hanc periodum Deus plerunq; in suo populo observavit: ut annis quingentis decursis fierent aliquot mutationes insignes.* Peuc. in lect. Chr. 3. Novēb. 1571.

Apud Herodotum Crœsus inquit ad Cyrum ducturum exercitum contra Tomyrin Scytharum Reginam: Equidem tibi Rex etiam antea dixi: quandoquidem Deus tibi me tradidit: quicquid animadvertero errati in tua domo: id omne me proviribus aversurum. Nam meæ ruinæ etsi ingratæ: mihi tamen extitêre disciplinæ. Si tibi esse videris immortalis: & ejusmodi exercitui præesse: nihil est opus, ut meam tibi dicam sententiam. Sin verò te quoq; agnoscis hominem: & istis ejusmodi præesse: illud inprimis discito: *humanarum rerum circum esse: qui rotatus, semper eosdem fortunatos esse non sinit.* *Herodot. lib. 1.*

Apud Plutarchum legitur: ante bellum civile Marianũ, cùm prodigia nunciata essent penè innumerabilia: vates Hetruscos respondisse: adesse mutationem rerum in pejus. Nam *descriptas esse divinitus ætates: quibus idem rerum humanarum status duraret: quibus finitis: prædici priùs, quàm existeret, novationem in deterius ruentium rerum: quæq; indies minùs ac minùs numini cordi essent.* *Ioach. Cam. lib. 1. de ostentis, p. 290.*

Plato in octavo de Repub. differens de causis, quæ afferunt mutationem Imperijs, inquit: *Degeneres posteri ex præstantioribus orti, evertunt Respublicas paulatim usq; ad periodum.* *Strig. 2. Paral. 6.*

## EXEMPLA.

I. Tribus quingentesimis periodis exactis à mundi exordio, & supra has annis 36: adijcit DEVS annos adhuc 120. spacium scilicet ad resipiscendum satis longum.

II. Anni quadringenti sunt triginta quinq; peregrinationis Abrahæ, seu à tempore vocati Abram ex Haran, vsq; ad egressum ex Aegypto, & datam legem.

III. Ab exitu populi ex Aegypto vsq; ad nativitatem CHRISTI numerantur præcisè anni 1508: quæ series annorum complectitur tres integras periodos annorum 500. Nam anno ab exitu populi Israëlitici ex Aegypto 480. ceptum est extrui

primum

primum templum à Salomone: & tanto ferè spacio temporis rexerunt populum Duces & Iudices.

IIII. Idem templum anno 422. pòst, Nabuchodonosor rex Babylonis direptum ac dirutum solo æquavit; totumq; regnum Iudaicum, abducto in captivitatem Rege Zedekia, sustulit ac finivit: quod floruerat annos 505. à Saule ad vltimum Zedechiam vsque.

V. Secundum templum, quod dimissi ex Babylone Iudæi, postquam 70. annorum captivitatem sustinuissent, Cyri iussu concessuq;, secundo à reditu anno inchoarunt, sed impediti vicesimo primo demum anno absolverunt, annos 500. integros stetit. Etenim 501. anno à prima instauratione, Herodes gratificaturus Iudæis, totum renovavit & magnificè exornavit, annis ante natum Christum 15: id tandē Vespasianus capta vrbe incensum delevit funditus. *Vide Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 3 pag. 534.*

VI. A soluta captivitate Babylonica ad liberationem generis humani, à morte, peccato, & Diaboli potestate, id est, ad CHRISTVM de deleto peccato, morte abolita, fracta potentia Diaboli, redempto ac restituto genere humano triumphantem, numerantur in prophetijs Danielis hebdomades 70. id est, anni 490. cuius prædictionis veritatem CHRISTVS adventu suo complevit.

VII. Totidem anni penè intercesserunt regno Saulis & Samuelis, & principatui Moysis: quo Duce exijt ex Aegypto populus Israël, excusso iugo duræ servitutis.

IIX. Successio & gubernatio Regum in populo Iudaico complevit annos 500. à Saule usq; ad captivitatem Babylonicam.

IX. Eundem terminum attigit restituta post captivitatem politia gentis Iudaicæ, ab Esdra vsq; ad Vespasianum: qui totam destruxit: vt fuerat prædictum multò antè: reliquijs Iudæorum dissipatis ac dispersis in totum orbem terrarum. Nec à Vespasiani temporibus instaurata est amplius. Nam aliquantò pòst Hadrianus, recolligentes sese Iudæos, & receptis viribus, atq; inchoata instauratione politiæ sese confirmantes, magnis & difficilib. bellis vix tandem repressit atq; extinxit, cæsis amplius quinquagies centenis millibus Iudæorum, & vrbibus munitis quingentis, oppidis insignibus 985. dirutis & solo æquatis. Cumq; Iuliani Cæsaris permissu denuò tandem confluxissent in solo patrio: & exædificaturi muros vrbis Hierosolymæ fundamentorum causa terram subruerent: ignis ex dehiscente terra sponte exiliens, operarios absumpsit: quo factum, vt desistere à structura cogerentur.

X. Annos 520. Assyrij tenuerunt Asiam: postea Mēdi eam occuparunt, illis excussis, teste Herodoto.

XI. Annos 490. regnum Athenarum duravit à Cecrope usq; ad Codrum: cui abrogatam & ademptam Monarchiam Athenienses mutarunt in Democratiam.

XII. Totidem annos floruit Lacedæmonum Respublica sub Regib. Heraclidis, à Lycurgo, qui eam Reipublicæ formam primus constituit, latis & sancitis legibus, vsq; ad Alexandri Magni ætatem: sub quo concidit.

XIII. Macedonicum regnum etiam ferè tam diu floruit.

XIV. Annis 500. ab expulsis Regibus vsq; ad Monarchiam Augusti, rexerunt Rempublicam Romanam Consules, forma gubernationis mixta ex Aristocratica & Democratica.

XV. Anno 500. post devictum ab Augusto Antonium ad Actium, & constitu-

tam Monarchiam, cæso Romæ Valentiniano, vltimo Occidentis Imperatore, Imperium Occidentis dilaceratum concidit, & esse desijt: Vandalis, Alanis & Suevis primò Galliam, deinde Hispaniam, tandem & Africam, & in ipsa Italia vrbem Romam, Genserícho duce, invadentibus, occupantibus, ac diripientibus: Scotis & Anglis Britanniam: Burgundionibus & Francis Galliæ partem: Gottis partim Italiam, partim Galliam Narbonensem, Aquitaniam, & veterum Cantabrorum sedes, ac Celtiberorum in Hispania: Longobardis Galliam Cisalpinam adorientibus & obsidentibus. Nec post hunc Valentinianum certa aliqua & firma fuit Græcorum Imperatorum in Occidente potentia. Ideo paulò pòst, relicta vrbe Roma, constituerunt Exarchatum Ravennæ: quem etiam citò destruxerunt & everterunt Longobardi. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 2 pag. 656. ita:* Ab Augusti dominatu post Actiacam victoriam, & Ianum quartùm clausum, usq; ad Augustulum, Imperatorem Romani nominis extremum, quem Odoacer Herulorum Rex eiecit, & occupatum à Gothis Imperium, numerantur anni 496. Qui perfectus est numerus: & ex septuaginta septenarijs constat cum senario perfecto. Nam in Fastis anno sequenti, qui est septuagesimus primus septenarius, Odoacer imperare cepit.

XVI. Annis ferè 500. elapsis ab eo tempore, quo Constantinus Imperij sedem Constantinopolin transtulit ex Italia, Carolus Magnus, victis & domitis Longobardis, qui Gottos antè debellatos pepulerant, Imperium Occidentis in libertatem asseruit & instauravit.

XVII. Monarchia prima fuit penes Assyrios à Nino usq; ad Sardanapalum per annos 1033. Quando itaq; translata rursus est à Phulbelocho: fuerat iam apud Assyrios per duas integras periodos.

XVIII. Regnum Germanicum per Electores Septemviros administratum est annos 550. aut circiter, constitutos ab Ottone III.

XIX. Ante annos paulò ampliùs quingentos regna esse cœperunt atq; efflorverunt Polonia & Vngaria. Ex his regnum Vngaricum satis iam à latronibus Turcicis vexatur & affligitur: ante oculos interq; manus sunt omnia nostras. Regnum Polonicum incerto & dubio statu nutat: & quò sit se inclinaturum, paulò pòst docebit eventus.

XX. Eodem tempore Galliæ regnum invasit Hugo Capetus: cuius possessionem posteri huius retinuerunt huc usq;. Id hodie mutua civium inter se laniena vastatur. Ab hoc tempore cùm elapsa sit fatalis periodus annorum quingentorum: metuendum est, his regnis omnibus magnas & fatales imminere mutationes: quas clementer DEVS mitiget: servet verò, quæ iam nutant regna ac protegat: & in illis Ecclesiæ suæ aliqua hospitia largiatur: ne doctrina de Filio DEI, & invocatio vera, honestaq; leges & studia prorsus aboleantur. *Hæc exempla ponunt Philip. in Locis Man. pag. 604. & seqq. & in Postil. per Pezel. ed. part. 3 pag. 534. Peucerus in lib. de divinat. pag. 18. b. & seqq. item in Chronicis pag. 393. & in lectione Chronicorum 17. Decemb. An. 1569. Item An. 70. 3. Novemb.*

Eadem

# II.

*EAdem periodus 500. annorum non solùm insignes mutationes solet afferre Imperijs: sed etiam fatalis est Ecclesiæ: id quod historiæ testantur.*

Hæc regula in Ecclesiasticis etiam suum habebit locum: ubi etiam exempla aliquot addita invenies. Nos eam hoc loco ponere voluimus, cùm propter ordinem concinnum: tum propter distributionē Horarum 12. (*apud Matth. cap. 20.*) singularum in singulas 500. annorum periodos: quæ in Ecclesiasticis regulis non est addita.

Sic igitur de ea distributione Horarum, Laurentius Ludovicus, in enarratione Euangelij Dominicæ Septuages. Anno Christi 1580. d. 3. Febr. dixit & scripsit: Cùm curriculum Ecclesiæ vsq; ad nostram ætatem paucis complecti nequeamus: brevem proponemus tabellam, proponentem ob oculos 12. Horas dici, de quibus hic Christus loquitur, redactas ad annos mundi per *periodum annorum quingentorum*: *quæ vt plurimùm ingentes solet afferre & Ecclesiæ & Rebuspublicis mutationes.* Ponamus autem pro annis mundi sex millia annorum Scholæ Eliæ: de quibus multi excellentes in Ecclesia doctores consentiunt. Eos hoc modo distribuemus:

| Horæ. | Anni mundi. | Aetates. | Horæ. |
|---|---|---|---|
| 1 | 500 | Primorum parentum, Seth, & Patriarcharum. | 1 |
| 2 | 1000 | Enos, & reliquorum Patriarcharum. | 2 |
| 3 | 1500 | Nohæ: qui orditur concionem pœnitentiæ A. M. 1536. sequitur diluuium A. M. 1656. | 3 |
| 4 | 2000 | Abrahæ: qui vocatur à DEO ad peregrinationem A. M. 2024. | 4 |
| 5 | 2500 | Iosuæ: qui distribuit terram Canaan hoc ipso anno. | 5 |
| 6 | 3000 | Eliæ, & reliquorum Prophetarum. | 6 |
| 7 | 3500 | Esræ: qui instauravit politiam Iudaicam A. M. 3514. | 7 |
| 8 | 4000 | Christi, Apostolorum, & successorum, qui mundi annus incidit in annum 30. Nati Christi. | 8 |
| 9 | 4500 | Iustiniani Imperatoris, qui acerrima edicta proposuit contra Hæreticos: & magna multitudo barbararũ gentium conuersa est ad Christum, cum gentibus Hunnorum. | 9 |
| 10 | 5000 | Henrici II. Imperatoris. Quo tempore nostræ gẽtes cum Henetis ad Christum sunt conversæ: & Episcopatus in vicinis regionibus constituti. | 10 |
| 11 | 5500 | Lutheri: qui mundi annus incidit in annũ N. C. 1530. annum exhibitæ Confessionis Augustanæ. | 11 |
| 12 | 6000 | Electorum: à quorum facie DEUS omnem absterget lacrymam. | 12 |

## III.

*REgna non pauca dimidium tantùm periodi quingentorum annorum exegisse, annisq; 250. floruisse, docent historiæ.* Peucer. de divin. pag. 20. b.

Etsi

*Etsi periodus fatalis regnorum & Rerumpublicarum pleruńq; congruit ad annos quingentos: tamen multa regna circa medium huius periodi vix ducentis quinquaginta annis completis defecerunt.* *Strig. 1. Reg. 15. Item Psal. 95. pag. 169.*

*Non omnia regna durarunt annos quingentos: sed aliqua tantùm attigerunt dimidium huius numeri, id est, ducentos & aliquot insuper annos.* Dicuntur enim ista ὡς ἔγγιστα, sine præcisione: non dicuntur ἀκριβῶς. *Idem in Chron. part. 1. pag. 39.*

## EXEMPLA.

I. Medorum potentia annorum fuit 220.

II. Monarchia Persica, quæ à Cyro usq; ad Darium vltimum opibus & potentia floruit, annos 230. armis Alexandri Magni dissoluta corruit.

III. 250. annos, vel circiter, duravit Græcorum Monarchia, inchoata ab Alexandro, & in successores derivata, complexaq; initiò penè maximam partem orbis terrarum: & tandem post dimicationes longas ad distinctos Macedoniæ, Syriæ, Ponti & Ægypti Reges devoluta.

IIII. Hanc Romana potentia, ordine sublatis Regibus, & regnis in provinciæ formam redactis, post exactum dimidium totius periodi tempus demolita est.

V. Romani suis etiam Regibus, ante constitutum Consulatum, abrogarunt regnum quinquennio ante dimidiæ periodi finem: id est, anno ab Vrbe condita ducentesimo quadragesimo quinto. *Vide Strig. in Chron. part. 1. pag. 39.*

VI. Totidem annorum fuit potentia primorum Regum Franciæ à Clodoueo Christiano: qui, interfecto Syagrio, quem Suessiones expulerant, & reliquis Romanorum præfectis summotis & abactis, Galliam à Romano Imperio prorsus avulsam sibi subjecit: usq; ad Pipinum Caroli Magni patrem: cujus posteritas & Imperium, & præcipuè Galliæ regnum, gubernavit vsq; ad Hugonem Capetum, annos 237. *Idem in locis suprà citatis.*

VII. Ab instaurato imperio Occidentis per Carolum Magnum anno 257. regnante Henrico IIII. crevit tyrannis: quæ potentiâ Imperatorum valdè debilitavit.

VIII. Regnum Israël, quod fuit in Samaria conditum, à Ieroboam Rege, floruit per annos 209. Deletum est a Rege Salmanassar, abductis decem tribub. in Assyriam.

IX. Regnum Longobardorum in Italia eversum à Carolo Magno, ultimo Rege Desiderio cum coniuge & liberis Leodium relegato, duravit annos 240.

X. Mamelucorum regnum in Aegypto duravit annos circiter 260. serie numerata à Turquemenio, qui regnum invasit, Melechsali Rege obtruncato, usq; ad Tomumbeium ultimum: quo ad portam in urbe Memphi suspenso, Selimus Turcorum Tyrannus regnum Mamelucorum demolitus est. *In Chron. Philip pag. 446.*

# IIII.

*PEriodos etiam septingentorum annorum attulisse mutationes Regnis & Rebuspublicis insignes, historiarum series docet.* *Peucer. lib. de Divinat. pag. 21.*

## EXEMPLA.

I. Respublica Carthaginensis annos steterat 700. quando à Scipione Aemyliano deleta est. *Secundùm Iosephum annos 744.*

II. Civile bellum Pompeij & Cæsaris, quod Romanam Rempublicam evertit, incidit in annum ab Vrbe condita 705. Et concurrerunt duæ tunc periodi simul: quingêtesima una ab initio Consulũ: septingentesima altera ab exordijs urbis Romæ

III. Annis post destructam Carthaginem ferè septingentis. id est, 638. Totilas Gothus urbem Romam, abductis inde veteribus familijs, devastavit ac diruit: quod Scipio, contemplatus incendium Carthaginis, præsagijt, & futurum prædixit, cum lacrymis recitatis his versibus:

ἔσεται ἦμαρ ὅτ' ἂν ποτ' ὀλώλῃ Ἰλιος ἱρή,
καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμμέλίω Πριάμοιο.

IIII. Septingentis annis elapsis à Miramalino Maurorum principe, Hispaniæ omnis domitore, Ferdinandus avus maternus Caroli V. Imperatoris, devictis & domitis Mauris, & potentia Regulis erepta, universas Hispanias recuperavit. *Idem ibid.* Tarapha Annalium apud Hispanos certissimus scriptor, Mauros & Arabes in Hispaniam invasisse tradit Anno Christi 707, & quidem anno septimo Roderici Regis: & imperium tenuisse annos 770: nec penitus ante Ferdinandum Aragoniæ & Castiliæ Regem expelli potuisse. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 2. pag. 657.*

V. A Xerxis fuga usq; ad L. Septimium Severum, qui Byzantium triennio obsessum tandem fame expugnavit atq; evertit, anni sunt 674. quibus annis floruit urbs. *In Chron. Philip. pag. 582.*

VI. Exactus est nunc quoq; ab instaurato per Carolum Magnum Imperio Occidentis annus septingentesimus: & à Collegio Electorum, sapientia Ottonis III. constituto, quingentesimus: ob quem periodorum concursum, & quòd propter peccata hominum, quæ multa & magna sunt, inclinatæ videntur esse res orbis Christiani ad præcipitem ruinam, impendere mutationes maximas nõ est obscurũ: quas DEVS sua misericordia & bonitate ut leniat & mitiget, ardentib. votis precemur. *Peuc. Ut suprà.*

VII. Ab

VII. Ab V. C. ad illud tempus, quo post Actiacam victoriam, qua fusus est a[b] Augusto M. Antonius, & Imperij Romani summa potestas ad eum delata, Ianusq; quartùm clausus, numerantur anni 729. qui novenarij solidus est ac plenus.

VIII. Idem annorum numerus recurrit ab eversione imperij Longobardorum, ad illud tempus, quo Ludovicus XII. Rex Francorum, easdem regiones, fusis ac fractis Venetorum & Sfortiadum copijs, suæ potestati subjunxit.

IX. Idem numerus est annorum ab eversione imperij Pictonum, & Scotorum victoria, usq; ad Mariæ Stuardæ captivitatem.

X. Et ab Egeberto Saxone, qui Anglorum imperium solus tenuit, vsq; ad Mariam Anglorum Reginam: quæ prima Gynæcocratiam eius Insulæ occupavit. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 2. pag. 656.*

# V.

*CEntesimas periodos fatales esse regnis, Rebuspublicis, regijs stirpibus, ostendunt historiarum monumenta. Peuc. in orat. de miraculosa stella.*

## EXEMPLA.

Hæc periodus Salomonis, Nabonassaris Assyrij, Augusti, Caroli Magni, Henrici Aucupis, Cunradi Franci, Cunradi Svevi stirpi ac posteritati finem, & ut fit, cùm Imperia transferuntur in novos & alienæ stirpis successores, mutationes insignes rebus communibus attulit. *Idem.*

# VI.

*CIrcumactis periodis Imperiorum, deficit autoritas: qua deficiente, sequuntur mutationes.*

*Circumactis periodis regnorũ, deficit autoritas: & mox sequuntur discordiæ: quæ sunt exitiosæ Imperijs. In Chron. Philippi lib. 2. pag. 54. Strig. in oratione de Daniele & Esa. 3. Peuc. in Chron. lect. 10. Aug. 71.*

## *Unde sumpta est hæc Regula?*

Ex Daniel. 5. cap. ubi videt Rex Balsaar manum prodeuntem ex pariete, & scribentem hæc tria verba: MENE, TEKEL, PHARES. MENE, id est, numeratum est: regno tuo constitutus est certus terminus divinitus. TEKEL, id est, appensus es in libra, & levior inventus, id est, autoritas tua perijt. PHARES, id est, divisum est regnum tuum: regnum tuum dividetur inter alios, nimirum Persas & Medos. Summa verborum hæc est: *Omnibus regnis certa est periodus data divinitus: quam non transcendunt: hac exacta, perit gubernatorum autoritas: qua amissa—, sequitur mutatio Imperiorum—.*

## *In quibus rebus consistit Autoritas?*

**Autoritas consistit in quatuor rebus.**

1. In *Sapientia—*. Talis fuit in Alexandro Magno: de quo Plutarchus in vita ipsius scribit: quòd prudentia vicerit sapientissimos senes. Similis fuit in Themistocle: cuius elogium extat apud Thucydidem.

2. Autoritas consistit in *Virtute*, id est, agnitione Dei, iustitia, clementia, sedulitate in officiis vocationis, fortitudine, castitate, temperantia, veritate. In Principibus autem nullæ virtutes maiores sunt *Misericordia & Veritate*. Ideo Salomon inquit: Misericordia & veritas custodiũt Regem, & fulciunt thronum eius. Tales virtutes describuntur à Xenophonte in Cyro.

3. In *Felicitate*, id est, felicibus successibus. Nihil enim magis conciliat animos hominum, quàm felicitas.

4. In *Inclinatione animorum—*: quæ simpliciter

donum

donum est Dei. De hac dicitur in historia Saulis: abijt cum eo magna pars exercitus: quorum corda Deus tetigerat: id est, flexerat ad singularem benevolentiam erga suum Regem. Et Salomon inquit: Vt oculus videat: & auris audiat: Deus facit utrumq; id est, duo requiruntur ad felicem gubernationem. 1. bona & salutaria consilia Imperatorum. 2. subditorum spontanea, libera, & non coacta obedientia.

## *Quid est amissio Autoritatis?*

### Autoritatem Principum perdunt

1. *Imprudentia* Principum: quando vel non intelligunt officia gubernationis: aut rectè monentib. non obtemperant: sed mordicus retinent semel conceptas sententias: & preferunt hominum furiosorum consilia rectis & moderatis. De hac imprudētia dicitur in Psalmo: errare nos fecit in via, id est, vocatione. Item Esaias inquit: dabo principes pueros, id est, stultos & insipientes. Pertinent huc veteres versus:

*Iratus ad pœnam* DEUS *si quos trahit:*
*Auferre mentem talibus primùm solet:*
*Caliginemq; offundit: vt suas ruant*
*Furenter in clades: sibi quas noxijs*
*Accersierunt ultrò consilijs mali.*

Vel sic:

*Cùm numinis subvertere ira aliquos parat:*
*Primùm omnium aufert sanitatem mentium:*
*Pravasq; pro rectis creat sententias:*
*Ne quis malefacta noscere possit sua.*

De imprudentia Principum observetur hæc Regula:

*Principium mutationis in Imperijs est Imprudētia,* id est, error Principum seu gubernatorum. Exemplo sunt Xerxes, Crœsus, Alcibiades.

2. *Malitia* Principum: in quibus decrescit studium virtutis: & augentur omnis generis vicia.

3. *Mutatio fortunæ*, seu *Infelicitas in actionibus.* Error in consilijs parit infelices actiones: quia suscipiuntur res vel non necessariæ: vel maiores viribus.

4. *Mutatio benevolentiæ in animis subditorum* erga gubernatores: seu odiũ subditorũ contra magistratus. Et *hæc mutatio plerunq; sequitur infelicitatem*, sicut dicitur: Et cum fortuna stat q; caditq; fides. Sic Salustius: quò se fortuna, eò se favor hominum inclinat. Pertinet huc illud, quod dicitur Esa. 3: Ecce DOMINUS Dominus exercituum auferet de Ierusalem & de Iuda, id quod sustentat & roborat: omnem videlicet sustentationem panis: & omnem sustentationem aquæ. Fortem & virum bellicosum, judicem & prophetam, sapientem & senem. Principem qui præest quinquaginta, & autoritate præstantem consiliarium, & ingeniosum artificem, & excellentem oratorem: Et dabo pueros Principes eorum: & parvuli dominabuntur eis. Puer quoq; contumax erit adversus senem: & levis contra gravem.

## *Peucerus explicans illa tria verba:* MENE, THEKEL, PHARES: *10. Aug. An. 71. sic ait:*

Vltimus Regum Babyloniorum nominatur à Daniele Balthasar: ab Herodoto Labinythus. Iste redijt, tanquam canis ad vomitum, à vera agnitione DEI ad idola: restituit idola in gente Babylonica: & dixit blasphemas contumelias contra DEVM: protulit & profanavit vasa templi: quæ Nabuchodonosor sepositerat, & pollui aut contaminari profanis usibus noluerat: & inter convivandum diras blasphemias in DEVM effudit: ideo DEVS excussit eum regno: & transtulit regnum a Chaldæis ad Persas. Hac translatione simul punivit blasphemias Regis: & Ecclesiam exulantem reduxit in patriam. Voluit hac mutatione utrumq; efficere: punire blasphemias Regis, & eius gentis: & in solo patrio restituere politiam & Ecclesiam: ne fierent maiores & terriores gentis Iudaicæ dispersiones: aut ne gens etiam funditus periret. Quia voluit hinc gentem superstitem esse: ut sciretur, ubi & quæ esset vera Ecclesia: quæ gens esset custos veræ doctrinæ: & ubi vellet deinceps nasci & conspici Messiam.

Illa

Illa diligenter considerate: & tamen integram historiam legite apud Danielem: ubi causæ translationis conferuntur in blasphemias impij & blasphemi Regis: cui in convivio convicia iacienti in DEUM denũciatur mutatio & interitus manu scribentis tres istas voces in parietem: quibus significatur: *circumactis periodis regnorũ, auctoritatem Principum deficere: & nox sequi discordias: quæ afferunt mutationes.* MENE, significat numerare: vnde & factũ est nomen Mina, & Almanach, das man einen Ephemeriden oder Calender nennet, id est, computationem. ὡμολόγισμον. Al, est articulus, Mane, numeratum est. Præterijt, exacta est periodus: quæ fuit divinitus constituta & definita: der periodus, die gezeitt ist herumb. Quæsiti sunt interpretes: & inter hos Daniel: qui statim significavit, portendi mutationem Monarchiæ. THEKEL, id est, alleviavit. *Periodo exacta deficit virtus, & opinio virtutis in gubernatoribus: perit autoritas: gubernatores amittunt autoritatem: veniunt in contemptum: alij propter alias causas.* Alij propter tyrannidem: propter iniustas cædes: alij propter flagitiosas libidines: alij propter immodicas subditorum exactiones, nimia onera, idolatrias. Quia multæ sunt causæ: quæ Principes in odium adducunt: & conciliant eis contemptum. Das heist Thekel, alleviavit. *Periodo exacta cum virtute perit simul autoritas*: ut Psalmus inquit: effundam super eos contemptum. Wann der periodus auß ist, so folget das. *Autoritas est singulare donum* DEI. Et quanquam comparatur virtute & sapientia: tamen, si desit felicitas: si desint felicia & salutaria consilia: & non accedat singularis inclinatio vel affectio animorum in subditis: quæ est motus divinus: autoritas virtuti sæpè non respondet. Vidimus etiam magnos Viros, quibus virtus non defuit, tamen caruisse autoritate. *Sæpè mediocris virtus plus habet autoritatis: maiora habet studia hominum: quàm insignis, excellens & heroica virtus. Cùm cessat autoritas: non dubium est, illud ipsum quoq; fieri divinitus: quia quando* DEVS *vult punire Principes: circumdat eos contemptu: sicut quos vult crescere & evehere: illos circundat autoritate.* Du bist zu leicht erfunden auff der Waga: ponderatus es: sed non in te repertum est: quod fuit quæsitum. Darnach sind der Exempel viel. Intueamur illa nostra præsentia tempora. Valde concidit autoritas Imperij Germanici, & Principum in Germania, imò ferè omnium regnorum. Nullum penè habetis regnum in toto orbe terrarum: in quo imperet aliquis Princeps mediocri autoritate præditus. Si enim repetamus historiam illorum Principum: qui in Europa excelluerunt ante annos 70. aut 80: & consideremus, quomodo Imperia sint lapsa: quomodo autoritas decreverit, & tandem penè sit collapsa: videmus quomodo omnia tendant ad finem. Ante annos 80. fuerunt multi Reges præstantes: in Gallia Rex Ludovicus: in regno Neopolitano Alphonsus sapiens, valde celebratus: in Hispania Ferdinandus: in regno Polonico Casimirus: in Vngaria Matthias Hunniades: & ante eum pater eius Iohannes Hunniades: cuius fuit admirabilis sapientia & virtus: & cuius virtute defensa est Vngaria: cuiusq; autoritas tutata est Filium magis, quàm ipsius virtus. Postea Germanicum Imperium habuit tunc aliquot præstantes Principes: qui non tantùm domi apud suos fuerunt in admiratione: sed & fuerunt terrori exteris: qualis fuit Fridericus Victoriosus Palatinus præstans Princeps, & Albertus avus nostri Electoris: qui vocatus est dextra manus Imperij: qui compescuerunt &

Reges

Reges vicinos: sicut coëgerunt tres Reges ad Vratislaviam arma ponere: postea compescuerunt Carolum Burgundum. Nunc etsi Principes conantur rebus afflictis consulere: idq; unicum in animo propositum habent: tamen nescitur quo fiat fato: ut plùs valeat hominum multitudo: quam Principum autoritas. **Das heisset** Thukyd. Etiam in ipsis Turcicis Imperijs non est illa excellentia fortitudinis: non sunt illi successus: qui fuerunt apud maiores: quia quod iam gerunt: non tam gerunt industria, prudentia, virtute: quam magnitudine potentiæ: quæ est in Imperio Turcico. Virtus decrescit. Sicut recens dicitur esse vi expugnata Famagusta: quæ fuit præcipua Cypri civitas: & dicitur in ea ingens esse edita strages: & scribuntur in illa obsidione supra 40000. hominum ex Turcis cecidisse. Ita potentia & vis tandem eos frangunt: qui defensionis causa in urbes collocantur. Existimant se posse numero adimplere & sarcire exercitus amissos. **Darnach folget** PHARES, id est, divisum est. Significat *periodum exactis, & autoritate fracta & extincta, sequi divisiones*, id est, fiunt distractiones paulatim, ignavorum Regum contemptu. Alij alibi novis rebus student: res novas moliuntur: alij has, alij illas provincias avellunt: conspirant contra Reges: sicut iam fit. Imperium Germanicum miserè dilaceratum est. Quot provinciæ sunt avulsæ? quot civitates ereptæ? Intra paucos annos est amissa Prussia, Livonia: quæ fuerunt utiles provinciæ Germanici Imperij, & quasi murus adversus gentes Septentrionales Tartaricas: quæ incolunt istas vastas solitudines Orientis. Quot civitates sunt abreptæ à Gallis? quot ab alijs in alijs regnis? Talia fiunt, quando appetit interitus. **So gehets zu/wenns** ad finem **kömpt**. **Das heissen die drey** voces. *Periodus circumacta collabitur, corruit autoritas Imperiorū: & sequitur divisio.* **Das ist der** exitus, **Das geschicht also**. In hoc regno Babylonico etiam accidit. Et illæ voces non tantùm pertinent ad illum Regem: sed ad omnes Monarchas: & omnes Principes.

## *Exempla alia.*

Merodach deiecto Assarhaddon Rege, Monarchiam Assyriorum ad Chaldæos transfert: cùm vidisset bellis civilibus Assyriorum vires valdè attritas esse: ipsosque Reges non tantùm imbelles, sed etiam infelices esse; propositis sibi exemplis Sennacherib patris, & filij Assarhaddonis.

Monarchia prima à Sardanapalo transferebatur ad Chaldæos: cùm Sardanapalus Rex contemneretur à subditis propter molliciem, & vitam in gynecco inter mulieres consumptam. Historiam describit Diodorus Siculus lib. 2. rerum antiquarum: quæ cùm sit memorabilis: & ipse Diodorus non in omnium, præsertim scholasticorum egentiorum, versetur manibus: non abs re fore putavimus: si eam hoc loco asscriberemus. Sic igitur Diodorus libro iam nominato:

Sardanapalus à Nino trigesimus Rex, vltimus verò Assyriorum, excessit omnes superiores luxuria atq; ignauia. Nam præterquàm quòd à nullis exterius conspiciebatur: vitam muliebrem duxit, cum pellicibus vestè tum purpurea indutus, tum molli lana contexta. Stola insuper muliebri faciem totumq; corpus in modum meretricis fuco componens, vltra luxum muliebrem lasciuiebat: vocem fœmineam loquendo imitatus. Non solùm cibum potumq; qui voluptatem præberent, continuò appetebat: sed luxuriæ quoque deditus, nunc viri, nunc mulieris vice abutebatur, omni

posthabita sexus ac pudoris cura. Adeò verò delitiæ, turpis voluptas, incontinentiaq; in eo viguêre: vt successoribus post obitum suum in sepulchro inscribi barbarica lingua mandârit: quod postmodùm Græcus interpretatus est: Hæc habeo quæ comedi: & quæ cum amore & voluptate percepi. Illa plurima & præcipua relicta sunt. Vita in hunc modum turpiter exacta, Imperium Assyriorum, quod diutiùs perseuerârat, euertit. Arbaces quidam genere Medus, virtute & animi magnitudine præclarus, dux erat copiarum: quæ singulis annis in Ninum à Medis destinabantur. Contracta hic amicitia cum Babyloniorum duce, nomine Belese, hortatus est ab eo: vt principatum Assyriorum deleret. Erat enim insignis inter sacerdotes, quos Babylonij Chaldæos vocant, peritus Astrologiæ diuinationisq;: qui multis prædixerat, quæ erant proculdubiò futura. Hic Arbaci cùm amicus esset: eum imperio omnium potiturum prædixit: quibus Sardanapalus regnaret. Laudato viro, Satrapam se illum Babyloniorum, si vera prædiceret, facturum promisit. Ipse tanquam Dei vocibus in spem elatus, eum præ reliquis ducibus, tum benignè alloquendo, tum beneficijs ad suum benevolentiam attraxit. Cupiens autem Regem atq; eius vitam inspicere, data vni ex eunuchis aurea phiala, ad Sardanapalum introductus est. Conspecta Regis mollicie & muliebri apparatu, illum vt nullius rei hominem despexit: magisq; in spem incubuit à Chaldæo datam, inita cum Belese societate: vt ipse Medos ad imperium, Persas ad defectionem solliciaret: ille verò Babylonios barbarorumq; ducem sibi amicum ad communionem consiliorum impelleret. Cùm tempus missionis exercitus aduenisset: de more in patriam dimissi sunt cæteri. Arbaces ad Medos reuersus, illis persuasit, vt pro imperio, Persis, vt pro libertate sumerent arma. Similiter & Beleses Babylonios impulit ad libertatem: & ad Arabas legatis missis, præfectum eorum sibi familiarem ad societatem consiliorum hortatus est. Acto anno ad Ninum conuenêre omnes, succedere se de more cæteris simulantes: re autem vera, vt imperium Sardanapalo auferrent. Erant quatuor gentes, quæ in vnum conuenerant, numero millia hominum quadraginta, muniti castris, ac de rebus communibus consultantes. Cognita defectione, Sardanapalus aliarum nationum exercitum aduersus desciscentes ducens, commisso certamine hostes superat: profligati ad montes confugiunt, stadijs à Nino distantes 70: quibus, cùm denuò ad campos fortunam experturi descendissent, Sardanapalus cum omnibus copijs occurrit. Instructa acie, per præconem, ei qui Arbacem aut Babylonium Belesem occidisset, talenta auri ducenta, qui viuos tradidisset, duplex præmium, ac Mediæ præfecturam pollicitus est. Verùm nullum ea præmia mouerunt. Commisso certamine multi ex hostibus occubuêre: reliquos Sardanapalus vsque ad castra in montibus sita persequitur. Qui cum Arbace erant, aduersis prælijs pauentes, initiò quid victis agendum esset consultant: maior pars in patriam cuiq; redeundum, ibi præoccupanda munita loca, alios in societatem belli vocandos, necessaria ad bellum paranda esse censebat. Beleses Babylonius, asserens Deos multis cum laboribus periculisq; victoriam polliceri, persuasit ut in bello perseverarent. Commissa igitur rursus pugna, Rex superior fuit: castris hostium potitus, usq; ad Babylonios insecutus est. In eo certamine Arbaces viriliter pugnans, multis prostratis Assyrijs vulnus accepit. Tot adversis prælijs, eorum qui desciverant icti duces, cùm domum abire decreuissent: Beleses sub dio pernoctans, ex astrorum obseruatione recedere volentibus prædixit: paucos post dies ultrò illis auxilia aduentura, reliq; eorum in melius cessuras esse. Hæc astris significare Deos. Suadere

igitur se, ut suæ arti fidentes, parumper Deorum beneficia expectarent. Huic exhortationi parentibus ducibus, promissumq; expectantibus tempus, nunciatum est: Bactrianorum exercitum ad Regem mitti, propinquumq; esse, magnis itineribus proficiscentem. Visum est igitur Arbaci, reliquisq;, cum expeditis militibus obviam proficisci: ut aut defectionem persuaderent Bactrianis: aut ad id armis cogerent. Primùm duces, tum reliqui libertatem asserentes, copijs cæterorum se addiderunt. Hæc Sardanapalus ignorans, memor superioris fortunæ, ad hilaritatem profusus, epulas militibus ex sacris, vinumq; abundè præbuit, aliaq; epulis accommodata. His intentis Assyrijs, Arbaces qui per transfugas hostium in castris negligentiam, ut qui vino ciboq; gravati, somno quietiq; indulgerent, norat: noctu castra hostium expugnavit: acie instructi incompositos, parati imparatos adorti, multis interfectis reliquos in urbem compulêre. Sardanapalus cùm exercitus ducem præfecisset Salmenum uxoris fratrem: urbis curam custodiendæ sumpsit. Hostes in locis patentibus iuxta urbem duobus prælijs copias regias fundunt: interfectoq; Salameno, reliquos persequentes, partim in fuga cædunt: partim in flumen Euphratem præcipites agunt: paucis, qui cædi superfuerant, in urbem compulsis. Adeò ingens numerus occisorum fuit: ut fluvius redundante hominum sanguine colorem mutârit. Obsesso in urbe Rege, multæ nationes, libertatis cupidine ad Arbacem defecerunt. Rex magno in discrimine regnum versari videns, filios tres, duasq; filias cum magna auri argentiq; copia in Paphlagoniam ad Cottum præsidem misit, ducum omnium sibi acceptissimum: tum per epistolas reliquorum, qui non defecerant, auxilia accersit, ad ferendam obsidionem paratus. Erat enim responsum progenitoribus datum, nunquam Ninum capi posse: nisi cùm fluvius urbi hostis fieret. Quod nunquam futurum ratus, spem ceperat obsidionis ferendæ: & simul futura auxilia expectabat. Hostes urbem, quam propter mœnium altitudinem expugnare nequibant, obsedêre. Nondum enim catapultæ, neq; vinearum, neq; arietis, quo muri urbium dejiciuntur, usus erat. Iis qui in urbe erant, omnes ad victum res & obsidionem tolerandam necessarię, Regis cura ad id antea impensa supererant. Cùm duobus annis obsidio perseveraret: per summum ocium obsessorum, tertio anno continuis imbribus excrescens supra modum fluvius, cùm partem urbis inundaret, muros deiecit ad stadia viginti. Hic Rex existimans tempus oraculi advenisse, desperata salute, ne in hostium potestatem perveniret, pyram in regia ingentem extruxit: superq; eam auro argentoq; omni, veste insuper regia impositis, uxoribus quoq; atq; eunuchis in medio pyræ reclusis, se cremandum una cum his in ignem iniecit. Hostes audita Regis morte, urbem per eam, quæ ab oraculo prædicta erat, muri partem ingressi, Arbacem regia stola indutum, Regem appellârunt, omnium ei rerum potestate permissa. Hoc pacto Assyriorum Imperium, quod ad trigesimam prolem à Nino pervenerat, annosq; plus mille & quadringentos duraverat, ad Medos transijt.

# VII.

*Autoritas nõ comparatur nostra industria: sed est eximiũ & singulare donum Dei. Strig. 1. Sam. 11.*

*Autoritas est eximium & singulare donum Dei: quod non omnibus gubernatoribus contingit.* *Idem 1. Sam. 18. & 1. Paralip. 12.*

*Singulare Dei donum est in gubernatore autoritas & maiestas: quæ tribus rebus constat, virtute, felicitate, & inclinatione animorum divinitus facta in populo.* *Idem in oratione de Iosepho. Et Philip. in Daniel. cap. 11. pag. 149.*

*Autoritas magis retinet homines in officio: quàm arma & supplicia: & hæc divinitus donatur.* *Idem Strig. 1. Reg. 11.*

*Sicut Deus effundit contemptum super Principes, teste Psal. 107: ita circundat autoritatem ijs: quos vult evehere.* *Idem 1. Paral. 15.*

*Deus vult in magnis Regibus & Principibus esse singularem autoritatem: quam homines sani magis metuunt & reverentur: quàm omnia supplicia & omnes carceres. Autoritate Deus armavit magistratum velut Gorgone.* Nota est fabula de Pallade: in cujus scuto pingitur Gorgon caput Medusæ: de quo Ovid. lib. 4. Metam. scribit: quòd Perseus eo objecto verterit homines in saxa. Gorgon significat *autoritatem divinã: qua Deus & ornavit & armavit Magistratus.* *Idem lib. 2. Ethicor. pag. 86.*

In Regibus majestas dicitur excellentia dignitatis & honoris, primùm DEO attributa absolutè & solummodo: dehinc & Principibus: qui in terra sunt DEI simulacra: cuius

*majestatis impressio, etiam inter fortunæ varietates insidet personis, veluti signaculum & character potestatis: quæ nulla est: nisi à DEO permittatur, vel detur: ex quo vel pessimi quandoq;, imò ut plerunq;, timent mittere manum in Principes, vel potestatem publicam habentes.* Quid autem sit illa majestas: non potest facilè exprimi, proprietatem rei clarè sensibus insinuando. Est enim quippiam latens: quod reddit præter naturam propriam mirabile quippiam: unde veneratio singularis & honor nascitur: nec quale illud sit, possunt ipsi admirantes notare apertè. Et Ovidius (Fast. 5.) ex Honoris & Reverentiæ conjugio, natam Maiestatem voluit, dum ait:

*Donec Honor, placidoq; decens Reverentia vultu*
*Corpora legitimis imposuêre toris.*
*Hinc sata Maiestas, quæ mundum temperat omnem:*
*Quaq; die partu est edita, magna fuit.*

Certè *DEI hæc virtus est, & radius à vera DEI majestate inditus: seu Angelus potestatis minister: vel aliud quippiam efficax, sed incognitum.* *Pet. Greg. Tolos. lib. 8. de Repub. cap. 3. pag. 555. 556.*

Quando avaritia conspicitur, & elucet non solùm in ministerio, verùm etiam in politicis gubernationibus: tum perit statim autoritas. *Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 3. pag. 724.*

## EXEMPLA.

I. Alexandrum iuvenem secuti sunt magni exercitus, non secuturi alium ducem.

II. Iulij Cæsaris tanta fuit autoritas: ut etiam fugientes exercitus sistere potuerit.

III. DEVS circundat Saulinovo Regi autoritatem, inclinatione animorum facta in populo. *Strigel. 1. Sam. 11.*

IIII. In Davide primùm lucet eximia virtus: & apparet eum iuvari divinitus. Incenduntur autem animi hominum admiratione virtutis, & opinione præsentiæ DEI, seu auxilij divini. Hæc quanquam multùm conducunt ad autoritatem parandam: tamen & tertium munus DEI accedere oportet, videlicet inclinationes animorum divinitus factas in ipso populo. Huc pertinet illa memorabilis sententia Salomonis: Vt oculus videat: & auris audiat: DEVS facit utrumq;. *Idem 1. Sam. 18. 1. Paral. 12.*

V. Autoritatis dono ornatus Ioseph non tantùm administravit politiam & œconomiam: sed etiam studia doctrinæ gubernavit: & Ecclesiam in Aegypto collegit. *Idem in orat. de Iosepho.*

VI. Dionysius Tyrannus appellavit exercitum & arma, & magnam vim pecuniæ, adamantina vincula regnorum: sed hoc dictum Pauli Rom. 13. Necesse est obedire non tantùm propter pœnam: sed etiam propter conscientiam; magis munit politicum ordinem: & verius est adamantinum vinculum Imperiorum: quàm omnia arma, omnes exercitus, omnia supplicia, deniq; omnes res humanæ. Dictum autem Dionysij Tyranni extat in vita Dionis apud Plutarchum: qui filium Dionysij, iuniorem Dionysium, eiecit ex regno. Nam eventus ostendit; qualia fuerint adamantina præsidia relicta à patre ipsi filio. Fallax equus ad salutem. Præsidia humana longè sunt inferiora: quàm ut possint defendere politias. Olim in scuto Palladis pingebatur caput Medusæ; quod erat valde horribile. Nam pro crinibus dependebant angues ex ipso capite: & ipsa facies erat torva & valde terribilis. Quid significat caput Gorgonis? Significat *autoritatem: qua Deus ornavit & armavit magistratum*: & si liceret ita dicere: hoc dictum Pauli: necesse est obedire: hoc est illud caput Gorgonis; quod Christiani Principes nunc objiciunt suis subditis: & meritò objiciunt. Non enim alia re magis possunt reprimi homines: quàm hoc capite Gorgonis monstrato, hoc fulmine audito. *Idem lib. 2. Ethic. pag. 102.*

VII. Nos minoribus virtutibus excellebat Iulius Cæsar, quàm Pompeius; sed longè magis valebat Pompeius studio hominum, quàm Cæsar; colebatur ab omnibus favore & applausu populi; penè erat in odio Cæsar.

VIII. Meminimus duo recentia exempla, Ducis Iohannis Friderici, & Landgravij Hassiæ. In Landgravio erant magnæ virtutes, inprimis bellicæ: quibus comparârat sibi autoritatem præcipuorum militum, & hominum studia: tamen longè superabatur favore hominum ab altero. Ita *non tantùm virtus & sapientia sunt dona: sed maiestas etiam, & autoritas tribuitur à DEO: qua fit comparatur: si ad hæc omnia accedat in hominibus illa peculiaris ad favorem inclinatio; qua est singularis motus divinus.* Vnd wenn vnser HERR Gott einen wil groß machen/ so gibt er jm die drey ding: & quando concurrunt omnia: faciunt virum excellentem. 1. excellens sapientia: 2. & virtus. Multi valent consilijs: sed sunt in reb. gerendis infelices: movent non necessaria bella; evertunt regna, Respublicas, infelicitate consiliorum & virtutis. Wenn das da ist/ ut accedat autoritas: necesse est ut addatur hoc tertium, quod est singulare donum DEI: Das ein Wille in den Leuten ist: ut hunc singuli affectione virtutum & sapientiæ complectantur: ut agnoscant dona divina:

venerentur illa: & rectè iudicent de virtute: & illa quæ fiunt, accipiant in illam partem: in quam fiunt. ***Par virtus in dissimilibus non conciliat paria studia hominum.*** Omnia ista concurrerunt in Alexandro; DEVS ista omnia in Alexandrum contulit cumulatissimè; instruxit eum virtute summa: & semper addidit his velut colophonem, vel summum fastigium, autoritatem & maiestatem: quæ fuit tanta: ut consilijs eius cederent summi & exercitatissimi virtute bellica duces. Das ist im gewesen/ donec floruit. *Peuc. in lectione Chron. 10. Iulij, An. 1574.*

IX. In Scipione quanquam adolescente, tamen erat autoritas, seu majestas. Lucebat in eo eximia virtus: & apparebat eum juvari divinitus.

X. Vt valeret consilio Themistocles: & ne eius consilia aspernarentur Græci: utrumq; fiebat DEO gubernante animos. *Philip. in Daniel. cap. 11. pag. 149.*

XI. Tantam indidit DEVS Moysi majestatem: ut Rex Pharao AEgypti nunquam ausus sit in eum manum mittere, facientem prodigia virtute DEI, etiam usq; ad primogenitorum necem. Verbum DEI inviolabiles facit suos legatos sua maiestate, non minùs quàm gentes suis caduceis: & dixit Psal. 104: Nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari. Illa etiam maiestas in Moyse apparuit: cùm ipse eam acceperat ex colloquio Domini: & videbatur eius facies cornuta: ita ut duræ cervicis populus non posset in eum intueri ob gloriam & maiestatem eius: nisi ipse velaret faciem. *Exod. 34.* Cùm etiam DEVS distribuit de spiritu Moysis in septuaginta senes: quos ei dedit in adiutorium gubernationis populi: maiestas apparuit: & inter populum isti tali maiestate agniti Prophetæ & observati fuerunt. *Num. 11.*

XII. Sic postquam unctus fuit Saul in Regem à Samuele: immutavit illi cor aliud: & qui eum invenerunt redeuntem ad patrem, agnoverunt eam maiestatem, & muneribus donarunt: imò & cuneus Prophetarum ad eum venit: & in ipsum insiluit Spiritus Domini, *1. Sam. 10.* Rursum cap. 11. cùm Ammonitæ obsiderent Iabes: maiestas illa effecit: quæ ex Spiritu Domini facta est: ut nullus ausus fuerit ex populo contradicere: ne in bellum veniret. Sic *1. Sam. 16.* illud singulari nota adiectum est, post unctionem David in Regem: quòd directus est Spiritus Domini à die illa in David, & deinceps: Spiritusq; Domini recessit à Saule: & exagitabat eum Spiritus nequam à Domino.

XIII. Quando etiam Salomon unctus fuit Rex, *1. Reg. 1.* statim Adoniæ factio à maiestate sola regia territa, dilapsa est: quæ iam iam Adoniam regnare volebat, vivo Davide patre. DEVS enim, ***quia potestatem dat, quia non est potestas, nisi à Domino: sua autoritate eandem conservat, & revereri vult: & ita fit, ut vult.*** Quemadmodum hominibus potestatem dando in animalia dixit: Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli. *Gen. 9*

XIIII. Postquam Spiritus Domini induit Gedeon; antè privatum, & addictum etiam à patre morti propter destructam aram Baal, omnes reveriti sunt eum: & iussu eius absq; contradictione, arma sumpserunt & secuti sunt eum *Iudic 6.*

XV. Legimus lictorem vel satellitem iuvenem armatum delegatum ad occidendum Marium Consulem proscriptum apud Minturnenses in carcere decrepitum & inermem, nusquam ausum ferire, veluti quadam occulta maiestate Marij perculsum & prohibitum.

XVI. Narrat & Tranquillus (*in Vita Vespas. cap. 7*) cùm victoria Vitellij nunciaretur Vespasiano: subitò in Vespasiani vultu apparuisse maiestatem antea invisam.

XVII. Atq;

XVII. Atq; Silius Italicus, loquens de Scipione Africano, narrat inter alia solam maiestatem ei insedisse præcipuam: qua venerator habebatur: & magis timebatur. *Hactenus Petr. Gregor. Tolos. lib. 8. de Repub. cap. 3. pag. 556. & 555.*

# VIII.

*ETiam apud Ethnicos maiestas & dignitas regia semper fuit sacrosancta.*

*Aliquando, imò sæpe, qui premuntur Tyranni vel Regis potestate, ad evitandum maius malum, maluerunt illi favere: quàm eum tollere. Petr. Greg. Tolos. lib. 8. de Repub. cap. 3. pag. 559.*

Cicero in orat. pro Deiotaro: Semper regium nomen in hac civitate sanctum fuit: sociorum verò Regum & amicorum, sanctissimum.

## EXEMPLA.

I. Apud Persas ut venerabiliores Reges essent: à vulgi conspectu se removebant: & perrarò copiam sui populo faciebant. Hoc à Deioce primo Rege tractum videtur notare Herodotus: ne familiaritate & frequentia vilescerent regia maiestas. Neq; adire Regem, vel alioqui sine eius iussu, & nisi per internuncium licebat: idq; & servatum posterioribus Imperatoribus tradit Ammianus Marcellinus. Omnes servi Regis, & cunctæ, quæ sub ditione eius sunt, provinciæ norunt (inquit Esther ad Mardochæum) quòd sive vir, sive mulier, non vocatus, si interius atrium Regis intraverit, absq; ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forsan ad eum Rex auream virgam intenderit pro signo clementiæ; atq; ita possit vivere. Erant etiam viæ non faciles ad adeundos Reges. Tanta erat & regia illa veneratio rursum: ut regiæ sellæ honorem deferrent: & ei insidere, quam vocabant, βασιλικὸν ἄξονα, capitale esset. Dominatio hæc Persica barbara prorsus habita: ideo equit & gravioribus custodijs, & legibus asperioribus, quibus conservaretur. Tamen si inspiciamus rationem: cur tanta esset veneratio horum Regum: forsan non videbitur omnino barbara: quin & iusta ex causa servata. Dicebant enim Persæ, convenire adorationem, vel tantum honorem Regi: quòd ipse esset imago DEI in terris: ut Artabanus respondit Themistocli, detrectanti more Persico adorationem, cùm esset Græcus. Persæ etiam qui circa portas Regis versabantur, singulis diebus cœnaturi mensam genio Regis parabant. Et cum sacrificabant: non pro se solis privatimq; vota nuncupabant: sed

commu-

communiter universis Persis benè precabantur : & inprimis quidem Regi. Narrant consuevisse & Persas in honore habere filios Regum ; & etiam si qui ab eis defecerint: tamen illorum filijs restituere principatum. Præterea legem habent Persæ : quæ una ex omnibus observantissimè ab illis colebatur: cùm Rex per Persiam equitaret: ut omnes ei Persæ singuli pro suis facultatibus munera offerrent ; & qui agriculturæ diti essent : & terræ colendæ operam navarent : & qui sua manu laborarent opifices : neq; nimis attrita & prava, neq; nimis preciosa & magnifica donarent : sed aut boves aut oves : nonnulli etiam frumentum sive vinum. Excunti autem ipsi & præter equitanti hæc à singulis apponerentur : & munerum nomine vocabantur : qua appellatione ipse recipiebat. Qui verò essent his pauperiores : lac, palmas, & caseum, maturaq; bellaria, & alias primitias de suis fructibus.

II. Mos est in Sicilia, Africæ potissimùm in AEnaria Insula, quam Isclam vocant incolæ, transeuntem Regem, quamvis hostem, applausu, tibijs, tubis, & huiusmodi gratulatione venerari : quod & fecerunt Alphonso Hispaniarum Regi, quamvis hosti. *Panorm. de dict. & fact. Alph. lib. 2. cap. 6.*

III. Declaravit reipsa sæpe Senatus sapientissimus Romanus, quantum deberetur huic nomini & potestati Regis : etiam in personis eorum : quos in custodia & captivos Romani habuerunt, bello superatos, alioquin inimicos. Atq; ideo Syphacem quondam opulentissimum Numidiæ Regem, captivum in custodia Tiburi mortuum, publico funere censuit sepeliendum : ut vitæ dono honorem sepulturæ adjiceret. *Vt scribit Livius lib. 30. & Valer. Max. lib. 3. cap. 1.* Consimiliq; clementia, *inquit idē Val. Max. ibid.* in Perse usus est. Nam cùm Albæ, in qua custodiæ causa relegatus erat, decessisset ; Quæstorem misit : qui eum publico funere efferret ; ne reliquias regias iacere inhonoratas pateretur. Hostibus illis & miseris, & fato functis, officia Regibus erogata. At & erga vivos celebre illud narratur à Livio & Plutarcho : L. Paullum cùm Persem parvi temporis momento captivum ex Rege, ad se adduci audisset, occurrisse ei Romani Imperij decoratum ornamentis : conatumq; ad genua procumbere, dextra manu allevasse : & Græco sermone ad spem exhortatum esse : introductum etiam in tabernaculum, lateri suo proximum in consilio sedere iussisse : nec honore mensæ indignum iudicasse. Post Calendas Ianuarias, Romæ die tertio pro salute Principis vota suscipiebantur : nuncupabantur verò à Consulibus & reliquis magistratibus & sacerdotibus. Meminit & Plinius in panegyrico Traiani, ita se fecisse. Fiebant & ludi pro æternitate Imperij : quos Nero voluit vocari Maximos. Iaciebant & quotannis stipem pro salute Principis in lacum Curtij Romani. Exegit & votum Caligula ab eo : qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat. Erant & vota anniversaria in die : qua adeptus esset Imperator Imperium : vel in qua natus esset. Apud Cornelium Tacitum crimini datum fuisse notatur maiestatis Trascæ : & inde accusatum : quòd in principio anni solenne jusjurandum vitaret : nuncupationibusq; votorum non adesset, quamvis qui sodecimvirali sacerdotio præditus.

IIII. Lacedæmones nemini surgendi honorem habebant, præterquam Regi & Ephoro. Cùm verò Rex è vita discesserat : nihil per totum triduum videbatur : atq; forum paleis conspergebatur. Regibus honoris gratia tribuebantur duo sacerdotia, Iovis Lacedæmonij, & Iovis cœlestis.

V. AEthiopibus morem fuisse, inquit Diodor. Siculus, ut si quando Rex aliqua corporis parte ex quavis causa debilitaretur : domestici omnes sponte sua eandem

partem

partem debilitarent. Turpe enim existimabant, Rege claudo, non omnes amicos claudos esse: cùm veræ sit amicitiæ, ex rebus adversis amicorũ dolere, lætari secundis.

VI. Apud Iaponios Indos duo sunt Præfecti summa cum potestate: quorum alter honoribus, alter judicio: um & causarum cognitioni præest. Honoris Præfectus, quem Voonem nominant, stirpis successione delectus, in Deorum numero colitur. Hunc terram pede contingere religio est: si tetigerit, magistratu depellitur. Domesticis finibus nunquam egreditur: nec temerè in conspectum se dat. Domi vel lectica vehitur: vel ligneis soccis ubiq; præaltis ambulat. In sella dum sedet; ex altera parte pugionem, ex altera arcum & sagittas habet. Exteriore tunica rubra, serico tenui, uti velo, obducta, interiore aũtem nigra utitur. Pileum gerit in capite pendentibus vittis ad instar pontificalis tiaræ. Frons rubro candidoq; colore depicta est. Cibum ex fictilibus capit.

VII. Scythæ, cùm Darius illorum regionem invasisset, & omni commeatu destitueretur, cupientes eum ad internecionem cædere, cum Ionum Principibus, qui in Isthmo pontem custodiebant, collocuti, persuadere illis conabantur: ut pontem solverent: ne Dario fuga pateret: quòd hac ratione & ipsi servitutis iugum, quo à Dario premebantur, excutere possint. De hac re consultantibus Ionijs: Miltiadis quidem Athenien sium Ducis, & Chersonen sium, qui erant in Hellesponto Tyranni, sententia erat: Scythis obtemperandum esse: & Ioniam servitute liberandam. At Histiæi Milesij diversa; quòd diceret, nunc quidem eos suæ quemq; urbis Tyrannos esse, ob Darium: potentia vero Darij sublata: neq; se Milesijs, neq; alium quemquam usque præesse posse: fore enim, ut singulæ civitates popularem statum, quàm tyrannicum, mallent. In quam sententiam & deinde omnes transierunt. *Idem Toloſ. lib. & cap. ijſd. pag. 556 557. 558. 559.*

# IX.

*CIrcumacto trigesimo anno, novum succedit seculum, decedentibus è sua statione ijs: qui antea rebus communibus præfuerunt: & in eorum locum succedente novo hominum genere: quod intra triginta annos adolevit.*

Herod. lib. 2. ætatem dicit complecti seriem annorũ 33.

Plato in 8. de Repub. inquit de causis, quæ afferunt mutationem in Imperijs: *Degeneres cives, qui tamen potiuntur Republica, qui sunt in administratione,*

*ex præstantioribus orti, evertunt Respublicas paulatim usq; ad periodum*. Est memorabile dictum. Talis degener filius fuit Sardanapalus. Tales fuerunt alij in alijs Imperijs.

## X.

*IMperia, quæ amplitudine sua fulta ac maiestate, solius potentiæ nixu & sese sustentarunt, & omnem vim externam respuerunt, tandem intestinis conquassata, convulsaq; motibus, corruerunt. In Chron. Philip. lib. 4. pag. 410.*

*Quando regna sunt ruitura: incidunt domesticæ simultates: quibus evertuntur.*

*Primus gradus ruinæ Imperiorum est civilis discordia*. *Secundus gradus est infelicitas consiliorum. Tertius, amentia & cœcitas. Strig. Esa. 19.*

*Initia mutationum in regnis & Rebuspublicis plerunq; à domesticis dissidijs existere solent.*

*Quando instat finis alicuius regni: præcedunt multæ seditiones. Philip. in Locis Manl. pag. 115.*

*Quando regnum debet everti: præcedunt multæ seditiones.* Quia sicut ædificia paulatim per partes ruũt: sic etiam imperia. *Idem An. 1554. die Mariæ Magdal.*

*Periodis regnorum circumactis, cùm ad finem*

illa

*illa tendunt: ruinam proximè antecedunt*, ut Appiani verbis utar, ὕβρις ἄκοσμος, καὶ νομῶν καὶ δικῶν αἰσχραὶ μεταφορήσεις, *& discordiæ: quæ si quid reliquum est: id labefactant. Nec ferè nisi fatalibus discordijs magna Imperia evertuntur: cumq; momenta mutationum instant: insigni petulantia accelerantur pœnæ:* ut significatum est tribus vocibus apud Danielem: quibus Baldaseri Regis denunciatur interitus, & regni dilaceratio. *In Chron. Philip. pag. 573.*

*Contentio paulatim crescens, auget dissidia: quæ cùm latiùs vagantur: sæpe totas Respublicas evertũt.* *Philippus in Postilla pag. 232.*

*In Ecclesia & Republica à parvis initijs ortæ dissensiones, cùm invaluerunt: nullis remediis sanari possunt.* *Strig. in orat. de Salomone.*

*Initia ruinæ civitatũ universaliter sunt talia: ut primùm orbatæ civitates vel gentes sapientib. gubernatoribus, tumultuentur inter sese: vel irritent alios:* ut Salomon Proverb. 29. inquit: Cessante prophetia, dissipatur populus. Vocat enim prophetiam, felicem & salutarẽ gubernationem: ut post Elisæi mortem non multò plùs centũ annis duravit regnum Israël, agitatũ assiduis seditionibus. *Deinde sequuntur seditiones: in quibus sunt diversæ factiones: & quæruntur diversi duces. Et cùm in his certaminibus utrinq; vires labefactatæ sunt: postea vel sine externis hostibus dissipantur: vel op-*

*primuntur ab externis hostibus: ut tristissima exempla omnium ætatum ostendunt.* *Idem in argumento cap. 3. Esaiæ.*

Theognis inquit: Vereor ne navis penitus submergatur, **Wenn die Schiffleute vneines seind.** Idem potest dici, ubi ipsi doctores inter se dissident.

*Nam cætera regna*
*Luxuries vitijs, odijsq; superbia vertit.*
*Philip. in Postilla part. 4. pag. 649.*

Vera est illa vetustissima sententia, qua dicitur, Rempublicā esse diuturnum atq; immortale animal: quod nunquam occidit: nisi ipsi vim afferat: mortemq; sibi conscisca. *Francisc. Patrit. lib. 5. de Repub. tit. 2. pag. 216.*

## EXEMPLA.

I. Monarchia Græcorum eversa est bellis successorum Alexandri Magni.

II. Romana Monarchia intestinis bellis corruit: cùm multi Imperatores passim eligerentur, dimicantes invicem de imperio.

III. Regnum Galliæ evertitur dissidijs intestinis: cùm habeat nullum aliàs hostem.

IIII. Græcæ civitates seipsos everterunt, moto bello Peloponnesiaco, & Sacro, post pulsum exercitum Xerxis.

V. Capta Carthagine deliberatum est Romæ in Senatu: utrum urbs deleri deberet, nec ne. Suasit Cato delendam esse; sed hoc dissuasit Scipio: & addidit causam: non tollendam esse æmulam imperij: ne, ea sublata, deesset: quæ lacesseret & exerceret milites Romanos. Futurum enim, ut milites, deficientibus externis bellis, moverent bella civilia, patriæ perniciosa. *Plutarch. in Vita Scipionis.*

VI. Mutationis in urbe Roma exordium sumptum est à bellis civilibus Marij & Syllæ: Iulij & Pompeij.

VII. Initium postremæ ætatis in populo DEI ante CHRISTVM natum extitit à contentionibus & dissidijs summorum Pontificum: qui cùm atrocibus cædibus & odijs dimicarent de Pontificatu: attraxerunt Reges Syriacos: & paulò pòst, istis Regibus sublatis, Romanos.

VIII. Sicut jam paulatim sacra ædificia per partes ruunt: sic sensim ruunt etiam Imperia. Quantus tumultus iam est in Germania? Sine ulla dubitatione instat mutatio aliqua. *Philip. in Loc. Manl. p. 115.*

IX. Sicut ædificia paulatim per partes ruunt: sic etiam Imperia. Videte quantæ fuerint seditiones in Vngaria: antequam à Turca capta esset. *Idem An. 1554. die Mariæ Magdalenæ.*

X. Impe-

X. Imperium Occidentis primò discordijs successorum convulsum, paulatimq; velut nervis incisis ac solutis compagibus inclinatum ad ruinam, postea exterarum gentium impetu ac violentia gravius impulsum, penè corruit, his per ruinas involantibus & rudera diripientibus, nemine prohibente, imò consternatis omnibus ac trepidantibus. *In Chron. Philip. pag.* 347. *Item pag.* 294.

XI. Græcos Imperatores Saraceni, dum inter se consenserunt, magnis affecerunt detrimentis: ita ut potentia labefactata, deinceps illi nec retinendæ Italiæ, pellendisq; quæ involárant, peregrinis gentibus, neq; arcendis ac reprimendis novis hostibus, quos è Septentrione excibant occasiones acquirendæ prædæ & novæ potentiæ, pares esse amplius possent. Sed cùm dissensiones domesticæ horum etiam animos mutuis odijs incẽsos, ad arma in se mutuò capienda perpulissent: robore partim distr. &, partim mutuis cædibus comminuto, desperatio imbecilliores coëgit accersere peregrina auxilia. Ita adducti sunt Turci: qui cùm militassent Sultano Persico contra Calipham Baldacensem seu Babylonicũ: postea utrisq; oppressis, sibi regnum constituerunt, à Perside intra Pontum & Armenios montes ad Hellespontum, & inde per totam anteriorem Asiam ad Syriam usq; dilatum. Sic concidit Saracenorum in Asia *regnum, ut ferè omnia magna potentia, non alienis & externis, sed suis dissolutum atq; dissipatum viribus.* Pag. 355.

XII. Cùm domesticis bellis & seditionibus enervatæ atque in contemptum adductæ essent vires Constantinopolitanæ: initiò commoti sua sponte, deinceps etiam invitati & acciti ex Asia Turci, ex Europa Hispani & Itali, ijq; diversi & inter se dissidentes, Veneti, Pisani, Genuenses, Florentini, uno quasi impetu in reliquias miserè dilacerandas incubuerunt: donec Turci, oppressis per partes Palæologis, Serviis, Bulgaris, Hispanis verò & Italis exclusis, Græciam omnem edomuerunt. *pag.* 573.

XIII. Imperium Turcicum iam tantùm stat sua mole: quia non habet parem hostem externum. Si concidet: concidet dissensionibus familiarum Imperatoriarum: quarum hodie adhuc quinq; sunt. Si decederet Ottomannica: sine dubio reliquæ de Imperio decertarent. Atque hinc videtur cautum esse legibus Imperatoris Turcici: ne ullus ex illis familijs Turcarum ad dignitatem quatuor Purpuratorum, penes quos summa post Imperatorem est autoritas, eligatur, videlicet, Cancellarij, Præfecti cohorti, Præfecti classi, & Præfecti Cameræ. Sapientes existimant: Ianizaros tandem eversuros esse regnum Turcicum, exacta fatali periodo regni Turcici. Asscribam huc locum ex Itinerario Leonharti Rauvvolffij Doctoris Medici, *pag.* 85. qui huc optimè quadrare videtur. Sic autem ait: **Wenn nun die Türcken solche herrliche Sieg erlangend / heben sie jhre Hende auff / loben vnd preysen Gott den Allmächtigen / sampt jhrem Propheten Mahomet / dem Gottsliebsten Boten / vnd bitten weiter / das Gott noch ferner Vneinigkeiten vnd Zwytracht vnter vns (so dem Buch Inglis / wie sie es nennen / das ist / dem Buch des Euangelij zuwider) schicke / die Oberkeiten wider die Vnterthanen / die Geistlichen wider die Weltlichen errege / daraus grosse Vnordnungen erfolgen vnd Vbel entstehen / Das also die Gebott Gottes noch weiter vbertretten / der Glaube an vnsern Messiam erlösche / vnd dann auch gute Policeyen vnd Ordnungen zertrennet werden: Daher vnser HERR Gott verursachet werde / durch sie vns noch weiter anzugreiffen vnd zu straffen. Wanns dann also zugehet / das der Reiche den Armen drücket /**

die Obrigkeit den Fromen vnd Gerechten nicht Schutz vñ Schirm haltet/ sondern die Häupter viel mehr einander selbs in das eusserste verterben bringen vnd stürtzen: Erfrewen sie sich vber vnser Vnglück sehr/ fürchten sich auch vmb so viel desto weniger für vns/ wir jnen einigen Abbruch thun solten (Das sonst bald/ wenn wir einig weren/ geschehe) das sie vns nicht viel mehr grössern Schaden köndten zufügen. Pertinet huc locus ex Centur. 2. Operar. successiv. Cumer. *cap.* 24. *pag.* 140. 141. Cùm tantùm illi, qui animo & corpore præstant, promoveantur: mirum non est, quòd huiusmodi iuventutẽ, Imperij sui fundamentum Genizaros, non immeritò Turcarum Princeps filios suos vocet. Verùm enimverò, licet illi prætoriani milites, ab initio in acri disciplina & metu, veluti mancipia educentur & contineantur: tamen non ita pridem, nonnulla enormia argumenta contumaciæ & rebellionis ediderunt: ita ut proprium Imperatorem aliquoties ad inhonestas conditiones redegerint. Id ipsum confirmat Busbequius *Epist.* 3. cùm quidam ex numero Gianizerorum suos læsissent: & nonnullis aureis vexati, redempta esset: Rustanem Bassam illi curasse nunciari: ut causam omnem contentionis cum illis pessimis hominibus præcideret: an ignoraret bellum esse, quo ipsi regnarent, sic ut ne Sulimannus quidem eorum potens esset, & sibi ab eis malè metueret? Facilè itaq; fieri poterit; sicut olim apud Romanos quoq; accidit: ut facta rebellione, Imperium Turcicum turbent: & ad alios, quos ipsi per factionem elegerint, transferant: & hac ratione id, quod ad custodiãm regni inventum est, ad ruinam eius tendat. Id sanè post alios, ante multos annos Claudius Seisellius *de Rep. Gallica l. b.* 2. prædixit, Turcico nimirum Imperio ruinam ex eo instituto imminere: quod Turcici Imperatores, tanquam firmissimum fulcrum Imperij, excogitarunt; & hactenus feliciter experti sunt. Crudele est, inquit, institutum militum, quos vulgò Ianizaros appellant, & immane: atq; futurum aliquando perniciosum atq; exitiale Turcico Imperio. Ianizari enim milites pertæsi tandem dominatum illum tyrannicum & inhumanum, excitata rebellione, summam inter se Imperij partientur. Idq; eò magis: quòd nullas habent possessiones: & stipendijs tantùm vitam tolerant. Id ipsum quoq; Leonclavius noster (*in suppl. Annal. Turcic.*) observavit: ubi recensèt, quomodo Genizari, Ramandani Tripolitanum Bassam, cœco perciti furore, nulla nec ipsius Viri dignitatis, nec Sultani sui ratione habita, qui huic eum provinciæ præfecisset, obtruncarint. Neq; inquit, Murates hactenus, hanc Bassæ sui cædem, pro autoritate Imperij castigare potuit. Quod nemini mirum videri debet: quippe non ampliùs illa nunc apud Turcos obedientia, non disciplina militaris est: quæ fuit olim apud seculum prius. Et addit aliud contumaciæ insignis exemplum: quo pacto ante plusculos annos, ijdem Genizari Achmetem Bassam, Beglerbegum Cypri, Famagustæ, cum suis trucidarint. Quod cùm Sultanus Murates ægrè ferret: & alium Beglerbegum in occisi locum, cum decem triremibus misisset: ut subdolè rebelles Genizaros in ordinẽ redigeret & puniret; is quoq; astu ab eis circumventus, & universi eius milites, ipsis etiam triremibus in potestatem redactis, trucidati sunt. Quare ita ibi suam narrationem concludit: Murates licet ægerrimè ferret alterum hoc Genizarorum in Cypro facinus, quo gravissimè lædi suam & prorsus imminui maiestatem videbat: tamen, quòd infeliciter hactenus gesti belli Persici causa, condonandum his aliquid censeret: ne novas & intestinas præterea turbas excitaret: iris animi dissimulatis, nihil ampliùs in eos tentavit.

XIIII. *Semper quando fuerunt secutura regnorum mutationes: praecesserunt civiles discordiæ & seditiones:* ut ante Augusti imperium priùs dimicârunt inter se de summa potentia, Sylla & Marius: postea Iulius & Pompeius: deinde Antonius, Brutus, Cassius; donec tandem factus est Monarcha Augustus. *Philippus cap. 24. in Matthæum.*

# XI.

*QVando non puniuntur atrocia scelera—: evertuntur totæ gentes & Respublicæ.*

*Non evertuntur Respublicæ tam propter peccata & lapsus hominum: quàm propter impunitatem atrocium scelerum—.* *Eberus in Postilla pag. 962.*

*Cùm magistratus polluit se societate scelerũ: hoc est: cùm est negligẽs in puniẽdo: totæ gentes delentur.* *Philip. in Postilla pag. 231.*

*Quando nimiùm laxatur disciplina: tunc veniunt maiores pœnæ. Quando gubernatores antevertunt pœnas sua severitate—: tunc Deus non punit: aut mitiùs punit.* *Idem 23. Augusti. An. 1555.*

*Cùm magistratus non punit atrocia scelera: pœnæ publicæ divinitus magistratum & populũ opprimũt.* *Strigel. in Chron. lib. 2. pag. 310.*

Notę sunt causæ: cur regna sæpè ad alios Dominos trãsferãtur: aut urbes florentissimę horribilib. modis evertãtur. *Violando ius divinũ nõ stabilitur Majestas Imperij.* Propter injustitiam transferuntur regna de gente ad gentẽ, ait Syrach cap. 10. *Semper* igitur *habeatur pro signo*

*mox ruituræ urbis: quando turpia exempla nimis latè vagantur: & neglectio doctrinæ ac disciplinæ supra modum crescit. Vbi injuriæ prævalent,* inquit Sophocles: *& quisq; quod libet facit: eam urbem existima mox præcipitem ruituram. Bucholc. in Chronolog. pag. 440.*

*Donec manent in Rebuspublicis puritas doctrinæ, & veri cultus Dei: & aliqui Deum rectè invocant: & atrocia delicta non impune grassantur: Deus parcit regnis & civitatibus. Quoties autem doctrina & cultus Dei depravantur: & disciplina fit laxior: & pauci ardentes preces pro sua, & aliorum incolumitate concipiunt: aut instat iam planè, aut certè appropinquat interitus, omnia tollēs atq; delens: ut ostendunt historiæ omniū temporum. Strigel. 2. Par. 12.*

*Necessario & immutabili ordine, ex immota iustitiæ divinæ regula, comitantur atrocia scelera atroces pœnæ: cumq; cessat Magistratus: neq; in autores animadvertit: Deus ipse legem exequitur suā: & sæpe totas gentes perdit ob unius impunitā licentiam:* sicut dicitur in Hesiodi versu præclarè: πολλάκι ἠοὶ ξυμπᾶσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ: *& testantur hoc eversiones Imperiorum & Rerumpublicarum. Peucer. de Divinat. pag. 31. b.*

*Parcit*

*Parcit Deus populo: donec manet disciplina: ac puniuntur peccata: & aliqua pars populi mores emendat. Sed cùm nõ solùm peccat multitudo: sed etiam impune peccat: & confirmantur idola: ac ridẽtur Epicureæ opiniones & libidines: tunc sine ulla dubitatione impendent extremæ calamitates:* ut accidit Asiæ, Græciæ & vicinis gentibus: & similes pœnæ oppriment alias gentes. *Strig. Psal. 79. pag. 56. Et in Chron. lib. 2. pag. 312.*

*In omnib. gentibus cùm fit laxatio disciplinæ, id est, cùm non puniũtur scelera: tum evertuntur regna. Philip. in Postil. per Pezel. edit. part. 1. pag. 102.*

*Plerunq; hæ res antecedunt urbium exitia, totisq; gentibus clades denunciant & accelerant. 1. Enormium delictorum magnitudo. 2. Delinquentium multitudo. 3. Delinquendi consuetudo, naturam ipsam inficiens & depravans. 4. Et atrociũ delictorum publicè concessa licentia atque impunitas:* quæ consuetudinem in ἀναίδειαν seu impudentiam vertit: & mentes in effrenem ac portentosam rabiem agit: ut instar brutorum erubescere nesciant: & scelera scelcribus annectere non desinant: donec eadem, clamore suo nubes penetrante, iustam in se Dei vindictam provocent & concitent. Congruit huc dictum, quod Bonaventura lib. 3. pharetræ cap. 12. ex Seneca allegat: Mali mala sua, quod malorum ultimum est, amant: tunc autem consummata est infelicitas: ubi turpia non solùm delectant: sed etiam placent: & desinit esse remedio locus: ubi, quæ antea vicia fuerunt, mores fiunt. *Bucholc. in Chron. pag. 124.*

## EXEMPLA.

I. Lacedæmonij non voluerunt punire nebulones: qui stupraverant filias Scedasi: ibi ipso in loco victi sunt Lacedæmonij: & amiserunt libertatem; & in servitutem venerunt: ac planè conciderunt.

II. Troja eversa est propter raptum Helenæ: cùm Paris nollet restituere raptam coniugem Menelao marito.

III. Tribus Beniamin deletur: cùm jussi Benjamitæ nollent sistere cives Gibeonitas: qui stuprárant Levitæ coniugem. Atq; ita non sunt deleti propterea tantùm: quòd aliqui stupraverant coniugem Levitæ; sed quia ipsi stupratores adhuc absque pœnis evaderent.

IIII. Corinthus funditus deletur à Romanis: cùm impunitos dimisissent Corinthij nebulones: à quibus legati Romani lotio perfusi fuerant.

V. Arunti Hetrusco abducitur coniunx à quodam adolescente: quem ipse domi suæ aluerat. Re delata ad Iudices, vicit Lucumon: & causam obtinuit, ope amicorum & pecuniæ: qua Iudices corruperat. Iratus Arunx hac iniuria, profugit in Galliam: Gallosq; in Italiam attraxit. *Vide Plutarch. in Vita Camilli.* Direpta est tunc urbs Roma, & flammis deleta à Gallis.

VI. Heli sacerdoti filij erant malè morati: qui inter alia scelera, mulierum, Silo ventitantium orandi causa, pudicitiam solicitabant. Ille delatos ad se cùm non debita severitate castigasset: DEVS propterea vehementer iratus, & ipsum, & filios, & nurum parientem eodem die è medio sustulit, manifestissimo furoris & iudicij sui edito exemplo.

VII. Philippus Rex Macedonum, pater Alexandri Magni, post non paucas & præclaras victorias, interfectus tandem fuit à Pausania quodam aulico juvene: quòd ille iniuriam, huius honori factam, silentio & dissimulatione præterijisset. At juvenis, tam enorme scelus impunitum relinqui non oportere, nec Regem vivere, qui in eo conniveret, existimavit. *Iohannes Spinæus lib. 5. de Tranquill. animi, pag.* 274. De eodem Franciscus Patrit. *lib. 5. de regno, t.t.* 13. *pag.* 329. ita: Nullius magis interest quàm Principis: amicorum improbitatem ac petulantiam coërcere. Eorum namque licentia odium, simultatem, exitiumq; in ipsos etiam plerunq; parit. Non suijpsius odio Philippus à Pausania interemptus est; sed quòd Attali turpitudinem ac petulantiam non vindicaverit: verùm illum excellentiori militia extulerit: & Pausaniam conquerentem varijs frustrationibus illuserit. Iram ergo, qua in adversarium tumuerat, in Regem ipsum evomuit: & occasionem nactus, ultionem ab eo exegit: quam ab Attalo nunquam exigere poterat.

## XII.

*CApitalium scelerum obligationes civitatibus inprimis exitiosæ sunt: quoniam amicitiarum &*

*concordiæ spe sublata, desperati homines in omne scelus prorumpunt: nec ullis promißis ab insania deduci possunt.* *Ioh. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 7. p. 740.*

## EXEMPLVM.

Vt cùm legio Carthaginensium bello confecto domum revocaretur: milites stipendia sibi petierunt: quæ cùm denegarentur: oppida quæq; munitissima occupant ac diripiunt. Et quoniam ducibus metuendum erat ne proderentur: militem quemq; fortissimum inaudita scelerum crudelitate ac immanitate obligarunt: Hasdrubalem Imperatorem, ac legatos cum omnibus Carthaginensibus, qui in eorum potestatē venerant, crucibus affixerunt: ut necesse fuerit Carthaginensibus novos exercitus cum veteranis conscribere: ac difficili diuturnaq; obsidione rebelles, qui vinci non poterant, fame conficere, ac modis omnibus enecare. *Idem ibid.*

# XIII.

*Occasiones & initia mutationum in Imperijs & Rebuspublicis existunt ab his vicijs.* 1. vel ἀ φιλοκρδίᾳ seu πλεονεξίᾳ: 2. vel φιλοτιμίᾳ: 3. vel φιλονεικίᾳ: 4. vel πολυπραγμοσύνῃ: 5. vel φιλαυτίᾳ: 6. vel ὕβρι: 7. vel κακοζηλίᾳ: 8. vel ἰδιογνωμοσύνῃ seu ἀυταρκίᾳ: 9. vel ἀπιστίᾳ: *si nimirum uno ex his vicijs laborent gubernatores: qui Rebuspublicis præsunt.*

*Magnam opulentiam ac potentiam comitantur luxus, superbia, discordiæ, & alia scelera: quæ pœnas & mutationes Imperiorum attrahunt:* sicut dictum est:

*Nam cætera regna*
*Luxuries vicijs, odijsq; superbia vertit.*

*In Chron. Philip. lib. 2.*

*Regna non modò à gente ad gentẽ, sed etiam à familia in familiã transferuntur propter iniustitiam.* *Syrac. 10. Strig. 1. Paral. 11.*

*Propter injustitias, injurias, contumelias & diversos dolos, transferuntur regna de gente in gentem: regiæ domus & clarissimæ familiæ extinguuntur: & unà populus cum suo Principe sæpe corruunt.* *Petr. Greg. Tolos. lib. 10. de Rep. cap. 2. pag. 614.*

Notæ sunt causæ, cur regna sæpe ad alios Dominos transferãtur: aut urbes florentissimæ horribilib. modis evertãtur. *Violãdo ius divinũ non stabilitur Majestas Imperij.* Propter injustitiam transferuntur regna de gente ad gentem, ait Syrach cap. 10. Semper igitur habeatur pro signo mox ruituræ urbis: quando turpia exempla nimis latè vagantur: & neglectio doctrinæ ac disciplinæ supra modum crescit. Vbi injuriæ prævalent, inquit Sophocles, & quisq; quod libet facit: eam urbem existima mox præcipitem ruituram. *Abrah. Bucholc. in Chronolog. pag. 440.*

## EXEMPLA.

I. Hæ ipsæ causæ initiò turbârunt, mox everterunt Rempublicam Romanam, & eum statum: qui ex regio, optimatum & plebeio concinnatus fuerat egregio temperamento: illum dissolverunt. Hæc debitis diligenter considerare, &c.

II. Per Romanos evertit DEVS Carthaginensem Rempublicam, fiducia opum ac potentiæ ferocientem, & bella ferentem ex bellis, atq; infinitam potentiam, ingentes spiritus animo concipientem, domi verò luxu ac libidinibus diffluentem: cuius fuerunt opes maximæ. *Comitatur* autem *opes plerunq; luxus: luxuriam libidines, ambitio, superbia.* Ista vicia creverunt in Carthaginensi urbe: & regnavit domi. Et Carthaginensibus superbia & dominandi cupiditas iniusta sæpè arma induit. Carthaginenses multis annis arma Romanorum profectò duriter exercuerunt: & si numerentur, qui ex parte utraq; ceciderunt: reperientur multò plures ex Romanis interfecti: quam ex Carthaginensibus. Tandem vicit fortuna populi Romani, & fatum Imperij. Cogitemus de causis. *Punit DEVS per imperia idolatrias, tyrannidem, & iniurias principum, latrocinia, luxuriam, libidines, ac similia alia*

*flagitia*

*flagitia & scelera: quia mutationes Imperiorum, quæ plerunq; fiunt armis, sunt sine omni dubitatione pœnæ publicorum peccatorum & privatorum.*

III. Postea DEVS sustulit per Romanos regnum Macedonicum, & Reges Macedonicos multiplicibus sceleribus infames: Reges Syriacos, Aegyptios, fractos voluptatibus, contaminatos cùm alijs flagitijs; tum incestis nuptijs, sævitia immani in populum Iudaicum, toti terrarum orbi nota. **Vnd sind nichts denn pancketyrer gewesen.** Sicut de Antiocho Magno scribitur dixisse Arsaces Persicus Rex: quod citatur apud Athenæum in primo libro ex Posidonio: Decepit te, Antioche, audacia tua & ebrietas: quia speraſti, te Imperium Romanum exhausturum magnis poculis.

IIII. Alexander Magnus Persicam potentiam sustulit: quæ complexa erat maximam orbis terrarum partem: erat instructa ingenti multitudine & robore hominum. Hanc tantam potentiam penè momento evertit Alexander adolescens: & quidem cum exigua manu militum: quam ex Europa secum in Asiam traxerat; quæ collata ad innumeros exercitus Persicos planè nihil fuit. Hæc non potuissent geri aut perfici, nisi DEO adiuvante, & ducente ipsum, & milites & eventum gubernante. Et paulò ante susceptã hanc expeditionem, Ochus Rex Persicus horribilem sævitiam exercuit in Iudæos. Iste Tyrannus attraxit regno Persico pœnas fatales, fatale excidium: sicut constat, Alexandrum esse divinitus instigatum ad hanc expeditionem. Adolescenti ei in Macedonia in somno species summi sacerdotis Iudaici apparuit: quæ hortata est eum: ut expeditionem in Asiam adversus Persas susciperet: se traiecturo in Asiam & bellum gesturo belli ducem fore. Et sine dubio hæc ipsa species, quæ ei apparuit, fuit Angelus. Quia multò antè prædictum fuerat, adolescentem destructurum esse regni Persici potentiam. Ita Angelus ponit ei hoc signum: & hac ipsa hortatione ad arma capienda instigavit. Hæc debemus diligenter considerare. Intuentes Imperia cogitate de justitia DEI, punientis scelera: & de bonitate DEI tuentis ordinem, & conservantis aliquam societatem generis humani: ut colligi Ecclesia possit: & admoniti his exemplis, cùm videamus nunc etiam impendere tristissimas & maximas mutationes, oremus DEVM: ut det nobis salutaria Imperia. *Peucerus in lectione Chronicorum An.* 1571.

V. Huius regulæ exemplum proponitur in Saule: qui non solùm regno, sed etiam vita exuitur partim propter contemptum verbi divini: partim propter commercium cum organis Diaboli. In hoc speculũ intuentes Principes & Reges, discant iustitiam, & non temnere Divos. Si enim DEVS non pepercit primo Regi Israëlis: sed eum propter causas, quas dixi, hostibus trucidandum obiecit: quantò minùs parcet alijs: qui similibus delictis polluti sunt. Semper ergo in auribus gubernatorum sonet illa vox: quæ in libro sapientiæ legitur: Potentes potenter tormenta patientur. *Strig.* I. *Paral.* II.

# XIIII.

*SÆpè Respublicæ mutantur: cùm agitur de repetundis adversus potentiores: ac rerum gestarum*

*rationes exquiruntur.* In quo genere optimis quibusq; metuendum est : potissimùm in populari statu : ubi agitur de capite, de fama, de fortunis omnibus. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 1. pag. 613.*

## EXEMPLA.

I. Vt omittamus externa, domesticis abundamus : & quidem recentibus exemplis eorum : qui huic imperio faces subiecerunt : ac bellorum civilium incendia excitarunt : quibus vniversa Gallia penè deflagravit : cùm decies millies LIS ab illis repeteretur.

II. Nec mirum, si peculatus accusationem metuerent : cùm Pericles, summæ vir integritatis, & qui suas opes pro Republica Atheniensium magnificè semper effudisset, ne rationes redderet, bellum Peloponnesiacum excitárit : quod non priùs finem accepit : quàm omnes Græcarum civitatum status converterentur. At vir frugi cùm semper fuisset : & Reipublicæ ærarium annos ferè quinquaginta curavisset : nihilo tamen locupletiorem fuisse tradit Thucydides verissimus scriptor, & quidem ipsius Periclis adversarius omnium maximus : à quo etiam in exilium ostracismo pulsus est.

III. Eandem ob causam Coi ac Rhodij statum optimatum in popularem mutaverunt.

IIII. Ac tametsi Cæsar imperandi cupidissimus esset : non tamen Imperij tanta in eo cupiditas extitit : quantus erat metus : ne rerum à se gestarum rationem privatus reddere cogeretur : ut palàm adversarij iactabant. Meminerat Scipiones, Rutilium, Ciceronem, tametsi summa integritate ac religione Rempublicam gessissent, populi iudicio fuisse damnatos. *Idem ibidem.*

# XV.

*VIX ulla Respublica diu stetit : quæ ebriosorum consilio gesta est : vix ulla concidit : quam non ebriosi everterint : vix ulla non floruit : quæ à siccis ac sobrijs hominibus administraretur.* *Tom. 5. Decl. pag. 702.*

Hinc rectè Cato dixit : Vno excepto, neminem unquam ad evertendam Rempublicam accessisse sobrium. Et Achilles apud Homerum non potuit atrocius convicium ignavo

ac ve-

ac vesano Regi dicere: quàm ut temulentum cum vocaret: hoc uno probro, quicquid erat gravissimorum flagitiorum, complecti visus. *Ibid.*

Quî fieri potest, ut regna & Respublicæ, in quibus luxuria & deliciæ vigent, diuturna prosperitate fruantur? Cato Censorius mirabatur: quomodo civitas, in qua piscículus cariùs venderetur, quàm bos, diu stare posset: quoniam homines (aiebat Pythagoras) delicijs opimati & exaturati, pigri & insolentes fiunt: hinc ruina illis impendet. Nam molle ocium illos facilè in bellum, aut civile, aut cum vicinis impellit: & cùm molles & effœminatos reddiderit: efficit etiam: ut bellum, temerè susceptum, malè administrantes vincantur. *Ioh. Spinæus lib. 5. de Tranquillitate animi pag. 217.*

## EXEMPLA.

I. Hoc in causa fuit, cur tam facilè Babylon à Dario caperetur (quemadmodum Daniel & Herodotus scribunt) Balthazare convivia cum Principibus & Nobilibus suis magnificentissima celebrante.

II. Eadem de causa Numantini sæpiùs Romanos vicerunt: nec ab his debellari potuerunt: quoad Scipio, in illos missus Imperator, luxum & licentiam militum Romanorum repressisset: & scortis, lenonibus, coquis, dulciarijs pistoribus, hisq; similibus alijs è castris expulsis, disciplinam militarem restituisset.

III. Eandem ob causam Gothi aliæq; barbaræ nationes Italiam facilè occupárunt: Romam igni & ferro persecuti sunt, Honorio imperante, & paulò pòst Theodosio: quo tempore disceptum fuit Imperium negligentia Principis & Legatorum: qui delitijs & voluptatibus effœminati resistere non ausi sunt.

IV. Callidè Fabius Maximus exercitum Annibalis in delitias induxit, permissa ei Campania: in qua aliquandiu commoraretur: prospiciens fore: ut post labores ocio & dulcedine frugum illius regionis degustata, genio indulgerent: itaq; molles, pigri & obtusiores redditi, facilè debellarentur.

V. Paulus Aemilius in Annalibus Franciæ commemorat: causam, cur nonnulli Reges a suis ministris fuerint regno spoliati, fuisse: quòd onere omnium suorum negociorum in eos depósito, delicijs & voluptatibus sese dederent. Nam populo, aut domesticis in ipsos conspirantibus, aut externis bellũ inferentibus, ita stupidi & consilij inopes erant: ut facilè ad illorum conditiones depaciscerentur: partim ne quid de suis voluptatibus diminuerent: partim ob inscitiam & imperitiam rerum administrandarum: quæ tanta erant: ut ad eas restituendas, unde facerent initium, non intelligerent.

VI. Nondum excessit biennium: cùm Cæsare oppidum Pado vicinum, in quo præsidium erat Hispanorum, captum fuit industria D. à Salvoison: qui cùm intel-

lexisset:

lexiſſet; futuras dicbus Hilariorum inſignes nuptias; quibus decorandis pleriq; Hiſpani intereſſent, convivia & ludos celebraturi; mente communicata cum legato regio, eiq; probata, nocte feſtum illud ſequente adortus oppidum cepit, milites ſaltatione & ludo defeſſos, vinoq; oppreſſos, occupante alto ſopore; quos non tibijs Muſicis, ſed Martijs excitando non minùs officium fecerunt Galli; quam fecerant illi ſaltando.

VII. Et quamvis hæc natio in omnibus negocijs cauta & prudens habeatur; tunc tamen illi parùm meminerunt excidij Troiæ; quæ per ſimilem occaſionem, poſt longam obſidionem, & hoſtibus fortiſſimè repulſis, tandem capta fuit atq; incenſa.

IIX. Quoniam autem non ſine maximo periculo intemperantia & deliciæ in caſtris verſantur; Scipio Aemilianus, Carthaginem obſidens, nobilem quendam Romanum exautoravit, propterea; quòd præliantibus alijs ipſe in tentorio cum quibuſdam commilitonibus epulatus eſſet ſumptuoſiùs; quam diſciplina militaris permitteret.

IX. Et quid adhuc tam bellicoſos & formidabiles reddit Turcas, quàm ſobrietas, & infatigabilis patientia, in qua à teneris exercentur?

X. Nec olim Pompeium quicquam aliud tam terruit; & in victoriæ deſperationem conjecit; quàm intellecta militum Cæſaris tanta ſobrietas & patientia; ut, alijs eſcis deficientibus, victitare poſſint herbis & radicibus; quæ in agris obviæ ſunt. Vnde factum, ut animum poſtea deſponderit; & de cura & ſtudio in rebus gerendis remiſerit. Nam ut temulenti & abdomini dediti, quantumvis opibus, amicis, alijſq; facultatibus valeant, ab omnibus viles & timidi tum ad ſuſcipiendum, tum ad id, quod ſuſceperint, exequendum, exiſtimantur; ita ſobrij, quantumvis inopes, ſemper ſuſpecti ſunt & formidabiles hoſtibus; ut qui tum corpore, tum animo habili ſint & parato; adeò ut non ſemel de ijs adoriendis ſit conſultandum; nec mediocri ope & conſilio animus in eos adorientes obfirmandus. Nihil à Catone tam metuebatur in Iulio Cæſare; nihil quod tam moveret ei ſuſpicionem; fore ut inverteret & mutaret ſtatum Reipublicæ; quàm eius ſobrietas, & ambitio fulta & armata potentia, vigilantia & induſtria, virtutibus cum ſobrietate plerunq; coniunctis: cùm non ignoraret, nihil eſſe; quod in rebus proſperis moderatiores, in adverſis conſtantiores, in omnibus negocijs pariatores & cautiores homines redderet. Hæc via eſt compendioſiſſima ad amicos multos & certos acquirendos; & invictum ſe ab hoſtibus & adverſa fortuna præſtandum.

XI. His præcipuè armis Alexander uſus eſt ad Aſiam imperio ſuo ſubijciendam; his apparatibus (*ut ait Plutarchus*) magis, quàm alijs quibuſlibet confidebat, ſe ad tantam gloriam, ad quam cum certa ſpe contendebat, perventurum. Devicti Darij tentorium ingreſſus, viſisq; voluptatum apparatibus magnificentiſſimis, exclamavit, inquiens; Quid? num hoc eſt regnare?

XII. Hæc munimenta & propugnacula; quibus Lacedæmonij libertatem ſuam per ſeptingentos annos defenderunt & tutati ſunt; ut per tantum ſpacium temporis à tot tantisq; hoſtibus illibata permanſerit. Quod Ageſilaus reſpondit cuidam miranti, quòd ille, qui Rex eſſet, alijq; Principes Spartani tam parcè viverent: Quid cauſæ eſt, cur mireris (inquit) ſiquidem ex hac frugalitate libertatem, pulcherrimum & optimum fructum, percipimus. *Spinæus ut ſuprà.*

*Nimiæ*

# XVI.

*NImiæ ſubditorum expilationes præbent cauſam rebellioni.*

*Principi utilius eſt ad firmandas ſtatus ſui opes, ſubditos divites, quàm inopes, habere. Paupertas enim ad res novas moliendas impellit.* *Anti Machiavellus lib. 3. pag. 806.*

*Ab iſto conſilio, nimirum ut populus inopia in fide contineatur, nihil niſi ſeditiones, motus & bella civilia, in Rempublicã naſci, exempla teſtantur.* *Idem pag. 809.*

*Inopiam multarum diſſenſionum, bellorumq; civilium cauſam & originem extitiſſe, multa teſtantur documenta.* *Idem pag. 807.*

*Conſpiratio ſæpenumero inopũ, & rerum exhauſtarũ neceſſitas, cauſas innovandarum rerũ præbuit.* *Franciſcus Patrit. lib. 9. de regno, tit. 11. pag. 597.*

Nec vera mihi videtur Galbæ Cæſaris ſententia: qui dicere ſolebat, nullos hominum minùs metuendos eſſe: quàm qui de ſolo victu cogitarent. Verius Lycurgus: qui pauperẽ, & ſine laribus, longè magis in Republica timendum eſſe judicabat: quàm divitem & inſolentem. Et Silius poëta ait:

*Eſt deforme malum, & ſceleri proclivis egeſtas.*

Dura quidem conſilia eorum ſunt: qui pro quærendo pane conſultant. Cato ſenior in maxima annonæ caritate blandam præter naturam ſuam orationem ad populum habuit,

cuius initium fuit: Difficile est, Quirites, ad carentem auribus ventrem verba facere. *Formidandam inopum ac famelicorum multitudinem in commeatuum difficultate, multi Imperatorum senserunt. Idem ibid.*

## EXEMPLA.

I. Childerico III. Franco Galliæ Regi, Guimandus, nobilis Eques Gallus, prudentia insignis & manu strenuus, intimus amicitiæ & consiliorum erat. Rex aliquamdiu luxui & voluptatibus deditus, ut lubidines expleret, ingentia & iniqua tributa populo indicere coactus est. Id graviter tulere Franco-Galli: qui tum aspero & duro ingenio erant (ut inquit historiæ scriptor) itaq; Regem capere, & in custodiam tradere, juvenes verò & pravos consiliarios, quos secum habebat, ab ipsius latere & consuetudine arcere statuunt. Id ubi Childericus comperit: sciscitatur ex Guimando, quid facto opus sit. Ille suadet, ut fugæ sibi consulat; & iræ Francorum & tempori cedat: se interea, dum ipse abesset, placaturum animos: & curaturum, ut ab exilio revocetur. Tum annulo in duas partes fracto, alteram partem Regi tradens, Rex Childerice, inquit, cùm alteram hujus annuli partem, quam mihi ipse asservo, ad te mittam: eo tu indicio & signo cognosce, tutum tibi reditum in regnum patere. Childericus igitur ad Thuringiæ Regem perfugit. Eo absente, Franco Galli Egidium majoris Galliæ partis Præsidem (quam etiam tum Romani tenebant) Regem sibi præficiunt. Is Guimandum, cujus ea tempestate prudentia inclyta & celebris erat, arcessitum ad se inter amicos accipit, & in consilium adhibet. Guimandus verum animum dissimulando, apud Romanum Præsidem novem annorum spacio ita dexterè se gessit: ut fidei tamen benevolentiæq; in Childericum nunquam oblitus sit. Nam inter cætera, quæ huic novo Regi persuasit, admonuit: Gallorum ingenia non nisi sævo & duro imperio posse subigi: proinde videret, ne diteſcerent: illos inopiâ moderatiùs, quàm abundantiam laturos: quippe Gallos bonis intemperanter abuti, & lascivire ocio, ubi effuse affluant opes, & rebellionem moliri, consuetos. Tam callido consilij commento (cujus exitum talem expectabat, qualis accidit) Romanum Præsidem facilè adduxit: ut ingentibus tributis & oneribus novis Gallos gravaret; & potentiam in superbiam ac sævitiam verteret. Itaq; Franco Galli (consilio & occulta factione ipsius Guimandi) Childericum Regem suum communi consensu revocarunt: cui alteram annuli partem, quam sibi ipse asservârat, Guimandus remisit. Regi redeunti nobiles Galli Franciq; cùm obviam gratulatum Barium usq; processissent: eum honorificentissimè exceperunt. Ipse verò, sublatis tributis ac vectigalibus novis, ex eo sapienter & moderate se gessit: ac ex Sardanapalo & delitijs effeminato Rege, egregius ac strenuus Princeps factus, è Romanorum servitute Galliam (cujus illi majorem partem occupabant) vindicavit in libertatem: & regni Franco-Gallici fines longè lateq; propagavit. Quare vel ex hac una historia satis liquet, sive Machiavelli præceptum, sive ei compar consilium Guimandi, sicut Egidio exitiosum fuit: ita semper fœdum inceptu, fœdum exitu fore. *Anti-Machiavell. lib. 3. pag. 796. 797. 798.*

II. *Inopia*

II. *Inopia obedientiores & mansuetiores redditum iri, ac quantumlibet gravia onera æquiùs faciliúsq; laturos, sperandum non est.* Hoc sentiebat Galba, cùm relatum esset, Vitellium moliri res novas: diceretq; nullos minùs metuendos; quàm qui de solo victu cogitarent. Itaq; Vitellium gulæ & ventri deditum in summa rei familiaris egestate, nulli quicquam in se metuendum relinquere. Sed falsum id esse, periculo suo tandem expertus est: & docuit, *hominem in rerum angustias redactum, nullum non lapidem movere: ut animo & accensis longa egestate cupiditatibus satisfaciat.*

III. Hæc causa, *inopia* videlicet, Othonem ad Imperium rapiendum instigavit. Neq; enim dissimulabat (*inquit Suetonius*) nisi Principem se stare non posse: nihilq; referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.

IIII. Romæ crebras seditiones plebis accidisse legimus, ob fœnatorum, & caritatem annonæ,

V. Eiusmodi in Gallia motus sæpe coorti sunt. Nam regnantibus Philippo Augusto, Ludovico, cui Divo cognomen fuit, Iohanne, & sæpe aliàs: cùm Iudæi & Itali mensis publicè positis fœnus in Gallia exercerent: & plebem usuris obruerent; ideo regno pulsi sunt.

VI. Factiones Mallearіorum (Maillotinos vulgò vocabant) eorumq; qui versicolores cucullos gestabant, & similia vulgi irritamenta & seditionum faces, non alio fundamento nitebantur. Homines enim egentes ac viles, autores semper & concitatores ejuscemodi turbarum erant.

VII. Imò cùm Gallia Romano Imperio subjecta erat: jam tum Galli ob continuationem tributorum, sævitiam fœnoris, & superbiam præsidentium, rebellionem sæpe faciebant.

VIII. Imperante Augusto, Licinius quidam, Iulij Cæsaris libertus, Galliæ procurator ab Augusto impositus fuerat. Is miro astu, cùm Galli menstrua tributa penderent, septimanas ad sex dies, menses ad viginti quatuor, contraxit. Ita annum in quatuordecim menses descripsit: quorum duos integros in quæstum suum converteret. Cæsar, cùm audivisset, molestè tulit: neq; tamen in Licinium animadvertit. Aliquantò pòst Augustus Quintilium Varum Gallis præfecit cùm antè Syriæ præfuisset; quam pauper divitem ingressus, pauperem reliquit. Galliam ergo sortitus, eadem quæ in Syria moliri, & Gallis perinde ut Syris, id est, gentibus ad serviendum natis, imperare cepit: & vectigalia acerbè exigere. Id Galli diu cùm ferre non possent: apertè tamen & palàm non defecerunt: sed simulata benevolentia frequentes ad eum, bellum in Germanos parantem, venerunt, velut eum in expeditionem secuturi. Sed mox ubi in saltum quendam impeditum pervenissent: atq; id quod petierant, clausum silvis & montibus circumfusumq; suis & Germanorum copijs hostem habuerunt: Romanos invadunt & trucidant. Varus, & qui cum eo erant clarissimi viri, infelici dextra & suo ictu mortem invenêre.

IX. Eandem ob causam sæpius ex eo Galli adversus Romanos rebellavêre: sicut accidit Nerone primùm, deinde Galieno imperante, & alijs: donec prorsus ab Imperio Romano deficerent. *Idem pag* 806. 807. 808. 809.

X. Romæ prisсis illis temporibus, quibus plebs prêssa ære alieno, & fœneratorum improbitate exagitata, nomina militiæ dare, & impetrata exequi detrectans

in Ianiculum secessit; & inde à Q. Hortensio Prisco Dictatore magnis pollicitationibus deducta est.

XI. Octavius, qui in maxima frumenti caritate, cùm populus Romanus inedia premeretur, infestante Sexto Pompeio, Magni Pompeij filio, universum mare, & plebis tumultus undiq; surgeret, occurrit compluribus rixantibus, paucis satellitibus stipatus; & rationem querelæ à multitudine expoſcebat. Turpiter primò irrisus omnibus contemptui fuit. Deinde cùm minabundis verbis plebem compellare pergeret; jactis in eum telis repulsus est, nonnullis etiam ex commilitonibus cæsis. Cui Antonius cum multis militibus subvenit: & ab imminenti periculo liberavit: eumq; intra domestica penetralia trepidum redegit. Neq; tamè plebi reconciliatus est Octavius: quàm pulso ex Sicilia Sexto Pompeio, tanta frumenti copia exuperaverit; ut nullum murmur super inopia oriretur.

XII. Appius quoq; Clodius cùm imperaret: & propter sterilitatem arctior annona esset: in medio foro à turba detentus est; & convicijs clamoribusq; infestatus: fragminibusq; etiam panis appetitus: adeò ut paulatim non nisi per posticum evadere potuerit. Rectè Lucanus Poëta: *Nescit plebs jejuna timere.*

XIII. Nec minus periculum est in re militari: quàm intra muros. Milites Iuliani Cæsaris consumptis frugibus extremam famem timentes, illum probris incessibant, Græculum ac fallacem vocantes, & specie sapientiæ stolidum: à quibus quidem in eum insultantibus vix evadere potuit. *Francisc. Patrit. ut suprà.*

# XVII.

*Fatalia non sunt alia.*

*Constat neminem posse sibi tollere successorem, tanquam fato designatum. Petr. Gregor. Tolosan. lib. 21. de Rep. cap. 3. pag. 1285.*

Arnobius lib. 2. adversus gentes: Rationibus fixis peraguntur res DEI: & quod semel decretum est fieri, nulla potest novitate mutari.

## EXEMPLA.

I. Ejus sententiæ refert Suetonius Tranquillus fuisse Titum Vespasianum: qui duos patritij generis convictos in affectatione Imperij, nihil amplius, quàm ut desisterent, monuit; dicens, principatum fato dari: si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum.

II. Meminit Cicero, de versibus Ennij; qui Deo, quem Heram vocat, tribuere videntur imperandi vim cum virtute.

*Ferro, non auro vitam certamus utrique:*
*Vos nevelit, an me regnare Hera, quive ferat sors,*
*Virtute experiamur.*

III. Metuens sibi nasci successorem in regno Astyages ex filia Mandane, juxta sibi revelatum somnium, voluit perdere ex illa natum filium Cyrum: non potuit.

IIII. Voluit Amulius oppresso fratre, regni Latij consorte Numitore, in se transferre successionem generis sui & regnum, incarcerata filia Numitoris: & partu ejus Romuli & Remi exposito & necari jusso; ne illi esset ex stirpe successor; non potuit tamen: sed illi providentia divina servati, ad Imperium vocati. Quod exponit Manilius, postquam proposuit illos versiculos pro themate, lib. 4. Astronom.

*Fata regunt orbem: certa stant omnia lege:*
*Longaque per certos signantur tempora cursus.*

Et postea addit:

*At nisi fata darent leges vitaque necisque,*
*Fugissent ignem AEneam Trojana sub uno*
*Non eversa viro. Fatis vicisset in ipsis.*
*Aut lupa projectos nutrisset Martia fratres, &c.*

Et alibi:

*Mitto quod certum est & inevitabile fatum.*

V. Cambyses Cyri filius admonitus in somnijs; quòd Smerdis post eum successurus esset: putans sortem eludere: curavit fratrem suum Smerdin interimi: tamen non evitavit quod decretum erat. Nam alius Magi filius, Smerdin se dicens, ei successit: & primùm rebellavit per rebellionem; & regnum aucupatus est.

VI. Saul voluit sæpe Davidem necare, suspicatus tanquam meliorem, & à DEO electum regnaturum: sed non potuit.

VII. Salomon voluit interficere Ieroboam servum suum, seu præfectum tributorum; eò quòd intellexerat, illum regnaturũ in decem tribubus post mortem suam, ex prophetia Ahiæ Silonitis Prophetæ: sed non potuit. Dominus enim ita decreverat ob peccatum Salomonis: atq; ideo effugiens manus ejus, fugit in AEgyptum ad Sesac Regem AEgypti; donec mortuus fuit Salomon: & successit Roboam in regnum: qui consultus à populo de remittendis tributis, cùm noluisset; dedit occasionem implendi voluntatem DEI: & elegerunt decem tribus, juxta prædictionẽ Prophetæ, Ieroboam in Regem. Neq; tamen fuit melior Ieroboam Salomone: quia & ipse fuit idololatra.

VIII. Tyberius Cæsar post mortem Germanici factus crudelis, Astrologiæ se dedit in hominum perniciem. Nam multos indagata illorum nativitate: si quid excellens vel Imperium concernens inveniret, occidebat: Galbam tamen, Imperatorem futurum, non occidit.

IX. Verus Cæsar cùm de morte Avidij Cassij cogitasset: qui postea fuit Cæsar: & Marco dicto scripsisset: respondit Marcus: Si ei divinitus debetur Imperium: non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi tui (Adriani scilicet) dictum: *successorem suum nullus occidit*: ut scribit Vulcatius Gallicanus in vita Avidij Cassij.

X. Cùm multa etiam prodigia facta fuissent: quæ mortem Neronis denunciare declarata sunt ab haruspicibus: ipse tanquam futuros infensos trucidabat: donec

à Seneca monitus est : licet quàm plurimos occidas : ***non potes tamen successorem tuum occidere.*** *Xiphilin. ex Dione in Nerone.*

XI. Accepisse narratur Alexius Comnenus Imperator Græcorum oraculum : quo ei per ambages declaratum fuerat : seriem Comnenæ familiæ duraturam tantum : quod literas nomen οἶμα haberet : nempe quatuor, qui fuêre Alexius, Ioannes, Manuel, & ejus filius Alexius Iunior. In ultimo autem desijt successio Imperij, opera tutoris Andronici, à patre Manuele constituti : qui pupillum suum Alexium, ut ipse imperaret, necavit. Sic enim non potuit fatum, etiam cautione per patrem adhibita, devitari.

XII. Quod nec potuit effugere, & ex eo successorem sibi destinatum extinguere Valens Imperator Arrianus : qui cùm Dæmonem interrogasset : quis post eum Imperio potiturus esset : accepit à Dæmone literas Græcas, ΘΕΟΔ : significans, hoc esse initium nominis eius. Qua ratione Valens jussit occidi omnes : quotquot in nominum suorũ initijs haberent has literas, nempe vel nomen Theodi, Theodosij, Theoduli : sed non potuit Theodosium successorem.

XIII. Scribit Cedrenus, famam fuisse, eum Romanum virum, qui Cretam cepisset, necessariò quoq; Romano Imperio potiturum. Idcirco cùm renunciatum fuisset, Cretam esse captam : Romanus tertius Imperator m isit : qui inde Nicephorum Phocam avocarent. Verùm nec sic fatum prohiberi potuit. Nam paulò pòst Nicephorus Imperator factus est.

XIIII. Ioas Ochoziæ Iudæorum Regis filius, cùm in crepundijs esset : omni virili stirpe Davidicæ gentis crudelissimo Athaliæ aviæ imperio, uno die extincta : vita donatus est : opera aliena regno spoliatus, puer tamen adhuc regnum recepit. Receptum turpiter amisisset : nisi illud aliquantò turpiùs, omni gaza regia fuisset ab eo redemptum. Ad postremum, ferrum, quod infans aliena effugit solertia, sua ipsius effugere non potuit.

XV. Permansit ex semine David Rex super sedem Iuda, ex Dei promissione & voluntate, usq; ad tempus Messiæ. Adfuerunt signa venturi veri Regis : adfuerunt signa perituri regni temporalis : quæ prudentes & Deo amabiles observarunt : alij viderunt, neq; cognoscere potuerunt. Herodes autem avertere, multo effuso sanguine innocentium infantium, & suiipsius & aliorum, sed perperam, conatus est : & alios innumeros occidit. Verum autem Regem successorem æterni regni, tollere non valuit. *Idem Tolos. pag.* 1285. 1286. 1287. 1291.

# XVIII.

*Deus plerũq; revelat futuras proximas mutationes Rerũpub. vel signis, vel prodigijs, vel prophetijs, vel modis alijs :* pro ut sapientiæ ejus incomprehensibili

expedire

expedire vitam est: vel ad admonitionem mortalium, ut resipiscant & ad DEUM convertantur, ut evadant iram ejus: vel ut parati sint ad patientiam, tolerantiam, & adversus tela futura: quæ prævisa minùs lædunt: vel ut fugiant à loco, ubi hæc mutatio imminet. Non enim fiunt mutationes istæ regnorum & formularum gubernandi, vel occupationes tyrannicæ, vel Principum expulsiones, sine maxima calamitate cædium, & omnis generis malorum. Deditq; DEUS significationem dilectis suis, ut fugiant à facie arcus, *Psalm. 59. v. 6.* Vel singulari illorum providentia, eos quos diligit inde subtrahit: vel in alia loca eos, etiam illis non cogitantibus, transferendo: vel ex hoc seculo ad meliorem vitam ante miseriarum tempus rapiendo. *Petr. Gregor. Tolosan. lib. 21. de Repub. cap. 3. pag. 1297. 1298.*

## EXEMPLA.

I. Quemadmodum in Sodomorum interitu, etiam velut invitum, inde exire fecit Loth cum filiabus.

II. Et imminente diluvio, jussit intrare Noam cum liberis & uxore arcam.

III. Et antè prædicari jussit, venturum hunc finem: quàm immitteretur diluvium.

IIII. Antequam invaderentur ab Antiocho Iudæi, tempore Machabæorum: apparuerunt acies in cœlo armatæ.

V. Revelavit DEUS prædixitq; per Danielem, futuram Persici regni eversionem, & inclytam Alexandri Magni, victoriam, per visionem Arietis & Hirci, aliaq; edocta mysteria.

VI. Memorat Sabellicus *lib. 2. ennea. 1.* Pharaoni prædictum fuisse: unum ex gente Iudæorum nasciturum: qui AEgyptum magnis cladibus afficeret: idq; per Sacerdotem AEgyptiacum: incertum an spiritu afflatum divino: an verò edoctum aliquo oraculo. Cujus metu Rex jussit omnem natum masculum ex Hebræis necari. Non potuit tamen tollere Mosem: qui DEI voluntatem executus est.

VII. Apertè DEUS per Samuelem prædixit Sauli ademptionem, & privationem regni.

VIII. Et Ieremias captivitatem excidiumq; Iudæorum.

IX. Et per Sibyllam, ut habetur in ejus oraculis, apertè prædixit Macedonum bellicam gloriam, Philippo Amyntæ filio regnante, partam, alterius Philippi temporibus ruituram:

*AEmathia populi (Argeada queis gloria Reges)*
*Commoda nunc parvet regnans, nunc damna, Philippus.*

*Namq; duces major populis atq; urbibus unus*
*Imponet. —Sed enim Hesperijs domitus minor armis,*
*Mox etiam Eois, illustres perdet honores.*

Nam, sicut scribit Pausanias, Romani, qui ad Occidentem sunt, Attali & Misorum auxilio, qui ad Solis ortũ vergunt, Persęum, Philippi filiũ, & regno & vita privarunt.

X. Paulò ante adventum Hispanorum in Americam, Rex Insulæ, quæ postea ex nomine inventorum dicta est Hispaniola, idolum Zenij consuluit, jejunio quinque dierum religiosè obito, flagellis etiam laceratus · quid de regno suo post ejus obitum futurum esset. Respondit autem Dæmon, à Deo veritatem dicere, ut alibi sæpe, compulsus: venturos homines barbatos, vestitos, regnum vi subjecturos; uno ictu gladijs suis multa corpora dissecaturos; servitute gravissima oppressuros incolas. Quod oraculum Rex ad placandum numen carmine comprehẽndi, quod Arentum vocant, & solenni ceremonia festis diebus cantari voluit. Et proinde multi incolarum, ubi Hispanos primùm adventantes vidêre, fuga sibi consuluerunt, oraculi memoria.

XI. Antequam corrueret omnino Respublica Democratica Romani populi: prodigium factum est Romæ, ut scribit Iulius Marathus; quo denunciabatur, Regem populi Romani naturam parturire: idq; paucos ante menses: antequam Augustus nasceretur; qui fuit primus legitimus Monarcha Romanorum. Et ideo Senatum exterritum censuisse: ne quis illo anno genitus educaretur. Cujus tamen Senatus consultum ad ærarium delatum non fuit: curantibus ijs, qui uxores prægnantes haberent, ne fieret; singulis ad se spem trahentibus: ut ait Suetonius in Augusto.

XII. Paulò antè quàm capienda esset Hierosolyma à Tito Vespasiano, inter præcipua perditionis ejus civitatis præsagia illud fuit: quòd ante Solis occasum antea visi sunt per mane ferri currus totis regionibus: & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfusæ. Festo autem die, quem Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes intimũ templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primùm quidem motum quendamq; strepitum senserunt: postea verò subitam vocem audiêre, quæ diceret; Migremus hinc. Quæ refert etiam Cornelius Tacitus *lib. 5. hist.* de obsidione ejus agens: Evenerant prodigia; quæ neq; hostijs neq; votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia: regionibus adversæ visæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma: & subito nubium igne collucere templum. Expassæ repentè delubri fores; & audita major humana vox, excedere Deos: simul motus ingens excedentium.

XIII. Et nocte quoq;, qua capta est Troja, apparuerunt Dij quidam, ut loquitur Maro, exeuntes à templis, & simulacra sua exportantes. Atq; solitas à Dijs suis deseri eas civitates; quæ mox in hostium potestatem obventuræ essent: aut saltem eam fuisse opinionem veterum, ostendit AEschylus.

XIIII. Refert Herodotus quoq; in 8. quo tempore Xerxes Atticam invasisset: Athenienses, quibus maximè infensus is erat, edictum proposuisse; ut qua quisq; ratione posset servaret suos: eoq; tempore ingentem Draconem, arcis custodem, cui menstrua libamina ex melle confecta proponere solebant: ea tunc illibata reliquisse: quasi etiam Deus ipse, sic vocabant idololatræ, sedes suas relinquere videretur.

XV. Scribit & Suetonius Tranquillus in Flavio Domitiano, inter prodigia futuræ mortis ejus, eum somniasse Minervam, quam superstitiosè colebat, excedere sacrario, negantem se ultrà eum tueri posse: quòd exarmata esset à Iove. *Idem Tolosan. pag. 1298. 1299. 1300.*

XVI. Me-





XVI. Meminit Aymonius *lib. 1. de gestis Francorum cap. 8.* de quodam vaticinio Bassinæ, Bassini Regis Thuringorum uxore: quæ relicto marito nupsit Childerico Regi Francorum adhuc pagano: quod videretur nostris temporibus, si verum esset, finem minari Monarchiæ Gallicanæ: quem tamen DEVS avertet: etsi maximè concutiat. Cùm enim Bassina prima die nuptiarum convenisset cum Childerico: admonuit, ut à thoro conjugali illa nocte abstineret: & rogavit, ut ante fores palatij exiret: & quæ vidisset, sibi renunciaret. Is autem vidit primùm foràs magnarum formas bestiarum, veluti deambulantium, pardorum scilicet, unicornium, leonum: quibus perterritus ad conjugem rediens commemorat visa. Illa bono animo esse eum imperavit: & ut secundò ac tertiò id faceret edixit. Quare iterum revertenti Regi apparuerunt ursorum, luporumq; circumcursantium imagines. Tertiò quoq; regressus, aspexit canum figuras, minorumq; animalium, se invicem lacerantium. Quorum visiones Bassina sic ei interpretata est: esse præsagia morum futurorum successorum. Nostro, inquit, qui primus surget à semine, filij censebitur nomine, insignis erit potentiæ: quem leonis & unicornis conspexisti in specie. In figura sanè lupi & ursi, signantur ejus posteri, virtute prævalidi, rapinæq; avidi. At canis libidinis impatiens, meliusq; virtutis sine ope humana esse prævalens, eorum præsagit ignaviam: qui ultimis in seculis hujus regni potientur sceptris. Porrò minorum turba animalium, semetq; invicem lacerantium, populus est sine timore Principum. Qui dum regni primoribus mutuo sese odio impugnantibus obsequitur attentiùs: variis sese implicat causarum tumultibus: dumq; proceres alterutris sese moliuntur privare honoribus: illis ignobile vulgus favendo, patet sine numero cædibus. Hæc sunt ipsissima verba vaticinij: nihil addidi: judicet autem qui voluerit: num hæc conveniant nostris temporibus: & si existimet convenire: det operam, si in ejus est potestate: ut restituatur prior ætas. Quod ad me pertinet, nihil possum certi proferre: scio tamen quod in mentem venerit Anno Domini 1573. quo tempore Lutetiam invisi primùm: ut coronationi Henrici III. de regno Poloniæ & Polonicis legatis ibi existentibus faciendæ interessem: dumq; contemplarer statuas Regum Galliæ in palatij Parlamenti aula dispositas; vivente adhuc Carolo IX. cujus statua erat in ultimo angulo aulæ, juxta & retro aulæ egressum: venit, inquam, in mentem: nullum locum intra illam aulam superesse: quo recipi posset futuri Regis imago: nisi alius ordo inciperetur: aut extra portam poneretur: tuncq; cepi quibusdam amicis, virisq; clarissimis, qui mecum aderant, & cuncta, velut æditui peritissimi ejus palatij, ordine monstrârant, nescio qua opinione tunc motus, dicere: videri mihi illud quippiam malè ominari Galliæ. Quid autem contigerit post mortem Caroli IX. & Henrici III. temporibus: nec refero: nec oportet: notiora enim sunt. Quid autem futurũ sit: & DEVS quoq; solus novit: & nostrum non est de his sententiam ferre. *Idem pag.* 1290. 1291.

# XIX.

*RESpublica, in qua nec legibus, nec magistratibus honor habetur, diu salva esse non potest.*

*Ioh. Iovian. Pontanus lib. 5. de Obed. pag. 40. b.*

*Hinc seditionum semina, labesq; Rerumpublicarum. Ex magistratuum enim contemptu legum oritur despicatio: quæ res civilem omnem tranquillitatem perturbat: labefactatq; publicã libertatem.* Quòd si qui unquam gigantes fuerunt: ij mihi fuisse videntur: qui legibus rebellantes, Respublicas occupare conati sunt. Hi Cyclopes, & Læstrygones. Hæc monstra teterrima: & diræ illæ pestes Erebi: quîs nomina mille, mille nocendi artes. *Idem pag. 41.*

## XX.

*NIhil in rebus humanis stabile.*

*Naturale est, ut quæ ortum habent, consequenter expectent citiùs aut tardiùs interitum. Omnia quæ sub perpetuo motu cœli sunt: varietatem & interitũ experiuntur: ut generationẽ & corruptionem.* Ingenia hominum in corpore luteo & fragili inclusa, corporalibus & externis moventur & sæpe traducuntur: naturalisq; ad dissentiendum hominum facilitas: mores mutantur cum tempore: *nova semper placent: antiquantur priora: nova succedunt. In summa, nihil stabile in singularibus rebus reperietur. Multò magis nec stabile vel constans in corpore civili seu Republica: quæ ex talibus singularibus componitur.* Causæ diversæ diversos producunt effectus. Corpora ægra exigunt medicinam. Populus dissolutus indiget superioris rigore. Prin-

ceps

ceps & ſuperior excedens ſuos fines, Principiſq; DEI leges, jam dignus flagello. Hoc autem à privatis inferri non poteſt: vel ſi inferatur, DEO permittente: unà populus cum Principe eodem periculo involvitur: concutiuntur Reipublicæ jura: fundamenta pacis & æquitatis ſubruuntur: omnia miſcentur temerè: bene ſtabilita corruunt: facies Reipublicæ mutatur: & dum mutata in melius reſurgere ſperat: ruit ſuiipſius viribus & mole oppreſſa. Sic mutantur regna, ſeneſcunt, intereunt protinus: alia aliquando ex illis naſcũtur: ſed deteriora prioribus: vel tranſeundo in aliud nomen: quæ priùs fuerunt, omnino amittunt: ut mutare videantur ſubſtantiam: & potiùs aliud, quàm alteram facere. Quemadmodum ex corpore humano, quod in cadaver tranſit, naſcuntur quidem animalia, vermes putidi, ex materia corporis humani in aliam formam & ſubſtantiam degenerantes. Videmus enim ex ſubverſione regnorum & imperiorum magnificorum vel hodie tantùm nomen & umbratilem imaginem legi, tantùm vel nominari: vel minutum quendam inde natum principatum: & Imperia in regna exigua, vel in ducatus, vel in provincias, vel aliud quidpiam vilius degeneraſſe, velut ex cadavere maximi Imperij: ut rectè Manilius cecinerit lib. 1. Aſtronom.

*Quot poſt excidium Troiæ ſunt exuta regna?*
*Quot capti populi? quoties fortuna per orbem*
*Servitium Imperiumq; tulit, varieq; revertit?*
*Troianos cineres in quantum oblita refovit*
*Imperium? fatis Aſiæ iam Græcia preſſa eſt.*
*Secula dinumerare piget: quotieſq; recurrens*
*Luſtraret mundum vario Sol igneus orbe: :*
*Omnia mortali mutantur lege creata.*
*Nec ſe cognoſcunt terræ vertentibus annis:*
*Exultas variam faciem per ſecula gentes.*

Generantur regna nova ex corruptione aliorum: & generatio unius eſt corruptio alterius: & corruptio unius generatio

est alterius. Quod accidit interdum subitò: interdum successione temporis, per media quæ habent, ex uno in aliud, viam alterationis, nisi impediantur. Serpunt mala: & paulatim invadunt Rempublicam. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 21. de Repub. cap. 1. pag. 1274.*

Quemadmodum accidit hominibus: ut non illis eadem sit forma semper, vigor & ingenium: aliaq; sit senibus: quàm fuerit infantibus, juvenibus & viris: & post mortem, nisi memoria aliqua cum cadavere, interdum nec cadaver ipsum appareat: imò nec ulla memoria sæpiùs superstit: *Sic accidit Rebuspublicis: quibus non eadem est facies, non vigor, non imperium, non memoria interdum, nec alia plura, quæ in his viguerunt. Mutantur namq; & corrumpuntur, crescunt, decrescunt, intereunt: & aliquando perit memoria cum sonitu.* Hoc naturale inter corruptibilia & inter terrestria: ut quæ sub continuo motu cœlestium rotationum sunt, nunquam in eodem statu permaneant: gradibus crescant, augeantur, decrescant, alterentur, intereant: morbos sentiant: remedia quædam recipiant: quædam fatali morbo obsessa immedicabilia sint. *Idem cap. 2. pag. 1279. 1280.*

## EXEMPLA.

I. Ipsa Respublica Romana vel sola testimonium omnium alterationum præbebit: si consideremus ejus mutationes: à Regibus in Consules: a Consulibus in Decemviros: in Tribunos militum: Tribunos plebis: Dictatores: Magistros militum: Tyrannos: Imperatores: eosq; florentes, decidentes, & per anastasin restitutos: ut mihi videatur illa Respub. similis ægro & malè disposito corpori: quod ab uno morbo in aliud recidit: & per intervalla temporum benè se habet: donec destitutum radicali humore seu calore vitali in mortem refrigescit. Quod ipsa sensit in se: in aliorum principatus etiam exercuit: nunc provincias in regnum erigens: nunc regna & Imperia in provincias reducens: vi propria deficiente, alia dominante. Carthaginis Imperium, civitate deleta per Scipionem, in provinciam reductum. Per Africam sex provinciæ factæ: Maurorum, Numidarum regna extincta: per omnes Hispanos sex provinciæ factæ: quæ postea regna: & rursum sub uno Rege nunc conjunctæ. A Iulio

Cæsare

Cæsare regna Galliarum plura in provincias redacta: rursum in regna: à regnis in Monarchiam pervenerunt. Trajanus Dacos sub Rege Decibalo vicit; Daciam provinciam fecit Romanam: Pannonias, Macedoniam, Thraciam: quæ rursus in regna reversa sunt: tum à Germanis, tum à Turcis occupata: ut Asia, quæ in ditionem Attali testamento venerat: postea illis erepta. Idipsum de Lydia, & alijs infinitis propemodum regnis, in provinciam redactis, restitutis, subrutis, translatis, dicendum esset: si tempus superesset. De Persis, Parthis, Saracenis, alijsq;, quæ in ditionem Romanorum venisse, paucis notat Sextus Rufus Consularis *libro de Rom. historia*, alijq; historiographi.

II. Tempore Achaz Regis Iudæ Athenis perpetui Archontes esse desierunt, in ultimo Alcmæone XIII. ceperuntq; in denos creari per annos LXX. post quos Respub. annuis commissa est magistratibus. Ex his, qui denis annis præfuerunt, fuit Charope primus: ultimus Erix: ex annuis primus Crean: ut Velleius Paterculus scribit.

III. Albani primi, ut ait Licinius, post Amulij Numitoriisq; Regis obitum, desinente stirpe regia, magistratus annuos crearunt cum annua potestate.

IIII. A Egyptios, confusis rebus per bella civilia, mortuo Sethone Rege, in interregno, quod duravit per XV. annos, Rempub. administrasse per duodecim ex senioribus electos, regno præfectis, scribit Diodorus Siculus *lib. 2. cap. 2.* post quos restitutum regnum novum in Psammetico.

V. Periander primus Imperium Corinthiorum commutavit, nova forma inducta, & ab legatis, quos habebat, satellitibus: quos nec in urbe vivere permittebat: tributa remittens, & servis possessiones adimens: ut scribit Heraclides *in libro de Politijs.*

VI. Theopompus Rex Spartanorum mutavit statum Reipub. efficiens ut Ephori crearentur à populo: qui Regi obsisterent: ut Tribuni apud Romanos Consulibus. Lycurgus, ut ait Nabis Tyrannus Lacedæmoniorum apud Livium, non in paucorum manu Rempub. esse voluit: quem Senatum Romani vocarunt: nec eminere unum aut alterum in civitate: sed per æquationem fortunæ ac dignitatis fore credidit: ut multi essent: qui pro patria arma ferrent.

VII. Post Codrum ultimum Regem Athenienſium à Cecropide primo, à Doribus interfectum, Reipub. status mutatus: & desinente regia potestate: Regum Imperium imminutum: & loco Regis creatus Archon, rationibus reddendis obnoxius: quorum primus fuit Medon: unde appellata familia Medontidarum: & Archonti datum ita Imperium ad vitam: usq; ad Alcmæonem ultimum Archontem perpetuorum: quo mortuo, placuit Athenienſibus: ut Archontes tantùm in decennium obtinerent: primusq; talis creatus est Charops anno 4. Olympiad. 5. Duravitq; hic modus imperandi per 70. annos usq; ad Olympiad 24. in quo mutata rursum Respub. in Democratiam, ab Athenis conditis anno 867. & ita abrogato Imperio Archontum decennalium, summa rerum novem Archontibus quotannis est mandata, Regi, Archonti, Polemarcho, Thesmothetis sex: permissumq;, ut ab Archonte singuli anni nominarentur, juxta Chronologos.

VIII. Similis & propemodum mutatio Imperij Lacedæmoniorum generalis. Nam ut Pausanias *in Laconicis* numerat aliquot Reges: qui regnarunt ex successione & generatione filiorum apud Spartiatas, à Lelege primo Rege usq; ad Tisamenum

Oresti filium: deinde constituit mutatam formam regni; & pro uno Rege cepisse duos creari ex duabus familijs, Euristhenis Agidarum, & Proclis Euripontidarum, ex oraculi responso: quæ forma duravit usq; ad Cleomenem Regem Leonidæ filium natu majorem ex Agidarum familia: qui affectans tyrannidem, Eurydamidem ex altera familia Regem, veneno sustulit & fratrem suum Epiclidem ejus loco, novo exemplo, substituit; primiq; ex una familia duo Reges regnarunt: Ephoros sustulit: & bonorum æqualitate inducta, veteres leges ac Rempub. restituit. Verùm postea ab Arato Lacedæmone expugnata: Epiclidas in acie cecidit: Cleomenes victus ab Achæis in AEgyptum profugit; & ibi necatus est. Et Lacedæmonij Regibus liberati, popularem Rempub. instituerunt. Sed rursum populari Repub. instituta; rursum in Tyrannos incidit: primusq; tyrannidem invasit Machanidas: eo sublato, Nabis.

IX. Arvernorum fuerunt Reges aliquando inter Gallos potentissimi: quorum ditio ab Strabone ad Narbonensium Massilienssiumq; fines & montes Pyrenæos extendebatur; & ad Oceanum & Rhenum: cum quibus prælia Romani non nisi magno cum sanguine commiserunt. Quemadmodum Florus *in Epitome lib. 61. Livij* docet: dum Q. Fabium Maximum Consulem Romanum, Pauli nepotem, pugnasse contra Bituitum Regem Arvernorum, & in eo certamine necata fuisse ex exercitu Bituiti centum viginti millia meminit. Exactis tamen postea Regibus: recidit Imperium in Rempub. liberam: qualem docet fuisse suo tempore Iulius Cæsar *in suis Commentarijs de bello Gallico*. Postea fuit sub Romanis: nunc subijcitur Regi Francorum.

X. Dolo multæ Democratiæ mutatæ in regna paulatim à Tyrannis, inescato populo. Vt mutatio Reipub. Romanæ à Democratia in Imperium, paulatim, non statim & semel facta est, post mortem Iulij Cæsaris: qui pro Tyranno habitus est: eò quòd sibi potestatem usurpasset. At Augustus, & reliqui sequuti Cæsares, quodammodo per gradus jugo regio assuefecerunt Romanos. Nam cùm Monarchiam citra Tyrannidis opinionem stabilire vellet: id perfecit quinquenniorum & decenniorum rogatione. Quod sequuti sunt Cæsares alij: qui, quanquam non in certum tempus, sed in totam vitam designarentur Imperatores; tamen quinquennalia & decennalia celebrarunt: quasi tum Imperium renovantes: & ita populum deceperunt.

XI. Tempore quo Ludovicus, dictus Gallis Clodoveus, Allemanos subegit & omnino devicit: regnum Allemanorum, quod olim in plures partes divisum erat, ut constat ex Ammiano Marcellino, versum est in Ducatum: imitatiq; in hoc Franci Romanos; qui provinciarum rectores tunc Duces appellabant.

XII. Refert Iunius *lib. 1. hist.* eò magnitudinis rem Pisanam aliquando evectam: ut centum eorum familiæ illustres, totidem rostratas naves privato sumptu ædificaverint; exornatasq; ad Ligusticum bellum eduxerint; verùm cùm bellica virtute, & mercaturæ studio partis divitijs aliquando floruissent: eos deinde superbiam opulentiæ comitem, & natas continuò ex nimia felicitate intestinas seditiones, eversa Republica, transversos atq; præcipites egisse; factumq; esse, ut attritis discordia opibus, atq; intermissa obiter maritima negotiatione, per diversa tempora varijs Tyrannis servire didicerint.

XIII. Fuit olim Mantua libera Imperij civitas; at postea varijs agitata motibus atq; civibus malis, ad Ludovicum Gonzagam, propter ejectam Passerimi tyrannidem, rerum summam detulit, Anno Domini 1327. *Sleidan. lib. 7. & Platina.*

XIIII. Contrà Carolus Magnus, everso Longobardorum regno populos ac civi-

tates

tates in regno, hoc est, in Liguria, Aemilia, Venetia, Tutia citeriore, & Cotijs Alpibus sitas, nova gubernatione donavit: & regni limites atq; oppida Comitibus administranda commisit: atq; eis omnem publicam & privatam jurisdictionem mandavit. Limites Marchas vocarunt: unde præfecti limitum, Marcharum Comites ac Marchiones dicti. Extra ordinem autem Legatos quosdam cum potestate misit, quos Missos vocant. *Sigon. lib. 4. regni Italici.*

XV. Vltima quæ regnavit titulo regio in AEgypto, fuit Cleopatra: qua sublata, Augustus eam in provinciæ formam redegit. Diviso deinceps inter Constantini filios Imperio: AEgyptus Orientalibus sive Græcis paruit Imperatoribus, vsq; ad Annum Christi, 700. Tunc enim facta ad Sarracenos defectione, Caliphatum ex Mahometi stirpe passa est: à quo Reges deinceps cæteri Caliphæ sunt dicti. Postea capto Caliphe, circa Annum 1153. Saraco Medus Dux, AEgyptum occupans, se Sultanum AEgypti dixit: donec à posteris ejus amissa, cessit in Mammeluchorum regnum. *Idem Tolosan. pag. 1280. 1281. 1283. 1284.*

# XXI.

*IMperij conversiones eò citiùs accidunt: si Tyrannus avaritia, aut impotenti libidine, aut utroque vicio fractus languescat. Plures tamen voluptas perdidit, quàm crudelitas. Quia crudelitate homines perterrentur: at libido Tyranni non modò subditos ad odium, verùm etiam ad contemptum excitat: cùm intelligunt, hominem voluptatibus deditum impotentis animi esse: nec imperio dignum videri: qui imperare sibi non possit.* Itaq; innumerabiles penè Tyrannos perdidit voluptas. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 1. pag. 594.*

## EXEMPLA.

I. Sardanapalum inquam, Canadum, Dionysium juniorem, Hieronymum, Heliogabalum, Amyntam, Periandrum, Pisistratum, Tarquinium, Aristocratem, Timocratem, Childericum, Andronicum, Rhodericum, Appium Claudium, Galeaciũ

Sfortiam,

Sfortiam, Alexandrum Medicem, Perucium Senensem, Lugiaeum & Megalum, Scotiæ Reges: qui ***omnes ab Imperio exciderunt: cùm impuræ libidines, quam virtuti servire maluissent.***

II. Ac majorum ætate, duæ Africæ urbes potentissimæ à Rege Fesarum defecerunt: propterea quòd Præfectus Sponsam alienam Regis exemplo rapuisset: quo statim occiso: Rex ipse Fesarum Abusahita cum sex liberis cæsus est a domestico servo: quòd ejus uxori stuprum intulisset.

III. Nec aliam ob causam populus Constantinus Africæ maritimæ, Delcaiedi, qui à religione Christiana transfugerat, Imperium, quàm Regis Tunetani filium perpeti honestiùs putavit.

IIII. Cur ætate nostra Muleasses de regno dejectus, nisi ab intemperantia? Qui tametsi exul in Italia & Germania vagaretur: ac de opibus Caroli V. Imperatoris, in quo spes omnes collocârat, omnino desperaret; nihilominus ad pavonis unius, quo vescebatur, condimenta vix aurei nummi centum sufficiebant: ut quidem Iovius scribit. Et ut suavitatem ac dulcedinem, quæ ab harmonia proficiscitur, jucundiùs molliusq; hauriret: oculos velabat: quòd duobus sensibus duplicem voluptatem simul percipi non posse didicisset. Sed non sine ultione divina ferro candenti oculorum humores sensim exiccante, jussu filiorum obcœcatus est, ac Imperio spoliatus. *Bodinus ibidem.*

# XXII.

*QVando publicæ calamitates non sentiuntur amplius aut metuuntur: certum est, impendere totis Rebuspublicis extremam eversionẽ & interitũ.*

*Tom. 1. Intimat. VViteberg. pag. 397.*

In ægro corpore Medici pro lethali signo habẽt: quando ægrotus morbum ipse non sentit: &interrogatus nihil dicere potest, quò doleat. Et apud Hippocratem Aphorismus est: ὁκόσοι πονέοντες τι τὸ σῶμα τῷ, τὰ πόλλα τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται: τυτέων, σι ἡ γνώμη νοσέῃ. Idem prorsus cogitandũ est de totis cœtib. *Ibid.*

# XXIII.

*RESpublicæ mutantur*

1. *Vel propter vicia & insolentiam eorum, qui dominantur & imperant.* Petr. Gregor. Tolos. lib. 22. de Repub. cap. 3. pag. 1381. 1382. 1383.

2. *Vel propter intemperantiam, prodigalitatem, luxum & expensas inutiles.* Idem cap. 4. pag. 1383. 1384. 1385.

3. *Vel propter superbiam.* Id. cap. 6. pag. 1388. 1389. 1391.

4. *Vel propter crudelitatem.* Id. cap. 7. pag. 1393. 1394. 1395.

5. *Vel propter contemptum Principum.* Idem cap. 8. pag. 1395.

6. *Vel propter nimiam licentiam, potestatem & indulgentiam quibusdam concessam.* Id. cap. 9. pag. 1402. 1403. 1404.

7. *Vel propter avaritiam.* Id. cap. 12. p. 1416. 1417.

8. *Vel propter contemptum cultus divini & mandatorum DEI.* Id. cap. 14. pag. 1425. 1426. 1427.

9. *Vel propter seditiones & factiones.* Idem lib. 23. cap. 2. & 3. pag. 1430. 1431. 1432. 1433.

## De primo Regulæ membro.

*Vitia & insolentia eorum, qui dominantur & imperant, habent causam plerunq; mutationis formæ vel interitus Reipub. & principatus.* Id. pag. 1381.

# EXEMPLA.

I. Heraclides in politijs, dum de Athenienſibus agit, tradit, poſt Codridas, nullos ampliùs Reges electos: eò quòd in molliciem & luxum delapſi eſſe viderentur.

II. Refert & in Cephalenorum Repub. regnum in Ducatum verſum: quod Promneſus, homo ſummæ inclementiæ, Rex, omnes Virgines ante connubium cognoſceret: quem occidit Antenor, arrepto enſe, muliebribuſq; veſtimentis aſſumptis: quem eam ob cauſam populus ſummis honoribus ornatum, Ducem ſibi conſtituit.

III. Superbi Tarquinij importuna dominatio & luxuria ſic affecit injurijs populum Romanum: ut is cupiditate etiam libertatis incenderetur: & pulſis Regibus adminiſtrationem ſuæ Reipub. inſtitueret: & ex imperio perpetuo annuum, ex ſingulari duplex: ne poteſtas ſolitudine aut mora corrumperetur: Conſuleſq; appellavit pro Regibus: ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent.

IIII. Appius Claudius Decemviratui finem dedit ob cupiditatem & amorem illegitimum Virginis.

V. Poſtquam Monarchia Aſſyriorum duraſſet per 1300. annos: poſtremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior; quem videre cum ægre obtinuiſſet Arbaces ſeu Arbactas, præfectus militum ejus: & cum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem inveniſſet: & muliebri habitu mollitia corporis & laſcivia eas oculorum anteeuntem: penſaq; inter Virgines dividentem: indignatus, conjuratione facta cum militibus, eum obſeſſum ſuſtulit: & Imperium in Medos transtulit.

VI. Non eſt paſſus DEVS ſuſcipere principalem dignitatem & ſacerdotalem, filios Heli ſummi ſacerdotis & principis: eò quòd propter ſua peccata detrahebant homines à ſacrificio Domini; & dormiebant cum mulieribus: quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi.

VII. Cauſa cur extincta eſt tyrannis Piſiſtratidarum, impura etiam luxuria fuit. Piſiſtrato enim mortuo: filius ejus Diocles per vim ſtuprata virgine, à fratre puellæ necatus eſt: & cùm alter filius Piſiſtrati Hippias nomine, imperium tenens, interfectorem comprehendi juſſiſſet: qui per tormenta ſocios cædis nominare cogeretur: omnes amicos Tyranni nominavit. Quibus interfectis: quærenti Tyranno, an alij reliqui conſcij eſſent, nemo, ait, ſupereſt, quem mori geſtiam: quàm ipſum Tyrannum. Qui voce ejuſdem Tyranni ſe victorem, poſt vindictam pudicitiæ ſororis oſtendit. Ejusq; voce cùm admonita libertatis civitas eſſet: tandem Hippias regno pulſus, in exilium actus eſt. Et ad Darium Perſam confugiens, aciem in Athenienſes dirigens, in Marathonio campo, ubi pugna cruenta commiſſa eſt, bello occubuit; & civitas plenè ab ejus Tyrannide liberata eſt.

VIII. Mutatio quoq; & finis regnandi Heraclidis contigit mirabili modo, per ſocordiam & voluptatem Candaulis Regis ultimi; qui non contentus frui ſolus conſuetudine uxoris: eam formoſiſſimam ſupra omnes fœminas collaudans, voluit nudã Gygi, uni ex ſuis ſatellitibus, oſtendere. Quo facto, & intellecto ab uxore: ea ira percita, quòd nuda viſa fuiſſet: Gygem in virum, & homicidam mariti elegit: & in dotem ſeipſam & regnum ei dedit. Et ſic regnum Lydorum ab Heraclidis in Mermnadas tranſlatum eſt.

IX. Chil-

IX. Childericus Rex Francorum, pater Clodovei, regno fertur ejectus à Francis: quòd filias illorum constuprare cepisset; cujus in locum electus Rex Egidius, magister militum Romanorum; donec post octo annos, quibus latuerat pulsus, in Toringia, ejecto Egidio, redijt in gratiam Francorum: & regnum recepit ope & consilio VVinomandi.

X. Eadem occasione Eoricus Gothorum, ab Arvernis Romam fugit, metu, ne ab illis occideretur, ob nimiam luxuriam in mulieres. Cumq; eandem vitam luxuriosam tentasset cum mulieribus Romanis prosequi; lapidibus obrutus est.

XI. Culculenus Rex Scotorum, flagitiosissimus, Veneris & Bacchi mancipium, nobilium adolescentium corruptor, cædes, rapinas, latrocinia impune permittens, dum ad comitia, quibus illi regnum abrogabatur, tenderet: à Cadhardo Scotiæ urbis Thanò, cujus filiam corruperat, cæsus est.

XII. Ab Hunnis seu Avaribus rebellavit gens Slavorum; qui & alio nomine dicuntur VVinidij; quòd cùm jam antea Avaribus primùm vectigalia veluti dominis dependerent: ut præliantium castra tutarentur, fugientibus auxilia subministrarunt: ideoq; plures ab illis sibi contumelias illatas tollerallent: ut non homines hominibus, sed feræ potiùs viderentur imperitare vilibus jumentis. Tandem inter cætera pessimè tulerunt, & dictu horrendum quoq;, & inauditum scelus in se perpetratum: quòd quasi hyematuri, eorum adeuntes domicilia, uxores eorum suis assumebant socias stratis: quod postea inde geniti noluerunt pati: sed moverunt arma in Hunnos. Et advenerat eo tempore mercator mercium comparandarum causa, Samo quidam natione Francus ex Senonibus, cum socijs pluribus; qui cum Sclavis contra Hunnos bellum gesserunt: & eos superarunt. Vnde factum, ut Slavi eundem Samonem in Regem eligerent: qui postea pluribus prælijs tutatus illos est.

XIII. Scribit H. Mutius, Anno Domini 1300. accidisse; Comitem Habspurgensem habuisse quendam Nobilem in valle arcta Vraniæ arcis præfectum, superbum Tyrannum, intolerabilem: qui libidine inexhaustâ formosiores virgines, & matronas honestas corrumperet: Cùm autem duorum Germanorum fratrum Virginem compressisset: eum ab illis fuisse necatum: indeq; secutam rebellionem contra omnes Nobiles, ita tyrannicè viventes; societate primùm ejus rei causa inita inter tres pagos, Vre, Svitz, & Vndervalden: ita ut omnis Nobilitas ferè inde extrita fuerit: quemadmodum nec tulit Erythriensium populus in gubernatione regiarum urbium gubernatores nobiles: licet eas diligenter curarent: sed Rempub. mutavit.

XIIII. Refert Theopompus, mutatam fuisse Monarchiam Rhodiensium in Aristocratiã per voluptuosum Hegesilochum Regem Rhodiũ; qui cùm ob temulentiam talosq; inutilis esset factus: neq; ullam dignitatem haberet omnino apud Rhodios: sed à socijs omnibusq; civibus ob vitæ intemperantiam accusaretur: paucorum principatum cum amicis constituit: qui multas nobiles matronas dedecore affecerunt: ac non paucos puéros vitiarunt; in tantumq; petulantiæ processerunt; ut vel talis luderent de liberis mulieribus; differentq; inter talorum jactum: quam urbanorum victus ad victorem duceret. *Pag.* 1381. 1382. 1383.

## Secundum membrum.

*In excessu & prodigalitate imperantium, seu in luxu & expensis inutilibus in convivia, voluptates, superfluum apparatum conviviorum & personarum, & in profusas largitiones, magnum detrimentum capit Respublica—.* Tum quòd postea pecuniæ in necessarios sumptus desiderantur: tum etiam, quòd pro his, onerandus multis sit tributis populus: quibus læsus accipit rebellandi occasiones. *Pag. 1383.*

*In summa, duo maximè vicia succrescunt non—solùm in regnis, Regibus: sed etiam in populis, & in omni specie Rerumpublicarum—: avaritia, & luxuria—: quæ ut pestes crudelissimæ omnem statum Reipub. subvertunt & depopulantur. Pag. 1385.*

## EXEMPLA.

I. Narrat Idomeneus, Pisistrati filios Hippiam & Hipparchum, convivia invenisse: & equorum, horumq; multorum apud illos fuisse copiam: & ex eo fuisse eorum grave imperium.

II. Causa cur Arbaces regnum invasit Asiæ, & transtulit in Medos, fuerunt nimiæ delitiæ Sardanapali ultimi Regis.

III. Et occasione usus Carolus Martellus in invasione regni Franciæ: Regibus tunc in delitijs tantùm viventibus: & negocia regni per Majorem domus gerentibus: qui Merovingorum familiam tunc sceptro dejecerunt.

IIII. Campania invictum armis Annibalem luxuria illecebrisq; suis complexa, vincendum militi præbuit; illa vigilantissimum Ducem, illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris usu lasciviore, ad somnum & delitias evocavit; ac tum demum fracta & contusa Punica feritas est: cùm Seplasiaci & Albana castra esse ceperunt. Quid autem his vicijs fœdius? quid etiam damnosius? quibus virtus atteritur: victoriæ languescunt: sopita gloria in infamiam convertitur; animiq; pariter & corporis vires expugnantur: ut nesciat ab hostibus ne, an ab illis capi perniciosius habendum sit.

V. Scribunt autores fide digni, Xerxem ostentatione opum regiarum eximia, eò usq; ad luxuriam gaudentem, cùm edicto præmium ei propositum esset, qui novum genus voluptatis reperisset: dumq; delitijs nimijs captus esset: amplissimo regno ruinam dedisse.

VI. Erat Volsinienſium urbs opulenta, legibus & moribus ornata, Hetruriæ caput habita. Sed postquam in luxuriam prolapsa est: in profundum injuriarum & turpitudinis decidit. Et cùm cives servos suos sine delectu manumitterent: convivijs allig rent: convivijs honestarent: Rempublicam amiserunt: & Libertini in partem potestatis recepti, plenitudinem usurparunt: testamenta ad arbitrium suum scribi jubebant: convivia, conventusq; ingenuorum fieri vetabant: filias dominorum in matrimonium ducebant. Imò postremo lege sanxerunt: ut stupra sua in viduis pariter & nuptis impunita essent: ac ne qua virgo ingenuo nuberet: cujus castitatē non antè ex numero ipsorum aliquis delibasset. Sicq; luxuria aluit luxuriosiores: qui in se Rempublicam transtulerunt: eamq; ita pessimè administrarunt: donec postea prędicti Libertini, Romanorum ope per Decium Murenam, omnes aut in carcere necati sunt; aut dominis in servitutem restituti.

VII. A tempore, quo Paris fertur judicasse, in concertatione Iunonis, Palladis & Veneris, pro Venere: omnia confusa voluptate perturbataq; fuerunt, ut dicit Athenæus. Alludit autem ad subversionem Imperij, vel regni Trojani: quod accidit ob voluptatem Paridis, filij Regis Trojanorum: qui rapuit Helenam: Græcorumq; iram adversus Ilium provocavit: qui regnum post decennalem obsidionem deleverūt. Atq; Homerus cùm voluptatis mala Principibus insinuare vellet: fingit Iovem, quæcunq; de rebus Trojanis pernoctando rectè cogitaverat: ea per diem voluptate captum subvertisse: tumq; fortissimum Martem à debilissimo Vulcano ligatum fuisse: qui cùm illegitimis amoribus detineretur: calumniam & pudorem ex illis reportavit.

VIII. Ferunt & Sibaritas ob nimiam voluptatem, tandem per occasionem actionum ejus, victos & subactos à Crotoniatis: & Rempublicam amisisse. Cùm enim in tantum voluptatum perveniſſent ſtudium: ut equos etiam ad tibiam in symposijs tripudiare assuefeciſſent: Crotoniatæ id cognoscentes, ubi cum his pugnarent: saltandi concinnitatem illis pararunt: *ut asserit Aristot. in eorum Rep.* Aderant enim illis tibicines in acie militari: quorum cùm tibiarum sonum equi audivissent: non exsilierunt solùm: verùm etiam sessores habentes ad Crotoniatas confugerunt.

IX. Sic etiam Cardianos, qui ita quoq; ad voluntatem equos saltare instituerant, fuisse superatos, & fusos à Bisaltis, refert Athenæus.

X. Exempl o etiam erunt Athenæ & Roma. Nam quæ urbs voluptati plurimùm tribuit: Imperium maximum amisit: quæ labore delectata est; obtinuit & occupavit.

XI. Et Aristoteles plures Reges & Principes perijsse ait: quòd in voluptatibus viventes, effecti sunt contemnendi; ac multas præbuerunt occasiones opprimendi se. *Tolos. pag.* 1383. 1384. 1385.

## Tertium membrum.

*Hinc subversiones Principum & principatuum: quòd superbia inflati, plùs de se, quàm in his sit virium, sibi promittentes, seipsos decipiant: & periculis temere se obijciant: à quibus dehinc non possunt se eximere: inimicos & subditos contemnant: à quibus opprimantur incauti.* Pag. 1388.

*Insolentia Principum & superbia alienat valde animos subditorum ab eorum amore & obedientia.* Pag. 1391.

## EXEMPLA.

I. Superbia dejecit à principatu Angelorum Luciferum; & fecit ex Angelo Dæmonem. Qui eum imitantur; periculo simili se exponunt.

II. Hac etiam primus homo, Rex factus totius creaturæ orbis, elatus & inflatus à Diabolo, à regno præcipitatus est; & subditus creaturis; quibus antea imperare poterat; mortiq; factus obnoxius.

III. Sic Darius Arsani filius, Rex Persarum, qui se Regem Regum, ac consanguineum Deorum vocabat, & Alexandrum Magnum famulum suum, & jusserat Satrapis suis, ut insanientem illum Philippi adolescentulum (sic enim eum per contemptum appellabat) verberibus puerilibus graviter cæsum, indutumq; pòst veste purpurea, sibi vinctum traderent, sensit quantum superbia illi profuerit, exutus vita & regno ab eo, quem contempserat.

IIII. Ecce, hæc fuit iniquitas Sodomæ (*Ezech.* 16. v. 49) superbia, saturitas panis & abundantia, & ocium ipsius; & quo tempore magis intumescebat; omnino cum sua Republica sublata est.

V. Sensit id Nabuchodonosor Assyriorum Rex. Vbi enim se superbè extulit, dicens; Nonne hæc est Babylon magna, quam ædificavi in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? statim ab hominibus ejectus, & de regno deturbatus est.

VI. Pharao Rex AEgypti cum suo exercitu aquis involutus serò didicit; quòd nimiùm superbè Moysi respondisset: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.

VII. Cùm esset aliquando post diluvium populus unus, labij unius & regni; & eò superbiæ pervenisset; ut vellet sibi parare in posterum præsidium contra aquas adver-

sus

sus DEVM, & testimonium suæ superbiæ relinquere, dicentes: Faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras: DEVS confudit sermones eorum; & divisit & separavit eos, dispersos super faciem cunctarum regionum.

VIII. Arphaxat Rex Medorũ, post subjugatas multas gentes imperio suo, & ædificata civitate illa magna Ecbatanis, cùm gloriatus esset tanquam potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum: anno 12. regni sui superatus est à Nabuchodonosore: qui regnabat in Ninive. Qua rursum is victoria elatus supra modum; ita ut jusserit per Holofernem principem militiæ, ut omnem orbem subigeret; & omnes Deos de terra tolleret; ut ipse solus Deus diceretur. Verùm tanta superbia per unicam fœminam Iudith, DEO auxiliante, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, dejecta est ablato Holoferni capite, & inde fugato & dissipato ejus copiosissimo exercitu.

IX. Cùm etiam Antiochùs Rex, superbia & ira concitus, jurasset se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulcri Iudæorum eam facturum; à DEO percussus est insanabili & invisibili plaga; & inde obijt miserabili morte.

X. Annibal Carthaginensis pugnæ victoriæ elatus, nec admisit quenquam civium suorum in castris; nec responsum ulli nisi per interpretem dedit. Maharbalem etiam ante tabernaculum suum clara voce affirmantem, prospexisse se, quonam modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret, aspernatus est. *Pag.* 1388. 1389. 1391.

## Quartum membrum.

*Degenerant Principes & Rerumpub. gubernatores in Tyrannos: cùm non paterna admonitione, aut castigatione, sed feroci sævitia utuntur: unde sæpe & principatus interitum, aut magnam certè alterationem & mutationem acceperunt. Odiosi tales & invisi facti suis & extraneis.* *Pag.* 1393.

## EXEMPLA.

I. Ita fuerunt invisi omnibus nationibus Cynathenses cives in Arcadia, omnigenæ crudelitatis participes; qui post ingentem seditionem legatos Spartam miserunt. Verùm in quamcunq; civitatem eundo legati illi Arcadiæ ingressi sunt; ex ea mox per ignominiam fuerunt expulsi; & reditus ad eam interdictus; quanquam ex Arcadum essent genere. Mantinenses etiam, post illorum discessum, expiationibus ac sacrificijs civitatem ac circunstantia quæcunq; loca purgaverunt. Tam invisa fuit omnibus eorum crudelitas.

II. Effecit

II. Effecit crudelitas, ut Persarum regnum destitueretur successore legitimo. Postquam enim temporibus Alexandri Magni, Darius vivente patre Artaxerxe Rex creatus, in patrem conjuravit: eo cum patre mortuo, regnum pervenit ad Ochum fratrem Darij: qui metuens similem conjurationem, cognatorum & Principum sanguine & cædibus regiam replevit: ut post mortem ejus nullus inventus sit ex genere successor: & Codomenus quidam electus fuerit in Regem à populo, cum titulo & nomine Darij: quem vicit Alexander Magnus: & fugientem cognati proprij necarunt. Hunc Darium fuisse legimus Arsanis filium: qui decimus quartus à Cyro totius Orientis Monarchiam tenuit. Objicitur autem ei ab Alexandro apud Arium: quòd post mortem Ochi, filium ejus Arsin necasset: & contra legem Persicam, quæ per genus deferebat Imperium, regnum occupasset.

III. Aristocrates Icetæ filius, Rex Arcadiæ, ob proditos ad fossam magnam Messenios, ab Arcadibus lapidatus est tanta invidia: ut à domo Cypseli Arcadum Imperium removeretur. Fuerat ejus avus Aristocrates Archimedis filius, ob incestum cum virgine sacerdote, lapidibus obrutus.

IIII. Amasis AEgyptiorum Rex, cùm plerosq; ex suis ultimo supplicio affecisset: aliosq; fortunis spoliasset: & in omnes insolentior & superbior fieret: ejus Imperium aliquantum toleratum est: donec Actisanes Aethiopũ Rex, in eum irrupit. Tunc enim odia occulta erupêre: cumq; multi ab eo desciviissent: regno tandem pulsus est.

V. Refert de Thryzo insigni Tyranno AElianus: ita eum subditis evasisse infestissimum: quòd legem tulerit: ut nemo publicè aut privatim invicem colloqui, aut sermones invicem miscere auderet: imò ne nutu oculorum manuumq; gestu animi sensa exprimere. Sed cùm adhuc vellet adimere flendi libertatem: & contra flentes cum satellitibus in forũ perveniisset: subditos ereptis satellitibus armis, suum quoq; Tyrannum sustulisse.

VI. Cùm Arsacidarum quoq; genus, quod imperabat Parthis, in crudelitatem incidisset velut hæreditariam: justo DEI judicio finem accepit. Siquidem Mithridates cognomento Magnus, filius Artabanis, Rex, post bellum in Armenos feliciter gestum, à Senatu Romanorum Parthico regno pulsus: & frater ejus Herodes, seu alijs Orodes, regnum occupavit: quiq; etiam fratrem, qui se ei dederat, in suo conspectu trucidari jussit. Tuncq; cepit fatum propinquum accelerari Parthis: cujus jam quasi solenne ceperat haberi, Reges esse parricidas. Atq; ex Herode & pellice ejus filius Phrahartes III. nomine constitutus Rex, statim patrem interemit: & fratres triginta trucidavit: & filium adultum interfici jussit: evasitq; insolentior: quòd Antonium & legiones Romanas vicisset. Quare cùm multa crudeliter consuleret: in exilium à populo suo pulsus est: quo absente Tyridaten Regem crearunt: qui confugit ad Romanos: eoq; tempore Imperium Parthicum Romanorum conjunctum, defecit.

VII. Prusias Rex Bythiniæ, cùm consilium cepisset occidendi Nicomedem filiũ: dum studeret minoribus filijs: quos ex noverca susceperat: & Romæ habebat: reprodita juveni ab his, qui scelus implere promiserant: ipse præoccupavit insidias, ijsdem hortantibus: & cùm accitus in regnum venisset: statim Rex appellatus, patrem Prusiam regno privavit: qui postquam privatus est redditus: derelictus à servis, cùm in latebris ageret: non minori scelere, quàm filium occidi jusserat, à filio occisus est. Sic recidit crudelitas in artificem: & eum regno, quod per crudelitatem conservare decreverat, privavit.

VIII. Meminit quoq; Aymonius, Childebertum ejus nominis II. Regem Austrasiæ, filium Clodovei, & postea Regem Franciæ, levè fuisse nimis: & multos Francos oppressisse; unumq; ex illis nobilem, nomine Bodilonem, ad stipitem tensum valde cædi sine lege jussisse. Et proinde per VVigeberthum & Amalberthum Francos, reliquosq; majores natu, contra ipsum Childebertum seditionem concitatam: & Bodilonem cum reliquis insurgentem, Regi insidiatum, eum interemisse cum Regina ejus prægnante.

IX. Vt & Martialis quidam Centurio, unus è custodibus Antonini, cum obtruncavit: quòd paucis antè diebus Princeps fratrem suum, delatum tantùm, sed minimè redargutum, occiderat.

X. Aristocratia Mitylenensium mutata in Democratiam, & Penthalidæ sublati, ob injuriam illatam civibus. Sicq; Megaclas apud Mitylenem Penthalidas circumeuntes, & clavis pulsantes cum amicis aggressus interfecit.

XI. Asdrubalis potestas à servo sublata est barbaro: qui eum subitò aggressus necavit: ubi Dominum suum occidisset.

XII. Et Anno Dom. 1532. Christiernus Danorum Rex fuit ob tyrannidem regno pulsus à suis: & dehinc cùm decimo pòst anno sui exilij conscripto milite conaretur ditiones suas recipere: & in Norvegiam & Daniam veniret; captus est, missus inde in carcerem captivus finivit vitam.

XIII. Defecerunt à Demetrio Rege Syriæ Antiochienses, duce Tryphone, execrantes superbiam Regis: quæ conversatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat.

XIIII. Hiero Rex Syracusarum propter crudelitatem & superbiam à suis interfectus est: & Monarchia redijt ad Democratiam.

XV. Ab Astyage Rege Medorum defecit regnum: & à Medis in Persas translatum per Cyrum nepotem Astyagis fuit per conjurationem Harpagi. Is enim Harpagus jussus impiè ab Astyage exponere & necare recens natum ex filia sua Cyrum, cùm eum conservasset: incidit in odium Astyagis: qui in ultionem conservati nepotis ejus filium interfecit, epulandumq; patri tradidit: sed Harpagus ad præsens tempus dissimulato dolore, odium Regis in vindictæ occasionem distulit: & ita prodidit regnum: & favit Cyro. *Pag.* 1393. 1394. 1395.

## Quintum membrum.

*Quando populus odit Principem, vel suum rectorem: aut si contemnit: augurium potest esse certissimum de infelici successu Reipublicæ. Pag. 1395.*

*Contemptus Principum viam parat ad minuendam, & postea ad excutiendam eorum autorita-*

*tem—. Et post Tyrannorum contemptum plerunq; sequitur eorum mors vel exilium—. Ibid.*

*Subditi concipiunt odium contra præpositos, interdum ex levioribus, interdum ex justis causis. Ibid.*

## EXEMPLA.

I. Harmodius in filios Pisistrati ob contumeliam sorori factam.

II. Adversus Periandrum Ambraciæ Tyrannum insidiæ factæ ex eo; quòd inter potandum quem amabat puerum interrogavit, an nondum ex se prægnans factus esset.

III. Philippus Rex Macedoniæ à Pausania necatus; quòd non ulciscereturcontumeliam sibi factam ab Attalo.

IIII. Adamas à Coty rebellavit, quasi contumeliâ affectus; quòd ab eo in pueritia exsectus esset. *Ibid.*

## Sextum membrum.

*Nutriunt plerunq; Respublicæ & Principes improvidè serpentes in sinu, mures in pera—: & ferrum porrigunt: à quo pereant. Nimiam potestatem quibusdam concedunt: ex qua ad majora audenda ambitiosè impelluntur: ut tandem, si non prospiciatur, præsenti fortuna, qua indigni etiam sunt, non contenti, nihil sibi habere videantur: nisi principatum ipsum, necatis etiam Dominis apertè vel clandestinè, occupent.* Pag. 1402.

## EXEMPLA.

I. Ieroboam Nabathi filius ex serva matre natus, adhuc juvenis ædificationi murorum Hierosolymitanorum subserviens, à Salomone Rege primùm præfectus operi, dehinc tributo Iosephæorum contribulium: tandem decem tribus regno illi subtraxit.

II. Phi-

II. Philippus Arabs præfectus negociorum Imperij, existente adhuc minore Gordiano nepote ex filia Gordiani majoris, dolosè concitavit seditionem inter milites, subtractis consultò annonis: eaq; occasione, indignum esse Gordianum, qui imperaret, facilè militibus persuasit: & se potiùs dignum. Quare se primùm tutorem creari obtinuit: postea & Imperatorem a militibus; atq; ita usurpato Imperio Gordianum interfici curavit.

III. Sejanus ad summam dignitatem per Tyberium evectus, invadere factionibus Imperium tentavit.

IIII. Sub Severo Antonino Plautianus Afer natione, ex parva humilíq; fortuna ab Imperatore ad opes maximas provectus, damnatorum bonis adjudicatis, longè supra cæteros locupletatus, omnibusq; dignitatibus, excepta tantùm Imperij participatione honoratus, cujus & filia uxor data erat filio Imperatoris: opibus & licentia abutens, in tantam crudelitatem violentiamq; evasit, adeò trux & horribilis: ut non modò non adiretur à quoquam; sed etiam qui fortuitò occurrebant, ab eo averterent oculos: tandemq; ausus & ipsum Imperium appetere insidijs, cum Saturnino pactus; ut abiret in aulam Principum, quasi aliqua arcana habens ex ejus parte mandata: utrumq; & senem Imperatorem & filium obtruncaret. Quod & factum fuisset: nisi Saturninus rem detexisset Imperatori: qui paratus ad insidias excipiendas eum obtruncavit, tanquam manifestum hostem.

V. De Galba Imperatore, alioquin bono Principe, scriptum est; multa pernicioſè gesta & cum populi jactura sub ejus principatu; quòd regeretur trium arbitrio; quos unà & intra palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, pædagogos vulgò vocabant. Hi erant: Titus Iunius, legatus ejus in Hispania, cupiditatis immensæ: Cornelius Laco, ex assessore præfectus prætorij, arrogantiæ socordiæq; intolerabilis: Libertus Icellus, paulò antè annulis aureis, & Marciani cognomine ornatus, ac jam summo equestris dignitatis gradu candidatus. Quibus diverso vitiorum genere grassantibus, adeò se abutendum permisit & tradidit: ut vix sibiipsi constaret. Quamobrem & ob gesta illorum malo consilio, irritavit in se totius Reipublicæ odium & offensionem, & invidiam militum & exercitus; & tandem trucidatus est.

VI. Fuit Cleander Phryx genere, ex ea nota hominum: qui publicè per præconem veneunt. Hic cùm in domum imperatoriam servitio fuisset traditus; & cum ipso Commodo Imperatore accrevisset; eò honoris & dignitatis provectus est: ut & corporis custodiam, & cubiculi curam, præterea militum præfecturam solus obtineret. Cæterùm divitiæ & luxus etiam illum ad Imperij spem instigabant. Quare grandi coacta pecunia plurimum frumenti coëmit: id autem conclusum habebat; ut tempore necessitatis & famis penuria laborantes sibi conciliaret. Gymnasium quoq; maximum ædificaverat: publicatis etiam balneis; ut eo modo populum inescaret. Quod feciſset: nisi populus infensus, seditionem movisset: Commodus sibi timens, insatiabilitati ejus restitisset: & ab Imperatore caput ei abscindi non fuisset mandatum, & posteris: quo facto, pacata fuit seditio: & Commodus Imperium sibi conservavit.

VII. Majores Domus in Gallia, in quos administrationis regni summa translata erat à Regibus, tandem ipsos Reges pepulerunt: & sibi Imperium retinuerunt. *Pag.* 1402, 1403. 1404.

## Septimum membrum.

*Avaritia Principum & rectorum Rerumpublicarum, sæpe causam dat subversioni status publici & principatus: vel magnas in eo excitat & tragicas mutationes. Siquidem cupiditas possidendi pecunias, impellit ad illicita & gravia tributa imponenda, sine causa Reipublicæ necessaria vel utili: quòfit, ut à quibus invitis pecunia sine justa causa extorqueatur: ineant consilium seditionis, mutationis, aut defectionis & rebellionis.* Pag. 1416.

## EXEMPLA.

I Vt Batto Dalmaticis rebellantibus Dux, tractans cum Tiberio Romano Cæsare de pace, interrogante Cæsare, cur ita deficerent & rebellarent Romanis, respondit: Vos, inquit, ipsi in culpa estis; qui ad vestros greges custodiendos, non canes pastoresve, sed lupos mittitis. Idipsumq; cum secundò rebellassent, responderunt.

II. Defecerunt à Roboamo Rege, filio Salomonis, decem tribus: quòd interpellatus & rogatus à populo de remittendis tributis & oneribus, quibus Salomon eos oppresserat, plura imposuit.

III. Mauritius Imperator, Cappadox genere, & successor in Imperio Tiberij soceri, primùm ob avaritiam desertus à militibus, à Phoca Centurione limitis Scythici captus, & securi percussus fuit.

IIII. Et rursum idem Phocas eo non melior, ob eundem avaritiæ morbum contumelijs affectus, postquam 13. annos regnasset, è medio sublatus est.

V. Defecerunt ad Parthos civitates Syriæ ab Antiocho Magno Rege dicto Sedete: cùm gravari se copiarum præbitione & injurijs militum viderent; quare etiam die statuta divisum per hyberna exercitum omnes aggressi sunt.

VI. Albertus Megapolensis Ducis filius, Sueonum & Gothorum Rex creatus, cùm exhaustum ærarium reperisset consiliariorum pessimorum rapinis: coactus est vim subditis inferre: & contractis ad comitia Pontificibus, proceribus & cæteris, qui in regno prædia possidebant, tertium prædium ab his pro sua curia sustinenda postulavit: statimq; sine consensu possessorum, omnia quæ voluit, nullo servato numero, occupavit. Cæterùm ob eam tyrannidem proceres cum Margarita Daniæ Regina conspirantes, eum regno ejecerunt.

VII. Cùm

VII. Cùm Mammæa etiam, mater Alexandri Imperatoris Romani, simularet, ideo se thesauros congerere: ut suppeditare Alexandro posset: quò is facilè abundanterq; suis largiretur militibus: & proprios tamen domi thesauros strueret: ea res notam infamiæ Imperatori attulit; quia etiam illo invito & indignabundo, mulier avida bona quorundam per fraudem, atq; hæreditates suppilabat. Fuit & ea avaritia & exactio nimia causa defectionis ab Imperio Africæ, & malorum odijq; popularis in eum Imperatorem.

VIII. Malè audivit Darius ob curam vel solam exigendorum tributorum: quæ per Satrapas certa distribuit: unde Persæ dicebant, Darium fuisse institorem: Cambysem, Dominum: Cyrum verò patrem. Quoniam Darius res omnes quæstui habebat: Cambyses asper erat & morosus: Cyrus mitis, & omni ratione de illis bene mereri studebat.

IX. Causa iræ DEI & subversionis domus Achab, Iezabelis & posterorum, fuit cupiditas habendi vineam Naboth: quæ induxit homicidium ejusdem. *Pag.* 1416. 1417.

## Octavum membrum.

*Qui rebellis DEO est: sibi subditos rebellare in se, ordinario jure sentit. Duo fundamenta totius bonæ societatis sunt, Religio & Iustitia. Ubi ceptum ab illis declinari: & pro modulo minuitur felicitas Reipublicæ. Pag. 1425.*

## EXEMPLA.

I. Vbi populus Iudaicus incipiebat deflectere à via præceptisq; & religione Domini: continuò Tyranni sibi manus injicere, & sibi dominari experiebatur.

II. Quando filij Heli & Samuelis reliquerunt DEI cultum, & mandata transgressi sunt: amiserunt principatum.

III. Perinde ac primus homo transgressus præceptum DEI perdidit Imperiũ in creaturas: saltem sensit eas sibi rebelles & contrarias.

IIII. Et cùm Salomon avertisset mentem à Domino: & non custodisset præcepta ejus: audivit à Propheta terribilem DEI sententiam: Quia habuisti hoc apud te: & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi: disrumpens scindam regnum tuum: & dabo illud servo tuo, 3. *Reg.* 11.

V. Cepit discessio fieri per Iudæos à regno antè occupato per genus Machabæorum ferè per centum annos, tempore Alexandri Iannis: qui post mortem Aristobuli, Alexandram Aristobuli viduam cum regno accepit: & fuit hæreticus Sadducæus, & inimicus Iudæis verè de fide sentientibus: ideo crudelis in illos: ex quibus

sex millia occidit: septingentos Pharisæos crucifixit: cæteros in fugam abire coëgit: quæ fuit causa, quare plebs, quæ sub eo erat, cepit tumultuari. Regnavit post eum Alexandra: quæ tamen voluit unà Pharisæos & Sadducæos convenire, & pacificè inter se vivere: quod tamen non potuit assequi. Quare regno perturbato, & filijs de Imperio disputantibus; regnum in Romanorum venit potestatem.

VI. Tradit Eghinartus Caroli Magni notarius, cùm in Oriente Imperatorum incuria hæreses reciperentur: paulatim collapsum Imperium Orientale, in Pipinum & Carolum ejus filium translatum fuisse. *Pag.* 1425. 1426.

## Postremum membrum.

*Plerunq; discordiæ & seditiones in tantum perveniunt furorem: ut cum illis tandem subvertatur omnis Reipublicæ status: & sunt*, ut ait Lucanus, *Publica belli Semina, quæ populos semper mersêre potentes. Etenim per discordias civiles, Reipublicæ compages paulatim dissolvuntur: & aperiunt hostibus viam facilem ad subijciendos jam debilitatos & confractos.* Illudq; fuit certissimum præsagium Crispi ad Cæsarem de Reipublicæ Romanæ excidio: Ego, inquit, sic existimo: quoniam omnia orta intereunt: qua tempestate urbi Romanæ fatum excidij adventarit: cives cum civibus manus conserturos: ita defessos & exangues Regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neq; cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queant hoc Imperium. Sicut navis compactis & conjunctis tabulis, infinita propemodum maris pericula, syrtes & cautes superat & vitat: at ubi tabulæ dissolutæ sunt, per rimas & fissuras seu commissuras, paulatim aqua ingrediens in profundum, & ipsam & vectores & nautas demergit: & sicut modicæ commissuræ, aquæ dant ad submersionem initium, & nisi jungantur, causam interitus: sic quoq; *leves ab initio causæ*,

*Reipub-*

*Reipublicæ, nisi citò subveniatur, aut mutationem aut subversionem adferunt. Solent autem procedere ex factionibus & seditionibus. Ita factiones fuerunt eruntq; pluribus populis magis exitio: quàm bella externa, quàm fames morbivé. Idem lib. 23. cap. 1. pag. 1430.*

Baldus solitus est dicere, partialitatem in civitate esse, tanquam vermem in caseo. Et Andreas Barbatia, portam patentem ad introducendos inimicos: quòd discordia omnia & tandem seipsam quoq; destruat. Sic Plato recensitis victorijs pluribus obtentis de barbaris ab Athenienſibus, Tantam, inquit, est nostra civitas victoriam consecuta: ut nunquam expugnari posse, nec ab omnibus hominibus crederetur. Et sanè id verum esse visum est: neq; enim aliorum viribus: sed nostris ipsorum dissidijs oppressi sumus: Nam, ut ait Livius, pars factionis, quæ domestico certamine inferior est: externo potiùs se applicat: quàm civi cedat. *Neq; solet esse*, ut dicebat Cicero, *discordiarum exitus inter claros aut potentes viros: nisi aut universus interitus: aut victoris dominatus & regimen*. *Pag. 1432.*

Vetus est proverbium: Concordia res parvas crescere, discordia maximas labi & corruere: quod & de Republica qualibet dictum esse, non ambigitur. *Ibid.*

*Omnis factio & conjuratio, sive fiat per subditos inter se, sive cum extraneis Principibus, ad destructionem pertinet principatus. Pag. 1433.*

## EXEMPLA.

I. Magnus fuit dissensus populi & Senatus Romani: & civilis inde exitiosa & crudelis seditio, divisa in diversas partes Cæsaris & Pompeij: quæ subvertit statum

rei

rei Romanæ. Hic secuta dominatio unius Iulij Cæsaris, suis ipsius viribus percunte Romana Republica.

II. Id docet quoq; liberarum civitatum in Græcia dissidium: quæ dum inter se discordarent: & aucupabantur imperare inter Græcos: dederunt, amisso statu proprio, occasionem occupandi utrasq; partes Philippo Regi Macedonum.

III. Valachorum duæ factiones, una Danorum, altera Draculanum, dederunt occasionem: per quam se subjecerunt alijs Principibus. Nam Draculæ cùm Danis impares essent: atq; ab illis multifariam opprimerentur: Turcas in auxilium vocavêre: quorum armis adjuti, Danos penè ad internecionem deleverunt. Danis verò Iohannes Hunniades, Hungarorum imperio fretus, opem ferens, non tam illos restituit: quàm sibiipsi claritatem & opes acquisivit: quippe qui Danorum agros, expotestate Turcarum ereptos, & sibi & posteris perpetua possessione possidendos occupavit.

IIII. Iason & Menelaus, Simonis filij, cùm de pontificatu Israëlis inter se Hierosolymis contenderent: & populus Iudæorum Iasonem, Nobiles Menelaum sequerentur: tandem Menelai factio, Antiocho Epiphani Regi Syriæ portas aperuit: qui urbem gravissimis affecit cladibus.

V. Genuenses, qui cuncta quondam maria pervagati, relictis clarissimis ubiq; victoriarum monumentis, cæteras gentes omni tempore navali gloria superaverant Sed cùm domi seditiosi atq; discordes esse cepissent, sævissimis factionũ fluctibus agitati: in Sfortianorum clientelam concesserunt.

VI. Narrant historiographi, quantum detrimenti Britannia seu Anglia acceperit, ex factionibus, quas vocant partialitates domorum seu familiarum, Lencastri, & de Iortz.

VII. Quantum item in Gallia nocuerit factio duarum domorum Aureliæ & Burgundiæ, quæ cepit inter Ludovicum Ducem Aureliacensem, fratrem Caroli VI. Regis Galliarum, & Iohannem Ducem Burgundiæ: tumultus, clades, cædes, quæ per sexaginta annos perseverarunt, docent abundè.

VIII. Anno Domini 990. Mediolani ingens seditio exarsit: quæ novam Reipublicæ mutationem induxit: quippe Bonicius Dux ab Imperatore Othone I. constitutus, Gothifredo Archiepiscopo mortuo, dignitatem illam ab Othone III. Landulpho filio suo impetravit: populoq; Landulphum repudiante: ad arma ventum est. Bonicius ipse in lectulo confossus clàm. Landulphum verò, cùm Ducis præfecturam mandari fratri suo natu proximo vellet, populus ira percitus, urbe exegit: ac Ducis magistratum abrogavit: Consules, qui regerent civitatem, more etiam in Italia instituto, creavit. Atq; hæc seditio civitatem Mediolanensem in duas partes distraxit, & nobilitatem & plebem: quo veneno semel infecta, nunquam postea planè invaluit. *Pag.* 1432. 1433.

# XXIIII.

*Præcipuæ pestes Rerumpublicarum sunt* πολυπραγμοσύνη, κακοζηλία, *& ambitio. Et hæc tria præcipuè*

*fugienda*

*fugienda sunt gubernatoribus. Et* κακοζηλία *plerunq; est infelix.*

*Omnium bellorum civilium causæ fuerunt ira seu cupiditas vindictæ, & ambitio.*

*In omni gubernatione maximos motus excitat cupiditas vindictæ:* ut in versu etiam dictum est:

*Nam cætera regna*
*Luxuries vicijs, odijsq; superbia vertit.*

*Philip. in Postilla pag. 232.*

Sapienter toleremus *privatas injurias: quarum depulsio nocet publicæ tranquillitati. Strig. 1. Reg. 9.*

*Vulgaris pestis est, & latè grassatur in omnibus gentibus, civitatibus & familijs, Iracundia & vindictæ cupiditas: quæ mala undecunq; oriantur: aliàs enim alij sunt fontes: sæpiùs excitant ingentia bella & pernicioſos tumultus in Ecclesijs, Regnis, Rebuspublicis, & privatorum familiis.*

*Nihil est pernicioſius & magis exitioſum Rebuspublicis: quàm cupiditas vindictæ. Multi tumultus exorti sunt ex cupiditate vindictæ & æmulatione. Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 4. pag. 578.*

*Cupiditas vindictæ sæpe maximarum discordiarum initium fuit: & hæreses sparsæ sunt & pertinaciter defensæ: ut contraria factio premeretur. Strig. 1. Sam. 24. & in oratione de David.*

*Iracundia & vindictæ cupiditas sæpe excitant ingentia bella, & pernicioſos tumultus: ut hiſtoriæ bellorum civilium oſtendunt.* Idem in Proverb. Salomon. pag. 145.

*Ambitio cauſa multorum malorum.*

*Ambitionem comitantur infinita mala.*

*Ambitio DEI honorem ſibi aſſcribit: & omnia jura atq; officia ſubvertit.*

*Omnium temporum hiſtoriæ plenæ ſunt exemplis: quòd ambitio turbavit Imperia, Reſpublicas & regna: & civilia bella excitavit.* Peucer. in lectione Chron. 14. Ian. An. 70.

*In corde humano duo ſunt turbulentiſſimi & ſæviſſimi affectus: Ira & Ambitio. Hi & facilè accenduntur in magnis viris: & accenſi latè turbant Imperia & vitam communem.* Tom. 4. Decl. fol. 260. Et Strig. in Proverb. Salom. pag. 132. Idem 1. Sam. 26.

*Rerumpublicarum peſtes quatuor.* 1. πολυπραγμοσύνη. 2. κακοζηλία. 3. *Ambitio.* 4. *Cupiditas vindictæ, ſeu Ira.*

## I. De πολυπραγμοσύνῃ.

Hiſtoria docet, tantùm neceſſaria facienda eſſe: nec movendas eſſe res non neceſſarias ſtulta πολυπραγμοσύνη: quæ quatuor habet cauſas. 1. Interdum æmulatio, quæ pugnat de antecellentia, incendit animos. 2. Interdum ingenij pertinacia attrahit bellum. De hac dicit Sophocles: ſi putas,

tas,cœcam pertinaciam esse rem præclaram, valde erras. 3. Sæpe ambitione,quæ est injusta gloriæ appetitio, moventur res non necessariæ ab inquietis ingenijs. 4. Interdum moventur animi κακοζηλίᾳ: quæ est prava & inepta imitatio. *Philip. in Chron. pag. 7. Et Strigel. in Dialect. lib. 2. pag. 653.*

Cùm igitur legimus,quales habuerit eventus πολυπραγμοσύνης: cogitemus de regula: *Necessaria facienda esse: & quidem cum petitione auxilij divini: non movenda esse non necessaria*—. Ideo inquit Paulus: Qua vocatione vocatus es: in ea ambula. Et Syracides inquit cap. 3. Quæ mandata sunt tibi,cogita sanctè. Qui amat periculum: peribit in eo. 1. Thessal. 4: Sitis quieti: & agite propria. Vbi præcipit Paulus de vitanda πολυπραγμοσύνῃ: quæ ruit extra vocationem. Tales multæ admonitiones traditæ sunt,etiam ab Ethnicis sapientibus. Spartam nactus es,hanc orna. Et Aristophanes Periclem exagitat in fabula: cui titulus est, Acharnensis: Εξῆ τις, οὐ χρῆν. Αλλὰ τί χρῆν εἶπατε: id est: Dicat aliquis: Non opus erat. Sed dicite: Quid opus erat? Item: πλείω πράγματ' ἔχων. *Tantum igitur necessaria*— *sunt facienda*—: quia tentare & suscipere non necessaria,est tentare Deum. Hæ regulæ semper debent sonare in nostris animis & auribus. *Idem ibidem.*

Artabanus apud Herodotum in Polymnia (*lib. 7.*) ex loco à necessario hanc sumit regulam salutaris consilij: Nemo propriæ sapientiæ aut potentiæ fiducia,res periculosas,& non necessarias suscipiat. Sint igitur bella non tantùm justa: sed etiam necessaria. Potest hæc regula accommodari ad omnes actiones vitæ humanæ. Cùm Xerxes incitatus à quodam consiliario suo, Mardonio, homine inquieto & turbulento, & πολυπραγμονίᾳ, & quidem fiducia opulentiæ ac potentiæ Persicæ, suscepturus esset bellum non necessarium & injustũ contra Græcos, Athenienses & alios: Artabanus, patruus

ejus, dissuasit hujus belli susceptionem: & inter alia argumenta hanc regulam commemorat: *Bellum non sit tantùm justum: sed etiam necessarium. Nam suscipere injusta, aut non necessaria, est valde periculosum: & rarò, aut nunquam consilia* πολυπραγμονικὰ, *quæ suscipiuntur, vel tentantur fiducia propriæ sapientiæ & potentiæ, sunt felicia & salutaria:* quod posset demõstrari longissima inductione historiarum, si opus esset. Vtinam hoc consilium dominaretur in multis aulis: ita Respublica esset tranquillior. *Strig. lib. 4. Dialect. pag. 1140.*

Deforme & turbulentũ vicium est πολυπραγμοσύνη: quod si dominatur in quocunq; ordine generis humani: dat magna damna: sed maxima in Ecclesia & Republica. *Peucer. in lect. Chron. 28. Iannarij, Anno 1570.*

Iohannes Funccius, qui de publicis studijs propter supputationes Chronologicas præclarissimè est meritus, Regiomonti capite truncandus, d. 28. Octob. ante necem pronunciasse dicitur hoc distichon:

*Discemeo exemplo mandato munere fungi:*
*Et fuge ceu pestem tũ πολυπραγμοσύνην.*

*Abr. Bucholc. in Indice Chronologico sub Anno Christi 1566.*

Sedulitas versatur inter duo extrema: quorum alterum est πολυπραγμοσύνη, id est, curiositas seu inquietudo undecunque orta: alterum est ἀπραγμοσύνη, id est, ignavia. Sunt variæ causæ πολυπραγμοσύνης: alius est natura inquietus: alius est ambitiosus: alius alia causa movetur: ut non maneat intra metas suæ vocationis: sed extra eas erumpat: & alia aggrediatur: ad quæ non est vocatus. Apud Locrenses fuit lex: ut pœna afficeretur civis: qui interrogasset in foro, Quid novi? Hæc lex non conveniret mercatoribus. Sed quæ fuit ratio

istius

istius legis? quia *omnis* πολυπράγμων *est injustus*: negligit suas res: & curat alienas. *Strigelius lib. 1. Ethic. pag. 176. Vtilem & dulcem de* πολυπραγμοσύνη *concionem vide in Philippi Postilla per Pezel. edita, part. 3. pag. 422. & seqq.*

## EXEMPLA.

I. Sicut Phaëton appetens gubernationem currus paterni, majora sibi, quàm pro viribus arrogavit: ita Absalon rudis & ignarus negociorum & periculorum, quæ regni administrationem comitantur, constitutionem melioris status subditis pollicetur. Sed ut Phaëton, currus auriga paterni, magnis excidit ausis: & totam rerum naturam flammis involuit: sic Absalon non constituit meliorem statum: sed patriam crudelissimo luctuosissimoq; bello implicavit: in quo tandem ipse quoq; miserabiliter interfectus pœnas ambitionis & πολυπραγμοσύνης persolvit. Fugienda est igitur usitata πολυπραγμοσύνη juvenilium ingeniorum. *Strigel. 2. Sam. 15.*

II. Pericles magnus orator, tonans & fulgurans, & relinquens aculeos in mentibus auditorum, ut scriptum est in veteri Comœdia de Pericle, movit sua pertinacia bellum Peloponnesiacum; quod duravit annos viginti octo; & quod fuit tale incendium: quo tota Græcia penè conflagravit: & fuit levissima & futilissima causa: de qua verissimè potest dici; Eheu quàm levibus pereunt ingentia causis; Noluit retractare Pericles injustum decretum de Megaris.

III. Alcibiades homo maximo ingenio præditus, fuit homo adeò inquietus: ut dictum sit in proverbio: Græcia nec duos Alcibiades, nec duos Lysandros ferre potest: quia unus sufficiebat ad evertendam Græciam. Hic aliàs partium Atticarum fuit: aliàs Laconicarum: nunc se contulit ad Pharnabasum Satrapam Persicũ; paulò pòst ad Tissapherneem. Deniq; omnes res gestæ Alcibiadis à principio usq; ad finem, nihil fuerunt, nisi futiles contentiones: quæ nec ipsi profuerunt: nec patriæ vel Reipublicæ: imò utrisq;, ipsi & patriæ, fuerunt exitiales. Fuit etiam suasor belli gerendi in Sicilia: cùm patria domestico bello arderet: & nulla magna causa esset tam procul mittendi robur civium.

IIII. De Bruto & Antonio notæ sunt historiæ. Brutus interfecit Cæsarem: quare accersivit sibi & patriæ magnam calamitatem. Quanta enim mutatio sit secuta: & quanta bella extiterint post interfectum Iulium Cæsarem: nemo vestrum ignorat.

V. Antonius cùm possedisset dimidiam partem Romani Imperij; non fuit ea contentus: sed intulit bellum Collegæ & confœderato Augusto Imperatori: & victus cùm non posset impetrare vitam ab Augusto irato victore: mortem sibi conscivit una cum Cleopatra. Talis est exitus actionum & contentionum non necessariarum: quæ tantùm ambitione quadam, aut æmulatione, aut inquietudine naturæ moventur. *Idem lib. 1. Ethicor. pag. 486. & 487.*

VI. Cato nec morte Pompeij, nec amissis tot exercitibus movetur: ut arma deponat. *Philip. in Chron. lib. 1. pag. 7.*

VII. Agathocles circumsessa urbe Syracusana, abducit exercitus in Africam; qui ibi trucidantur.

## II. De κακοζηλίᾳ.

Oratorię naturę plerunq; multa faciunt ſtulta æmulatione, κακοζηλίᾳ: *quæ plerunq; eſt infelix. Peucer. in lect. Chron. 20. Febr. An. 74.*

# EXEMPLA.

I. Demoſthenes volebat videri; imitari ſe illos ſummos viros, nempe Ariſtidem, Themiſtoclem, Cimonem, Periclem, & alios; volebat ſua conſilia haberi pro Themiſtocleis & Pericleis: volebat videri, tueri ſe libertatem Græciæ; & volebat vindicare Græciam ab imperio & principatu Macedonum; ſicut Themiſtocles liberavit Græciam à Perſis. **Das waren** ſolidæ perſuaſiones. Non conſiderabit diſſimilitudinem temporum, & circumſtantias alias; quæ erant conſiderandæ. Non videbat Macedonum potentiam augeri indies & confirmari; & ſtudia gentis Græcæ paulatim ad illam felicitatem ſociorum inclinari. Non conſideraviť Græciam planè eſſe debilitatam; civitates bello exhauſtas opibus; fractas viribus nihil valere; cùm tempore belli Perſici Græcia eſſet populoſiſſima, integerrima, opulentiſſima & potentiſſima. Illa non conſideravit. *Idem Peuc. eod. die & anno, ut ſuprà.*

Sed audiamus etiam de hac ipſa Demoſthenis κακοζηλίᾳ diſſerentem Strigelium; qui lib. 3. Dialect. pag. 814. ita ait; Heroici motus non ſunt imitandi. Cùm enim heroica exempla ſint ſupra regulam: mediocres homines continere ſe intra regulæ metas debent. Ideo Plutarchus venuſtiſſimè inquit (περὶ κακοζηλίας) ineptos imitatores ſimiles eſſe pueris; qui induunt majorum ſuorum grandes cothurnos, galeas, thoraces: quibus ſi fingerent, ſe ſimiles eſſe illorum: nemo non ridiculos eſſe judicaret. Ideo homines diligenter docendi ſunt de imitatione: ne peccent κακοζηλίᾳ: id eſt; prava & inepta imitatione. Eſt autem duplex virtus: alia heroica; alia communis ſeu mediocris: quæ vocatur diſciplina. Heroici viri ſunt; quos Deus ornat & inſtruit excellentibus donis, ſapientia, virtute & felicitate, ſupra communem hominum infirmitatem. Ac tales viri ſunt gemmæ in genere humano. Sicut enim gemmæ ſunt raræ, & tamen preciosæ; ita pauci ſunt heroici gubernatores in Eccleſia & Republica. Reliqui homines agnoſcant modum donorum ſuorum; vel potiùs ſint memores ſuæ imbecillitatis: & non tentent nec ſuſcipiant in ſua vocatione ea; quæ vident magna cum laude geſta eſſe ab heroicis perſonis. Ideo Polybij dictum laudatur; cujus ſententia congruit cum ſimilitudine Plutarchi. Multi, inquit Polybius, cùm non poſſint imitari ἔργα magnorum virorum, tantùm imitantur velut ſimiæ, πάρεργα: atq; ita producunt in theatrum ſuam magnam ſtultitiam. Exempla κακοζηλίας ſunt apud Ciceronem in Dialogo de Oratore. Craſſus, Orator excellens & heroicus, fuit vehemens in dicendo; & ſolitus eſt pedibus excitare ſtrepitum quendam. Multi cùm non poſſent eloquentiam Craſſi imitari: ſupploſionem pedum imitati ſunt. Ita ſcribitur de ineptis diſcipulis Ariſtotelis; quòd balbutiem linguæ, & gibboſitatem, ut ita dicam, κυρτότητα imitati ſunt. *Sed ſæpe homines peccant κακοζηλίᾳ, non ridiculè: ſed nimis atrociter: & cum magna clade Rei-*

*publicæ.* Vt, qualis & quantus vir fuit Themistocles? cujus consilio & sapientia, post divinum auxilium (quod semper excipio) servata est Græcia. Sic enim tota Græcia laudavit Themistoclem in conventu Olympiaco: qui fuit celeberrimus in Græcia. Hujus viri consilio & virtute Persæ victi sunt in pugna Salaminia; & servata patria. Quid potest homini tribui glorioſius? quid magnificentius? Hujus heroici viri exemplum non rectè imitatus est suo tempore Demosthenes Orator, alioqui sapiens: sed in hac re stultus; sicut etiam sapiente sapientior interdum peccat. Sic argumentatus est Demosthenes in oratione περὶ στεφάνου, & in alijs: Themistocles depulit à cervicibus Græciæ Persas: & acerrimè libertatem propugnavit; nec ulla in re cessit hostibus. Ergo mihi quoq; meo tempore, & meo loco, idem faciendum est. Nego consequentiam. Ratio est: quia magna est inæqualitas personarum Themistoclis & Demosthenis. Themistocles fuit vir heroicus, bellator divinitus excitatus ad servandam patriam, & ad Persas puniendos. Tu Demosthenes es mediocris persona: tu debes agnoscere modum tuorum donorum: tu nondum es Themistocles; etiamsi fingis te similem esse illi. Secunda ratio sumitur à temporis discrimine. Longè aliud fuit tempus Demosthenis: quàm tempus Themistoclis. Themistocles habuit integram Rempublicam: tu verò Demosthenes tantùm colligis fragmenta & tabulas fractæ navis: sicut venustissimè dixit Demades, orator ejusdem ætatis, collega Demosthenis. Themistocles, inquit, habuit integram navim: ego verò & mei collegæ habemus tantùm fractam navim: & colligimus rudera & tabulas fractæ navis. Hac enim oratione usus est Demades: cùm reprehenderetur, quòd quædam aliter faceret, quàm Themistocles. Voluit significare: se non debere reprehendi propter hanc rem: quia hoc tempus & hæc ætas alios mores postulet: ut ille inquit apud Comicum.

II. Prorsus talia faciebat in Republica Romana Cicero; qui infatuatus illis successibus oppressionis conjurationis Catilinariæ, postea similes sperans successus, lacessebat Antonium: existimabat se eadem facilitate oppressurum Antonium; qua oppresserat conjurationem Catilinariam; cùm esset infinita dissimilitudo status publici illo tempore, & ejus, cùm ipse Consulatum gereret. Ideo multa faciebat contra Antonium, exemplo Demosthenis scriptis Philippicis; in quibus planè scurriliter in eum invehitur. Talia sunt consilia Oratorum; quibus excitant horribilia dissidia; & attrahunt clades, sibi & patriæ pernicioſas. *Peucerus ut suprà.*

III. Hoc modo sæpè in Ecclesia peccatur. Vt Zedechias scitâ prioribus Regibus defensum esse templum; ac sperat suam defensionem fore felicem: quàm Ieremias contra superiorum Prophetarum exemplo dissuadebat.

IIII. Acceleraruntinteritum Græcis Italorum conatus & irruptiones: qui quòd stulta æmulatione veterum civitatum Græciæ, quæ ex devictis ac profligatis Persis acquisita Imperia in Asiam usq; propagarant: quòd ergo horum exemplo & Imperium Græciæ, & victorias contra Turcos Persicis similes ingentibus animis & tuſis somniarent ac quærerent: quanquam multùm dissimiles illis veteribus Græcis, sapientia, virtute, opibus: tandem rebus desperatis, fractam incursionibus ac direptionibus, nudatamq; præsidijs Græciam Turcis objecerunt. *In Chronico Philippi, lib. 5. pag. 573.*

V. Omnes plerunque fortiter clamamus: sed nihil agimus. Idem est quod Plutarchus dicit: Quando posteri mutatis vel languefactis jam Rebuspublicis allegant exempla majorum: perinde est, ac si pueri induant thoraces & arma parentum,

vel

vel aliorum grandium hominum. Sic Iudæi dicebant: Maccabæi pro templo dimicarunt. Ergo & nos faciemus. Est tantùm κακοζηλία: quia Maccabæi incipiebant bellum, incitante, & juvante, & gubernante DEO eorum dextras, ut textus dicit: Auxilio parvulo sublevabuntur. *Philip. in Postilla per Pezel. edita, part. 4. pag. 617.* In Iudæa tunc non fuerunt similes veterum, quales fuerunt David, Iosias. In exemplis **muß man sehen** quid conveniat. ***Sæpe homines ruunt & accersunt sibi magna calamitates decepti hac*** κακοζηλία. *Idem pag. 618.*

VI. Sæpè tentata res est in Germania. **Am ersten Franz von Sickingen: Darnach die Bauren:** postea **die zu Münster /: Das war eine offentliche Teuffeley. Marggraff Albrecht hat auch die Stifft eingenommen:** ostendit se tanquam liberatorem Ecclesiæ **Ist jhme aber nicht gerathen.** Ipse non erat, per quem DEVS liberaturus erat Israël, **wie in** Maccabæis **stehet.** *Rarò* κακοζηλίαι *sunt felices.* Nihil est audacius jam quorundam præcipitantia. **Von denen der Verß zumercken:** Νεὸς φιλοδόξως πρωϊμος πονηρία: præcox malitia, **ehe es reiff wird/thut es schaden.** Iuvenis ambitiosus nocet antequã matureſcit. Videtis quantum sit clamorum, quàm nihil modestiæ. *Idem pag. 800.*

VII. Antonius cogitat: Ego volo movere talem tumultum, ficut Iulius Cæsar. Ergo ego quoq; ero alter Iulius. *Idem part. 1. pag. 20.*

## III. De ambitione.

Fugienda est ambitio: *quæ maximam pestem perniciemq; ambitiosis affert:* ut Plutarchus in vita Syllæ inquit: δεῖ φυλάττεσθαι τὴν φιλοτιμίαν ὡς ὀλεθριωτάτην νόσῳ κακίστῳ δαίμονα τοῖς χρωμένοις. *Strig. 1. Sam. 23.*

Plato describit gubernatorem ambitiosum his verbis. Dicit plenum esse ostentatione & audacia inusitata, sine mente. Magnam enim sapientiam ostentat: & hac fiducia multa audet: cùm reipsa fatuus sit & ineptus ad consilia. *Idem 2. Sam. 15.*

De ambitione inquit Poëta: *Patriam tamen obruit olim*
*Gloria paucorum, laudis titulique cupido.*

Et citatur Ennij versus à Cicerone:

*Omnis cura viris uter esset Induperator.*

Ardent animi omnium cupiditate dominij. Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est. Animi hominum sunt ignei, inquit Seneca: ideo sursum tendunt. *Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 3. pag. 503.*

Ambi-

Ambitione multò plures civium Romanorum ceciderunt: quàm in propagatione imperij totius orbis terrarum. *Franciſc. Patrit. lib. 4. de regno, tit. 20. pag. 288.*

Veriſſimum eſt, quod Thucydides in deſcriptione ſeditionis Corcyreæ narrat: πάντων μὲν οὖν αἰτία καὶ ἀρχὴ διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλονεικίαν: Omnium malorum cauſa, cupiditas imperij & ambitio. Ex his affectibus naſcitur omnis calamitas, etiam hoc tempore, in hac ſeditione Eccleſiaſtica. *Peuc. in lect. Chron. 6. Sept. Anno 1572.*

Ambitioſæ naturæ, quæ aſſiduè æſtuant flammis ambitionum, non poſſunt quieſcere: nec patiuntur eadem quiete eſſe imperia aut politias: eò quòd ambitio perpetuò adverſatur juſticiæ: & turbat ordinem proportionis Geometricæ, non tribuens cuilibet ſuum locum. Ideo præclarè ait Plutarchus in Ageſilao: Ambitioſæ naturę in politijs nõ obſervant hoc quod nimium eſt: id eſt: quia turbant ordinem proportionis Geometricæ: quòd non tribuunt ſuum cuiq; locum: ſed ad ſumma ipſi contendunt: & ſumma occupare conantur, reliquis oppreſſis: *plus mali in ſe habent, quàm boni:* quia non ſunt æquales: vel non ſervant æqualitatem. Plutarchus idem in Catone: Eſſe ſine ambitione non exiguum eſt ad humanitatem, manſuetudinem politicam, viaticum. Naturæ non ambitioſæ ſunt humanæ & manſuetę: non facilè offendunt alios: quia ſunt æquales. Contrà inquit, φιλοτιμία eſt viaticum difficile admodum, & fœcundum invidię: id eſt: fœcundum odiorum, certaminum, diſſidiorum: conciliat odia: parit diſſidia, bella civilia: evertit ordinem in Rebuspublicis. *Idem 14. Ianuar. Anno 1570.*

*Ambitioſa ingenia nunquam feliciter gerunt res magnas, ſi conjunguntur.* Et reprehendit Plutarchus Ageſilaum: quòd hoc modo Lyſandrum evertit, & li-

cit: Naturæ ambitiosæ ad imperium non congruunt: quia altera alterius gloriam in gubernatione impedit. Vnd saget rationẽ darzu: τῶς γὰρ φιλονεικίας εἶναι τῆς ἀρετῆς οἷς ἔξεστι χρῆσθαι σωφρόνως. *Idem 29. Novemb. 1572.*

Ambitio est viciosa & inordinata appetitio gloriæ: quia ambitiosus impedit & corrumpit, quantum potest, aliorum judicia: & non quærit gloriam recta via. Est autem rectissima via ad gloriam, ut ait Cicero in Officijs, si talis sis: qualis videri cupis. De Amphiarao scribit Aeschylus, & hic versus sæpe citatur à Plutarcho in vita Aristidis, & alibi:

*Non volebat videri, sed esse bonus.*

Hic versus monstrat rectissimam & compendiariam viam: quæ ducit ad veram gloriam. Videri velle, est magna fatuitas: sed esse, est aliquid. *Strig. lib. 1. Ethic. pag. 176.*

Ambitionem quoq; ut *quæ multorum ac magnorum malorum altrix & parens sit*, ab aula tua ejectam exterminabis. De qua idem sentio, quod Thomas Pontanus gentilis meus, vir & doctrina, & multarum rerum usu clarus: quem dicere solitum accepi: *Urbium regnorumque pestem esse ambitionem*. *Ioh. Iovian. Pontanus lib. de Principe, pag. 87. b.*

*Universale est ambitiosos serere discordias, alios in alio genere: quia non manent intra metas sui loci: & appetunt majora suo loco: & alios premere conantur. Motis autem discordijs: aut sophistica, aut manifesta violentia, vel utroq; modo pugnatur.* Ideo Salomon hic tribuit ambitioso linguam perversam, id est, *sophisticam & crudelitatem*. Exempla in tota vita ubiq; obvia sunt. Nam & *Principes & privati turbant*

*turbant bene constitutum statum, ambitionibus.*
*Philip. Proverb. 6. pag. 56. 57. edit. tertia.*

*Ambitio res est deterrima ac periculosa: inprimis quidem civitatẽ partibus inficit: & indignis plerisq; honores ac magistratus potiùs, quàm dignis tradit.*
*Francisc. Patrit. lib. 6. de Repub. tit. 5. pag. 288.*

## EXEMPLA.

I. Pompeij symbolum fuit: Semper ego cupio præcellere, & esse supremus. Cæsar verò dixit: se malle in obscuro oppido primum esse: quàm Romæ secundum. Verba Dionis de his duobus hæc sunt: Multæ commemorantur occasiones belli civilis inter Pompeium & Cæsarem. Sed verissima causa fuit principatus cupiditas & amor dominandi. Nam Pompejus etsi initiò ornavit & provexit Cæsarem: tamen postea cepit invidere ipsius felicitati & splendori: & primùm quidem clàm conatus est eum premere: tandem verò apertum bellum eidem intulit. Cæsar verò cùm non posset ferre dejectionem de gradu: sed cuperet alijs superior esse: relicta Gallia Romam properavit: ut Pompeium imparatum opprimeret. *Stregel. 1. Sam. 23.*

II. Contentiones Milonis & Clodij partim ab ira, partim ab ambitione ortæ sunt. Nam cùm Milo esset amicus Ciceronis: acerrimè oderat Clodium tanquam hostem Ciceronis. Deinde eodem anno honores uteriq; in Republica petebat.

III. Saul quamdiu vixit, Davidem generum suum persecutus est: & ita quidem, ut vel dux esset ipse copiarum: quæ ad eum perdendum militabant: eò inductus spiritu ambitionis, ac dolore inde solùm manante: quòd post Goliathi & Philistinorum cædem, Israëliticæ puellæ hanc victoriam celebrantes, primum illi præmium & laudem virtutis tribuissent: quodq; DEVS, ut ejus hypocrysin & inobedientiam ulciscceretur, illum regni successorem ipsi substituisset.

IIII. Absalom eadem ambitione, tanquam rabie & furore abreptus, populum universum contra patrem seditiosè concitat: in ejus necem conjurat: domo ac thalamis paternis publicè absq; ullo pudore conspurcatis & perpetua infamiæ commaculatis: eum fugientem diligentiùs quàm infensissimum hostem persecutus, & acie instructa aggressus: nec conquievit, quoad omnia indicia & argumenta hominis tum pietatis, tum legis & humanitatis omnis expertis, palàm ederet.

V. Salomon, cùm accepisset divinæ esse voluntatis & decreti: ut Ieroboamus secundum ipsum in decem Israëlis tribus regnum obtineret: nihil ab eo tempore prætermisit: quò hunc è vivis tolleret: & ne DEI consilium & voluntas impleretur, pro virili obstaret.

VI. Rabsaces & Nebucadnézar insolentiùs etiam sese gesserunt. Nam uteriq;, victorijs & rebus præclarè gestis elatus, ausus est (ut loquitur Propheta) verba in cœlum jactare, & ore blasphemo DEI potentiæ obloqui. quòd dicerent, eum non posse suos ab ipsorum manibus liberare.

VII. Quæ causa fuit atrocium bellorum, ab initio conditi orbis perpetua serie continuatorum? cur Alexander igni & ferro Asiam omnem persecutus est? cur Cyrus antea Ioniam populatus est? cu. Lacedæmonij cum Atheniensibus aut Thebanis, Athenienses verò cum Megarensibus & Corinthijs perpetuis inimicitias & bella gesserunt? cur Carthaginenses in Romanos, Romani verò in omnes nationes, & his subjugatis, in seipsos & patriam manus intulerunt, in suos cives proscriptionibus ita sævientes, ut vel sola narratio tantæ crudelitatis literarum monumentis proditæ, lectores horrore afficiat? Nam liberi cædem parentum mercabantur: uxores virorum: fratres carnificibus suos germanos, servi dominos jugulandos tradebant. Denique nulla fides erat: nulla humanitas: quæ non ab hac ambitione & regnandi cupiditate violaretur. *Iohan. Spinæus de Tranquillitate animi, lib. 2. pag. 55. 56. 57.*

VIII. Certabant inter se ambitione & odio Aristides & Themistocles, omnium Athenienſium civium tunc præclarissimi: & semper in contrarias sententias nitebātur. Proinde cùm aliquando Senatus dimitteretur, rebus omnibus infectis, propter eorum altercationem: exclamavit Themistocles: nisi me & illum in barathrum dejeceritis: Respublica Athenienſium nunquam salva esse poterit. *Francis. Patrit. lib. 4. de regno, tit. 26. pag. 291.*

## IIII. De Ira, seu Cupiditate Vindictæ.

Cupiditas vindictæ est acerrimus motus & stimulus in magnanimis viris. Sicut Ferdinandus dixit de nostro Imperatore: **Mein Bruder ist nicht leichtlich auff den Esel zubringen/ Aber wenn er einmal darauff kömpt so ist er nicht leichtlich davon zubringen**: id est, est lentus, non facilè irascitur: sed iratus vehementer irascitur. *Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 4. pag. 566.*

Cupidi vindictæ non facilè reprimunt se, præsertim naturæ vehementiores. *Idem pag. 603.*

Iracundia in imperij fastigio fulmen esse dicitur. *Strigel. Prov. Sal. pag. 78.*

Pallas apud Sophoclem ostendit Vlyssi Ajacem inimicum furentem: & interrogat ipsum: an voluptatem ex inimici sui calamitate capiat. Huic Vlysses respondet: sibi triste id spectaculum videri. Laudat hunc sermonem Minerva: Et tu si hoc, inquit, animo fueris: superis charus eris: & vitam feliciter exiges tuam. Nam Deus insolentes & vindictæ cupidos odit: mites verò & moderatè agentes diligit. *Idem. pag. 119.*

Ennius de Fabio: Non ponebat enim rumores ante salutem: id est: non voluit propter privatum dolorem turbare Rempublicam. Cupiditas vindictæ plus fecit mali, quàm amor. Sæpe mecum cogitavi, an plus mali ex amore, an verò ex cupiditate vindictæ ortum sit: sed animadverti, majora mala ex vindictæ cupiditate & ira esse orta. *Philip. Mel.*

Multi vindictæ cupiditate eò progrediuntur: ut cùm alios lædere velint, seipsos lædant: sicut & Ovidius ait: Non lædit, nimiùm lædere quisquis avet. *Peucer. in lect. Chron. 20. Septemb. An. 72.*

Nihil societati hominum & humanitati ipsi magis contrarium: quàm iracundia. Est enim origo & radix majoris partis tumultuum, bellorum, seditionum, sectarum, litium, cædium, excidiorum & vastationum: ex quibus perpetuò mundus laborat. Quot quanta q; bella (ab initio orbis conditi) fuere suscepta à Regibus pro placenta, ut ait Democritus noster Gallicus? Quot lites hoc in regno pro teruncio vectigali, domino, quo die oportuit, non penso? Quot amicitiæ, quæ sanctæ ac immortales habebantur, ab his picrocholis dissolutæ & violatæ? Quot vice versâ inimicitiæ ab iracundia natæ? *Ioh. Spinæus de Tranquill. an. lib. 3. pag. 113.*

Demiror, quosdam, Viros alioqui magni judicij habitos, reperiri: qui perturbationes laudare ausint: & vindictæ cupiditatem defendere, ut nobile quid, & cum virtute conjunctum. Nam hoc perinde habet: ac si quis morbos corporis, aut urticas & noxias plantas agrorum laudet. Quibus tantò perniciosiores sunt pravæ animi affectiones: quantò remedia difficiliora. Si quis domum suam ipse incenderet: stultus aut rabidus judicaretur. Quid igitur existimandum de eo, qui animum suum, velut igne injecto, inflammat? D. Augustinus ajebat, quemadmodum aceto vas, in quo asservatur, acescit & corrumpitur: ita iracundum ab ira depravari. *Idem pag. 115.*

# EXEMPLA.

I. Theodosius cùm ex suis ministris quendam Thessalonicæ occisum fuisse accepisset; statim milites eò misit; qui urbem igni & ferro vastarent; & præ ira jussit; ut nullo discrimine, fontes & insontes, indicta causa, necarent. *Theodoret. lib. 5. Ecclesiast. hist. cap. 17. Sozomen. lib. 7. cap. 24.*

II. Simeon & Levi, vehemente ira perciti propter Dinæ sororis suæ raptum, statuerunt, quicquid futurum esset, Sichemitas omnes interficere, nulla nec periculi sui & parentis ac fratrum suorum, nec innocentiæ eorum, qui ex Sichemitis insontes erant, habita ratione. *Genes. 34.*

III. David cùm audisset se à Nabale repulsum; è vestigio, ira accensus, sese ad illum, & quicquid ejus erat, perdendum accinxit, præter suam naturam. Fuit enim ille, si quis unquam, Princeps clementissimus, & in ferendis inimicorum injurijs moderatissimus. Verùm nullam non vincit & domat virtutem hæc perturbatio; ubi in animo pedem posuit. *1. Sam. 25. Spinæus lib. 3. pag. 180.*

IIII. Quis superbas ædes eversas, urbes florentes solo æquatas, regiones fertilissimas & opulentissimas ab hac execranda perturbatione vastatas enumeret? Abimelech per vindictam oppidum Sichemiticum demolitus est; & agrum sale conspersit, ut sterilem in perpetuum redderet. *Jud. 9.*

V. Gedeon eodem ferè pacto incolas Sucothi & Phanuelis accepit; quòd, dum hostes fugientes persequeretur, panes suo exercitui petens, ab illis non modò repulsam, sed & convicia tulisset. *Judic. 8.*

VI. Friderico Barbarossa Imperatore, urbs Mediolanensis eversa, & in cineres fuit redacta; quòd cives quidam, odio & contemptu Majestatis Imperialis, dominam Imperatricem impositam mulæ vetulæ, & caudam adversa facie loco habenæ tenentem, per urbem cum maximo spectatorum risu & convicijs circumduxissent.

VII. Carolo ultimo Duce Burgundiæ, habitatores Dinantij, oppidi ad Mosam siti, Leodiensis Episcopi ditionis, ut suum in Ducem odium exprimerent; statuam illi quàm simillimam, illiusq; insignibus instructam, & ad ptoximum Ducis oppidũ, Bovinium, vectam, fossæ, graveolentis aquæ & bestiarum venenatarum plenæ, in sella super imposuerunt, ad Bovinios clamantes: Hic sedet magnus bufo, Dux vester. Bovinij verò dolore & commiseratione simul inducti, quòd prospicerent, quantum in periculum illi se conjecissent; nisi Ducem sibi reconciliarent: tabellarium ad illos miserunt cum literis hortatorijs, amicissimè scriptis. Verùm illi ira & furore abrepti, pro munere, quod tabellarijs dari solet, ut inimicum morte mulctarunt, violato hospitalitatis & gentium jure: quo vel apud ferociissimos & inhumanissimos populos legatis & tabellarijs publicis cavetur. Imò, Bovinijs persistentibus illos hortari, quòd timerent ne ad se, ob viciniam, belli calamitas pertingeret, mulum ab ijs cum literis, ejusdem cum primis argumenti & lenitatis, puerulum dilacerarunt instar luporũ aut leonum rabidorum. Vnde intelligere est: hujus perturbationis eam naturam esse: ut homines omni humanitate spoliatos quasi per gradus ad majorem subinde crudelitatem deducat; quoad in summo gradu positos, & cumulata iniquitatis mensura, DEVS in exitium præcipites agat; & sanguinem ab illis effusum ulciscatur: ut his miseris Dinantianis accidit; quos omnes in flumen binos immergi, urbe solo adæquata, Dux jussit: ut tertio pòst die diceretur: Hic fuit Dinantium.

VIII. Non multò melius Regienses cives, Attrebates, à Rege Ludovico habiti sunt: qui obsessi, Gallica insignia ad furcam suspensa supra muros ei exerunt, contumeliæ causa. Rex autem capta urbe, insolentiæ illius autores capitis supplicio affecit: urbem mœnibus discinxit; multitudinem captivam huc illuc dispersit.

IX. Quid nostra ætate Burdegalensibus factum est, regio præfecto seditiosa proditione interfecto? Præsidio, quo antea caruerant, gravati fuerunt: privilegia adempta: reditus publicus fisco commissus: immunitates abolitæ: fides eorum perpetuò Regibus suspecta. Quamvis clementiùs quàm pro merito tractati sint. Multæ enim maximæ & florentissimæ urbes leviori de causa graviùs mulctatæ fuerunt: ut

X. Alexandria, in qua omnis juventus jussu Imperatoris Caracallæ à milite interfecta fuit: quòd gestum illius contumeliosè traduxissent.

XI. Quoties Gandavum eversa fuit, ob temeritatem quorundam audacium & iracundorum: qui plebem res futuras nullo modo prospicientem, præsentes parùm cernentem concitabant, obtendentes boni publici & privilegiorum ac immunitatum defensionis studium, & sese Principum immoderatis cupiditatibus opponere jactantes: quamvis hæc falsò prætexerunt: cùm potiùs tyrannidem longè graviorem & intolerabiliorem invehere conarentur? Iacobus & Philippus Artevellius nescio qui, ambo artifices, plures ducentis millibus in perniciem illo pacto secum attraxerunt: *ut Froissardus scriptum reliquit. Idem Spinæus, pag.* 131. 132. 133.

# XXV.

*AMbitiosæ naturæ cùm sint regnandi cupidæ: quod clementia nequeunt, crudelitate obtinere conantur.*

*Sunt ambitiosi quidam: qui cuperent quidem sine sanguine potiri dignitate aut imperio desiderato: verùm cùm plura obstent: & post ceptam rem, resiliendi honestè non detur facultas: detectis clandestinis factionibus, quas per dolos perfici putaverunt: necessarium habent, vel occumbere: vel auxilio crudelitatis & impietatis cepta persequi. Et proinde ambitio regnandi, quantumvis dolosè se insinuet,*

*aut*

*aut ab initio tyrannicam auſpicatur crudeliter adminiſtrationem : aut per crudelia, ſimulata amici priùs perſona, poſſeſſionem poſtea tuetur : aut nondum aſſecutam perſequitur, cum pernicie ſemper Reipublicæ: cujus deſiderat principatum*. *Petr. Gregor. Toloſ. lib. 7. de Repub. cap. 18. pag. 502.*

## EXEMPLA.

I. Clearchus Heracleota cùm tyrannidem decreviſſet uſurpare Heracleotarum: nec tamen tutum haberet locum, quo ſe defenderet: conſtituit, ut mercenarij clàm exirent, raperent, injuriam inferrent, vulnerarent: quod cives ægrè ferentes, Clearchi auxilium imploraverunt. Qui reſpondit, cohiberi non poſſe: niſi ij mœnibus circundati eſſent. Permittentibus autem Heracleotis: locum civitatis munivit, arce facta: qua poſtea, non ad injuriam compeſcendam, ſed ad inferendam, uſus eſt. Et rurſum, ut caperet potentiores, quos ſibi obſtituros putabat; rumores ſparſit, ſe dimiſſurum ſatellites, quibus ſtipabatur: & conſilio trecentorum Rempublicam traditurum. Qui convenerunt in curiam ad afficiendum laudibus Clearchum, & libertatem recipiendam. At ille, poſitis ad curiam militibus: trecentos per præconem evocavit; & ſingulatim comprehenſos, juſſit in arcem deducere. Dehinc multos cives è medio tollere volens, cùm occaſionem & cauſam non haberet. delegit eos, qui eſſent maximè ad militiam idonei, ad expeditionem in caniculæ æſtu, quaſi urbem Aſtacum oppugnaturus. Poſtquam autem appropinquavit Aſtaco: cives quidem in paluſtri loco, quieto & pleno ſtantium aquarum, juſſit caſtra ponere: ipſe quaſi ſummam moleſtiam oppugnationis toleraturus, excelſa loca & umbroſa, aquis affluentia, cepit, & in his caſtra metatus eſt: & eò uſq; oppugnationem extendit: donec ſuos cives perdidiſſet ibi ob paluſtria & morboſa caſtra: quibus extinctis, caſtra cum mercenarijs movit, cauſatus peſtem fuiſſe cauſam interitus civium. Potuit autem hoc modo ille Tyrannus civibus jugum imponere fraude occulta: ſed non evaſit judicium Dei. Namq; tandem à Chione familiari & auditore Platonis interemptus eſt.

II. Agathocles ex figulina opera ad Tyrannidem Syracuſanorum pervenit, primùm ſub ſpecie conſervandæ libertatis: & Soſiſtrato unà cum ſuis urbe exacto, revocatus ab exilio, cepit criminari de inſidijs ſibi factis ſexcentos: qui poſt paucorum dominationem urbi præfuerant: eò quòd partes populi tuerentur. Sicq; movit ſeditionem contra ſexcentos: eaq; ratione direptæ eorum & opulentorum facultates. Et id cùm obtinuiſſet; tanquam liberata Republica, finxit, ſe velle etiam ſe magiſtratu abdicare. Quod cùm perſuaderet populus ne faceret: finxit, non alio modo ſe in eo remanſurum: quàm ſi ſolus eſſet; & ſine Collega imperaret. Quo impetrato: ſtatim cepit crudeliter ſævire: bonos tollere & ſibi adverſantes: & ad omnia crudelitatis exempla pro ſuæ poteſtatis conſervatione confugere. Verùm divina vindicta non

diu passa est hanc feram immanem: sed necatis ejus filijs Archagatho & Heraclide a militibus, ipse carbonibus exustus candentibus, extinctus est.

III. Post mortem Saladini Sultani AEgypti, qui Christianorum terror dicebatur, totq; regna invaserat vivens, & domuerat Orientem: occupavit frater ejus Saphadinus regnum. Qui ut tutiùs regnaret: necavit octo filios, nepotes, filios Saladini: omnes Tyranni orbis ferè filios tollens: ut nullum successorem de suis habuerit in imperio Saladinus: qui multis sceptrum ademerat.

IIII. Nicocles Eunuchus, Evagoram Regem Cypri dolo malo occidit: & Salaminiorum regnum sibi subegit. *Idem pag. 502. 503. 504.*

# XXVI.

*OMnium calamitatum in Imperijs & Rebuspublicis causæ sunt* 1. *Idolatria*—. 2. *Tyrannis.* 3. *& Libidinum confusiones. Strigel. part. 2. Locor. Theol. pag. 209. & in Proverb. Salom. pag. 151. & 2. Paral. 36. Et in Chron. part. 1. pag. 337.*

Tres causæ mundum perdunt: Idola: Tyrannis:
Atq; invisa simul fœda Libido DEO.

## *Quid vocas Idolatriam, Tyrannidem & Libidines?*

I. *Idolatria*— complectitur tria.

1. Superstitionem: quæ sua sibi fingit & fabricat numina: & instituit peculiares cultus contra mandatum Dei.

2. Hypocrisin, quæ velo quodam religionis simulato corrumpit fontes doctrinæ cœlestis.

3. Epicuræum contemptum omnium religionum, tanquam fabularum anilium.

II. *Tyrannis* duo complectitur.

1. Injustam violentiam, fraudes, rapacitatem, injurias superiorum.

2. Negligentiam magistratuum in tuenda & conservanda disciplina & honestis legibus, necessarijs ad conservationem humanæ societatis.

III. *Libidinum confusiones* denotant omnes commixtiones prohibitas lege Dei.

## *Quare hæc tria peccata evertunt Regna & Respublicas?*

**Propter duas causas.**

1. Quia Deus severissimè irascitur his peccatis. De idolatria dicitur: Maledictus qui sculpserit sibi idolum. De Tyrannide: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Væ qui spolias: quia spoliaberis. De Libidinibus: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, delebitur de populo suo.

2. Quia hæc peccata polluunt & contaminant omnes ordines vitæ humanæ: unde necessariò sequitur mutatio. *Idolatria* pollnit Ecclesiam. *Tyrannides* vastant politias, Regna & Respublicas. *Libidines* contaminant Oeconomias.

Chytræus in Exodo fol. 110. facit quatuor præcipuas & proximas causas προκαταρκτικὰς eversionis omnium regnorũ: 1. Idolatriam. 2. Tyrannidem erga Ecclesiam & cæteros subditos. 3. Libidines. & 4. Seditiones seu intestina bella.

*Regimina sunt instituta, ut mali puniantur, & boni defendantur: & quàm diu hæc officia fiunt: tam diu manent Imperia—. Sed quando magistratus fiunt Tyranni: & sævitiam exercent in innocentes: tunc evertuntur & pereunt totæ familiæ. Tyran-*

*ni non*

*ni non sunt diuturni. Deus punit Tyrannidem. Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 4. pag. 351.*

# EXEMPLA
## punitæ Idolatriæ, Tyrannidis & Libidinum confusionis.

I. Totum genus humanum deletum est aquis diluvij propter hæc tria peccata. De Idolatria dicit textus: Et corrupta erat terra coram DEO. De Tyrannide: Erant gigantes super terram: id est: Tyranni turbantes pacem publicam. De Libidinibus: Ingressi sunt filij DEI ad filias hominum: & genuerunt ex eis. *Genes. 6.*

II. Cananæi deleti sunt à populo Israël: quòd vagarentur in istis gentibus tria illa peccata. *Deut. 7. & 26.*

III. Manasses Rex Iudæ punitus est divinitus, & abductus in captivitatem à Rege Assyriorum Benmerodach, propter Idolatriam & Tyrannidem. 2. *Reg.* 21.

IIII. Monarchia Chaldæorum ad Persas est translata propter blasphemias in DEVM & tyrannidem impij Regis Balthasar: qui Herodoto Labynythus dicitur. Is enim in venatione filium Gobryæ interfecerat.

# EXEMPLA
## punitæ Idolatriæ eversionibus & mutationibus Imperiorum.

Etsi omnia peccata Deus odit & punit: tamen nullum majori indignatione detestatur, quàm Idolatriam: quæ est crimen læsæ majestatis divinæ. Vt enim concors maritus etsi multas infirmitates uxori condonat: tamen adulterium ferre nullo modo potest: ita Deus de omnibus peccatis faciliùs dispensat quàm de cultu idolorum. Fugiamus igitur omnem Idolatriam, sive crassam, sive subtilem si volumus vitare pœnas: quas Deus cultoribus idolorum denunciat. *Sirigel. 2. Paral. 7.*

I. Regnum Israël post mortem Salomonis divulsum est in duo distincta regna, regnum Iudæ, & regnum Samariæ, quod cessit Ieroboam Regi, & complexum est decem reliquas tribus. Hæc divulsio, ut narrat historia, facta est propter Idolatriam Salomonis. 3. *Reg.* 12.

II. Regnum Samariæ excisum est à Salmanassare Rege Assyriorum propter cultum idolatricum aurei vituli: & abductæ sunt decem tribus in captivitatem: quæ nunquam in patriam sunt reversæ. Hujus calamitatis causa fuit Idolatria Regum & populi. 2. *Reg.* 17.

III. Regnum Iudæ deletum est à Nebuchadnezare Assyrio propter eandem Idolatriam: & abducti est in Babylonem tribus, templo & urbe Hierosolyma flammis deleta 2. *Reg.* 25.

IIII. Propter blasphemias Regis Sennacherib, quas evomuerat in DEVM in illa expeditione contra Iudæos, transfertur Monarchia ab ejus posteritate ad Chaldæos.

V. Totus Oriens pœnas dedit, vastatus armis Turcicis, propter blasphemias Arrianorum contra Filium DEI.

# EXEMPLA

## punitorum Regnorum propter Tyrannidem.

I. Regnum Aegypti eversum est propter crudelitatem, sævitiam & tyrannidem Pharaonis; quas exercebat in Israëlitas.

II. Astyages Rex Medorum punitus est à nepote Cyro Persa, propter Tyrannidem, quam exercebat. *Herodot. lib. v.*

III. Monarchia Chaldæorum translata est ad Persas à Cyro: cùm Rex Balsaar in venatione interfecisset filium Gobryæ. *Xenoph. lib. 7. παιδ. Cyri.* Daniel narrat, punitas esse divinitus blasphemias Regis contra DEVM. *Daniel. 5.* Itaque translatio facta est propter blasphemias & Tyrannidem.

IIII. Aegyptus defecit ab Imperio Romano ad Saracenos: cùm Græci superbè & avarè imperarent. Isti servitutis pertæsi, evocatum contra Græcos Caliphum Saracenorum Ducem, Regem sibi delegerunt, Græcis extirpatis & rejectis: anno post natum Christum. 703.

V. Mutationi in Helvetia factæ, vindicanti se in libertatem, causas præbuerunt inclementiora & injustiora imperia illorum: qui pro Imperatoribus illa loca administrarunt: & ὕβρις nobilitatis. ἡ μὲν καὶ Μαγνήτας ἀπώλεσε, καὶ κολοφῶνα. Exitus vero is fuit: qui olim in veteri Græcia: cùm civitates, Regulis, qui superbè & tyrannicè imperarent, vel ejectis, vel oppressis, vel in ordinem redactis, passim in Attica, Achaia & Peloponneso, sese in libertatem vendicarunt. Regia enim potestate vel abrogata prorsus, vt Athenis, Thebis, & alibi, vel ad eum modum accisa ac circumscripta, ut solo nomine agnosceretur, ut Spartæ, summam potestatem vel in populum, vel in optimates, vel in utrosq; transtulerunt. Commemorantur duo insignia exempla ὕβρεως (ut rursum ad Helvetica revertamur) unum de Præfecto Suitensi: alterum de Vntervvaldensi. Suitensis collocato ad scopum honesti eo in loco civis filio, & supra caput pueri impositio pomo, coegit patrem ad pomum ceu metam jaculari: ut si pomum non collimasset: transfigeret filium. Sed & patrem, cùm insigni ausu rem tantam feliciter peregisset illæso filio, insuper vinctum secum abduxit: in quo itinere excussis compedibus, Tyrannum trucidavit. Vntervvaldensis adulterio per vim & contumeliam oblato conjugi cuidam ejus oppidi civis, causam conjurationi præbuit. Ita ἄφορμὴ mutationis proxima provenit à pœna Tyrannidis & Libidinum. *In Chron. Philip. pag. 605. 606.*

VI. Pisistratus collega Solonis habuit duos filios, Hipparchum & Hippiam. Hipparchus interfectus est ab Harmodio & Aristogitone: *ut scribit Thucyd. in lib. 6.* Hippias verò pulsus est Athenis propter tyrannidem. *Plinius lib. 34. cap. 4.* Athenienses primi omnium Harmodio & Aristogitoni Tyrannicidis publicè posuerunt statuas. *Strig. part. 2. Loc. Theol. pag. 210.*

EXEM-

# EXEMPLA

## punitarum Libidinum excidijs Vrbium & Regnorum.

*Sæpe publicarum calamitatum proximæ cauſæ ſunt, & quaſi* προκαταρκτικαὶ, *Libidines.* *Strig. in orat. de Abrahamo. Et Pezel. in Geneſ. cap. 34. pag. 644.*

*Cauſæ maximarum calamitatum & perturbationum in genere humano, plerunq; ſunt confuſiones libidinum. Deniq; plenæ ſunt hiſtoriæ magnarum mutationũ: quibus occaſionem præbuerunt libidines.* Nihil enim tam eſt inviſum Deo: quàm mens inceſta, & animus impurus: ut veriſſimè dixit Lactantius. *Idem Strigel. in Chron. part. 1. pag. 383.*

*Semper, quando venturæ ſunt pœnæ, præcedunt illa: enormis Tyrannis, & Libidines. Iſta ſunt certa ſigna venturarum mutationum.* *Philip. in Cordiali Bucholc.*

*Omnes Reges, qui ſe polluunt inceſtis Libidinibus, hærent in pœnis.* *Idem ibidem.*

*Sæpe propter Libidinum confuſiones totæ gentes deletæ ſunt.* *Idem in Chron. p. 3. Strig. lib. 1. Eth. p. 518.*

*Non tantùm Regna tota ſunt deleta, ſed ſæpe totæ gentes ſunt exciſæ & diſſipatæ bellis & cædibus, propter Libidines.* *Peuc. in lect. Chron. 12. Iunij, An. 74.*

*Multæ magnæ clades, bella & vaſtationes or-*

*tæ sunt ex Libidinibus. Philippus in Postilla pag. 41.* Et paulò pòst: Aristoteles plurima exẽpla collegit in Politicis: quibus admónet: *mutatas esse Respublicas propter Libidines.*

In conspectu sunt exempla quotidiana: *vagantur pœnæ per Regum, Principum & privatorum familias, propter adulteria & incestas contaminationes:* quia manẽt regulę immotę: Omnis anima, quę fecerit has abominationes, eradicabitur. Item: Scortatores & adulteros judicabit Deus. 1. Cor. 6. Ne erretis, nec scortatores, nec adulteri possidebunt regnum Dei. Et Galat. 5: Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, impudicitia. Talia facientes regnum Dei non possidebunt. Ephes. 5: Nullus scortator aut immundus habet hæreditatem in regno Christi & Dei: nemo vos seducat vanis sermonibus. *Strigel. lib. 1. Eth. pag. 517. 518.* Sequuntur exempla.

I. Quinq; urbes deletæ sunt propter libidines flammis cœlestibus, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, & Segor. *Genes. 19.*

II. Tota tribus Benjamin deleta est propter stupratam Levitæ conjugem. *Judic. 20.*

III. David pulsus est ex regno à próprio filio Absalone, propter raptam Uriæ conjugem. 2. *Sam.* 11. Trucidata sunt multa millia civium; contaminatæ sanctæ matronæ.

IIII. In deserto 24000. hominum propter fornicationem occisa sunt: & suspensi omnium tribuum Principes: inter quos erat Nahasson: ex quo CHRISTVS, teste Matthæo, secundum carnem natus est. *Num. 25.*

V. Inter causas excidij Hierosolymæ recensentur à Jeremia idolorum cultus & adulteria. *Strig. in orat. de Abrahamo.*

VI. Diluvij etiam causæ fuerunt libidines. *Philip. in Postilla pag. 41. b.*

VII. Urbs Troja, tam ampla & opulenta, solo æquata fuit, Principibus occisis, & nobilibus matronis & puellis in captivitatem abductis: idq; propter Helenæ raptum: quam abduxerat à marito Paris. *Herodot. lib. 2 & Homer.* Pro repetenda Helena Græci ingentem comparárunt classem: & pugnarunt cum Trojanis annis 10. mensibus 6. diebus 12. Ceciderunt ex Græcis 896000. ex Trojanis usq; ad oppidum proditum 676000. ut scribit Dares Phrygius. Trojani Græcis repetentibus Helenam respondérunt: se quidem sentire, injuriorum virorum esse, rapere fœminas: amentium autem, raptis ulciscendi operam dare: prudentium autem, pro nullo habe-

rera-

re raptorum pulchritudinem: quippe quæ nisi voluissent: haud dubiè raptæ non fuissent. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 11. de Rep. cap. 1. pag. 649. 650.*

VIII. Ioniam Cyrus populatus vastavit, in has miserias à suis luxurijs & scortationibus conjectam. *Spinæus pag. 272. lib. 5.*

IX. Romæ Reges sunt ejecti, & mutata forma Reipublicæ post expulsum Tarquinium: cujus rei causa fuit stuprum illatum Lucretiæ conjugi Collatini à Tarquinio Regis filio. *Livius lib. 1.*

X. Sardanapalus amisit Monarchiam: quæ post ipsum translata est ab Assyrijs ad Chaldæos per Phulbelochum præfectum Babylonicum. Causas huic mutationi præbuerunt libidines: quibus Rex fuit deditus. Vixit enim in gynecæo, indutus muliebri veste. *Diodorus Siculus lib. 3. rerum antiquarum, cap. 7. Vide suprà in reg. 6. longam narrationem de hoc Sardanapalo.*

XI. Decemvirorum potestas sublata est Romæ propter tentatam ab Appio pudicitiam filiæ Virginei. Rempublicam Romanam initiò gubernarunt septem Reges, à Romulo usq; ad Tarquinium Superbum: cujus filius Sextus Tarquinius stupravit Lucretiam; & duravit regnum annos 244. teste Livio. (fuit dimidia periodus: integra est 500. annorum) Post Reges exactos, præfuerunt Reipublicæ Consules bini singulis annis. His successerunt Decemviri, Appius & reliqui Collegæ; sed occasio hujus mutationis hæc fuit. Appius Claudius Decemvir, incensus amore cuiusdam virginis Romanæ, quæ erat alteri desponsata, cùm non posset ea potiri, dedit negocium clienti: ut eam prætextu servitutis raperet. Pater puellæ Lucius Virginius, cùm non posset aliter filiam vindicare in libertatem (quia magna erat potentia Decemvirorum) cultro lanij transfodit puellam. Propter hanc rem mutata est forma Reipublicæ: & conjectus est in carcerem Appius, & quidam alij. Reliqui sunt pulsi in exilium: postea res iterum rediit ad Consules. *Strigel. part. 2. Locor. Theolog. pag. 209.*

XII. Mauri expulerunt Gottos ex Hispania, & regnum occupârunt, attracti à Iuliano Cantabriæ Comite: cujus filiæ Rodericus Rex Gottorum stuprum intulerat. *Anno Christi 717. Eandem historiam Spinæus lib. 5. de Tranquillit. animi pag. 272. sic describit:* Saraceni, qui diu Hispanias & regnum Granatæ usque ad Ferdinandum Arragoniæ Regem tenuerunt: à quo, felice virtute ac prudentia magni Gonsalvę uso, expulsi fuerunt; eò ex Africa venerant cum numeroso exercitu, evocati & introducti artificio cujusdam nobilis Hispani, vindicandæ gratia factæ ipsi à Rege Roderico injuriæ ob consuetudinem cum ipsius uxore; quo tribus prælijs atrocissimè profligato & cæso cum omni stirpe regia, populus ab impijs illis Mahumetanis subjugatus, non solùm bona & libertatem, sed etiam fidem & religionem Christianam amiserunt. Proponat sibi vnusquisque ob oculos mentis imaginem turbarum, confusionum, gemituum, tyrannidum & miserabilium oppressionum: quæ tunc in eas regiones propter illud adulterium grassabantur: altera ex parte terribilis DEI furor consideretur, earum omnium calamitatum causa efficiens. Iam igitur talia peccata extenuemus quantum velimus; quæ tam severè DEVS vindicet.

XIII. Belli inter Thebanos ac Phocenses per decennium conflati, quod ἱερὸν, id est, sacrum appellatum est, Thebana mulier, à Phocense quodam amoris stimulis rapta, causam præbuit. *In Aphthonij Progymn fol. 45.* Deinde etiam Thebanis magna mala attulit incesta consuetudo sapientissimi Regis Oedipi cum matre. Pater

Oedipi

Oedipi fuit Lajus. Is rapuit cujusdam civis filiam Chrysippam ad turpitudinem nefariam. Ideo punitus est sterilitate: non potuit procreare sobolem: sed tandem contra fatum, ut loquar cum Poëtis, obtinuit importunis precibus filium Oedipum: à quo est interfectus. Nam Lajus jussit exponere Oedipum: qui postea eductus est à pastore: & cùm haberet jam maturitatem ætatis: redijt Thebas: & in itinere Lajum interfecit, nolentem cedere de via, ignorans esse patrem. Postea cùm solveret Oedipus ænigmata Sphyngis: nupsit ei Iocasta mater: ex quo suscepit filios, qui dimicarunt de regno, Etcoclen & Polinicen, & filias Ismenem, Antigonem, &c. Omitto cætera. Vixit autem Oedipus ante bellum Trojanum. Nam historia Thebana est antiquior Trojana. *Strg. part. 2. Locor. pag. 209.*

XIIII. Libidinum occasione fuerunt Franci primùm attracti in Galliam. Senator Trevirensis attraxit Regem Francorum contra Romanos: eò quòd Lucius præses Trevirensis eripuerat ipsi conjugem. Ita occupata urbe Trevirorum Belgium subegerunt universum: & condiderunt regnum Francicum. Circa annum Christi 714.

XV. A simili occasione libidinum extitit ἀφορμὴ expeditionis: quàm suscepерunt Galli Senones. Et narrat Timarus scriptor, fuisse tetras confusiones libidinum in gente Hetrusca. Res sic gesta Adolescens nobilis Lucumon Clusinus, orbus parentibus, sed divitijs inter suos cives facilè primus, & forma spectabilis, rapuerat tutoris Aruntis conjugem: cum qua aliquandiu occultè consuevisset. Tutor Aruns ad Iudices delata, cùm amicorum numero & largitionibus à Lucumone vinceretur, justo dolore accensus, invitat Gallos & Celtas Senones: ut sedem quærant in illa parte Italiæ: quæ erat amœnissima & fertilissima: & ut scelus Lucumonis punirent. Ita Deus universæ gentis Tyrrhenæ scelera cùm esset puniturus: egressi ex horridioribus locis Celtæ Tyrrhenos oppressерunt: & ut Plutarchus refert, decem & octo Tyrrhenorum maximas urbes, & ad opum & divitiarum splendorem comparandum, & ad magnificè delicateq; vivendum opulentissimas, illas gente ea oppressa occuparunt: & in suam redegerunt potestatem. *Peucer. in lect. Chron. d. 12. Junij, An. 1574.*

XVI. Carolo Rege Galliæ, fratre Ludovici IX. qui in Sicilia erant Galli, crudeliter omnes sub vesperam festi Paschalis interfecti sunt: infantes rapti ab uberibus maternis, filicibus illisi: gravidæ dissectæ, ut fœtus avulsi feris objicerentur: aliaq; immania perpetrata ad vindicandas eorum libidines: quibus mulieres & virgines Siculas stuprabant. *Spineus pag. 273.*

XVII. Extat apud Plutarchum in vita Pelopidæ & alibi, memorabilis historia. Scedaso cuidam, in Leuctris habitanti, & humaniter peregrinos hospitio excipienti, licet non admodum diviti, duæ erant formosæ & honestæ filiæ: quarum amore duo Lacedæmonij hospites correpti, primò quidem præsentiam & virtutem patris reveriti, nec ardentem libidinem suam patefacere ausi, abierunt. Sed reversi, cùm pater abesset: & filiæ comitate patria & decora gratáq; urbanitate illos excepissent: tum illi his solis, & consilio ac ope destitutas, obliti omnis officij, honestatis, hospitalitatis, amicitiæq;, sacrati juris, antiquæ majorum suorum virtutis, severarum adversus adulteros Lycurgi legum, austeræ patriæ disciplinæ, famæ virtutis & æquitatis Spartanæ ubique celebratæ, aliarumq; nationum (quibus contineri potuissent: nisi eos sua libido excæcasset) turpissimè violarunt: & incorrupta illibataq; hactenus virginitate per vim spoliarunt: ad hæc eas lamentantes, & Deorum hominumq; fidem, tantæ injuriæ & turpitudinis ultricem implorantes, in puteum dejecerunt. Postquam

abijssent:

abijssent: pater reversus diu hæsit insçius, quid filiabus suis factum esset: quoad caniculæ indicio, quæ ad puteum itaret, miserè suffocatas reperit. Quibus sepultis, miserabiliter lugens, cùm Lacedæmonios illos se absente reversos, intellexisset, suspectos habuit: quòd aliquando sibi filias laudassent. Itaque Lacedæmonem profectus, rem ad Ephoros detulit: non auditus, aut neglectus, ad Reges se contulit: inde ad populum, cùm & ab his negligeretur. Sed neminem nactus, qui vellet auderetvè pro ipso verba facere, quantumvis justa orante: tum demens præ dolore pedibus terram pulsans, manus ad cœlum tendens, & diras Spartiatis imprecatus, super sepulchra puellarum seipsum jugulavit. Quid autem inde accidit? Tunc Lacedæmonij omni Græciæ, præsidio in præcipuas urbes posito, dominabantur. Sed Thebani servitutem indignè & impatienter ferentes, duce Epaminonda, præsidiarios ad unum omnes interfecerũt: & cùm accepissent, Lacedæmonios ipsorum rebellionis ulciscendæ causa accelerare: statim coactis copijs, ad sepulcra filiarum Scedasi illis occurrerunt: & victos ita profligârunt: ut se recolligere postea nunquam potuerint. Quod omnium admirationem excitavit: quia inauditum hactenus fuerat: a paribus, nedum ab inferioribus, illos superatos fuisse. Et certè DEVS tum evidentissimè ostendit: se probè stupri illius, & magistratuum in eo ulciscendo negligentiæ, meminisse. Quod ut manifestiùs declararet; potentissimos, & omnibus formidabiles, cùm per septingentos annos imperium Græciæ obtinuissent, voluit ab imbellibus, paucis & malè instructis, repentè cædi & profligari ad sepulcra virginum illarum: ac uno prælio ad eam & hominum & bellicorum apparatuum necessitatem redigi: ut ab eo tempore non facilè adorientib. resisterent. Et quò meliùs hic DEI justitiam animadvertamus: Pelopidas, unus ex Thebanorũ ducibus, paucis ante conflictum diebus, signis quibusdam aërijs territus, Scedasum in somnis vidit, ipsum hortantem ut pergeret; fore enim, ut eo victore Lacedæmonij sibi & filiabus suis injuriam acceptam luerent. Quis ex hac historia non intelligat, DEVM semper apertis esse oculis, & parata manu ad observandos, & tempore opportuno plectendos non solùm ipsos autores scelerum, sed etiam magistratus & Respublicas, à quibus tolerantur. *Idem pag. 275.*

XVIII. Dicunt Constantinopoli tantam fuisse libidinum turpitudinem, antequam à Turcis capta esset; ut omnes homines dixerint: futuram esse ingentem mutationem.

XIX. Dicunt Vincentiam hoc modo venisse in Venetorũ potestatem: quia Vincentiæ Dominus jussit ad se adduci civis cujusdam filiam: quam pater ei mittere noluit. Abducta est igitur vi: & post aliquot dies remissa patri dilecta in calatho. Pater, re deliberata cum amicis quibusdam & Senatoribus, mittit cadaver, ut erat dilectum, Senatui Veneto: eiq; pollicetur deditionem urbis. Ita Tyrannus oppressus & expulsus est. *Philip. in Locis Manl. pag. 328.*

XX. Athenis filij Pisistrati ejecti sunt, propter contumeliam factam sorori Harmodij. *Strigel. in Chron. part. 1. pag. 383.*

XXI. Bellum Iantino Regi Scytharum, Darius Rex Persarum intulit: cùm filiæ ejus nuptias non obtinuisset: armatisq; 700000. hominum Scythiam ingressus, non facientibus tamen hostibus pugnæ potestatem, metuens ne interrupto ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis 90000. hominum, trepidè refugit.

XXII. Fuit & motum bellum inter Moschum & Regem Sveciæ Iohannem III. sopitum vix Anno 1582. ex eo ortum: quòd cùm Moschus gravi bello pressisset Polonos: bonamq; Lithuaniæ partem sub suum imperium junxisset: ita ad pacis veni-

conditiones; si sibi donaretur in matrimonium Catharina Magni Sigismundi Polonorum Regis filia, Sigismundi autem Augusti soror germana. Sed illa eum rejecit: & data fuit in matrimonium Iohanni Duci Finlandiæ, potentissimi Gostavi filio: qui olim Sveciæ Regis filius natu secundus: & successit in regno Sveciæ Erico fratri ex primo matrimonio, captivato: contra quem Moschus acerrimum invit bellū: quod tandem finitum est, Moscho per Iohannem III. Regem Sveciæ & Gothorum, & Stephanum Regem Polonorum cedere coacto: & pollicente summo Pontifici: se contra Turcam & Tartarum Christianis Principibus conjuncturum. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 11. de Rep. cap. 1. pag. 649. 650.*

# XXVII.

*Historiæ ostendunt, semper post* βυλιμίας *seu infinitas expilationes, mutatam esse formam Reipublicæ. Strigel. 1. Paral. 17. Philip. in Comment. in Daniel. cap. 11. pag. 129. b.*

*Mutationes regnorum accelerant* βυλιμίαι: ut dicebat Capnio: Quando conduplicantur lateres: tunc venit Moses. *Idem Philip. in Postil. part. 3. pag. 561.*

*Inter signa mutationis Imperij scis hoc quoque recitari: Hinc usura vorax. Idem in Epist. ad Camerar. pag. 638.*

## EXEMPLVM.

Cùm Romæ quater centesimæ in usu fuerunt, & aliæ compilationes: tunc veniebant pœnæ. Iulius & Pompeius intestinum bellum incipiebant, *Idem ibidem.*

# XXVIII.

*Qvos pecunia ad honores & administrationem Reipublicæ evehit: ij plùs privatæ, quàm publicæ rei consulunt.*

Cavenda

*Cavenda ſummopere venalitas magiſtratuum, maximè quibus ineſt juris dicendi neceſſitas, tanquam omnium ſcelerum fons, iniquitatis principium & finis. Facit enim ambitio honorum: ut multos inveniat emptores, avaros quidem, ſed indignos, quod venale proponitur: cùm etiam, quando venalia ſunt officia, multi indigni inveniantur: qui per largitiones ad dignitates prorumpere conentur.*
*Petr. Gregor. Toloſan. lib. 4. de Repub. cap. 5. pag. 177.*

Peccatur ex parte concedentium magiſtratus, cùm venales faciunt. Sæpe enim accidit: ut idonei, & qui totum vitæ tempus in jure diſcendo triverunt, non habeant, unde poſſint mercari munus: quod tamen utiliter exercere poſſent: & dextra tenent lapidem inopiæ, qui eos remoratur: cùm altera ſuſtineant ingenij alas: quibus, ſi darentur, & invenirent magiſtratus, emergere ex latebris poſſent. Accidit etiam aliud damnum Reipublicæ: ut nemo aut rarò virtuti ſtudeat: cùm ſciat, non virtute, ſed precio promotionem ad dignitates fieri: atq; ideo vileſcunt ſtudia: vileſcunt leges: quæ ab ignaris & mercatoribus officiorum, pro modo ignorantiæ polluuntur. Quòd ſi quis obijciat, Principem cum precio etiam capacem requirere emptorem, & ideo eum, qui emerit, ſubijcere probationi & examinationi curiarum: admitto hunc prætextum quoq; cupiditatis ſervire excuſationi: ſed remanet primùm indiſſolutus nodus: quòd idonei vel magis idonei pecunijs ut plerunque carent: & ideo Reſpublica illorum utilitate privatur: item quòd deterrentur à ſtudijs utilibus Reipublicæ: qui ſciant, ea ſibi non profutura ſine pecunijs: & potiùs ſe transferunt ad negociationem & artes lucroſas: quàm ad virtutem. Sed & vix reijciuntur etiam indigni, qui pecunias numeraverint Principis

ærario. Accedunt enim, si reijciantur, tot jussiones Principis: ut absolutæ potestati Principis qui in classe judicum jam sunt admissi: hunc, indignissimum quamvis, repudiare ampliùs non ausint contendere. Vt etiam aliquando quidã Princeps responderit, recusantibus inutilem Reipublicæ, & amusum, tanquam ex numero pecoris Arcadici: *posse asinum inter tot equos morari.* Sed utinam unus tantùm, & non tot, gregem Arcadicum implerent: quanquam *vel unus solus, possit esse inter plures bonos, pernicies totius Reipublicæ.* *Idem cap. 6. pag. 193.*

# EXEMPLA.

I. Octavianus Cæsar juxta antiquas de ambitione leges edictum proposuerat, Anno ab V. C 736. ut qui largitionibus factis, magistratum aliquem ambijsset, per quinquennium ab his arceretur.

II. Detestatur fœdissimas judiciorum venalitates Cassiodorus: quemadmodum & detestantur sacri Canones & Leges Episcopalium venalitatẽ & ambitionem.

III. Declinantis Imperij manifestum notatur signum à Vopisco in Aureliano: quòd sub eo officia venalia esse ceperunt: neq; dabantur hominibus: sed divitijs.

IIII. Idipsum factum sub Iulio Cæsare tradit Pomponius: & data sectarijs, non merentibus: sed existente Republica turbulenta, ut ait Plutarchus in Cæsare.

V. Habetur in Annalibus Franciæ, Ludovicum XII. Regem, qui dictus est Pater populi, ad relevandum populum, & ut dissolveret æs alienum, contractum per Carolum VIII. antecessorem, atq; ut opem ferret alijs quibusdam majoribus negocijs, quibus premebatur, & ut redimeret Mediolanensem Ducatum, primum fuisse ex Regibus: qui vendiderit officia regalia: & tamen abstinuisse a venditione officiorum judicaturæ: quæ invendibilia esse placuit.

VI. Honorem juris & gladij nunquam Alexander Severus Imperator vendidit, dicens: necesse esse, ut qui emit, vendat. Et ego non patiar, inquit, mercatores potestatum: quos si patiar: damnare non possum: erubesco enim punire eum hominem: qui emit & vendit.

VII. Demosthenes, civitates ægrotasse, cùm magistratus intenti essent muneribus, & nimiùm delicati in ocio degerent cives, & inde subversionem Reipublicæ illorum inopinatẽ accidisse, docet.

VIII. Cornelius Tacitus perstringit Dolabellam; qui prætextu spectaculi edendi, Quæsturam venalem effecit. Censuit, inquit, Dolabella spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecunia eorum: qui Quæsturam adipiscerentur. Apud majores virtutis id præmium fuerat: cunctisq; civium, si bonis artibus siderent,

licitum

licitum petere magistratus: ac nec ætas quidem distinguebatur: quin prima juventa Consulatum aut Dictaturas inirent.

IX. Martianus, Illyricus genere, cùm esset in bello strenuus, Imperator ab omni exercitu creatus, initium reformationis Reipublicæ ex ea parte incepit: & confestim decrevit, nemini per pecuniam conferendum esse magistratum.

X. Idipsum & fecisse Anastasium quoq; Imperatorem Theodorus Lector scribit: & magistratus antea venales gratis contulisse.

XI. Statuit & Zoa Orientis Imperatrix, cum sorore consorte sua Theodora: ne magistratus seu principatus venderentur, ut antè fiebat: eaq; de re extat ejus constitutio in Iure Orientali, collecta per Bonfidium, titulo: περὶ τοῦ ἀπρίατω τὰς ἀρχὰς γίνεσθαι: de non vendendis magistratibus.

XII. Aristoteles etiam improbat, tanquam errore plenam, legem Carthaginensis legislatoris: quæ ditissimos tantùm in magistratum vocabat. Nam si, inquit, respicere oportet ad opes, gratia quietis: pravum est, magistratus maximos esse venales, Imperium & belli ducatum. Hæc enim lex pretiosas magis facit divitias, quàm virtutem: ac civitatem totam ad studiū pecuniarum convertit. Vbi autem non maximè honoratur: ibi non est possibile, firmum optimorum esse in Republica statum.

XIII. Consentit Consul eloquentiæ insignis Cicero. Nullum, inquit, vicium est tetrius, quàm avaritia, præsertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus. Habere enim quæstui Rempublicam, non modò turpe est: sed sceleratum etiam & nefarium. *Idem pag.* 177. 178.

# XXIX.

*NVllum Imperium in hodiernum diem usq;, vel amplificatum, vel conservatum est: nisi per homines Reipublicæ studiosos: qui non saltem publicum commodū amant: sed & in eo promovendo propriam utilitatem & autoritatem ita negligunt: ut Reipublicæ vitam, honorem atq; fortunas impendere parati sint. Et econversò: ubi homines contrariæ qualitatis Rebuspublicis præesse ceperunt: eodem die talis earum inclinatio est facta: ut penitus tan-*

*dem conciderint. Fridericus Furius Ceriolanus in Idea Consiliarij pag. 57. 55. 56.*

Erat olim apud Athenienſes lege ſancitum: ut quoties advocata concione populus de Republica conſultabat: præco maxima voce diram cladem & exitium illi & poſteritati ejus imprecaretur: qui Reipublicæ inutile conſilium daret: ne ipſe incommodum aliquod ſubiret. Erant autem illæ execrationes, quæ caput civis perfidi devovebant, tam horrendis verbis ſcriptæ: ut maximum metum omnibus, qui illas audiebant, incuterent. Sapienter enim intellexit, qui legem illam tulit: *nihil eſſe acuto ingenio ſine fide, ſine Reipublicæ ſtudio, ſine patriæ charitate, pernicioſius. Idem pag. 186.*

## EXEMPLA.

I. Callicratides, qui Dux fuit Lacedæmoniorum in bello Peloponneſiaco, cùm claſſem ſalvam conſervare poſſet, eam ab Arginuſis removendo: & prælium cum Athenienſibus, citra rerum ſuarum detrimentum, declinare; id facere recuſavit: quòd diceret: Lacedæmonios, illa claſſe amiſſa, aliam parare poſſe: ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe. Quare prælio facto; claſſis ejus profligata, maximo Lacedæmoniorum damno, in hoſtium poteſtatem venit.

II. Verùm Q. Fabius Romanus diverſam rationem amplexus, & injurias ſui exercitus, hoſtiumq; per contemptum atq; irriſionem, Cunctatorem ipſum appellantium, patienter perpeſſus, Hannibalem, multis victorijs exultantem, ita cecidit: ut patriæ libertatis, & oppreſſionis Carthaginenſium autor fuerit. Vnde antiquitate & prudentia celeberrimus Poëta Ennius eum carmine ſingulari concelebravit: quod, quia dignum eſt Regum palatij aureis literis inſcribi, apponere libuit:

*Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:*
*Non ponebat enim rumores ante ſalutem:*
*Ergo poſtq; magiſq; Viri nunc gloria claret.*

Callicratides ſemel recedere noluit, ne gloriæ periculum ſubiret: Fabius ſæpiùs tergiverſando prælium detrectavit, nulla nominis ratione habita. Quantùm itaq; Reipublicæ profuit? Callicratides de rerum ſumma cum periculo decertare, quàm ignominioſè terga vertere maluit: Fabius cum infamia fugere (ex vulgi opinione loquor) quàm Rempublicam, in diſcrimen conijcere, potiùs duxit. Callicratides cum amiſſa victoria, Rempublicam, vitam atq; honorem perdidit, cognomine TEMERARII deformatus: Fabius cunctatione, cum Republica vitam & honorem conſervavit, glorioſum cognomen MAXIMI, à rebus præclarè geſtis, referens. *Idem pag 57. 58. 59.*

*Univer-*

# XXX.

*VNiversaliter quando semel fit insignis destructio alicujus regni: nunquam postea recuperatur vetus dignitas.*

*Etsi quassatæ aliquo tristi casu civitates restitui in meliorem statum possunt: tamen cùm prorsus deletæ sunt: nulla ꝑs est instaurationis.* Hæc sententia declarari potest imagine: quam Orator Atticus proponit. Vt homo vivus ex adversis rebus eluctari potest: mortuo nihil spei in hac vita supereſt: sic *Vrbium, quæ opibus & gloria floruerunt, mors est desertio & vastitas.* *Strigel. in orat. de Ieremia.*

## EXEMPLA.

I. Regnum AEgyptiacum eversum per Mosen, quod sine ulla dubitatione fuit omnium regnorum pulcherrimum, nunquam recuperavit pristinam dignitatem.

II. Regnum Babylonis destructum ab Alexandro post eversam Monarchiam Persicam, & Darium interfectum, nihil fuit ampliùs.

III. Regnum Hierosolymæ destructum à Nebucadnezar, nunquam est restitutum in pristinum statum: sicut ostendunt historiæ Iudaicæ post reditũ ex Babylone.

IIII. Quando Ionia horribiliter est vastata ab Harpago: qui fuit dux Cyri: postea nunquam recuperavit pristinum decus. Multa millia hominũ conscenderunt naves: & se submerserunt potiùs: quàm ut venirent in potestatem Medorũ. *Herod. lib.* 1.

V. Carthaginis magna fuit potentia: antequam deleretur à Scipione. Post excidium verò etsi fuit restituta ab Augusto Cæsare: tamen non fuit par potentia & opibus veteri urbi.

VI. Thebæ excisæ ab Alexandro Magno, cùm antea fuissent inter potentissimas Græciæ urbes, postea restitutæ nullam ampliùs habuerunt potentiam.

VII. Cùm Troja fuisset maxima urbium ejus temporis, & Asiæ domina: postquam semel à Græcis eversa & deleta est: postea nunquam instaurata est. *Strigel. in orat. de Ieremia.*

*Respub-*

# XXXI.

*RESpublicæ donec hospitia Ecclesiarum manent, non dissipantur, nec funditus delentur. Strig. in orat. de studio Theologico, habita Ienæ, 9. Mart. An. 1552.*

## EXEMPLA.

I. Navis, quæ Paulum vehebat, etsi videbatur mersura navigantes: tamen ex tempestate eluctata est; & socios Pauli in portum integros & incolumes perduxit. *Idem ibidem.*

II. Vt tota domus Obed Edom felix est propter præsentiam arcæ: sic DEVS *benefacit politijs: quæ sunt hospitia Ecclesiarum & Scholarum.*

III. Floruit Regnum AEgyptium: donec familiæ Iacob hospitium præbuit. Postea cùm exasperata esset tyrannis Regum AEgyptiorum contra Israëlitas: Regnum florentissimum diu varijs seditionibus quassatum est. *Idem 2. Sam. 6.*

# XXXII.

*RESpublicæ tam diu florent & vigent: quàm diu ibi regnat & floret sapientia & consilium.*

Poëtæ fingunt, fuisse in fatis: evertendam esse Trojam, ablato Palladio: quo significarunt: *tam diu stare ac florere Respublicas: quàm diu ibi regnet Pallas, id est, Sapientia & Consilium: ea amissa: illas concidere ac everti. Bucholc. in Chronolog. pag. 271.*

Fieri

# XXXIII.

FIeri non potest: ut Respublica sit quieta & tranquilla: regnante Magistratu sine legitima vocatione. Nam is, qui per scelus Rempublicam oppressit, circumspectat omnia: & quicquid increpuit, pertimescit. Contrà verò subditi omnes nervos contendunt: ut alieni imperij jugũ excutiãt. *Strig. 2. Paral. 23.*

Rarò successus habent ij: qui fiducia potentiæ aut generis affectant gubernationem. *Peucer. in lect. Chron. 15. Octob. An. 69.*

Regnum malis artibus comparatum, & vi retentum, non potest perdurare. *Lælius Zecchius lib. 1. de Principe, cap. 4. pag. 64. Et Petr. Greg. Tolos. lib. 6. de Rep. cap. 19. pag. 377.*

Nullum regnum dolo aut scelere partum est diuturnum. *Strigel. 2. Paral. 23.*

Imperia sine mandato, & vocatione Dei legitima, non sunt felicia. *In Chron. Philip. lib. 5. pag. 524.*

Qui non rite ad Imperatoriam dignitatem pervenerunt: cruenta morte plerunq; interierunt.

Rarò contigit, ut qui per tyrannidem & vim illatam, regnantibus ademerunt principatus, diu

*gaudeant & utantur præda—: sed talione vel ipsi, vel posteri plectantur. Petr. Greg. Tolos. lib. 6. de Repub. cap. 19. pag. 378.*

*Dolo & fraude plures ad dignitatem principatus pervenerunt: ad quam legitimè pervenire non potuissent. Et quibusdam aliquandiu fortuna arrisit: aliquibus detrimento fuit: ut detectis dolis, etiam— unà cum principatu vitam— deposuerint. Idem lib. 7. cap. 18. pag. 498.*

## EXEMPLA.

I. Athalia sine ulla dubitatione fuit fœmina astutissima & audacissima. Nam Tyrannos oportet esse non solidos: sed callidos & versutos: neq; ignavos, sed acres: non demq; timidos, sed audaces: ut omnium Tyrannorum exempla ostendunt. Cùm autem sex annos in Juda regnasset; anno septimo interfecta est à confœderatis propter scelus: per quod Regnum violata lege divina invaserat. Nemo igitur sibi usurpet honorem, nisi vocatus à DEO: nec quisquam propter potentiam grassetur inter homines, perinde quasi ipsi, quicquid libet, liceat. Verissimè enim Heraclitus dixit: non faciendum esse Soli, ut excedat spacia sua: quod si faciat: reperturas tamen illum Furias administras justitiæ. Et in libro Sapientiæ cap. 6. scriptum est: Potentes potenter tormenta patientur.

II. Cùm Judæi ægrè ferrent sibi præfici peregrinos Principes ex Ethnicis natos: ac disputarent, tribui Juda Regnum promissum esse, donec Messias nasceretur: subinde atroces seditiones moverunt. Herodes verò victor occidit summum Senatum populi Judaici: quem nominabant septuaginta duos Seniores. *Sirig. 2. Paral. 23.*

III. Si mutemur historias nostri seculi per annos triginta: reperiemus, neminem, qui conatus fuit aliquid extra vocationem, consilia successisse. Fuerunt infelicia bella nostrorum Principum: & penè omnes oppressi sunt mole illarum rerum: quas extra vocationem susceperunt. *Peucer. in lect. Chron. d 15. Octobr. An. 1569.*

IIII. Anno Christi 1257. duo simul electi diversis sententijs Imperatores. Alij ad Richardum Cornubiæ Comitem, Johannis Anglorum Regis filium, alij ad Alphonsum Castellæ Regem Hispanum suffragia inflectebant: & visus est uterq; non tantùm magna contentione & ambitione ambire Imperium: sed multo id auro velut licitare tanquam empturus: propterea diversis sententijs adeptus est nomen Augusti uterq; eodem anno: sed conditione dispari. Richardus enim præsens mox Imperium à Moguntino, Coloniensi, & Palatino, quorum suffragia emerat, accepit. In eo sese confirmaturus, viribus, quàm benevolentia, dissoluto fœdere Principum, ac

pertur-

perturbata pace publica, hostiliter atq; crudeliter persecutus eos, qui à cæteris in electione dissenserant, direptionibus atq; incendijs magna damna dedit. Sed ut *violentum nullum est diuturnum*: ita cito exhaustus pecunia, quam largitionibus immoderatis in emptionem suffragiorum profuderat, ac tandem a suis etiam spretus ac derelictus, desperatione rediit in Angliam ad Henricum fratrem, bella cum subditis gerentem: ubi in obsidione oppidi cujusdam telo trajectus oppetijt. Alphonsus aberat. Ad hunc, Galliæ Regis consensu, Biturigibus eventum consultationum Germanicarum expectantem, legatos misit factio adversa: qui in Germaniam illum adducerent. Sed dum cunctatur Philosophica quadam seu moderatione, seu potiùs timiditate: reformidans discordias, quibus flagrabant Germania & Italia: Imperium foris, regnum domi amittit, dejectus de spe consequendi Imperium novis Principum consilijs, paterno regno domi exutus a filio Sancio. Reversus Hispalim Alphonsus mœrore contabuit. *In Chron. Phil. lib. 5. pag. 524.*

V. Inter Friderici II. & Rudolphi Imperatoris tempora, quatuor Reges Romani contra antiquorum morem electi, exitu tragico perierunt. 1. Henricus Thuringiæ Princeps intra Vlmã sagitta lethaliter percutitur. 2 Vilhelmus Comes Hollandiæ interficitur à Phrysijs 3. Richardus Anglus tumultu patrio ejicitur e patria: & a Guidone Comite Stirchenbergio Viterbij in templo cæditur. 4. Alphonsus Rex Castiliæ etiam pellitur. *Fabric. in orig. Misn. lib. 2.*

VI. Cresphontes defraudatis orphanis fallaci sortione occupavit Messenem. Postea cives eum interfecerunt & conjunx Merope furens filios interfecit. Hæc pœna fuit fraude occupati alieni regni, deceptis orphanis. *Phil. in Chron. pag. 3.*

VII. Mortuo Eduardo IIII Anglorum Rege, relicto filio Eduardo: Richardus frater Eduardi IIII Glocestriensis Dux, filio Eduardi datus à patre tutor, interfectis optimis quibuscunq;, cum Rudolpho Shao Theologo egit: ut is in concione populum doceret: Eduardum non fuisse ex Richardo Eboracensi Ducenatum: sed ex quodam alio: qui matris Cæciliæ ante nuptias notitiam furtim habuisset. At neminem posse dubitare: quin Richardus foret verus Ducis filius, isq; primogenitus: qui jure regnum patri debitum possidere deberet. Quare illa falsa persuasione stipatus jam armata multa manu inaugurari se fecit tyrannicè Regẽ Londini Anno 1484 & postea Eboracum profectus, nepotes in carcere necari curavit. Verùm postquam biennio obtinuisset tyrannidem, omnibus invisus, ab Henrico VII. vita & pariter & regno exutus est.

VIII. Evectus Hyperbolus Athenienſis poſt Cleonis potentiam ad principatum ſua verſutia: cùm priùs æreas lucernas fictitaret. Sed è Republica ejectus propter improbitatem, Samumq; profectus, culeo inſutus in mare dejectus eſt, inimicorum inſidijs.

IX. Gvilimerus, Genſerici quondam Regis nepos, cùm regni hæreditatem, vivente Hilderico Rege, immatura ac inſana cupidine devoraſſet: Hildericum accuſavit apud Vandalos: quòd proditione Vandalos Iuſtiniano ſubijcere conaretur: & excitata ſeditione, comprehendi illum, carcereq; concludi, & ſe ſubſtitui, ut gradu proximum, curavit. Sed hoc ipſum illi vitam, & mox Vandalis imperium in Africa abſtulit Siquidem Iuſtinianus ea de re commotus, ruptis fœderibus cum Genſerico antea initis, per Belliſarium Vandalos vicit: & captum Gvilimerum habuit.

X. Dolo occupaverat regnum Poloniæ quidam Lecus nomine, non minùs

compositō: quàm eo, quo Darius regnum Persarum invenerat. Verùm dolo detecto: hic Lescus pro regno mortem sibi comparavit. Ejus rei narratio digna est quæ recenseatur. Lesco enim primo ejus nominis Rege Polonorum sine liberis mortuo: & multis procerum Principatum ambientibus: placuit, indicto ad certam diem musculorum equorum cursu, qui primus ad metam pervenisset, Princeps & dominus esset totius Poloniæ: fixaq; est meta apud Prandivicum amnem in aperta planicie ad Septentrionalem plagam Cracoviæ. Inter proceres competitores fuit unus, Lescus nomine: cùm stadium vafro consilio stratis clàm ferreis in fabulo exagonis sive stylis cœcis, quibus currentium equorum pedes læderentur, impedivisset: ipse obliquo & minimè impedito tramite, primus ad metam pervenit. Munierat etiam ipse equi sui calces soleis ferreis: ne offenderet in stylis: si fortè currens impetu in eos incideret: cùm omnes omnium aliorum equi, de more illius temporis, soleas ferreas nullas haberent. Atq; rei prorsus ignaris, & miraculo attonitis omnibus: Lesco oblatus est principatus. Verùm techna & dolo patefactis: statim conscerptus & necatus fuit.

XI. Fuit quidam Iohannes Vicentinus Monachus Bononiæ: qui de se opinionem in animis hominum confirmaverat: ut cum DEO colloqui crederetur, & suscitare mortuos: unde principatum & tyrannidem Bononiensis civitatis per annum tenuit.

XII. Vt & Iacobus Bussulterius Monachus alius, concionibus Ticinensem populum circumducens, miseræ urbis tandem Tyrannus crudelis evasit: donec Galeatius II. Vicecomes, urbe domita, eum cepit. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 7. de Repub. cap. 18. pag. 500. 501. 502.*

# XXXIIII.

*IMperia & regna plerunq; habent signa quædam fatalia, de incremento & inclinatione fortunæ. Sabinus in 13. lib. Metamorph. Ovidij.*

*Omnis habens Capricornum in Horoscopo ascendentem, facit mutationē in Imperio Romano. Dicitur enim esse fatale signū in mutationib. Imperiorū. Philip. in Locis Manl. pag. 416.*

*Dicunt aliqui, fatale esse signum: videlicet, quòd omnis Imperator habens Capricornum in*





*ascendente, faciat mutationem in Imperio.* *Idem in Postilla Pezeliana part 4. pag. 658.*

# EXEMPLA.

I. Trojanum regnum habuit aliquas significationes: quamdiu duraturum esset: atq; extitit vaticinium de simulacro Palladis, tanquam de signo fatali. Fingitur Troja eversa: postquam Palladium fuit illinc ablatum. Eo figmento significatur: tum demum everti Respublicas: cùm sapientia ex urbibus sublata est. Pallas enim, cujus id erat simulacrum, Dea sapientiæ & consilij olim habebatur. Procopius de bello Gothorum lib. 2 tradit: Palladium fuisse redditum Aeneæ in Italiam venienti. Nam Diomeden, qui Vlysse juvante illud ex arce Trojana sustulerat, esse admonitum oraculo, cùm graviter ac periculosè ægrotaret: si vitam retinere vellet: ut Palladium restitueret viro Trojano. Scribit autem (si rectè memini) fuisse simulacrum instar prælientis & vibrantis hastam: nec Græcæ, sed Aegyptiæ imagini simile: diuq; conservatum fuisse Romæ in Fortunæ fano. Postea translatum esse Constantinopolin: ibiq; defossum in foro Constantini. Arbitror Imperatorem Constantinum ita persuasum habuisse: ibi fore Imperium orbis terrarum; ubi simulacrum illud custodiretur. *Sabinus.*

II. Augustus habuit Capricornum ascendentem in Horoscopo: ideoq; ipsum incudit in auream suam monetam.

III. Vespasianus quoq; habuit Capricornum.

IIII. Noster Imperator Carolus V. etiam habet Capricornum, ascendentem in Horoscopo. *Philip. ut suprà. Et in Postil. per Pezel. ed. part. 4. pag. 658.* Sleidanus scribit, Carolum ijsdem Calendis, quibus natus erat, Imperatorem creatum fuisse Bononiæ à Clemente VII. coronatum: Franciscum Regem Galliarum cepisse: & de Germania triumphasse. Habuit autem in ortu Capricorni sidus: quo sidere etiam natus fuerat Augustus: qui propterea nummum felici Capricorni sidere percussit. Ad quod etiam Horatius alludit, cùm Hesperiæ Tyrannum Capricornum appellat. Eodem sidere Carolum Borbonium, Cosmum Medicen natum Cardanus scripsit, & Selymum Principem Turcarum: qui 7. Cal. Sept. eodem mense, quo M. Antonium Augustus vicit, Regem Persarum Hismaëlem in Calderanis campis fregit: biennio pòst eisdem Calendis Campsonem Soldanum de imperio dejecit. Hi omnes habuerunt Capricornum in ortu: & singuli ad maxima imperia, regna, ducatus, & opulentas hæreditates pervenerunt: multaque & gravissima bella felici exitu gesserunt. Hinc Basilicus Mathematicus prædixit Cosmo Medici Florentię Duci, cùm adhuc privatus esset, & de eo nihil cogitaret, ingentis opulentiæ hæreditatem ipsi portendi: quòd in ipso genituræ Horoscopo Capricorni felix astrum mirabili conspirantium siderum aspectu irradiatum esset. *Henricus Ranzovius libro de prædictionib. astrologicis, pag. 192.*

# XXXV.

*ANimadvertendum est, omnem irruptionem gentium factam esse ab Ortu, & locis illis magis Septentrionalibus, in Occasum, à primis temporibus. Et è converso, paucæ migrationes factæ sunt ex Occidente in Orientem.* Et tantùm duæ Celticæ leguntur. Vna ante natum Christum: ubi Galli effusi in Italiam, Græciam & Asiam, omnia devastàrunt. Horum reliquiæ in Asia consederunt: & provinciæ Galatiæ nomen indiderunt. Hodie utuntur lingua Germanica. Ex eorum Regibus fuit Dejotarus: quod sine dubio nomen fuit Theodoricus, Dittrich. Altera post Christum natum nostrorum Argonautarum: qui cum ingenti multitudine expeditionem in Asiam susceperunt. Sonst findet man wenig migrationes ex Occidente in Orientem. *Peucer. in lect. Chron. 9. Februarij. An. 1572.*

Nescio quo providentiæ decreto, res & vigor ab Oriente (considera, si voles) in Occasum eunt. *Iustus Lipsius lib. 1. de magnitud. Rom. cap. 3. pag. 13.*

Sanè illud sagax & curiosa mens deprehendet: sacra, imperia, artes, ab Oriente ferè in reliquum orbem & in Occasum paulatim defluxisse. *Idem lib. 1. poliorceti-ῶν cap. 3. pag. 12.*

*Ex Septentrione omnibus ætatibus gentium peregrinarum migrationes extiterunt.*

*Imperia maxima sunt propagata in Austrum.*

*Docent historiæ, omnia penè Imperia à Septentrione in Austrum propagata: pauca verò vel nulla*

ab

*ab Austro in Septentrionem*. Hoc nimirum est, quod Propheta ait: *A Septentrione omne malum*.

Apud Ieremiam cap. 1. minatur Deus omnibus regnis: se puniturum regna orbis terrarum immissione gentium Septentrionalium: *Ab aquilone*, inquit, *omne malum super omnes incolas terræ.*

## EXEMPLA
### migrationis ab Ortu & Septentrione.

I. Ex locis Orientalibus effusi sunt Sacæ, Daï, Getæ, Gothi, Heneti & Sarmatæ, Vngari, Tattari duce Tamerlane in Asiam ante annos centum irruentes. Hic Tamerlanes Bajazetem Imperatorem Turcicum in cavea ferrea circumduxit.

II. Turci primùm in angustijs Caucasi montis habitarunt: inde egressi, cùm potentiores essent facti, Asiam invaserunt.

III. Sapientes non tam metuunt Turcas, quàm Tattaros. Pleriq; enim sunt in ista sententia: Germaniam tandem prædam futuram Tattaris.

IIII. Regnante apud Lydos Ardy Gygis filio, Cimmerij à Scythis Nomadibus ejecti, transierunt in Asiam: & novas sedes quæsiverunt. *Herodot. l.b.* 1.

V. Vandali, Gothi, Alemanni, & aliæ gentes, quæ Italiam & alias Romani Imperij provincias invaserunt, ex angulo Septentrionali prodierunt primùm.

VI. Cimbrica Chersonesus est Dania. Cimbri habitarunt ad Septentrionem, in illa angusta ora ad littus Balthicùm, ad mare Septentrionale. Hi Cimbri, Septentrionales populi, unà cum vicinis Teutonibus, id est, Germanis, fecerunt irruptionem in Italiam tempore Marij, ante Christum natum: & maximam cladem initiò attulerunt Romanis: nec mediocrem eis pavorem incussêrunt: sed tandem à Mario callido duce, magis consilijs, quàm armis repressi sunt *Strig. part.* 2. *Locor. Theol. pag.* 185.

## EXEMPLA
### propagationis Imperiorum à Septentrione in Austrum.

Assyrij vicerunt Chaldæos: Assyrios Medi: Græci Persas: Parthi Græcos: Romani Pœnos: Gothi Romanos. Turcæ fregerunt Arabes: Tattari Turcas: Angli Gallos: Scoti Anglos.

# XXXVII.

*EÆ mutationes, quibus totæ gentes fatali quasi incitatæ impetu, relictis sedibus pristinis, quæsi-*

*verunt*

*siverunt novas sedes, pulsis prioribus colonis, ferè periodo usitata quingentorum annorum duplicata —, id est, mille annis acciderunt.*

## EXEMPLA.

I. Ante natum Christum circiter 500. annos egressi ex Septentrionalibus & Occidentalibus locis Gotthi, occuparunt regimen Iazygum, magnam partem Pannoniæ, Thraciam, Mysiam ad Pontum Euxinum, Mæotidem paludem, Borysthenem & Tyram fluvium: ubi adhuc Transylvani, reliquiæ Getarum atq; Tyrigetarum: pepuleruntq; colonos veteres. Hos anno 300. circiter post Christum natum Hungari cum alijs adorti pepulerunt: & maxima parte terræ occupata, Gotthos coëgerunt in angustos angulos: & Germanos invaserunt. Manserunt ergo in illis locis circiter mille annos.

II. Rursus circumactis mille annis Turci ex Scythia effusi, & Vngaros & cæteros adoriri ceperunt.

III. Sic anni sunt mille: quando Vandali primùm irruperunt in has regiones.

# XXXVII.

*OMnia regna — suos fatales limites habent.* Solius CHRISTI regnum hanc habet gloriam, quòd non sit septum & inclusum certis terminis & limitibus: sed CHRISTUS, ut ait Zacharias cap. 9 & David Psal. 72. dominatur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum.

*Omnia regna fatales habent limites: ultra — quos progredi feliciter non possunt.* Strigel. 1. Sam. 2.

*Nullum Imperium unquam complexum est totum orbem terrarum —.* Idem in Chronicis pag. 71.

## EXEMPLA.

Fatalis limes Persarum.

Prima Monarchia, imò & secunda habuit terminum fatalem Hellespontum, id est, illud angustum fretum quod est inter Asiam & Europam, non procul à Constantinopoli. Nam quandocunq; progressi sunt ultra illum terminum vel Chaldæi vel Persæ: semper victi sunt: fuerunt infelices. Hunc transgressi Darius Hystaspis & Xerxes, re infecta, & magnis cladibus acceptis, intra fatales limites revocati sunt. *Idem ibidem.*

Hac de re ait Polybius *lib.* 1: Persarum quibusdam temporibus magnus principatus ac magna potentia fuit: sed quotiescunq; transgredi Asiæ terminos ausi fuêre: non in principatus solùm, verùm etiam in proprij capitis periculum inciderunt.

Semiramis Babyloniæ regina rebus præclarè gestis ad extremum victa est: cùm bellum intulisset Indorum regi Staurobati. *Diodorus Siculus lib. 2. rerum antiquarum, cap. 5.*

## Græcorum.

Tertia Monarchia, videlicet, Alexandri, habuit partem Europæ, & partem Asiæ. Nihil habuit in Africa. *Strig. in Chron. pag. 71.*

## Romanorum.

Vltima Monarchia Romana tempore Augusti, quando fuit potentissima & florentissima, habuit versus Orientem fatalem terminum à Deo definitum Euphratem. Nam quandocunq; Romani sunt progressi ultra Euphratem: semper fuerunt infelices. *Strig. in Chr. p. 72. & pf. 2. pag. 19 & 1. Sam. 2.* Hunc transgressus Crassus ad Euphratem Aquilas, natumq;, suosq; perdidit: & letho est ultimus ipse datus. Iulianus Alexandrum Magnum in Monarchia Persarum occupanda imitari volens, & Euphratem cum exercitu transgressus, justas suæ impietatis & sævitiæ adversus Christianos pœnas persolvit. *Chytræus in Iosuam fol. 67.*

Carus Narbonensis Imperator Romanus, cùm ad fatalem Imperij Romani limitem, ad fluvium Tygridem, qui Euphrate paulò orientalior est, pervenisset, mortuus est. *Philip. in Chron. lib. 3. pag. 193.*

Cecinerant Vates antiquissimi, Romana arma Ctesiphontem transire nefas esse: & Duces, qui ausi fuissent, pœnas daturos esse. Putant M. Crassum id cogitantem cum exercitu perisse. M. Vlpium Trajanum transgredi ausum, Italiam non repetisse: & quinq; provincias trans Tygrim statim amisisse: satiusq; fuisse iter non tentasse: legiones longo labore attrivit & ferè consumpsit. Et quamvis victor longiùs produxerit terminos: tamen non multùm profecit. Ctesiphontem cupiens transire; superato Tygride, Valerianus, à Sapore Rege Persarum captus est. Verùm Odenatus Palmyrenus victor Romanæ majestatis, Ctesiphontem usq; trans Tygrim pervenit. Carus Imperator exercitum Probi Sarmatico bello latè victorem duxit in Persidem: hostile regnum vastavit: Seleutiam cinctam Euphrate, quam olim ceperat Aelius Verus Antoninus, expugnavit. Deinde Ctesiphontem petentem, & longiùs progredi valentem, vel morbus, vel ictus fulminis cœlo turbido & coruscante absumpsit. *Cuspinianus in Vita Cari Cæsaris, pag 104.*

Flavius autem Vopiscus de eodem Imperatore Caro sic: Plerunq; dicunt vim fati quandam esse: ut Romanus princeps Ctesiphontem (Ctesiphon urbs regia ad

Euphratis ripam ) transire non possit: ideoq; Carum fulmine adumptum: quòd eos finès transgredi ceperit: qui fataliter constituti sunt.

*Philippus lib.* 3. *Chron.* facit fatalem limitem Imperij Romani Assyriam.

Ita videtis, DEVM constituisse ὁροθεσίαν, ut dicitur Act. 17. in concione Pauli ad Athenienses: id est, *constituisse metas & fines singulis Imperijs: ultra quas metas & fines non potuerunt progredi.* CHRISTVS autem habet tale regnum: quod tam latè patet: quàm totus orbis terrarum: & est regnum sine fine: sicut dicit Angelus ad Mariam Luc. 1. Cujus regni non erit finis. *Strigel, in Chronicis pag.* 72.

## Turcarum.

Solimannus Turca nunquam feliciter dimicavit cum Persis.

# XXXVIII.

*VErsus Septentrionem cùm omnibus regnis, tum etiam Romanis, fuit fatalis terminus Tanais & mons Caucasus: ultra quem nemo ex Regibus aut Monarchis regni & potentiæ suæ milites protulit.*

## EXEMPLA.

I. Sesostris potentissimus Aegypti Rex, postquam totam Asiam victricibus armis percurrisset: & ad Colchidem accessisset: scribitur acie victus esse a Colchorum Rege. *Plinius.*

II. Cyrus Persicæ Monarchiæ conditor in eadem vicinia à Tomyri Massagetarum regina victus est. *Herodot. lib.* 1.

III. Darius Hystaspis, tertius Rex Persarum, profectus contra Scythas, re infecta redijt domum. *Herodot. lib.* 4. Nullus Rex in Septentrionem altiùs ascendit Dario: sed ultra Tanaim tamen non est progressus.

IIII. Alexander Magnus non irritatis feris gentibus Septentrionis, portas Caspias ferratis repagulis obseratas clausit: ut gentes Scythicas hoc pacto ab Asiæ aditu arceret. *Plutarch. in Vita Alexandri.*

V. Romani ultra Mithridatis regnum non ascenderunt.

*Omnia*

# XXXIX.

*OMnia regna creverunt foris militari labore & disciplina: domi modestia & justitia gubernationis, & ordinum ac onerum distinctione. Contrà, eversa militari disciplina in castris, domi verò legum autoritate jacente ac prostrata, regna evertuntur.*

Dionysius Halicarnassæus dicit: Respublicas crescere tribus rebus: 1. religione, si Dij placentur. 2. modestia & justicia. 3. fortitudine bellica adversus exteros hostes.

## EXEMPLA.

I. Romanum Imperium ascendit ad hoc fastigium: cùm domi diligentes in regenda disciplina & moribus populi essent; foris verò acerrimi in militia: id quod ostendit Manliana severitas interfectione filij: quòd contra edictum paternum cum hoste dimicârat. De hac diligentia Romanorum inquit Poëta:

*Moribus antiquis res stat Romana virisque.*

II. Turcicum Imperium simili modo crevit, domi justa severitate, & foris fortitudine ac virtute militari.

III. De urbe Carthagine Polybius scribit: ideo eam amisisse Imperium, & victam esse: quòd circa tempora bellorum Punicorum in urbe Carthagine omnia negligentiùs administrarentur: & disciplina magis laxaretur: econtra verò Romam ideo vicisse: quòd eo tempore majori cura & studio Romæ mores hominum regerentur.

IIII. Regnum Persicum crevit: quòd domi a teneris ad justitiam & observantiam legum adducerentur milites: foris verò militares labores magna virtute exercerent: sicut Xenophon scribit in παιδείᾳ Cyri.

# XL.

*QVando heroës excitati sunt divinitus: secutæ sunt magnarum urbium & magnorum regno-*

*rum eversiones. Vide Postil. Phil. per Pezel. editam, part. 2. pag. 101.*

*Quoties surgit aliquis magnus & potens Rex: tunc evertuntur magnæ urbes. Idem part. 3. pag. 662.*

*Causa est:*

Quia Deus vult per duces à se excitatos puniri Tyrannos & mutari Imperia. Id non fit sine magnis cladibus, sic ut dicitur τὰς αὐτοκρατείας διαφορὰς θανατηφόρους id est omnes mutationes politiarum sunt funestæ.

## EXEMPLA.

I. Cyrus everit regnum Lydorum, Medorum & Assyriorum: miserè pervastavit Ioniam: quæ tunc in toto orbe fuit florentissima.

II. Italia non est perpessa tantas mutationes & vastationes à temporibus Friderici II. quantas sub Carolo V. Imperatore: sub quo Roma capta est & direpta.

III. Tales etiam fuerunt Alexander Magnus, Romani, Gothi, Turci. Per hos quoq; urbes & regna eversa sunt

IIII. Carolus domuit urbem Florentinam, & alias: Veneti erant in magno metu. *Philip. ut suprà.*

## XLI.

*OMnia regna circa finem magis turbulenta fuerunt omnibus ætatibus & temporibus. strig. 2. Sam. 24.*

*Cùm impendent ruinæ: crescunt seditiones & tumultus. Idem 2. Reg. 15.*

*Magnæ semper perturbationes, magni motus & seditiones sunt in qualibet Republica, & prope-*

*modum*

*modum in quolibet corpore, in fine periodi, ante interitum*—, wenn es nun fallen sol. *Philip. in Postilla per Pezeliũ edita, part. 2. pag. 683.*

*Cùm periodi Imperiorum peractæ sunt: ruinas antecedunt immediatè hæc duo: Legum & disciplinæ contemptus: & discordiæ & ambitiones. Et ferè cùm in foribus sunt ruinæ, hæc crescunt.*

*Quando impendent exitus & fines Rebuspub. præcedũt dissensiones voluntatum & distractiones.* Sicut mortem præcedunt varij morbi, qui affligunt corpus: vel sicut ante ruinam alicujus ædificij priùs franguntur aliqui tigni. *Philippus.*

## EXEMPLA.

I. Antequam regnum Syriæ occuparetur à Romanis: orta sunt maxima bella civilia. Eo tempore multi Reges de regno dimicarunt, Antiochus, Triphon, Demetrius & alij

II. Post reditum ex Babylone perpetuis bellis concussa est tota Iudæa.

III. Cæteris item Monarchia Romana perpetua habuit bella civilia, dimicantibus inter se Romanis ducibus

IIII. Nostrâ ætate infelicissimè dimicarunt de regno Vngariæ duo Reges, Ferdinandus & Iohannes.

V Iacobus Minor, Apostolus, post ascensionem Domini Episcopus Hierosolymorum, fuit spectator horribilium confusionum: quia tunc fuerunt Respublica. Multæ fuerunt Hierosolymis cædes, mutæ distractiones. Collocata fuerunt idola in templo. Istorum omnium spectator fuit Iacobus. *Philippus ut suprà.*

# XLII.

ACcidunt interdum seditiones in Republica—, non ex intentione prima subvertendi vel mu-

*tandi ſtatum Reipublicæ: ſed ex aliquo concepto dolore in adminiſtrantes, vel Principes, vel contra eorum adminiſtros illius doloris: ob quam obtinendã ſolent plerunq; Reſpublicæ turbari: ut cùm putant ſe opprimi tributis, injurijs, injuſtitia, contumelijs. Petr. Gregor. Toloſ. lib. 23. de Repub. cap. 5. pag. 1439.*

## EXEMPLA.

I. Apud Heſtiæam popularis ſtatus diviſus, ex contentione diviſionis hæreditatis duorum fratrum. Cùm enim unus alteri non communicaret partem integram: is populum pro parte ſibi conciliavit: alter ditiores.

II. Ira & Mytilenæ ſeditio, ex hæreditate coorta, magnorum malorum fuit origo: indeq; bellum Athenienſibus contra Mytilenæos ſuſceptum: in quo urbs à Pachete Duce capta fuit.

III. Explicat hæreditatis quæſtionem Ariſtoteles, ex Timocharis divitis obitu: addit q; apud Phocenſes etiam ſeditionem ortam, ex hæreditate inter Mnaſeam Mniſonis patrem, & Eutychratem Onomachi: quæ fuit initium belli; quod Sacrum appellarunt.

IIII Fuit Romæ ſæpe ſeditio mota à plebe ob æs alienum, quo premebatur à creditoribus divitibus: quæ & adverſus eos, qui creditores ſuſtinere & defendere volebant, pervagata eſt. Item ob annonæ caritatem: contra divites ob inopiam: in Grachi Tribunatu ob frumenti penuriam.

V. Apud Ardeates ob nuptias puellæ, uſq; ad interitum ferè Reipublicæ, inter plebeios & nobiles ſeditio: dum plebeius illam ſibi denegari, à tutoribus impetratam, doleret.

VI. Fuerunt & aliæ ſeditiones ortæ, ex quadam cujuſpiam rei, quæ non placeret, occaſione: ut ob Conſulum electionem: ob rem agrariam: propter Reipublicæ ſtatum: ob colonias deducendas: ob ſtipendia retenta, & ſimilia. *Idem pag. 1440.*

# XLIII.

*IN regnis, quæ tantùm militari diſciplina gubernantur, ſumma rerum omnium poteſtas eſt penes milites.*

EXEM-

## EXEMPLA.

I. Prætoriani, stante Monarchia Romana, jus & potestatem conferendi Imperij, quibus vellent, in sese transtulerunt: sicut ostendunt historiæ Cæsarum, Caligulæ, Neronis, Vespasiani, Titi, & aliorum.

II. In regno Turcico potestas eligendi Imperatorem est penes Ianizaros: nec potest esse Imperator contra eorum consensum electus.

# XLIIII.

*QVoties Deus vult regnum aliquod aut politiam florere: dedit ei viros heroicos: eosq; instruit excellenti sapientia, virtute & felicitate. Strigel. 1. Paral. 12.*

Non inest naturâ heroica virtus hominibus: nec doctrinâ comparatur: sed divinitus existit in præstantibus naturis: ut Plato in Menone verissimè dixit. Et Cicero in secundo de Nat. Deor. Nullus, inquit, magnus vir unquam fuit sine afflatu divino.

## EXEMPLA.

I. Alexandro adjunxit Clitum, Parmenionem, Seleucum, Ptolemæum, Lysimachum, Craterum, & alios sapientes & fortes viros.

II. Sic Reipublicæ Atticæ dedit Miltiadem, Themistoclem, Aristidem, Cimonem, Cononen.

III. Reipublicæ Romanæ Scipionem, Fabium, Marcellum,

IIII. Ita David dedit Iasabeam, Eleasar, Abisai, Benajam, Asahelem & alios: quorum catalogus 1. Paral. 12, recensetur. *Strigel. ibidem.*

# XLV.

*SEnes suo consilio Respublicas conservant: & nisi magnorũ Principum æstuantes cupiditates tem-*

*pera-*

*peratione quadam consilij sæpe sustinerentur: nisi quæ juvenibus hortantibus suscipiunt, senum consiliariorum sapientia & rerum gerendarum usu penderentur atq; regerentur: sæpe leviſsima de causa regna perderent. Quapropter Reſpublicæ omnes sapienter institutæ Senatum (ut ipsa vox declarat) ex senibus conflatum habuerunt.* Iohannes Spinæus de Tranquill. animi, lib. 7. pag. 386. 387.

Quemadmodum ignis ardor aquę frigore temperandus est: sic necesse est, ut in Rebuspublicis conservandis, juvenum vehementibus & subitis cupiditatibus, senum consilium & prudentia moderetur.

Quemadmodum qui in navi clavum tenet, quamvis non moveatur loco, nec remiget, nec vela aut rudentes aptet, nec anchoram jaciat, nec alia ministeria obeat, plùs tamen, quàm cæteri, ad navis gubernationem confert: sic in Republica rectè instituta (qualis hodie Venetorum) senex cathedra sedens, in consilio plus ad ejus defensionem & conservationem, quàm miles fortis & armatus, confert. *Idem pag. 387.*

*Senes prudentia Reſpublicas gubernare, & labefactatas erigere ac restituere, Principum item negotia suo consilio dirigere possunt.* Idem pag. 386.

Cicero citat ex veteri Poëta interrogantem, Quinam everterint Rempublicam? Deinde subijcit: Oratores novi: stulti adolescentuli. Et Xenophon venustiſsimè inquit: Sicut novitij Cytharædi multas cytharas corrumpunt: ita *Iuvenes gubernatores evertunt Rempublicam*. Hujus generis dicta passim multa leguntur: quæ monent,

impe-

*imperitæ juventuti non rectè tradi gubernacula Reipublicæ.* Nazianzenus laudat legem nauticam: qua nemo admittitur ad gubernacula navis: nisi diu priùs sederit ad remos. Idem debet fieri in Republica. *Strigelius in Chron. part. 1. pag. 337.*

Parens urbis Romulus gerendæ domi Reipublicæ Senes statuit: unde Senatus dictus. Hi non ab autoritate modò, verùm & ab ætate Patres vocati. Et cùm in anno disponendo, primum mensem Marti, Veneri secundum dedicasset: à majoribus, id est, senibus, nominavit tertium. Tanti enim ducebat senectutem: ut proximum à Dijs locum, nominandis mensibus, ætati huic tribuerit. Quòd si qua unquam in Republica virtuti locus fuit: haud scio num quæ sit hac in re, sicuti nec in magnitudine Imperij cum Romana comparanda, quòd eam non Oratores novi, stultuli, adolescentuli, ut ille inquit, sed *Senes maximè administrabant: qui quòd consilio & prudentia valerent quàm plurimùm: domi forisq; rem bene gerebant.* Etenim si pravæ cupiditates, affectusq; turbulenti sejungendi sunt à nobis: ut possimus rectè consulere, & quid verum ac bonum sit discernere: videtur proprium hoc munus *Senum esse: quorum animos longa dies, & rerum multarum usus purgavit atq; excoluit: & quorum multa est observatio, atq; memoria rerũ præteritarũ.* *Ioh. Iov. Pontanus lib. 5. de Obedientia pag. 42. b.*

Cùm omnibus seculis & apud omnes nationes honorata fuerit & sit senectus: quæ ipsa per se laudabilis & suspicienda est: cujus etiam prudentia rudis ætas constituenda sit, juventaq; informanda: *meritò colendi sunt Senes: ut quisq; maximè rebus gestis clarus est, præstatq; ijs*

*virtutibus, quæ Viros bonos efficiunt : quorum præceptis qui gaudeat adolescens : næ ille existet probatissimus : cujus præcox sapientia multum sibi, multum amicis, plurimum sit patriæ utilitatis collatura, & decoris.* *Idem pag. 43.*

*Juvenes sunt feroculi ob casuum humanorum imperitiam : ac subitò incalescunt : & non nisi accepto damno sapiunt, edocti experientia, stultorum magistra. Cautiùs dimicant veterani milites :* de quibus verè canit Poëta : *Vulnerib. didicit miles habere metũ. Quantum etiam Rebuspublicis sæpe profuerint Iuniorum consilia : ex historijs notum est.* *Bucholc. in Chronolog. pag. 350.*

Syrach. 8. **Verachte nicht was die Weisen reden / sondern richte dich nach jren Sprüchen / denn von jnen kanstu etwas lernen.** Das ist: Höre den Alten vnd Weisen Leuten fleissig zu/vnd laß dich den Lasterkützel nicht betriegen / das du wolleſt meinen/ du wereſt klüger vnd weiſer als ſie ſind. Diß iſt nun ein gar nötiges / gutes / vnd heyliges Gebot für Junge Studenten vnd das Junge Haußgeſinde. Denn die Jugendt (wie denn der Clitipho in Terentio auch thut) achtet es für eine Ehre vnd Wolſtandt/ wenn ſie nur die Alten weidlich verachten/gering halten/vnd jhre ernſte Gebot vnd trewen Rhat in Wind ſchlahen vñ hindan ſetzen ſollen / gehen darzu nicht gerne mit den Alten vmb / wie auch that König Rehabeam Salomonis Sohn. **Aber ſolche eigenſinnige ſtoltze Junge Lecker vnd böſe verwehnete Buben / gehen in jrer Narrheit vnd Thorheit zu grunde vnd zu boden/ vnd wird nimmermehr aus**

keinem nichts guts / noch kommet auff einen grünen Zweig/der die Alten verachtet. Ein Alter hat viel gelernet vnd erfahren / Darumb weiß er auch viel mehr als ein Junger/ vnd ist wie ein alter Wanderer / er weiß viel Wege / vnd kan offt nach/ vnd ein Compendium weisen/damit man einen Weg ersparen / oder weiß Anleitung zugeben/wie vnd wo man in der Reise sol vnd kan zurichten / auch wol mit einem Wort so viel erinnern / welches ein Junger Lappe in vier Wochen nicht hette erstudiret / viel weniger erklügelt vnd außspintisiret. Es stehet nicht alles in Büchern. Auch können Junge Leute nicht alles ersehen/ Sonderlich wo des Mercurij Seule/vnd ein guter Anleiter vnd Wegzeiger nicht verhanden ist / oder jhnen zuspringet. Darumb sol man das Alter ehren/vnd der Alten Rede vnd That keines weges nicht verachten. Denn man spüret bald die Leute an jrem Leben vnd Wesen/vnd die Alten können auch alte Streiche oder Griffe weisen / Oder/wie Syrach hie saget: Von jnen kanstu etwas lernen. Das Griechische Wörtlein λιτεργεῖν/so allhie Syrach gebrauchet/heisset/Hofeweise/ Antwort / Ehrliche Vrtheil lernen. Vnd wil Syrach so viel sagen: Ein Junger Geselle / da etwas auß werden sol/muß Alte Leute lieb vnd werth halten / gern vmb sie sein/jnen zur Handt gehen/vnd sich nicht zu zeitlich düncken lassen/er könne nu alleine fligen / oder habe die Kunst von sich selbest vnd alleine gar gefressen / wie jener Fuchs in der Fabel. Das fligen ist wol sanffte / aber das nieder sitzen thut leiden wehe. *Mathes. in Syrac. cap. 8. pag. 50. a. b.*

Ecclesiast. 10: *Vae terræ, cujus Rex puer est.*

# EXEMPLA.

I. Vt Agesilaus; qui sua prudentia cavit: ne post Leuctricam pugnam Lacedæmon à Thebanis capta diriperetur.

II. Vt Nestor: cujus consilium Agamemnon in Trojano bello administrando, quàm omnium Imperatorum & militum fortitudinem plurisfaciebat.

III. Roboamus plùs quàm dodrantem regni amisit: quòd veteribus consiliarijs non credidisset.

IIII. Ludovicus XI. hujus regni Gallici Monarcha similem ob causam penè regno excidit: ut ipse moriturus confessus est coram filio: quem dehortabatur à suo exemplo; jubens, ut, quos relinquebat, senes consiliarios, in consilium adhiberet: & illorum sententiam sequeretur: propterea quòd, relictis sibi à patre cùm minùs ipse initiò credidisset, ferè in ruinam lapsus esset.

V. Nostra memoria, Ludovicus Rex Vngariæ, juvenis cujusdam Episcopi inductu, cui de regni administratione plenè fidebat, bellum adversus Turcas, nec viribus par, nec satis munitus, & veteribus ducibus & consiliarijs dehortantibus, suscepit. Vnde factum est, ut mortuo Rege, florentissimum illud regnum, Christianissimi firmum antea propugnaculum, in Turcarum potestatem devenerit; & infinitæ calamitates sint consecutæ.

VI. Athenienſibus ad electionem Ducis olim convocatis, cùm oratores Charetem quendam juvenem & robustum Iphicrati valde seni præferrent: Timotheus, ex principibus viris unus, Talem, inquit, non ducem eligite: sed qui duci suas stragulas portet: significans, rebus gerendis non lumbos fortes, non validos lacertos sufficere: sed magis requiri judicium atq; experientiam: ut iccirco tutiùs senibus quàm aliis, earum administratio committatur: ut qui plerunq; sapientia & peritia juvenes superent.

VII. Prætermitto exempla Appij Claudij, Masinissæ, Catonis, Phocionis, Sophoclis & Lælij; de quibus Cicero & Plutarchus: ut senilis virtutis typum proponant.

VIII. Quæro, num Moses & Iosue anno ætatis centesimo, num David, cùm præsenectute Abisagis puellæ calore foveretur, rerum curam & administrationem deposuerint, minusq; utiles, quàm cæteri, tanta ætatis gravitate fuerint? *Spinæus pag.* 386. 387. 388.

IX. Scipio is, qui primus nomen hoc meruit, à cultu & studio senis patris, qualis ipse evasit & vir & civis? quales ejus posteri?

X. Papyrius qui vir, & quantus? puer non puerorum studia & inanes ludos, sed senum sectabatur vestigia.

XI. Et Cyrus, qui regnavit in Perside, & apud avum, & apud alios usu rerum probatissimos homines, ea didicit & meditatus est: quæ postea, & fecisse illum & gessisse, quæ non historiæ tradunt? *Joh. Jov. Pontanus ut suprà.*

XII. **Moses hat nicht alles im Kôrblein gestudiret vnd gelernet / sondern hat viel dinges von seinem Schwâher / dem alten Jethro / begriffen.**

XIII. **Also auch vor Jahren vnd alten Zeiten hat man den Jungen Gesellen seine alte / verlebte / gelehrte vnd erfahrne Leute / wie** Phœnix **vnd** Chyron **gewesen / zu** præceptoren **vnd Zucht meistern zugegeben. Jetzund hat**

man

man Junge Pferde/ Junge Reuter/ Junge Lehrmeister/ derwegen wird auch nichts sonderlichs drauß.

XIIII. Deßgleichen des Römischen Manilij Rath/ war ein Junger Mañ/ Aber des bescheidenen Fabij alter Rath/ damit er hinter dem Berge halten kundte/ besunde/ vnd den kennete Hannibal wol. *Matheſius ut ſuprà.*

XV. Tyrij Perſarum bellis diu varieq; fatigati, victores quidem fuerunt: ſed attritis vitibus, à ſervis ſuis multitudine abundãtibus, indigna ſupplicia perpeſſi ſunt: qui conſpiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt: atq; ita potiti urbe, lares dominorum occupant: Rempublicam invadunt: conjuges ducunt: & quod ipſi non erant, liberos procreant. Vnus ex tot millibus ſervorum fuit: qui miti ingenio, ſenis domini, parvuliq; ejus filij fortuna moveretur: dominoſq; non truci ſeritate trucidavit: ſed pia miſericordia ac humanitate reſpexit. Itaq; cùm velut occiſos alienaſſet: ſerviſq; de ſtatu Reipublicæ deliberantibus placuiſſet, Regem ex ſuo corpore creari: eumq; potiſſimùm quaſi acceptiſſimum Dijs: qui Solem orientem primus vidiſſet: rem ad Stratonem (hoc enim ei nomen erat) dominum occultè latentem detulit. Ab eo informatus, cùm medio noctis omnes in unum campum proceſſiſſent: cæteris in orientem ſpectantibus: ſolus occidentis regionem intuebatur. Id primùm alijs videri furor, in occidente Solis ortum quærere. Vbi verò dies adventare cepit: editiſſimisq; culminibus urbis oriens ſplendere: & ſpectantibus alijs, ut ipſum Solem aſpicerent: hic primus omnibus fulgorem ſummo faſtigio civitatis oſtendit. Non ſervilis ingenij ratio viſa: requirentibusq; autorem, de domino confitetur. Tunc intellectum eſt, quantum ingenua ſervilibus ingenia præſtarent: militiaq; ſervos, non ſapientia vincere. Igitur venia ſeni filioq; data eſt: & velut numine quodam reſervatos arbitrantes, Regem Stratonem creaverunt. Poſt cujus mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes tranſijt. Celebre hoc ſervorum facinus, metuendumq; exemplum toto orbe terrarum fuit. *Juſtinus lib.* 18. *pag.* 198.

# XLVI.

*PLerunq; illi, qui Reſpublicas vel conſtituerunt, vel præclarè de Republica meriti ſunt, peſſimam retulerunt gratiam. Nam aut exularunt ab ijs Rebuspublicis, omni dignitate exuti: aut prorſus ab ingrata multitudine oppreſſi ſunt.*

*Conſtat apud omnes ferè gentes: nullos indigniùs aut iniquiùs tractatos fuiſſe omnibus ſeculis: quàm*

*eos: quorũ maxima in Rempublicã merita extiterũt.* *Rodolphus Gualtherus Homilia 44. in Lucam, pag. 117. b.*

*Qui Rempublicam administrant: si in suo munere fideles & diligentes sint: mox non ingratos modò, verùm etiam rebelles & seditiosos adversus se sentient eos: pro quorum salute ipsi dies & noctes excubant.* *Idem ibid.*

*Mundus rependit mercedem anguinam.* *Strigel. lib. 1. Ethic. pag. 56.*

*Nullius rei minor est diuturnitas, quàm beneficiorum.* *Philippus in Cordiali Abr. Bucholceri.*

*Magni viri & benè meriti de Republica, tandem obruuntur magnis procellis.*

Plures experti sunt, ut ait Pausanias, illud præclarè dictũ: *hominem nimis Reipublicæ administrationi addictum, & populari aura fidentem, haud unquam feliciter diem extremum claudere.* *Petr. Gregor. Tolos. lib. 26. de Repub. cap. 3. pag. 1499.*

Sicut mercatorum ut plurimùm hic solet esse exitus, ut bonis cedant: navigantium, ut submergantur: ita *frequenter is, qui diu Rempublicam administrat, sinistrum aliquem casum sustinere cogitur.* *In Hypomnes. politicis Francisci Guicciard. pag. 5.*

Ovid. *Obruit ingentes ista procella viros.*

Proverbium Germanorum:

**Wer da redet für die Gemeine/**
**Der bleibet zu letzt alleine.**

Omnia sunt ingrata: nihil feciſſe benignè eſt.
Pindarus inquit: παλαία δυσφ χάρις: ἀμνάμονες δ' βροτοί.
Vetus gratia dormit: homines sunt immemores.

At non debent hæc viros prudentes movere: ut propterea Rempublicam deserere, & populi ad interitū ruentis improbitati indulgere velint. Vt enim non probabitur nauclerus: qui propter vectores aliquos immodestiùs sese gerentes à gubernaculo discedit: navimq; totam perire sinit: ita neq; sibiipsi, neq; communi patriæ fidelis fuerit: qui populi improbitate & ingratitudine se superari sinit: ut Rempublicam exitio proximam deserat. Tunc potiùs consilio utendum est: & remis maximè incumbendum: ut si omnino naufragium facere oportet: saltem aliquos illi servent: & suam fidem apud omnes liberent. *Rodolphus Gualtherus ut suprà.*

Pertinét huc venustus Apólogus de mercede anguina. Quidam rusticus faciebat iter in vicinum oppidū: ut ibi suas merces distraheret. In itinere verò fatigatus assedit cuidam cavernæ: in qua latebat anguis: qui cùm animadverteret adesse viatorem: magnopere ab eo contendit: ut sibi patefaceret viam. Nam caverna erat obstructa & obturata saxo. Pro hoc beneficio promittit tantā gratiam: quanta solet referri inter homines p maximis meritis. Miser viator ignarus doli & artis Pelasgę, præstat hoc officium serpenti: removet lapidem: & sinit serpentē frui libero cœlo. Serpens qui vix prodierat ex suo antro: mox significat, se impetum facturum in benè meritum rusticum. Viator expostulans cum ingrato, An hæc, inquit, illa merces est, quę inter homines rependitur pro maximis beneficijs? Imò, inquit anguis, hæc ipsa merces & non alia reddi solet benè meritis. At viator: ego sum simplex idiota: ignarus juris & disputationum civilium: agatur res adhibitis aliquot testibus & arbitris honorarijs. Quòd si illi contra me sententiā tulerint: ego non gravatim moriar: sed noli me sine teste & judice interficere. Egrediuntur ergo ambo: & incidunt in vetulum equum: qui pascebatur solus

in ari-

in aridis pascuis: & jam erat destinatus cerdoni. Interrogant hunc, quid solus hic agat, cur non potiùs domi sit in stabulo? Hic equus respondens, Ego, inquit, triginta annos fideliter servivi meo domino: nunc cùm sim confectus ætate, & virib. destitutus: pulsus sum in hunc locum: & expecto singulis momentis ictum carnificis. Audis, inquit serpens, sententiam contra te latam? Ah, inquit viator, in duorum aut trium testium ore consistit omne verbum: progrediamur ulterius. Inciderunt progredientes in canem: qui erat in simili fortuna: in qua fuerat equus. Cùm enim is per omnem vitam fuisset custos rerum sui domini: & sæpe navasset operam domino in venatione: tandem alligatus ad arborem expectabat mortem. Iam, inquit serpens, victus es duobus testimonijs, equi & canis. Nihil igitur restat: quin similem mercedem experiaris. Sed serpens motus deprecatione & lacrymis viatoris, differt supplicium: & uterq; adhuc quærit tertium testẽ & ultimum. Veniunt ergo ad vulpeculam. Ea seorsim interrogat viatorem, an habeat multas gallinas? Respondit rusticus: non sum ego expers harum rerum: habeo multas gallinas. Si, inquit vulpecula, mihi dederis gallinas: ego te liberabo præsenti periculo. Bene est, inquit rusticus: omnes tibi dabo. Redeunt igitur & viator, & anguis, & vulpecula ad illum locum: ubi fuerat prima disceptatio orta: & facta litis contestatio. Vulpecula sua calliditate persuadet serpenti: ut irrepat in suum nidulum: & mox jubet obstrui à viatore orificium cavernæ. Ita liberatur rusticus. Quid fit? redit domũ viator: & narrat uxori ordine periculum, in quo fuerat: & addit, se promisisse vulpeculæ liberatrici omnes gallinas. Illa verò indignitate rei permota exclamavit: Gallinæ sunt meæ: malim te perijsse, quàm gallinas. Permitte mihi arbitrium statuendi de vulpecula quod volo: ita enim fiet, ut & gallinas retineamus: & tu ex vulpecula quæstum facere possis. Redeuntem ergo vulpeculam tempore constituto excipit uxor rustici fustibus: & ex vulpe occisa marito dat pellẽ:

quam

quam postea is vendidit in foro vicini oppidi. Hæc fabula est pictura pulcherrima ingratitudinis totius mundi. *Strig. lib. 1. Eth. p. 56. Vide etiam Chronicon Strig. lib. 2. pag. 94.*

Themistocles pater filium aspirantem ad Rempublicã, & magna affectantem, deduxit ad stationem navium urbis Atticæ: & monstravit ei pertusas & fractas triremes antiquas: quæ negligebantur, destinatæ focis, monens, ut cogitaret de ingratitudine: quam esset reportaturus pro operis impensis in Rempublicam. *Nec tantùm sæpe nulla gratia redditur: sed plerunq; mala. Talis benè meritis redditur gratia: plerunq; ab istis interficiũtur: qui per illos sunt servati.* Mein' servasse, ut esset qui me perderet? sagt der Tragicus. *Peucer. in lect. Chron. d. 26. Augusti, Anno 1570.*

## EXEMPLA.

I. Charondas Rempublicam Catanensium constituit. Tandem ejectus est in exilium.

II. Demetrius Phalereus summa cum dignitate Rempublicam Athenienſium rexit: donec eum Athenienſibus consueta solitaq; invidia ejecit.

III. Timotheum primùm quidem laudibus Athenienſes extulerunt. Postquam verò delinquere peccareq; visus est, nihil sum iuuit pristina virtus: neq; res antea gestæ.

IIII. Ad Themistoclem nullum omnino redijt emolumentum, neq; ex navali pugna, quam circa Salaminem fecit: neq; ex legatione, quam Spartam obivit: cùm Athenienſium munitionem occultaret. Exulavit enim ille non solùm ex Athenienſium urbe: verùm etiam è tota Græcia.

V. Pausaniæ Lacedæmonio nihil adjumenti attulit Platæenſis victoria: quò minùs, cùm Byzantij novas res moliretur, & Persico morbo laboraret, etiam cum favorem, quem ex anteactis sibi conciliârat, amitteret.

VI. Phocionem prætonium illud bonitatis & justitiæ non eripuit: quò minùs, cùm jam septuagesimum quintum annum ageret, neq, vel minimum injurium Athenienſibus intulisset (quoniam ita visum esset Antipatro: qui Pireum prodere vellet) capitis ab Athenienſibus damnaretur. *Hactenus Aelianus lib. 3. de Varia historia. De Phocione vide Petr. Gregor. Tolos. lib 26. de Rep. cap. 3. pag. 1499.*

VII. Accidit hoc olim Mosi: quem non semel convitijs gravissimis prosciderunt Israëlitæ; imò lapidibus obrucre conati sunt: in quorum gratiam ipse aulam Aegyptiacam & honores amplissimos reliquerat.

VIII. Quid David evenerit post mille bellorum discrimina, & labores pro pu-

blica salute infinitos: ex historia sacra & Psalmis ejus notius est: quam ut multa commemoratione opus habeat.

IX. Fuit eadem Ezechiæ & Iosiæ sors: quorum uterq; parùm fidos habuit eos: quorum consilijs maximè utebatur: & hi deindè populum infelicem ad rebellionem excitabant. *Rodolph. Gualth. loco suprà allegato.*

X. Ioas consilio & opera summi sacerdotis Iojadæ regno potitur: exaltatur in solium regium: introducitur in templum: inauguratur, inungitur, pronunciatur Rex. Mortuo hoc summo sacerdote, cùm amisisset ducem & rectorem consilij publici, & monitorem salutarem, degenerat: fit sui dissimilis: incipit colere idola: & idolatriam cumulare parricidijs; quia interficit Zachariam Prophetam, filium summi sacerdotis, summi sui benefactoris.

XI. Cicero evehit Augustum ad imperium: tuetur contra Antonium; postea ex conspiratione, colludente Augusto, interficitur: & quidem ab eo ipso; quem patrocinio suo servârat in judicio. *Peucerus ut suprà.*

XII. Bajazetes Achomati Bassæ ex Albania oriundo, per quem Imperium adversus fratrem defensum conservârat, gratiam laqueo reddidit. *In Chronico Philippi lib. 5. pag. 658.*

XIII. Bojebracius Matthiam ex carcere liberatum ad regnum evexerat. Sed Matthias non vicissim, quam debuit, gratiam benefactori reddidit: cùm se ad arma Bojebracio inferenda impelli passus est; etsi ut non necessaria nec justa, sic infelicia illa fuerunt, & Reipublicæ Christianæ noxia. *In Chron. ejusd pag. 641.*

XIIII. Respublica Attica retinuit in carcere usq; ad mortem Miltiadem ducem: qui vicit Persas in pugna Marathonia.

XV. Deinde Aristidem optimum virum, cujus justitia omnium literis celebratur, & Themistoclem liberatorem totius Græciæ in bello Xerxis, & Cimonem expulit in exilium. Historiæ prolixè recitantur à Plutarcho in vitis horum virorum.

XVI. Quanta fuerit ingratitudo Romæ adversus Camillum: narrat *Livius lib. 5. decad. 1.* Scitis enim optimum virum Camillum pulsum fuisse à civibus ingratis in exilium.

XVII. Scipio cùm res maximas gessisset pro patria; coactus est abire in exilium, & mori in suo prædio Linterno.

XVIII. Iustinianus Imperator, qui reliquit multa volumina legum, fuit ingratissimus adversus optime meritum ducem Bellisarium: de quo narratur memorabilis historia. Bellisarius reperisset tempore Iustiniani Imperatoris Persas; vicit Vandalos in Africa: vicit Gothos aliquoties in Italia: deniq; illo tempore nullus viri fuit tanta gloria & virtus, quàm Bellisarij. Sed audite qualis gratia sit ei relata ab Imperatore Iustiniano. Non tantùm est spoliatus opibus & omni dignitate; sed etiam effossis oculis ad extremam mendicitatem redactus est. Quare cùm sibi struxisset in viâ publica tuguriolum; quale solent habere mendici: petivit à præterecuntibus viatoribus obolum, utens hac formula: Date obolum Bellisario: quem virtus extulit: invidia cœcavit. *Strigel. lib. 1. Ethic. pag. 481.*

XIX. Anno mundi 2734. Theseus Athenis regnavit: cujus egregia & laude digna sunt facinora. Primùm enim homines dispersos & in agris vagantes collegit, & unum in locum congregavit, quæ civitas appellatur. Ad quam rem sapientia, consilio & eloquentia fuit opus, tum legibus etiam, quibus Resp. constitui atq; firmari solet.

Secundò

Secundò Minotaurum interfecit: qui crudelis Tyrannus fuit: multosq; Athenienses diripuit atq; trucidavit: tum regionem totam latronib. refertam pacavit. Sublato igitur Minotauro, Athenas à difficili tributo liberavit: & obsides Athenienſium liberos ſecum incolumes ex Creta reduxit. Amazonum exercitum ſubegit: & Reginam earum Hippolyten uxorem duxit. Pro tantis beneficijs eam gratiam retulerunt illi Athenienſes: ut per calumniam eum oppreſſum oſtracismo expulerint. *Math. Dreſſerus in Millenario tertio Iſagoges hiſtorica, pag. 215.*

# XLVII.

*SEmel motis Imperijs, non facilè pax reſtituitur: ſed ſubinde bella ex bellis naſcuntur.*

*Semel motis rebus in Eccleſia vel regnis, mutationes fiunt in infinitum: quia pœnæ latè vagantur.* *Peucer. in lect. Chron. 26. Aug. Anno 1570.*

*Uſitatum eſt, ſemel motis ſeditionibus, ſubinde plures fieri dilacerationes.* Sicut fingit Homerus, aperto utre, in quem Aeolus incluſerat ventos, erumpentibus diverſis ventis, mare undiq; turbatum eſſe: *ita in Imperijs ſemel turbato ordine politico: multæ poſtea diſtractiones ſequuntur.*

Non ſunt æſtus tanti, inquit Seneca, in Ponto Euxino: quanti ſunt æſtus in Imperio.

Xenophon inquit: πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατίφοροί.

Pindarus: facile eſt cuivis urbem movere: ſed eam rurſus in tranquillum ſiſtere, ſolius Dei opus eſt.

## EXEMPLA.

I. Ante bellum Syllæ & Marij nulla fuerunt bella civilia in Italia. Moto autem iſto bello, ſubſecuta ſunt alia plurima: quæ Romanum Imperium everterunt. Ex reliquijs belli Mariani ortum eſt bellum inter Cæſarem & Pompejum: quod formam Reipublicæ mutavit, anno poſt mortem Syllæ trigeſimo. Poſtea ſub Auguſto extitit

bellum contra Antonium Triumvirum. Ita bella ex bellis nata sunt: nec fuit quieta Italia ab illo primo bello, usque ad translationem sedis Imperij in Græciam, ducibus Romanis subinde de Imperio decertantibus.

II. Bellum Peloponnesiacum fuit primum bellum sociale; quod gestum est inter Græcas civitates; duravit annis penè triginta. Hoc compositio, subsecutum est aliud inter Thebanos & Spartanos propter Locros & Phocenses; inter quos æmulationes extiterunt. Paulò pòst exortum est bellum sacrum; enata sunt & alibi bella: & Athenienses Simum occupaverunt. Ita Græcia nunquam fuit tranquilla: etiam pòst oppressa fuit à Philippo Macedone.

III. Bella civilia inter successores Alexandri nata non quieverunt ante finem Monarchiæ Græcæ.

# XLVIII.

*NOn potest esse firmus consensus in magnis Imperijs inter plures Collegas & socios, autoritate & potentia pares: quantumvis eorum animi fœderibus & alijs firmioribus vinculis colligentur. Facilè enim inter tales nascuntur dissidia: quæ in bella civilia erumpunt.*

*Omnis potestas summa est impatiens consortis: nec facilè inter duos ejusdẽ Reipub. Reges convenit.*
*Danæus in Aphorismis politicis, pag. 214.*

Seneca: *Nec regna ferre socium, nec tædæ queunt.*
Lucan. lib. 1. *Nulla fides regni sociis: omnisq; potestas*
*Impatiens consortis erit.*
Ennius: *Nulla sancta societas nec fides regni est.*

## EXEMPLA.

I. Post Sethonem Regem Aegypti, abolita Monarchia, constituta est Aristocratia; & commissa est administratio regni duodecim Principibus: inter quos unus fuit Psammetichus; qui sublatis reliquis, excitato civili bello, solus regno potitus est. *Herodot. lib. 2.*

II. Post

II. Post mortem Iulij Cæsaris partiti sunt regnum Augustus, Lepidus & Antonius. Sed cùm Collegæ conarentur Augustum excutere: ipse, reliquis devictis & interfectis, solus regnum obtinuit. Dion de triumviratu Cæsaris, Antonij & Lepidi: Difficile erat tres aut duos viros æquali dignitate sublimes, cùm bello tantas res adepti essent, concordiam servare.

III. Constantinus Magnus pulsis Collegis, inter quos postremus fuit Licinius affinis, sororis maritus, regnum occupavit.

IIII. Pyrrhus sustulit Neoptolemum.

V. Iugurtha post mortem patris sustulit fratres collegas: ut solus rerum potiretur. *Vide Salust. in Iugurtha.*

VI. Contra Demetrium Regem Macedoniæ adjuvit Pyrrhum in occupanda Macedonia Lysimachus. Hi duo sunt postea partiti regnum Macedoniæ: sed non fuit diuturna amicitia inter Lysimachum & Pyrrhum. Pyrrhus enim excussit Lysimachum: cumq; interfecit: cùm priùs à Lysimacho & Macedonia & Epiro fuisset pulsus Pyrrhus. Plutarchus in vita Pyrrhi inquit de isto facto: Paulò post agnoscebat Pyrrhus, istam partitionem regni non attulisse finem discordiæ: sed præbuisse causas & initium dissidijs & querelis novis, & multò majoribus. Quorum enim cupiditates nec mare, nec montes, nec vastæ solitudines, nec termini Asiæ & Europæ cohibere poterant: illos quomodo ratio, quomodo vincula cognationis coërcere possent? Talia accident aliquando in Germania: ubi Principes fuerint partiti Episcopatus. Plutarchus in vita Demetrij: Adeò impatiens est consortis imperium, infidelitatisq; & malevolentiæ plenum; ut Antigonus gloriaretur, potentia & ætate maximus successorum Alexandri Magni; quòd non metueret sibi a filio: sed eum ad se cum hasta venientem admitteret. Et sanè sola hæc familia per plurimas successiones ab intestinis cædibus pura fuit: solusq; ex omni Antigoni posteritate Philippus filium suum necavit. Reliquæ successorum Alexandri familiæ ferè omnes multis liberorum, matrum, uxorumq; cædibus sunt contaminatæ. Nam qualia apud Geometras sunt, quæ illi sibi concedi suo jure poscunt, & postulata appellant: tale postulatum Regibus commune est, & quasi concessum, fratres securitatis causa necare.

VII. Iulius Cæsar Bibulum Collegam suum in Consulatu prorsus repudiavit. Vnus ex eo tempore omnia in Republica & ad arbitrium administravit: ut nonnulli urbanorum, cùm quid per jocum testandi gratia signarent: non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare Coss. actum scriberent, bis eundem præponentes nomine atq; cognomine: utq; vulgò mox ferrentur hi versus:

*Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est:*
*Nam Bibulo fieri Consule nil memini. Sueton. in Cæsare.*

VIII. Iohannes Palæologus & Iohannes Cantacuzenus simul imperarunt in Oriente. Inter utrumq; ut firmior coalesceret benevolentia: alter alteri filiam matrimonio conjunxit. Sed ut regna socium ferre nequeunt; ita citò dissilijt malè facta inter utrumq; concordia: Gener exosus potentiam soceri profugit in Tenedon, adducturus nova auxilia ad socerum exturbandum. Tandem post varias clades Cantacuzenus Palæologo cessit: & Imperio abdicato, sese in Monasterium abdidit. *Vide Chronicon Philippi lib. 5. pag. 577.*

IX. Henricus Dux Brunsuicensis, Caroli Cæsaris stipendijs conductus, ut nutantem in Italia Cæsareanarum partium fortunam, novis copiarum viribus confir-

maret:& obsessis Neapoli, ab Odetto Foixio Lautrecho Gallorum Duce,Cæsareanis opem ferret; viginti signa peditum,& sexcentos equites in Italiam duxit. Cujus adventu cognito, Antonius Leva,qui Mediolanum nomine Cæsaris tuebatur,trans Abduam ad ejus colloquium venit: eumq;, quòd itinera Neapolim versus impedita ab hostibus tenerentur,ad Laudem Pompejam oppugnandam deduxit. Qua tormentis, quæ simul advexerat, verberata, & aliquot impressionibus irrito conatu factis, cùm stipendia militibus solvere Antonius Leva recusaret; & jam lues pestilens in ipsius legiones atrociter grassari inciperet: hortante etiam & instigante Antonio Leva: *qui collegam potentiorem, socium imperij & rapinarum apud se retinere nollet:* rebus infectis,& magnam bellici apparatus partem,& equos,intumescentibus ungulis, relinquens,exiguove precio divendens,in Saxoniam redijt. *Chytræus in Chronico Saxoniæ lib.12. pag. 361. sub Anno 1528.*

X. In Vngaria An. 1526. cùm Rex Ludovicus cum Turcis conflicturus esset: pleriq; censuerunt, non esse propter paucitatem copiarum cum hoste decertandum: sed adventum Iohannis Veidani,cum suo agmine subsequentis,expectandum. Verùm Tomorræus Monachus, qui se belli ducem ipse fecerat,partim ex temeritate, partim ex ambitione,contrà disseruit. Videbat enim Iohanni supervenienti trădendum esse imperium exercitus; quo ipse non libenter cessisset. *Vide Curæum in Annalib. Silesiæ pag. 252.*

XI. Cleomenes non priùs quievit: quàm ejiceret Demaratum. *Vide Herodot. lib. 6. pag. 169.*

# XLIX.

*EST ac semper fuit difficilimum summa imperia duorum tueri:* & quod Lucanus scribit: Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas Impatiens consortis erit: de Duumviratu potissimum interpretandum est: quia *trium pluriumvé potestas stabilis esse potest ac firma: duorum non item: cùm per naturam unum uni tantùm contrarium sit: plura esse non possunt: tertium enim quasi medium quid extrema copulat. Ioh. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 2. pag. 303.*

Quòd si una civitas ne fratres quidem summi imperij collegas,ut minimùm dissideant,ferre potest: quonam mo-

do mun-

do mundus hic duos Imperatores voluntate ac tota sui natura dissidentes ferat? *Tres aliquātò faciliùs imperarēt*, propter eam, quam priùs diximus, rationem. *Idem pag. 304.*

## EXEMPLA.

I. Imperatores Romanorum, cùm ijsdem temporibus ad eadem sceptra capessenda venirent; ne mutuo imperij concursu amicitiam ac fidem violarent; divisum Imperium habuerunt: alter quidem Orientis, alter Occidentis regiones; ac tametsi leges eædem communi utriusq; voluntate in utroq; imperio interdum promulgarentur; re tamen divisa imperia fuêre.

II. Lacedæmoniorum Rempublicam Rex unus facilè moderabatur; at cùm Aristodemus Proculum & Eurysthenem liberos simul regnare vellet: tunc oborta contentio est: ac dissidentibus utrisq; Lycurgus facilè potestatem eripuit: & conversō statu ad populum summam rerum detulit.

III. Idem antea Aphareo & Leucippo, Messeniorum Regibus (*ut est apud Pausan. lib. 4.*) contigerat.

IIII. Sed Argivi ne eadem tempestate jactarentur; cùm Atreus & Thyestes patris imperium simul crevissent: populus prudentiorem universo imperio præfecit, vel, ut Lucianus (*in lib. de Astrolog.*) prodidit, doctiorem.

V. Qui verò à Meroveo & Carolo Magno stirpem duxerunt, cùm plures liberi eandem hæreditatem cernerent: provincias & imperia inter se divisērunt. Nam Clodovei liberi ex unius patris regno quatuor, æquata potestate, fecerunt; ac Ludovici Dij tres liberi totidem regna inter se partiti sunt. *Nec plures simul imperium indivisum diu tenuisse legimus: propter individuam maiestatis naturam, & plenam periculorum imperij societatem: in qua nullus summum imperium habet.*

VI. Cùm Cn. Pompejus, & C. Cæsar, M. Crassum ad amicitiam societatemq; imperij sibi adjunxissent; tanta concordia seipsos ac Romanorum imperium tuebantur; ut vulgus illos Tricipitium appellaret. Postea verò quàm Crassus cæsus est in Chaldæa; eodem momento Pompejus à Cæsare dissidere, ac Respublica sævissimis bellorum civilium tempestatibus ac procellis tamdiu jactari visa est: quoad unus omnia moderaretur.

VII. Eadem penè, interfecto Cæsare, in Triumviratu contigerunt; cùm Augustus, Antonius ac Lepidus Imperij Romani corpus unum in tria membra divisissent; cùm Lepidus ad Imperium omninò ineptus, Augusto fasces summisisset: tametsi Antonius Augusti sororem sibi despondisset: ac Imperium ex æquo inter se divisissent; regionibusq; à sese disjunctissimi viverent; non tamen diu conquieverunt; quin alter alterius dominatu ac potentia quateretur. Inde consecuta est stabilis Imperij salus unius imperio confirmata. Illud igitur fixum teneamus; nec Monarchiam dici, ubi pares duos Imperij majestas est: *nec eo statu, si dissident, Imperium consistere posse. Bodinus ut suprà.*

Omnes

# L.

*OMnes mutationes Imperiorum habent aliquid ſævitiæ. Strigel. in orat. de Cyro.*

*Mutatione Imperiorum rarò mutantur calamitates. Et ſæpe liberatores Rerumpublicarum ſolent vino libertatis acerbum acetum infundere.*

Neq; illa Prudentis Poëtæ querela vana eſt, qui dicit:

*Libertatis amor, ſtultum cur decipis orbem?*

*Cæſius in Annalibus Sileſiæ pag. 171.*

*Imperiorum mutationes non fiunt ſine magnis calamitatibus publicis & privatis:* ſicut veriſſimè dixit Xenophon: πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν φονατήφοροι. *Nec minus incommodi eſt in gubernatorum crebra mutatione: quàm ſi formæ politiarum, legum & gubernationis innoventur:* ſicut vulgò dicitur: Novus Rex, nova Lex: quod non tam de ſcripta Lege, quàm de Principum moribus intelligatur: qui ſæpe efficaciùs movent animos ſubditorum: quàm leges ipſæ. Sicut Oſe. 4. dicitur: Qualis populus, talis Sacerdos.

Et Claudianus inquit: *Non ſic inflectere ſenſus*
*Humanos edicta valent, ut vita regentum.*

Proverb. 28. inter pœnas peccatorum generis humani recenſentur crebræ mutationes Principum: ut nulli diu regnent: vel ut multi diſcordes regnent: & alij alios pellant: Propter delicta terræ citò alij poſt alios fiunt Principes: & propter virum prudentem & intelligentem durabilius eſſe imperium. Apud Pauſaniã extat præclarum dictũ in eandem ſententiã:

μάλισα πᾶς ἐπὶ πλείσμασιν ἐθέλῃ μεγάλοις προσφαιρεῖσθαι τὴν ἡγεμόνα ὁ δαίμων. Magnorum Principum obitus fatales & ominosi. *In Chron. Philip. lib. 4. pag. 340.*

Vt Cometes novus apparens, aut magnum bonum, aut ingens malum portendit mortalibus: ita *novus Princeps salutem adfert rebus humanis, si bonus est: aut maximam pestem, si malus. Petr. Gregor. Tolos. lib. 7. de Repub. cap. 19. pag. 504.*

*Vt experientia docuit, semper cum novo Rege nova lex sequitur: novi magistratus: novi amici: nova consilia: novi inimici: nova vestimenta: novus modus vivendi: in summa, omnia innovantur: nec alia interdum de causa: quàm ut sui memoriam ex innovatione relinquant: quod non solùm singulis, sed etiam corpori Reipublicæ maximè damnosum est. Nam fœdera cessant: armantur vicini confœderati: invadunt: prædantur fortiores, eos qui debiliores sunt: factiones in interregno sæviunt, pluribus ad electionem aspirantibus: & civilibus armis se mutuò, cupiditati aliorum inservientes, interimunt cives. Idem ibid.*

## EXEMPLA.

I. Magnis domita cladibus Ionia à Cyro, vix tandem in servitutem redacta est. *Strigel. ut suprà.*

II. Prutenis, qui se avulserunt ab Imperio, & manserunt in potestate Regis Poloniæ, hoc accidit: quod Xenophon habet in Epiphonemate suæ historiæ de bellis Græciæ: cùm existimaretur esse debellatum: plus fuit confusionum in Græcia: quàm ante bellum. *Curæus ut suprà.*

III. Carolus filius Ludovici Germanici, cùm à Carolomanno Italiam, ab altero Ludovico Germaniæ regnum jure hereditario accepisset; Saracenos in Italia grassantes & Vrbi imminentes, inde feliciter abegit, totaq; Italiæ pepulit: quo tempore à Iohanne Pontifice Imperator renunciatus est. Tertium ergo hunc Imperatorem intra annos quatuor Occidentis Imperium habuit: quæ tam crebræ mutationes, præter quàm quòd hostium vicinorum & aliorum Principum audaciam & potentiam, vulgiq; licentiam confirmarunt; Imperium etiam ipsum ceu enervatum graviter affixerunt: & commutatis animis, studijs ac moribus vulgi, sicut fieri in mutationibus solet, perturbationes ac distractiones pepererunt magnas. *In Chron. Phil. ut suprà.*

# LI.

*IMperia, quamvis optimè constituta, non sunt durabilia. Strig. in Chron. pag. 170. & 322.*

*Summis negatum stare diu. Itaq; regna & Respublicæ, quibus res ex animi voto succedunt, diu sic felices perstare non possunt: sed vel à DEO, propter abusum felicitatis, immediatè summis calamitatibus, vel ab hominibus, magnis bellis, sive ex invidia, sive ex metu, statim affliguntur.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 196.*

Hinc sunt illæ querelæ: Magna momento ruunt. Item: Summisq; negatum est Stare diu: nimioq; graves sub pondere lapsus.

## EXEMPLA.

I. Sub Davide & Salomone, patre & filio, annis ferè octoginta, fuit mediocris status regni Iudaici. Mortuo Salomone, Roboam ex patre sapientissimo stultissimus filius & arrogantissimus, qui quòd populum se arctiùs habiturum, quàm fecisset pater, palàm professus esset, amisit maximam regni partem, videlicet decem tribus; & vix retinuit duas tribus, tribum Iudæ & tribum Benjamin cum Levitica. Levitica verò cum Iudaica mansit propter templum Domini: quod erat Hierosolymis. Hoc exemplum ostendit: ***non diuturnum esse felicem statum regnorum: sed DEVM aliquantùper retinere imperia: ne desint Ecclesiæ hospitia.*** *Idem ut suprà. Item* 1. *Reg.* 10.

Postea

Postea fuerunt perpetua bella civilia inter regnum Iuda, & regnum decem tribuum seu Israël.

II. Idem accidit in regno Persico. Cyrus fuit laudatus & bonus princeps: filius verò Cambyses fuit degener Tyrannus. Mortuo Cambyse defecit Babylon à regno Persico: & vix magno labore potuit recuperari à Dario Hystaspis. Nunc Xerxes movet bellum πολυπραγμονικὸν & non necessarium: quo duo partes orbis terrarum graviter afflictæ sunt, Europa & Asia. Postremo tempore Persicæ Monarchiæ Ochus sævitiam exercuit adversus Ecclesiam: & sibi ac posteris pœnas accersivit. Nam Bagoas princeps, & ipsum & filium ejus Arsamen veneno necavit. *Strigel. in Chron. ut suprà.*

III. Sic Polycrates in suo regno (in quo ei cuncta prosperè cedebant) non semper fortunatus fuit: sed tandem cum regno turpiter vitam amisit. *Vide Herodot. lib. 3. pag. 85. 100. 101.*

# LII.

*IMperia non solis consilijs aut viribus humanis firmantur aut restituuntur. In Chron. Phil. pag. 547.*

*Ordo in Imperijs, ut in rerum natura, sine dubio est opus Dei. A Deo sunt & boni ac præstantes humanoq; generi utiles Principes: & felix ac salutaris gubernatio. In eod. pag. 410.*

*Imperia Dei sunt opera: & excitantur divinitus, cùm opus est, sapientes, magnanimi, concordes & felices Principes: atq; adjuvantur & instruuntur: cùm per sese viribus imbecilles, & mole negociorum ac periculorum judicio humano videntur esse impares. Reguntur etiam divinitus consilia publicarum deliberationum: cùm quæruntur idonei gubernatores: & flectuntur animi deliberantium, ad ea: quæ sunt salutaria* ἡ συμβουλευτικά. *In eod. pag. 547.*

## EXEMPLA.

I. Quòd in maxima & confusissima anarchia Interregni, Italia flagrante intestinis dissidijs ac seditionibus, Germania ex veteribus odijs & motibus novis dubio statu fluctuante, cunctis rebus ubiq; ad tristem ruinam spectantibus: quòd tunc ergo penè cunctis cæterorum suffragijs gubernacula Imperij commissa sunt uni Rudolpho Habsburgensi, multis alijs præteritis: id gubernatum esse à DEO non dubitemus: qui & Principum animos impulit, ac flexit: ut hunc præferrent: & ipsum Rudolphum, quanquam pleriſq; alijs inferiorem opibus, viribus, autoritate, tamen quadam animi magnitudine incitatum confirmavit: ne onus difficilimæ & periculosissimæ gubernationis recusaret. Gessit enim res salutares orbi Christiano, ac præcipuè patriæ: etsi, ut nulla humana sapientia non errat aut impingit alicubi, sua quoque habuit errata. Affectavit tunc Imperium ambitioso pariter ac minaci conatu Ottocarus Boëmus, empto Ottonis Brandeburgici suffragio, & nonnullis inter reliquos etiam ordines pecunia expugnatis. Et disputatum etiam fuit in Senatu Septemvirûm de nonnullis alijs: quorum aliquos opum splendor, aliquos fama rerum præclarè gestarum, aliquos sapientiæ opinio & respectus autoritatis commendavit. Sed Rudolphi fatum vicit. *Ibid.*

## LIII.

*MVtationes Imperiorum fatales.*

*Fato evenire mutationes, quæ efficiunt vastationes in Imperijs, seditionibus aut bellis, civilib. vel externis, præsertim si plures simul in eundem, quasi articulum temporis locis diversis incidant, non est dubium. In Chron. Philip. pag. 543.*

## LIIII.

*ADministratio regnorum vel Reipublicæ sine arte, ex sola experientia, sæpe fallit: ut & sola consideratio & contemplatio sine experientia. At*

*quando*

*quando utrumq; cõjungitur: felicẽ facit Rempublicã.* Ita non sufficit, ut quis bonus medicus habeatur: didicerit artem medendi exscriptis: cùm in his non solùm curationes, sed & quomodo etiam sanari possint homines, & curatio adhibenda sit, uniuscuiusq; habitu distincto, exigatur. *Petr. Greg. Tolos. lib. 10. de Repub. cap. 6. pag. 640.*

# LV.

*SOepe fit, ut Principes è carcere ad regnum evolent. Contrà sæpe fit, ut potentissimi Principes ex alta dignitate in miserabilem servitutẽ deturbẽtur.*

*Ioh. Spinæus de Tranquill. animi lib. 6. pag. 373.*

1. Samuel. 2: Erigit ex pulvere exhaustum: & inopem ex luto attollit: ut collocet eum inter principes: & solium gloriæ tanquam hæreditatem ei attribuat: quia Domini sunt columnæ terræ: & posuit super eas orbem.

Psal. 113: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? Humilia respicit in cœlo & in terra. Erigens è pulvere inopem, & de stercore erigens pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Ecclesiast. 4: E carcere aliquis educitur ad regnum: alius in regno natus, id amittit. Vel ut in paraphrasi poëtica Viviani dicitur:

*E carcere hic ad aurea*
*Decore multo culmina*
*Transcendit: alius regia*
*De stirpe vitam inglorius*
*Rebus in egenis transigit.*

## EXEMPLA

## prioris membri.

I. Ioseph è carcere ad universi regni Aegypti gubernationem eductus fuit: de quo *Psal.* 105. Misit ante eos virum, in servum venundatus est Ioseph. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertransivit animam ejus. Donec veniret verbum ejus: & eloquium Domini probavit eum. Misit Rex, & solvit eum: Princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Vt erudiret Principes ejus juxta voluntatem suam: & senes ejus sapientiam doceret.

II. Item Carolus Martellus longa captivitate, qua detinebatur à suis inimicis, tandem liberatus, ijsque omnibus paulò pòst tempore superatis & occisis, tantùm suis fortibus factis promeruit: ut Magister Gallorum (qui secundus erat à Rege) ab omnibus Ordinibus crearetur.

III. Rex Matthias, qui è Regibus Vngaricis felicioribus & potentioribus unus fuit, emissus è carcere, quò à Rege superiore fuerat relegatus, cum maxima pompa Budam, regni metropolin, Rex coronandus est profectus. De quo sic Aeneas Sylvius ait: Singulare prorsus humanæ inconstantiq documentum, ex duobus adolescentibus, ætate moribusque penè paribus, alter Ladislaus Rex ex regio solio dum novæ nuptæ thalamum exornat, defertur ad tumulum: alter dum capitalem sententiam expectat trepidus, ex carcere vocatur ad regnum. Mirabile, quòd matrem repentina lætitia non exanimaverat: cùm tot cladibus afflicta priùs Regem appellatum audierit filium: quàm vinculis exemptum. Camerarius *Centur.* 2. *Oper. succis. cap.* 31. *pag.* 190. ita hanc historiam recenset: Fuit Matthias Rex Vngariæ, Iohannis Huniadis, Corvini Moldavi, viri excellentis, & præclaræ virtutis, & qui Turcarum fulmineus terror appellabatur, filius. Is mortuo patre, ab Ladislao Hungariæ & Bohemiæ Rege, ob cæsum Vlricum Ciliæ Comitem, Regis cognatum, necato fratre suo Ladislao, in arctissimum carcerem inclusus, primò Budam, pòst in Bohemiam, ut ibi procul à patria quoq; ad supplicium raperetur, abductus est. Verùm enim verò cùm ita in vinculis, absq; omni spe, utpotè neci destinatus, detineretur: accidit, ut Ladislaus veneno, uti fama est, sublatus Pragæ extingueretur. Consuetudinem is habebat, *inquit Cominæus lib.* 10. ijs locis cum fœmina quadam nobili: quæ graviter ferens, illum in matrimonium ducere Caroli VIII. Galliarum Regis filiam, contra datam sibi fidem & promissum, in balneo pomum ei dedit, per medium cultello divisum: qui veneno tinctus erat. Mortuo itaq; Ladislao: Hungariæ proceres, partim beneficiorum patris Huniadis, qui sæpiùs Turcorum conatus & irruptiones hostiles singulari felicitate fregerat, memores, partim Michaëlis Zilagij ejus avunculi autoritate, nec non & Elisabethæ Silagiæ matris fœminæ lectissimæ precibus & largitionibus moti, deniq; calamitatem nobilissimi adolescentis averruncare conantes, eum abientem & captivum, & propè extremo supplicio destinatum, in Regem crearunt. Prædixerat hanc felicitatem filij minimi nato patri ipsius diu antè Iohannes Capistranus: qui pro sancto viro tunc temporis habebatur: admiratus præclaram indolem Matthiæ. Cæterùm electo Rege Matthia Corvino à proceribus Hungariæ: cùm Rex Bohemiæ Georgius Pogiobracius fortè cœnans, literis & legatis hac de re, quam antea ex rumoribus tantùm senserat, fuisset admonitus: mox Matthiam accubantem sub se imo loco, in honoratiorem supra se collocari jussit. Cumq; hac subita mutatione Corvinum inter spem &

metum,

metum, memorē fortunæ ſuæ præſentis, attonitum conſpiceret: eum bono animo eſſe juſſit: exacta enim cœna fauſtum & felix nuncium ſe indicaturum: quod & fecit. Nam non ſolùm eum, antea pacto precio redemptionis, liberum eſſe juſſit (hoc enim unicū Matthias expetiverat) ſed etiam tacito perpetuo fœdere, Regem Hungariæ ſalutavit: filiamq; ſuam Catharinam deſponſavit. Quæ multiplicia bona uno tempore cumulata Matthias læto animo accepit; & gratias egit: cunctaq; quæ voverat, inviolata fide præſtiturum eſſe recepit.

IIII. Non ita pridem Comes Richmontius, profugus & exul Angliæ, poſt decennium, quo pauperrimus fuerat, exiguo Regis noſtri auxilio Richardum Regem devicit; &, occupato regno, paulò pòſt Rex fuit coronatus, & ab univerſo populo vocatus. *Spinæus ut ſuprà.*

V. Iſmaël ſecundus Perſarum Rex, è carcere, in quem à patre Techmas detruſus fuerat, ad regnum evolavit. *Iohan. Leonclavius part. 2. Annal. Turcic. pag. 89.*

VI. Goſtavus Erici cùm obſes, præter fidem datam captivus abductus eſſet in Daniam à Chriſtierno Rege: mutato habitu elapſus in venatione, ad regnum Sueciæ potentiſſimum, ex afflictiſſimis initijs, & deſperata penè fortuna, divinitus evectus eſt. *Chytræus in Chronico Saxoniæ lib. 9. pag. 265.*

VII. Amurathes Imperator Turcicus Tattarum quendam Aslan Czirei dictum, quem multos annos captivum detinuerant Ottomanni, & ipſum regij ſanguinis, pecunia & milite inſtruxit; ut Regem Tattariæ ſibi rebellantem ex regno excuteret. Perfecit autem hic largitionibus, ut Tattari proprium Regem, in caſa ruſtica tum diverſantem, cum duobus filijs in fruſta conciderent: atque Aslanum pro Domino acciperent. Acciderunt hæc An. Chr. 1584. *Idem lib. 27. pag. 805.*

VIII. Maſiniſſa Numidas, quem Livius longè maximum omnium ſuæ ætatis Regum appellat, quoties, nondum favente fortuna, ad regnum aſpiravit: toties propemodum magna cum clade ſuorum, & ingenti periculo vitæ ſuæ, improſpero ſucceſſu dejectus eſt: donec ſuperatis potentiſſimis hoſtibus, regnum avitum, idq; ob ejus fidem & conſtantiam in bello contra Carthaginenſes, munificentia populi Romani, auctore Scipione, admodum auctum, uſq; ad ſummam ætatem, quietè adminiſtraret. Primò enim mortuo patre Gela excluſus: ſed mox recuperato regno paterno, inſtinctu Aſdrubalis, qui ejus indolem & acre ingenium metueret, à Syphace Rege acie victus: & cum paucis in Balbum montem compulſus: ibidem rapto vivere coactus eſt: donec à Boccharе præfecto regio, viro acri & impigro, cum exercitu in vallem arctam conjectus fuit: inde cum haud quinquaginta equitibus per anfractus montis ignotos vix ſequentibus ſe eripuit. Tenente autem ejus veſtigia Bocchare: ab eo in patentibus prope Clupeam urbem campis, ita veluti indagine incluſus eſt: ut cæteris omnibus, præter quatuor equites, cum ijs ipſum quoq; Maſiniſſam ſaucium, è manibus inter tumultum amiſerit. In conſpectu erant fugientis, *inquit Livius*, alæ equitum diſperſæ lato campo: quibuſdam ut occurrerent per obliqua tendentibus, quocunq; hoſtis flectebat: amnis ingens fugientes accepit (neq; enim cunctanter, ut quos major metus urgeret, immiſerunt equos) raptiq; gurgite, & in obliquum relati, duobus in conſpectu hoſtiū in præruptum gurgitem hauſtis, ipſe perijſſe creditus: duo reliqui equites cum eo virgulta ulterioris ripæ tenuerunt. Is finis Boccharі ſequenti fuit, nec ingredi flumen auſo, nec habere credenti ſe, jam quem ſequeretur. Maſiniſſa in ſpelunca occulta cùm herbis curaret vulnus: duorum equitum latrocinio per dies aliquot vixit. Vbi pri-

mùm

mùm ducta cicatrix: patiq; posse visus est jactationem; audacia ingenti pergit ire ad regnum repetendum: & cum favore pristino & gaudio insperato; quòd quem perijsse credebant, incolumem cernebant; fecit, ut intra paucos dies sex millia peditũ armatorũ, & quatuor equitũ ad eum convenirent; atq; non in possessione paterni regni esset: sed etiam Masæsylorum fines (id Syphacis regnum erat) vastaret. Irritato ad bellum Syphace; cum filio Vermina, Masinissam vi partita acie, à fronte & à tergo, aggreditur; cæsoq; ejus exercitu cum LXX. equitibus vix fuga evasit: atq; ad minorem Syrtim pervenit: ibiq; permansit: donec opera & auxilio Romanorum, inprimis Scipionis Africani, non solùm patrium regnum, sed quoq; Syphacis hostis sui, obtineret: mansitq; in fide & tutela Romanorum constanter usq; ad mortem suam: adeò ut non solùm omnis Africa, sed etiam cunctæ gentes scirent, amiciorem Corneliæ familiæ, atq; urbi Romanæ, quàm sibimet fuisse. *Camerar. Centur. 2. Oper. succis. cap. 31. pag. 188. 189. 190.*

IX. Admirabile fortunationis genus visum est nuper in Ludovico Aurelianensi Duce: qui pugnans adversus Regem Galliæ captus cùm esset: capitiq; damnatus, patrum, ac judicum omnium sententijs, in carcere custodiretur ad supplicium: à Rege Carolo VIII. adversus omnium sententiam atq; opinionem, absolvitur: atq; ab ipso Rege reserato carcere, equo acceptus in regiam deducitur; nec multos post annos, Carolo ipso absq; liberis decedente, Galliarum Rex creatur, uno patrum ac procerum consensu. Atq; haud multò post Ludovico Mediolanensium Duce, de metu adventus ejus in Italiam consternato: clanculumq; ab illo arrepta fuga; Insubrium ei omne deditur, cum Transpadanis, quiq; cis Padum sunt populis. *Ioh. Iov. Pontanus lib. 2. de Fortuna, pag. 283. b.*

# EXEMPLA

## posterioris membri.

I. Ex Romanis Imperatoribus Valerianus contra Persas agens incautè in potestatem Regis Saporæ incidit: & ignominiosa servitute apud eum consenuit: ut ipse senex acclivus humi, Regem equum ascensurum, non manu, sed dorso semper attolleret.

II. Ex Constantinopolitanis magna pars in carcere vitam finierunt.

III. Ex Germanicis, Henricus IIII. qui sexaginta commisisse prælia dicitur (quod de alio nullo nec ante nec post ipsum narrant historiæ) tandem post tantos honores & victorias, à filio in carcerem detrusus miserè obijt.

IIII. Ex Græcis Principibus Dionysius Tyrannus potentissimus, regno expulsus ad eam redactus est paupertatem: ut Corinthi ludum literarium aperuerit.

V. Alexander filius Persei Regis Macedonici, Scriba Magistratuum Romanorum factus est.

VI. VII. Ex Iudæis, Ioachin & Sedecias Babylone captivi mortui sunt: ille per triginta annos carcere inclusus: hic & liberis & amicis ante oculos, inde ipsis oculis orbatus: quò gravior & miserior esset ejus captivitas.

VIII. Et ipsa in genere progenies Davidis eò paupertatis decidit: ut Iosephus, inde natus, cogeretur arte fabrili victum sibi comparare: & virgo Maria, illius sponsa,

die purificationis parturturum offerret quæ pauperum erat oblatio Lege Dei constituta.

IX. Omnes Herodis Magni (qui tantos labores susceperat ut opulentissimum & perpetuum filijs relinqueret Iudææ regnum) successores an non post centesimum ab ejus morte annum exterminati fuerunt, & ex ijs quidam, ut Herodes & Antipas, in perpetuum carcerem relegati?

X. Ex Turcarum Imperatoribus, Bajazeth hujus nominis primus, post multas victorias non à Tamerlane captus fuit? Hic illi, in prioris fortunæ ludibrium, reliqua vita in cavea concluso, cùm sumeret cibum, frusta & ossa tanquam cani objiciebat, tyrannica prorsus & barbara insolentia.

XI. Ex Anglis Regibus, Richardus Principis Gallensis filius, cùm tanto honore affectus fuisset, quanto ante illum in Anglia nullus: in senectute (cui ætati requies maximè necessaria) ab hoste captus, miser & egenus reliquum vitæ spacium traduxit.

XII. Philippus Cominæus narrat, sua ætate quosdam ex regia Anglorum sobole eò paupertatis redactos: ut in aula Ducis Burgundiæ quidam ex domo Lancastrica, aliquandiu à pedibus servus esse cogeretur.

XIII. Ex Vicecomitibus Mediolanensibus, Barnabo ille terribilis nonne tandem à Iohanne Galeatio interceptus, crudelissima morte in carcere interijt?

XIIII. Et postea Ludovicus Sfortia, qui sibi Mediolanensem Ducatum usurpârat, an non Novaræ captus, in arce Ochensi apud Turones cavea ferrea conclusus expiravit?

XV. XVI. Ex Gallorum Regibus, Chilpericus & Ludovicus simplex, nonne à suis subditis regno pulsi, alter in carcerem, alter in monasterium relegatus fuit.

XVII. Ex Hispanis, filia unica Henrici, Regis Castiliæ, an non dolis & vi Reginæ Isabellæ, coacta fuit in Lusitaniam aufugere, ubi tanquam serva viveret?

XVIII. Et nostra ætate quid accidit Duci Sabaudiæ, Regi Vngariæ, Germanis quibusdam Principibus, & Mulcassæ Regi Tunetæ, alijsque plurimis? *Spinæus pag.* 373.374.375.

# LVI.

*SÆpe etiam inferioris sortis homines ad regiam pervenerunt dignitatem.*

*Exempla multa testantur, multos ex humili genere ad regiam dignitatem evectos esse.* Hinc verè respondit sapiens ille vir: cùm interrogaretur, quid faceret DEUS: cum alta dejicere: & humilia erigere. Quò etiam

spectat illa Horatij Oda:

*——valet ima summis*
*Mutare, & insignem attenuat* DEUS,
*Obscura promens. Hinc apicem rapax*
*Fortuna cum stridore acuto*
*Sustulit: Hic posuisse gaudet.*

*Camerar. Centur 2. Operar. succis. cap. 54. pag. 338.*

## EXEMPLA.

I. Celebratur passim Agathocles ob suas eximias virtutes; eò quòd ex humili & sordido genere, ad Regium dignitatem dotibus suis pervenerit: & meritò quidem: licet vicijs enormibus non caruerit; sed illæ hæc superârint. Quippe, ut ait Iustinus historicus, patre figulo natus, non honestiorem puerititiam, quam principia originis habuit. Cùm autem manu strenuus, & in concionibus perfacundus haberetur: brevi Centurio, ac deinde Tribunus militum factus est. Deinde rarum fortunam, advertam & secundam, expertus: Prætor Syracusis constituitur. Post, pulsis Pœnis, totius Insulæ imperium occupavit. Verùm cùm dolus, furius, & aliæ malæ artes, hujus Viri virtutes admodum obscuras faciant: solummodò de ejus parsimonia, & recordatione suæ humilis originis, nonnulla in laudem illius adducam. Erat enim, ut diximus, ex Carcino patre, figulina arte vix cognito, Rhegij Butiorum nitus fuit; & ob oraculum, ex ejus matre gravida infantem natum iri, a quo Carthaginensibus, atque universæ Siciliæ, variæ clades imminerent, pater cum natum exponendum, suffocandumq; conductis ad id famulis, tradidit; sed ministri ejus pulchritudine in commiserationem, cædisq; innocuæ formidinem, attracti, à suffocatione abstinentes, more gentis duntaxat cum exposuerunt: quo cognito, mater noctu filium è vado raptum, ad avum maternum Heraclidem clàm educandum detulit: tamen postquam plurimas adversas res adultus superasset: solus Rex Siciliæ effectus fuit: & initio principatus, non tam armis, quàm comitati, fiduit; pauperes benignitate prosecutus, muneribus pluribus affecit: in pervicaces durus animadversor. At quamquam autoritate regia niteretur: diadema tamen suscipere noluit: vel satellites, regio more, ad sui custodiam habere: sed facilis ad eum unicuiq; accessus ditusq;. Vasa præterea fictilia (licet pecunia, regaliq; instrumento, nemo Regum præter illum ditior fuerit) nomine suo insignis græcè sic impresso, AGATHOCLIS (cujusmodi apud Elorum Anno salutis 1555. mense Iulio, unum se vidisse, Thomas Fazellus scribit) quippe quòd ipse figulus, & figulo patre genitus esset, inter aurea ponebat: non aliis majorum imagines, vel triumphos, aut Consulatus ostentans; quòd gloriosius existimaret: regnum propria virtute, quàm hæreditate, adipisci. Vnde Ausonij versus triti, sed elegantes fluxerunt, continentes moralem utilem doctrinam:

*Fama est, fictilibus cænasse Agathoclea Regem:*
*Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto:*
*Fercula gemmatis cùm poneret aurea vasis:*
*Et misceret opes pauperiemq; simul:*

Quarenti

*Quærenti causam, respondit: Rex ego qui fum*
*Sicania figulo degenitore fatus.*
*Fortunam reverenter habe, quicunq; repentè*
*Dives ab exili progrediere loco.*

II. Alterum exemplum habemus in Pipino filio Caroli Martelli. Is Childerico III. Regi Galliæ, ob segniciem & voluptates abdicato, ex præfecto palatij in regiam dignitatem successit. Fuit autem Childericus ultimus ex familia Merovæorum: quæ cum illo terminata est: cùm annos trecentos regnasset. Ab hujus autem Pipini patre gens Carolæa ob res strenuè gestas appellata est: quibus domum suam evexit tantopere: ut Merovæorum regnum ad Carolum Magnum reciderit. Carolus autem Martellus, cùm aliquot Regum Galliæ præfectus palatij fuisset: tandem paucos post dies Anno 741. mortuo Rege Theodorico, cognomine Chellensi, & ipse obijt Carisijs: atq; cum ipso in æde S. Dionysij Francisci sepultus est: cui successit filius natu maximus Childericus III. qui sub primo parui autoritati Pipini & Carolomanni, filiorum Martelli: qui præfecturam palatij effectum hæreditariam ipsis diviserat. Pater autem ipsorum Martellus fuit dictus, à mallei sive martuli (martellum Galli vocant) ferrum domantis comparatione: quemadmodum *Ierem.* 50. Nabuchodonosor Rex malleus totius terræ appellatur. Nam quo tempore decrant cognomina: assumebantur adjectiva in eorum locum: ut verbi grátia, Calvus, brachio ferreus, & id genus alia: sicut Iohannes Tilius observavit. Cæterùm cùm Childerici voluptuaria vita & desidia omnibus exosa esset: missi sunt legati, Vegardus Episcopus Herbipolitanus, & Folcadus Pipini Capellanus, ad Zachariam Papam: ut de Pipino eligendo assentiretur: qui Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ legato, mandavit: ut Pipinum sacrans, coronaret Regem. Hoc facto Childericus abdicatus, postquam novem annis regnasset, Monachus apud Sveßiones effectus est, Anno 751. Pipinus itaq; consecratus primùm à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino (quod antea in familia Merovæorum usitatum non fuit) & Rex institutus fuit: & cùm annos 17. & dimidium in dignitate regia transegisset: ex hydropisi Lutetiæ Parisiorum obijt, die 24. Sept. sive, ut alijs placet, Octob. Anno 767. & in æde S. Dionysij sepultus est: sicut hæc & alia idem Tilius scripta reliquit.

III. Porrò exemplum VVillegisi Archiepiscopi Moguntinensis est valde memorabile: cujus specimen humilitatis, & recordatio infimæ sortis, postquam ex infimo genere ad maximas dignitates pervenisset, perpetuum memoriam posteritati relinquere voluit. Ita enim deinde scribit post alios Siffridus Præsbyter: Tempore Sancti Henrici Imperatoris, VVillegisius (vel, ut alij, VVilligis) Archiepiscopus Moguntinus vivebat. Ille quia humilem progeniem habuit: & patrem, qui currus & bigas facere solebat: in thalamo ornatis & grandibus literis hæc scripta habebat: VVillegis, VVillegis, recole unde veneris. Hæc & in Teutonica lingua scripta erant. Appendebat etiam rotas, & hujusmodi instrumenta, in pariete cuicunq; in quibus suam prosapiam recognoscebat. Adhuc usq; habentur duæ rotæ quasi aratri in vexillo, & una in clypeo Ecclesiæ Moguntinæ.

IIII. Lesco præterea II. in Principem Poloniæ, quamvis plebejus, electus est, ob virtutes suas, Anno 780. mortuo Premislæo sive Lescone I. Attamen talem se præbuit: ac si regali ortus esset prosapia: idq; totis diebus vitæ suæ diligenter observabat: quòd ornamentis regijs soleniter induturus, vestes, quas olim ex vili lana

gerebat, desuper induceret: pro monumento prioris vitæ id habens: usq; fortunam instabilem, quæ rursum elevatos ad ima deijcit, eluderet. Quam consuetudinem multi Principes Polonorum solenniter observabant. Is tandem pluribus heroicis gestis exactis, filioq; hujus nominis tertio relicto, vitam cum morte mutavit. Sicut hoc ab Alexandro Gvagvino prolixè describitur: qui hos versus adjecit:

*Attulit huic regnum variorum cursus equorum,*
*Et præter morem, sors oculata, suum.*
*Dignus erat regno, quamvis patre natus agresti,*
*Rusticus, & modici justus arator agri.*
*Non bello, quàm pace minor: miserisne in illo*
*Hoc, qui nulla unquam moverat arma, viro.*
*Ante oculos voluit monumentum vile prioris*
*Fortuna sagulum semper habere suos.*
*Et tamen illius non legerat ille Poëta*
*Sarmatico dignum carmen in orbe legi:*
*Fortunam reverenter habe, quicunq; repentè*
*Dives ab exili progrediére loco.*

V. Lesconi adjungendus est Pyastus Cruschicensis, de quo ita scribit ibidem Gvagvinus: Anno Incarnationis divinæ 842. Popelo II. à muribus portentose absumpto: multæ controversiæ in Cruschicensi conventu, de electione Principis, exortæ sunt. Erat autem tunc temporis in Chrusphicia, Pyastus quidam, vir simplex: virtute tamen & pietate præstans. Huic eodem conventus tempore filius natus est: cui ad nomen solenniter gentili ritu imponendum, mellis multati duo vasa præparavit, propter convivas tractandos, porcumq; mactavit. Tunc temporis autem in Cruschicia, ob magnum confluxum populi, ad comitia electionis, plurimi commeatus, pabuliq; penuria laborantes, ad Pyastum, ut sibi aliquid pro victu venderet, veniebant: qui singulis gratis necessaria suppeditabat: quantum cuiq; opus fuerat: carnis autem suillæ & mellis, panisq; copia, apud eum non deficiebat: nam incrementa omnium rerum à copiosissimo largitore & remuneratore illi proc debant. Omnes igitur manum divinam cum Pyasto esse videntes, communibus suffragijs & vocibus, Monarcham eum salutant: regnumq; oblatum, quamvis agrestis familia natus, strenuè cum summa fortitudine & dexteritate viginti annis gubernavit. Postea 120. annis ætatis suæ exactis, relicto filio Semovito, extremum diem clausit. Ex hujus sanguine Duces Regesq; Polonorum ad Ludovicum Hungarum usq; genus duxerunt.

VI. Eodem modo cùm Primislaus III. Bohemorum Dux à Libussa ab aratro in maritum assumptus esset, ex hoc indicio, quòd in ferrea mensa comedisset: isq; in equum impositus, calceos querno robore factos secum afferret: interrogatus cur hoc faceret, servandos in arce Vissegradensi, respondit, ostendendosq; posteris: ut scirent omnes: primum qui principatum inter Bohemos accepisset, ex agro fuisse vocatum: neq; insolescendum esse: qui ex humili fortuna solium ascenderit. Servati calcei diu apud Bohemos: religiosè habiti: ac per sacerdotes templi Vissegradensis ante Reges delati: dum pompa coronationis educitur. Is cum conjuge, aucto regno, & Praga condita, eaq; muro circumdata, diu feliciter regnavit: & longinquam posteritatem reliquit.

VII. Postremò addendus est Tamerlanes Scytharum Imperator: qui à Leon-

clavio noſtro, Temir Chan appellatur: & ob maximas res geſtas, orbis terror & clades Orientis nominatus eſt. Is ex humili militiæ loco, ut Iovius ſcribit, per omnes honorum gradus ad eximiam bellicæ virtutis opinionem, & deniq; ad ſummum imperium aſcendit, inſigni præſertim applaudentium militum ſtudio, cùm adulatione quadam Temir Cuthlus vocaretur; quæ vox Tartaricè fortunatum ferrum ſignificat. Eum Samarcandæ urbis, quæ eſt ad Laxartem amnem Sogdianæ regioni finitimum, infimæ claſſis civem, & altero crure debilitatum, ideoq; deformiter incedentem fuiſſe tradunt. Vix autem reperitur alibi, ex gregario ducem militum factum, tam immenſum exercitum unitum habuiſſe. Fuêre enim in ea tot gentium colluvie centum myriades, teſte eodem Iovio, peditum & equitum: ingensq; majoris & minoris pecoris numerus. Is Bajazetem Turcarum Imperatorem memorabili prælio, in quo ſupra 140000. hominum cæſa feruntur, vicit, vivum cepit, caveæ ferreæ incluſit: ſecumq; circumduxit. *Idem Camer. pag. 330. 331. & ſq. Vide ibidem colloquium Tamerlanis & Bajazetis, lectu dignum & jucundum.*

# LVII.

*Optimus ſtatus Regnorum & Rerumpublicarum, & minimè obnoxius mutationibus, eſt Monarchia, temperata Ariſtocratia.*

## *Quot ſunt formæ Rerumpublicarum?*

*Tres.*

I. MONARCHIA, quæ ſumma poteſtas eſt pènes unum: quæ tamen circumſcripta eſt legibus. Hic quando ſecundum leges imperat, & dirigit conſilia ad publicam utilitatem; vocatur ea forma gubernationis βασιλεία. Quando contra leges imperat, & multa crudeliter ſtatuit, obſequens ſuis cupiditatibus: dicitur ea forma Tyrannis. Et nomen βασιλεὺς videtur eſſe à βιβάζω, quod eſt ſtabilio, & λάος, id eſt, populus, factum, quaſi ſtabiliens populum, & βασιλεία, quaſi baſis populi: quia Regna debent eſſe directa ad ſalutem populi. Et talis ſtatus verè eſt ἐνδοξος βασιλεία, ut Antigonus dixit; id eſt, ſplendida ſervitus: ſervit Rex ſervitutem ſplendidam. Quia ſicut in Occonomia, ita in Regno bono & ſalutari ſolus Rex ſervit; ut ſonat Menandri verſus: Vnus eſt ſervus in domo, Dominus. Ita revera in regno bonus Princeps unus eſt ſervus: quia præcipua onera ipſi ſoli incumbunt: ſi vult ea exequi: quæ ſunt muneris & officij ſui. Talis eſt forma regni Gallici; ubi Rex eſt alligatus legibus: & nihil audet facere ſine judicio Parlamenti. Hæc (ut jam dictum eſt) cùm degenerat, fit Tyrannis: ubi gubernator omnia facit pro arbitrio & libidine ſua: & ſubditi coguntur ipſi obtemperare tanquam pecudes. De hac

tenetur Regula: *Magna potentia, quæ non est astricta legibus, rarò manet intra iustas metas.*

II. ARISTOCRATIA, ubi summa potestas est penes Optimates; ubi est Senatus bene constitutus; qui in imperando sequitur normam certarum legum. Talis fuit in populo Israël. Et hodie est Norimbergæ. Hæc degenerat in Oligarchiam, quando pauci summam potestatem ad se rapiunt: & est talis status, in quo pauci, cæteris oppressis, invadunt imperium: ut Romæ factum est, quando Triumviratum constituerunt Cæsar, Pompejus, Crassus. Vt sæpe fit, quòd pauci pro cupiditate leges inflectant, & ad reliquam multitudinem opprimendam conspirent. Ea forma est vitiosa, & dicitur Oligarchia.

III. DEMOCRATIA, id est, populare imperium, quando summa potestas est apud plebem; ubi non est autoritas unius, nec Senatus certus; sed vulgus promiscuè tumultuatur. Talis fuit Athenis, & Romæ sub Coss. Quòd si opulentiores & potentiores ex vulgo imperium invadunt: nominatur ea forma τιμοκρατία ab Aristotele; ubi nec leges, nec Senatus regnant: sed ditiores ex plebe. Hic autem perniciosissimus, ut Aristocraticus optimus est status. *Vide Peucer. in lect. Chron. Anno 1569. d. 1. Octobr.*

Vno & eodem die urbs Noriberga & Augusta Rhetica petiverunt contraria à Sigismundo Imperatore. Augusta petivit institui, ne quid Senatus constitueret, nisi Tribunis opificum approbantibus. Noriberga petivit, ne liceret Tribunis impedire Senatus decreta. Nunc Carolus potestatem Tribuniciam Augustæ rursus sustulit. Et apparet, Aristocratiam in magno cœtu optimam esse. *Philip. in Chron. lib. 2. pag. 134.*

*Libet huc asscribere, quæ apud Philip. Camerar. in Operis succisivis, Centur. 1. cap. 88. pag 439. de hac disputatione extant.* Experientia, inquit, docuit: quòd plerique Orientales populi, impatientes Oligarchiæ, Aristocratiæ vel Democratiæ, Monarchiæ semper deditissimi fuerint, neque potuerint uno eodemque tempore pati plures Reges & Dominos. De qua re etiam exemplum in sacris literis, cùm indignante DEO Rex à Iudæis more gentilium expeteretur, habemus. Rectè itaque Nicoclem dixisse perhibent: non solùm considerandum esse ingenium Tyrannorum, cui boni & difficiles sint: sed civium quoque mores. Multi enim hactenus propter subditorum malitiam, asperiores se dare, quàm pro ingenio suo coacti sunt. Huc referri possunt ea; quæ Alexander Magnus apud Q. Curtium (*l. b. 7.*) dicit; Regum videlicet, Ducumque clementiam non in ipsorum modò, sed etiam in illorum, qui parent, ingenijs sitam esse. Testatur id quoque memorabile exemplum: quod Stobæus (*Serm. Quòd opt. sit Monarchia*) ex Serini apomnemoneumatibus refert. Nam cùm Lydis Crœsus imperaret: & fratrem in consortium Imperij assumpsisset: tum quidam ex Lydis accedens dixit: Omnium in terra bonorum, ô Rex, autor est Sol; neque quicquam extaret, Sole non illustrante. At si gemini Soles forent; periculum imminere: ne omnia conflagrantia pessum irent. Ita & Regem unum quidem accipiunt Lydi, & servatorem esse credunt: duos verò simul tolerare non possunt. Huc quoque Homeri illud (*Iliad. 3.*) spectare videtur:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,

εἷς

εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρον, ἠδὲ θέμιστας ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.

*Haud bonum multorum dominatio, unus dominus esto,*
*Vnus Rex, cui dedit Saturni filius callidi ingenij*
*Sceptrum, atque jura, ut his regnet.*

(Augustus venustè depravavit:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη: Id est: *non est bona multitudo Caesarum.*
*Noxia res plures Domini: Rex unicus esto.*
*Multos imperitare malum est: Rex unicus esto.*
*Non bene turba regit populum: Rex unicus esto.*)

Id ipsum fortasse idem Alexander Magnus consideravit, eique in mentem venit (diligenter enim legit, & magni fecit libros Homeri: noverat etiam seipsum, quòd impatiens consortis esset) cùm responderet legatis Darij, ut apud eundem Q. Curtium (*lib.* 4.) legimus: Mundum duobus Solibus non posse regi: nec duo summa regna salvo statu terrarum posse habere. Huc respexit & M. Anton. Zimara (*Problem.* 28. & quærit rationem: quam ob causam multitudo Principum sit mala. An, inquit, quia, si Imperium in Tyrannidem transeat, ac convertatur, satiùs est unius, quam pluriùm subire jugum? An quia ad commune Reipublicæ commodum, rarò imperantium multitudo respicere consuevit? Quò fit, ut uno dissentiente, maximum universitati immineat malum. Faciliùs quippe est unum, quàm plures ad bonum disponi. In principatu enim multorum non desunt invidiæ, jurgia, contentiones, rixæ. Proinde cùm experimento comprobatum sit, regnum non capere duos: quàm verissimè illud Aristoteles enunciavit: Multitudo principum prava: unus ergo sit princeps. Hoc etiam Machiavello placuit: qui Reipub. statum condi & componi non posse asserit, si plures pari imperio rerum arbitri existant. Quippe commune duobus aut pluribus imperium cùm rarò concors sit: unius hominis ingenio atque autoritate omnia constitui multò esse satius. Rectè autem faciet studiosus lector: si Herodotum (*lib.* 3.) adhibeat: ubi septem Principes Electores in Persia, mortuo Cambyse, consultant, nunquid Democratiam, vel Aristocratiam, vel etiam Monarchiam in constituenda Imperij forma, debeant anteferre. Buchananus sanè (*de jure regni apud Scotos*) licet Democratiam non probet: tamen Regem Monarcham ita legibus astrictum esse vult: ut Rex sit Lex loquens: Lex verò, Rex mutus: id est, ut Rex & populus communicato consilio communiter statuant: quod ad omnium salutem communiter faciat. Nam, inquit, multitudo ferè melius, quàm singuli de rebus omnibus judicat. Singuli enim quasdam habent virtutum particulas: quæ simul collatæ, unam excellentem virtutem conficiunt. Quod in Medicorum Pharmacis, ac inprimis in antidoto eo, quod Mithridaticum vocant, perspicuè cerni potest. In eo enim pleræque res per se noxiæ, ubi confusæ fuerint, salutare adversus venena remedium afferunt. Similiter in hominibus, alijs tarditas & cunctatio, alijs præceps temeritas obest: hæ in multitudine commixtæ, temperamentum quoddam, & quam in omni genere virtutis quærimus, mediocritatem pariunt. *Hactenus Camerarius.*

Hæc nostra conclusio est: nullam unquam Rempublicam ex duabus, multò minùs ex tribus conflari formis: at ne opinione quidem fingi, sed tria tantùm genera

constitui posse: ut Herodotus inter Græcos verissimè scripsit: quem Tacitus (*lib.* 4.) inter Latinos secutus, Cunctas, inquit, nationes & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt. *Ioh. Bodinus lib.* 2. *de Repub. pag.* 287. *cap.* 1. *Et pag. seq.* Quarum civitatum divisa sunt jura majestatis: minimè omnium Respublicas, sed Rerumpublicarum mutationes appellare oportet. *Vide ibidem multa alia sapienter dicta.*

*Libet huc etiam asscribere sapientissimam deliberationẽ septem Principum Persicorum de optimo statu Reipublicæ, ex tertio Herodoti libro. De qua Peucerus in lect. Chron. die* 16. *Febr. An.* 1572. *frequentissimum auditorium in hunc modum docuit.*

Interfectis Magis instituitur deliberatio de forma gubernationis. Deliberant Principes, an retinere Monarchiam velint: vel an Regno abolito, aliam velint instituere formam, seu popularem, seu Oligarchiam. Et extant tres orationes insignes & dulces apud Herodotum, quæ disputant de optimo statu, & conferunt Democratiam, Oligarchiam & Monarchiam. Similes extant orationes apud Dionem, ubi Augustus cum Mecœnate & Agrippa consultat: utrum populo autoritatem principatus restituere debeat: an verò retinere. Sed illæ orationes videntur arte compositæ, & ad Rhetoricum schema magis, quàm ad rei veritatem.

Primam sententiam dicit filius Sisamnis Otanes: hic dicit sententiam pro Democratia. Suadet non creari Regem: sed ut certis potiùs legibus Principes & Vrbes fœdus faciant de communi defensione: & retineant singuli suam libertatem & æqualitatem. Requirit statum talem; qualis in Repub. Achæorum olim fuit, aut hodie Helvetiorum est; æquali jure vivunt, omnes simul citra insignem aliquam prærogativam. Disputat accuratè contra Monarchiam quòd in unum summa rerum potentia neutiquam sit locanda: *magnitudine potentiæ, etiam bonos naturâ, tamen reddi aut deteriores aut asperiores: & plerunq; peccare tales aut ὕβριδι, aut φθόνῳ. ὕβρις plerunque comitatur magnam potentiam, non astrictam certis legibus, aut circumseptam limitibus aut repagulis.* Quia *in magna potentia vix ulli sunt moderati: quia facultas quidvis faciendi pro libitu suppetit: creat audaciam: & vendit in omnia scelera.* Odia manifesta sunt: quia *collocati in summo fastigio plerunq; meliores oderunt, & horum reprehensiones ferre non possunt. Et hi aures aperiunt delatoribus: à quibus iniustis odijs inflammantur adversus meliores: & semel concepta odia ferè non exuunt: donec ea expleverint. Delectantur plerunq; malorum societate & calumnijs*, quasi κολακείαις & συκοφαντίαις. *Semper desiderant aliquid etiam in subiectissimorum hominum studijs & obsequijs.* Sie können jhnen das medium nicht treffen. *Idem armati tali potentia solent plerunq; movere leges patrias: non patiuntur se alligari legibus: rapiunt alienas coniuges: insontes interficiunt sine iudicio.* Nun describit autem Monarcham Herodotus ut Tyrannum prorsus, ut Demosthenes: qui non discernens inter Regem & Tyrannum inquit: quòd Rex omnis & Tyrannus sit invisus libertati, & legibus infensus. Ita describit Herodotus Tyrannum, non bonum Principem: non facit discrimen inter bonum Principem & Tyrannum. Boni Principis est, sicut præclara vox est Theodosij (*l. digna vox* 4 *Cod. de ll.*) fateri, legibus se

teneri,

teneri. Sicut Agesilaus respondet Senatui Spartano, cùm revertexetur ex Asia jam victor, jamque ducturus esset exercitum adversus Regem ipsum: Obtemperabo vobis, inquit, quia decet me. Tunc enim, inquit, verè & rectè administrantur imperia: ubi Rex ipse legibus paret, & Ephoris, aut ijs, qui cum magistratibus in urbe aliquâ præsunt. Hun da macht Er kein discrimen Herodotus: & loquitur cum vulgo usitata consuetudine ejus seculi: quod pro Tyrannis habebat omnes eos, qui in liberis civitatibus rapuerant dominatum, & perpetua potentia præessent, etiamsi nihil facerent crudeliter: sed justè & moderatè ex legum præscripto omnia administrarent. Qui in liberis civitatibus rapuerant dominatum, & transferebant imperia in hæredes: das hiessen sie alle sine discrimine Tyrannos. Otanes præfert Democratiam propter æqualitatem, ἰσονομίην γὰρ ἔχει τὰ ἔργα Herodotus nennet: quòd in Democratia pariter omnes sint legibus subjecti: & creentur magistratus, qui secundum leges sententias dicant, & ex præscripto legum consilia referant ad communem utilitatem, ac de urbium administratione rationem reddant. Ita Demosthenes in Democratia omnia πραότερα dicit: quod rarò verum est.

Altera est sententia Megabyzi: qui Democratiæ adversatur: & pugnat pro Oligarchia. Refutat vulgi tyrannidem: quam ostendit multò minùs tolerabilem tyrannide unius: nimirum, quòd vulgus sit sine sapientia: non regatur judicio, prudentia, cogitatione; sed feratur vesano impetu: sicut incitatus ab ijs, ex quorum nutu pendet, & sine cogitatione ruit in negocia, incitatur sicut torrentes, cùm augentur hybernis nivibus. Legite orationes integras ipsi in tertio libro. Et verè dicit, quia *vulgus fertur vesano impetu, sine mente, omnia in præceps agit.* Suadet itaque commendari gubernationem paucis delectis ex numero Principum. Et concludit sententiam insigni dicto: Consentaneum est, *Optimorum virorũ optima esse consilia.* Hæc est Aristotelis etiam sententia: qui Aristocratiam præfert alijs formis: scilicet, *summa rerum sit penes paucos, qui antecellunt reliquos virtute & sapientia,* non referant aut inflectant consilia ad sua commoda.

Tertia sententia est Darij: qui suadet creari Regem: & disputat contra popularem statũ & Oligarchiam: argumento sumpto à discordia: quòd nec in populari statu inter multos, nec in Oligarchia inter paucos possit esse concordia diuturna. Ex deliberationibus enim, si discrepent sententiæ, nascì odia: quæ paulisper exardescant in discordias; demum ad cædes pervenitur: & ita tandẽ redigetur res ad unum: si discrepent, crepent ædes propter civilia bella: propter dissidia necesse est summam potentiam ad unum transferri. Et hoc ipsum est verissimum. Concludit igitur, rectius esse potiùs jam commendare summam potentiam uni, non discedere à patrijs moribus. Fuerunt de hac quæstione semper agitatæ magnæ disputationes etiam inter Philosophos apud Ethnicos. *Sed non dubium est, eum statum esse optimum: qui est ex Monarchia & Aristocratia ita temperatus: ut unus quidem rerum potiatur: sed potentiam eius ac consilia ut regant ac forment viri sapientes.* Ita primùm Dᴇvs in populo suo esse voluit Duces: quorum tamen potestatẽ moderarentur & quasi coërcerent ij: quos in Senatum populus legerat, numero septuaginta. Ejus Senatus erat potior autoritas, quàm Ducum. *Et certum est, hunc statum ad durabilitatem esse longè accommodatiorem;* sicut Respub. Venetæ, Spartani Imperij, Romani in Ger-

mania exempla testantur. Et verum est Homeri dictum: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρα-νίη, εἷς κοίρανος ἔστω: Non est bonum multos imperare; sit unus Dominus, unus Rex. Quia non potest esse inter multos pari potentia dominantes diuturna concordia. Et etiam in Democratia vel Oligarchia tamen semper observatum fuit: ut rebus difficilibus summa potentia conferretur in unum: qui omnia gereret suo consilio. Sicut Romani creabant Dictatores. Veneti ut Spartanicos, quos ad bellum ablegabant, sinebant bellum gerere potestate imperatoria, planè regia. Vicit itaque Darij sententia: quam cùm approbassent cæteri: decretum est, ut Rex crearetur. *Hallenius Doucer Studiosus Lector, qui plenorem hujus consultationis tractationem desiderat, non gravetur pagellas aliquot in Scholis Historicis Strigelij, in secundo animi parte, statio à pag. 35. facto perlegere. Nos ab earum transscriptione, cùm passim ea eruditorum manibus teratur, consultò abstinuimus: in earumq; locum, præcedentia illa substituimus.*

In altera Megabyzi sententia dictum est; Aristotelem etiam Aristocratiam aliis formis præferre. Ea de re observetur historiola recens, & quæ ad hoc propositum nostrum pertinet de Aristocratia. Fuerunt in Gallijs nostra memoria, regnante Francisco Rege Gallico, duo Viri excellenter docti; unus Scholasticus homo & Philosophus, Bigotius; alter aulicus, Castellanus. Cùm autem Rex audiret disputationes Castellani inter prandendũ; eisq; mirifice delectaretur: quidam proceres monuerunt Regem: ut curaret aliquando accersi alterum è Schola Parisiensi Professorem Bigotium. Castellanus verò metuens suæ existimationi, mox subjecit hanc commonefactionem Regi: Noli, inquit, illum accersere: qui est Aristotelicus. Rex miratus novitatem nominis (quia Aristoteles & Plato non sunt valdè noti in aulis) postulavit sibi declarari hunc Lectionum. Ibi respondit Castellanus. Aristoteles anteponit Aristocratiam Monarchiæ seu Regno. An, inquit Rex, Aristoteles docet talia? Omnino, inquit Castellanus. Sinamus ergo, inquit Rex, Aristotelem delirare in sua Schola, & illum defensorem harum inceptiarum. Quod cùm recitorum videatis, sermones de Aristocratia parùm esse plausibiles apud Reges & Monarchas. *Strigel part. 2. Chron. pag. 41.*

De causis, cur Monarchia sit optimus status, sic dicit *Strigelius, part. 1. Locor. Theol. pag. 7.* Apud Herodotum post mortem Cambysis filij Cyri, agitata est disputatio à Principibus Regni Persici de optima forma gubernationis. Tandem Darius successor Cambysis, consentientibus reliquorum Principum suffragijs, obtinuit, Monarchiam antecellere reliquas formas, propter has causas. 1. Quia Democratia facilè degenerat in Anarchiam. Cujus exemplũ vidimus Anno 1525 quo tempore in Germania exarsit tumultus Rusticorum. Et Sophocles in Antigone inquit: *malus esse malum ἀναρχίαν, quàm tyrannidem.* 2. Quia Aristocratia facile degenerat in ὀλιγαρχίαν, quæ est paucorum gubernatio, magis serviens privatæ, quàm publicæ utilitati. Etsi autem omnium rerum humanarum magna est instabilitas: tamen cùm conferuntur Ideæ Rerumpublicarum; verissimum est, Monarchiã esse primam, propter illas superiores, & has sequentes duas causas. 1. Quia proximè accedit ad imitationem & similitudinem gubernationis divinæ: de qua Aristoteles *in polit. lib.* 12 citat versum Homeri: Multos imperitare malum est, Rex unicus esto. 2. Quia in Monarchia facilius retinetur ordo legum, executio pœnarum & εὐταξία: quam in ἀριστοκρατία & Democratia.

Scitis *illum statum cæteris statibus antecellere, quando unus aliquis præest: & ordine gubernat homines: ille facilius retinet coniunctionem, copulationem & obedientiam: quàm quando multi præsunt.* Interdum Monarchia degenerat in Tyrannidem. Sed quando est status popularis, & fit ἀναρχία: so ists eine viel ärgere Tyranney, als Monarchia: da wil ein jeder Herr sein. Sicut inquit Aristoteles: Seditiosa Democratia est pessima Tyrannis. Vnusquilibet in Democratia vult esse Tyrannus, wie ihr sehet auch in Ecclesia. Iam unusquilibet vult esse Lutherus: wil etwas newes machen/ in throno Episcopali sitzen/ Monarcha sein/ vnd eine newe Lehre fürbringen/ gute Tage haben/ vnd zureissen alle ding so jämmerlich vnd elendig/ das es zu erbarmen ist. *Philip. in Postil. per Pezel. edit. part. 4. pag. 701.*

Manifestum est, magis secundùm naturam esse: civitatem ab uno temperari: quàm à pluribus: cùm in civitatibus ijs, quæ à pluribus reguntur, quò pax concordiaq; vigeant, necesse sit illorum, qui Rempublicam gerunt, sententiæ, ut in unum omninò conveniant: quæ ubi in diversa trahuntur: tum seditiones & intestina oriuntur bella. Contrà verò optimè agitur cum illo populo: florentq; urbis ejus opes: cujus Principes idem unum & sentiunt & volunt. Quota enim navis ad certum pervehetur portum, si & gubernator, & nautæ ita dissideant, ut alius alij & judicio adversentur & opera? An non medici ita commiscent, quæ ægrotis dant, ut multa in unum redigant? *Ioh. Iov. Pontan. lib. 4. de Obed. pag. 29. b.*

Parvæ etiam civitates, quæ à pluribus reguntur, assiduis ferè laborant seditionibus: cùm latissima regna hujusmodi vix ullos, aut certè quam rarissimos tumultus sentiant. Atq; ut curandis morbis adhibere novos sæpe medicos, sic gubernandis populis periculosum est novos patres conscribere: cùm sæpe accidat, aut electione mala, aut factione civium, seditiosos homines, aut gerendis rebus prorsùm aptos, atq; inutiles creari magistratus. Quid? quòd usitatissimum est, in qua civitate plures Rempublicam tractent: sive è plebe, sive è nobilitate ij sint: tyrannidem exoriri: ut apud Corinthios, & Milesios, & Athenienses legimus. Sulla quoq;, & Marius vel inter crudelissimos Tyrannos numerandi sunt. At Reges quàm rarissimum est in Tyrannos evadere ac dilabi: idq; cum minori fit civium damno. Quippe cùm non in omnes sævire, sed in pancos soleant: nisi omnino fuerint immanissimi: ac nihilominùs pro cem tueantur populorum: & ne quid illorum Respublica, quæ suæ curæ ac temperationis est, detrimenti capiat, omni studio & arte curent. *Idem pag 30.*

Quanquam plures imperasse in imperio constet aliquando, & quibusdam in regnis: tamen experientia comprobavit: nec tutam nec longam fuisse societatem in regno: & non posse in uno mundo duos Soles inveniri: cùm duo Domini ejusdem rei in solidum esse non possint: & communitas proculdubio mater discordiarum sit: & quod communiter possidetur, contemnatur. Nec potest summus Pontifex tus duos admittere ullo modo. Sicq; nec potestas summa, quæ unius tantùm esse potest, ut dominium, admittit communionem hanc: nec utilitas populi ex discordijs communitatis, vel ex contemptu plurium dominorum, pati potest concursum duorum, vel plurium imperantium: proinde nec successionem utilem Reipublicæ. Quocircà ex consuetudine ferè juris gentium, universa imperia, regna,

principatus, ad unum devolvuntur: quia & ita experientia docuit; magis Reipublicæ, paci & tranquillitati subditorum expedire. Et regulariter unus Rex admittitur, vel exemplo politicarum. Et consuetudo jam regulariter observat: ut non tantùm regna, sed etiam Ducatus, Marchionatus, Comitatus, similesq; dignitates non dividantur: sed primogenito, vel proximiori deferantur. *Petr. Greg. Tolos. lib. 7. de Repub. cap. 5. pag. 416.*

# LVIII.

*HOc habet singulare Monarchia: quòd Rege capto, stat Imperium tamen. At in popularibus & optimatum imperijs, si sedes imperij, in qua optimates aut populus jura majestatis tuetur, capta fuerit ab hostibus: actum est de Republica.*
*Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 1. pag. 619.*

## EXEMPLA.

I. Cùm Romani Capuam cepissent, secundo bello Punico: cætera Campanorum oppida deditionem fecerunt.

II. Ita quoq; Senarum urbe expugnata, Cosma Florentinorum Duce: secuta est imperij eversio. Neq; enim multò pòst arces omnes & oppida in hostium potestatem venerunt. *Idem ibidem.*

# LIX.

*RErumpublicarum status in magnis periculis, magnisq; calamitatibus, nulla alia ratione servari salvariq; possunt: nisi ad unius Viri imperium redigantur.* *Francisc. Patrit. lib. 1. de regno, tit. 13. pag. 62.*

Virtus

Virtus siquidem unita potentior longè est, quàm dispersa, & utilior ad omnes bonas ac rectas actiones. *Cernimus* enim *civitates, quæ à pluribus gubernantur, seditionibus, & intestinis odijs plerunq; laborare: illas autem, quæ ab uno reguntur, concordes esse: ut quæ justè legitimeq; imperanti, æquo animo pareant, ultroq; obsequantur, sine æmulatione aut obtrectatione aliqua: quibus quidem ex rebus perpetuæ sunt: & bonis omnibus affatim semper abundant. Quin etiam civitates atq; Respublicæ ipsæ, cùm bellorum difficultatibus aut maximis calamitatibus premuntur, ad unitatis remedium se conferunt: nullaq; ratione alia facilius evadunt: quàm si res omnis ad unius arbitrium redigatur.* Idem pag. 60.

Cornelius Tacitus paucis verbis, exemplis quoq;, illisque concisè relatis, videtur concludere: *semper Reipublicæ administrationem restituendam tandem Monarchiæ: & eò apud Romanos post multàm malorum experientiam decursum, vel ab invitis, ex motibus & seditionibus.* Vrbem Romam à principio, inquit, Reges habuêre: libertatem & Consulatum L. Brutus instituit: Dictaturæ ad tempus sumebantur: neq; Decemviralis potestas ultra biennium: neq; Tribunorum militum jus Consulare diu valuit: non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio. Et Pompeij Crassiq; potentia, citò in Cæsarem, Lepidi atq; Antonij arma in Augustū cessêre: qui cuncta dis-

cordijs civilib. fessa nomine Principis sub Imperium accepit. *Plurium principatus non potest esse sine factionibus & seditionibus. Dum enim unus alijs præponi desiderat: vel apertè, si prævaleat, vel clàm, socios & optimates, & qui ejusdem gradus sunt, aggreditur. Unius principatus à bellis dissidijsq; solutus ac liber esse solet. Petr. Greg. Tolos. lib. 5. de Repub. cap. 4. p. 274. 275.*

## EXEMPLA.

I. Romani in magnis periculis Dictatorem unum creabant; cujus imperio omnia permittebant. Et idcirco Dictatorem appellari Varro arbitratur: quòd illius dicto omnes auscultarent obsequerenturq;. Licinius Romanus civis, qui magna diligentia de antiquitatibus scripsit, retulit, Romanos hujus magistratus exemplum ab Albanis, à quibus magna ex parte originem ducebant, sumpsisse: qui post Amulij Numitorisq; mortem, deficiente regia sobole, annuos Dictatores designabant: qui regiâ potestatem haberent.

II. Theophrastus quoq; in libris suis de regno scripsit, Civitates Græcas in rebus difficilimis ad modicum temporis ejusmodi magistratus instituisse: quos Aësimnetas vernaculo verbo appellabant: quemadmodum Mitylenæi elegerunt aliquando Pittacum contra exules; qui cum Alcæo erant: ut Dionysius Halicarnassæus etiam testatur.

III. Romani itaq; ideo faciebant: quòd clarè cognoscerent: *in unius principatu maximam autoritatem esse: liberam sententiam: consilia non ambigua: judicia in rebus ordinandis potiora: & executiones promptiores alacriores q;: & hoc consilio è multis periculis non semel evaserunt: ac penè victi, victores extiterũt.* In difficilimo contra Latinos bello, Aulus Posthumius ad Regillum lacum Dictator emicuit: adversus Aequos re malè gesta apparuit.

IIII. Quintius Cincinnatus Dictator factus, & ab aratro accersitus, quamprimùm victos hostes sub jugum misit; & ad optatum agellum rediit.

V. Sic etiam Fidenæ captæ.

VI. Furius quoq; Camillus Dictator primùm obsessos per annos decem Vejos cepit: & rursus, cùm Galli Senones, fusis Romanis ad Alliam fluvium, urbem cepissent totam, præter Capitolium; & coacti fame Romani mille au ipondo jam spopondissent; Camillus Dictator creatus, cùm exul esset, advenit; & Gallos urbe expulit ac trucidavit: pristinamq; patriæ libertatem vindicavit; Romanumq; populum, qui jam Vejos migrare volebat, retinuit.

VII. Longè etiam pòst cùm tot cladibus à Carthaginensibus, Duce Annibale,

acceptis,

acceptis, post Cannensem etiam calamitatem (à qua per fugam evasisse in laude fuit) res Romana in ultimo discrimine versaretur: Dictatorem creari placuit? & Fabius Maximus designatus est; qui cunctando Annibalis vires attrivit: & rem Romanam restituit: donatusq; est a Senatu populoq; Romano, & ab omni etiam Italia, graminea corona: qua nulla fuit nobilior.

VIII. Quin etiam in bellis intestinis, in quibus Romanus populus in seipsum ferrum convertit, post diram sævitiam atq; immanitatem L. Syllæ, qui à civium iniqua cæde ac carnificina Felix cognominari voluit, post Cinnam, Marium, Carbonem, & alios, qui præmium in medio patriæ prædam posuerunt, & pro patriæ tyrannide certaverunt, postquam ad Pompeij Cæsarisq; seditionem ventum est: complures prudentes atq; optimi cives publice asserebant: nullo pacto ab intestina lue Rempublicam curari posse: nisi delato imperio ad unius arbitrium. Hanc sententiam Cicero, qui nunquam nisi de optimo statu Reipublicæ cogitavit, manifestè docuit: cùm ad Pomponium Atticum scribit: Ego autem usq; eò sum enervatus: ut hoc ocio, quo nunc tabescimus, malim τυραννεῖσθαι (hoc est, tyranno gubernari) quàm cum optima spe dimicare.

IX. Vtilitas redigendæ rei ad unius arbitrium apparuit, Cæsare rerum potito. Nam continuò seditiones intestinas compressit: pacem non modò urbi, verùm etiam Italiæ & universo terrarum orbi præbuit: instaurantes bella coërcuit: leges judiciaque instituit: labascentem Romanum populum erexit: nutantem Italiam firmavit: civibus pepercit: inimicis indulsit: exules proscriptosq; restituit. Tunc vetustissimum illud oraculum verum esse apparuit: quo consulentibus Phrygibus de fine civilium discordiarum respondit Iuppiter: Rege in seditionibus opus esse.

X. Proinde Gordius vir prudentissimus, sed humilimæ sortis, ut qui conductis bobus araret, jussu Dei Rex constitutus est: qui discordias omnes virtute atque eloquentia compescuit: & summa cum æquitate diutiùs imperavit. Hic nodum indissolubilem in templo suspendit: ex quo Phrygiæ fata pendere dicebantur. Quem longo tempore pòst cùm solvere nequiret, abscidit Magnus Alexander. Gordio successit Midas filius, Regum omnium opulentissimus: cujus posteri longâ serie regnaverunt, usq; ad tempora Alexandri; qui eos exegit. *Francisc. Patrit. loco supra citato.*

## LX.

*IN Democratijs florent & dominantur homines inquieti & factiosi, præditi facundia: qui Optimates opprimunt: & flabello linguæ populum variè concitant.*

Certis-

*Certissimum est, popularem statum omnium esse deterrimum. Peuc. in lect. Chron. 24. Novemb. An. 71.*

*In magnis urbibus ex occasione Democratiæ plerunq; effert se potentia pessimorum hominum, & eorum maximè, qui facundia valent, & qui flabello linguæ cicre & ventilare seditiones possunt: qui possunt populum impellere in opiniones & sententias, quas volunt: & facilè populo oratione blanda hæc vel illa persuadere, cùm populus nihil intelligat.* Quod ostendunt exempla Oratorum in urbe Attica. Non tantùm de seditionibus verus est versus: ἐν δ' ἰχεσαίῃ ⓒ πάγκακ' ἔμμορε τιμῆς: In seditionibus pessimus quisq; consequitur honores: sed potest etiam accommodari ad δημοκρατίαν: ἐν δημοκρατίῃ γὰρ πάγκακ' ἔμμορε τιμῆς. *In Democratia etiam pessimus quisq; factionibus populi potest conscendere ad summos honorum gradus:* sicut ostendunt exempla. **Und pflegen gemeiniglich dieselben** *Oratorum ingenia in tali Republica* **sich groß zu machen.** De quibus verus est versus Aristophanis de Cleone: πράξεις, βουλεύει, πολεμίζεις, &c. πράξεις id est, **macht** practicas, factiones. βουλεύει, init consilia, quibus turbet Rempublicam: & pugnat lingua. **Und wie er sagt** de Cleone: Sicut qui anguillas capiunt, priùs subruto cœno aquam turbant: ita *qui in Republica per popularem statum conantur crescere: illos necesse est priùs, populo in factiones divulso, Respublicas turbare. Peucer. ibid.*

Sicut

*Sicut in aulis assentatores, ita in Democratijs seu populari statu maximè dominantur Sycophantæ. Animus vulgi enim mutatur celerrimè: & patent vulgi aures Sycophantis: qui optimè meritos, & dirigentes consilia ad salutẽ publicã, calumniis evertũt. Idem.*

Sub Carolo IIII. eodem tempore urbs Norica petivit tolli & aboleri Democratiam, & constitui Oligarchiam Aristocraticam, qualis adhuc est. Contrà urbs Augustana petivit aboleri Aristocratiam, & concedi sibi Democratiam: quæ stetit, quanquam non felici aut fortunato urbis statu, usque ad tempora Maximiliani: cujus autoritate Democratia rursus est mutata in Aristocratiam. Sed cùm urbs Augustana sese dedidisset Mauritio: sunt conati aliqui Democratiam restituere: sed Carolus reversus, submotis illis, restituit autoritatem optimatibus. Et quantum nocuerit popularis status urbi Erfurdiensi, indicant ejus urbis historiæ. *Idem ibid.*

Proverbium vetus est: Felix urbs, quæ legibus, & quàm minimè Oratoribus obtemperat.

## EXEMPLA.

I. In Republica Attica tempore Democratiæ floruerunt Oratores, Pericles, Alcibiades, Demosthenes, Lycurgus, Hyperides, Demades: qui fuerunt faces perpetuorum bellorum civilium in Græcia, Pericles tonans & fulgurans, ut dicitur in Tragœdijs, fuit autor belli Peloponnesiaci. Alcibiades bellum non necessarium movit contra Siculos. Demosthenes suasor fuit belli contra Philippum Macedonem suscipiend, pro defensione libertatis Græciæ, Athenienſibus & Thebanis. Idem incitavit eaſdem urbes cum Lycurgo contra Alexandrum Magnum: in quo bello Thebæ funditus ſunt deletæ. Demades & Hyperides poſt mortem Alexandri, ſollicitatis rurſus ad defectionem Athenienſibus, præbuerunt cauſam bello Laconico, quod contra Antipatrum geſtum eſt.

II. In Republica Romana ſub Democratia maxima fuit autoritas Tribunorum plebis: qui autoritate Senatus labefactata, auxerunt potentiam plebis. Hi præbuerunt cauſam maximis motibus in Republica Romana, incitata plebe contra ſeniores. Ab his calumnioſè accuſati, & in exilium ejecti ſunt, Coriolanus, Camillus,

Appius Claudius: qui cùm illi dies à Tribuno dictus esset, ut cederet suo in plebis, sibi mortem consciuit. *Vide de Coriolano & Camillo Plutarch. De Claudio lib. 9. Halicarnass.* Horum potentiam, ut esset finis tumultuum, labefactavit Sylla. Pompejus autem postea rursus restituit illis priorem autoritatem. Restitutam autem à Pompejo Augustus Cæsar sustulit prorsus, & infese transtulit.

## LXI.

*DEmocratiæ & Tyrannides maximè sunt obnoxiæ motibus & mutationibus.*

*Imperia popularia sunt crudeliora, quàm Imperia Tyrannica. Aucupatio auræ popularis est morbus insanus, Tyrannidi similis, imò deterior. Nam ij, qui in populari statu hoc agunt, ut captent auram popularem, ut attemperent se, assimilent & accommodent populi affectib. & ipsius cupiditatibus obsequantur: tales longè sunt graviores & difficiliores viris bonis & sapientibus: quàm sunt Tyranni.* Peucer. in lect. Chr. d. 5. Septemb. Anno 73.

*Popularis auræ studium est furor, Tyrannide nihil mitior: quia popularis auræ applausus Tyrannidem excitat. Tales longè sunt crudeliores, & longè plus nocent, quàm soli Tyranni. Qui tantùm est Tyrannus, minùs potest nocere: quia cogitur alios metuere: quàm qui per popularia studia aliquid molitur. Verum est, populare studium est multò furiosius Tyrannide.* Idem die 22. August. An. eod.

*Verum*

*Verum est, quod senserunt Philosophi omnes, nullum statum deteriorem esse Democratia.*

Plato sagt: δημοκρατία ἄκρατος οὐ πολιτεία, ἀλλὰ πάντων πολιῶν πολιτείων. Mera Democratia non est politia: sed est velut forum venale omnium politiarum: quia in Democratico statu pauci incitant animos reliquorum captatione auræ popularis. Vnd ist verissimum, wie Plutarchus sagt: δημοκρατία ἐπιρρεὲς νόσημα τυραννίδος οὐκ ἔλαττον. *Idem ibid.*

Popularia imperia principiò gratiosa ac præclara videntur: contrà quàm in Monarchia fieri solet. Sed hæc ingentibus vastisq; fluminibus consimilis est: quæ quidem ab ortu ipse exigua sunt: longo tamen aucta tumefactaq; progressu, eò majores undas volvunt: & capacioribus alveis feruntur, quò à fontibus ac capitibus suis longiùs recesserunt. Popularis verò status vento similis est: qui unde oritur, vehementissimus est: ad longinqua tamen fractus debilitatusq; pervenit. *Ioh. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 4. pag. 1099.*

Aristoteles de Democratia: mera δημοκρατία extrema est Tyrannis. Et Herodotus ruere, inquit, vulgus, & impellere negocia sine mẽte, ut feruntur magno impetu flumina. Vulgus nõ paulatim, sed torrentis more in negocia præcipitatur. Verba hæc sunt: ὄχλος ὡθέει ἐμπεσὼν τὰ πρήγματα ἄνευ νόου, χειμάρρου εἴκελος. Vulgus est sine sapientia, ac ruit in negocia incitatũ, ut rapida flumina. χειμάρρους significat non perpetuum flumẽ, sed propriè torrentem, qui subitò intumescit, auctus imbribus seu pluvialibus aquis. *Philippus lib. 2. Chron. pag. 134. Et Strigel. lib. 2. Ethic. pag. 36. 37.*

De Tyrannide Euripides inquit:

*Odit* DEUS *nimis vehementes impetus,*
*Odère cives: gratior moderatio est.*

## EXEMPLA
de Democratijs.

Romæ temporibus Democratiæ populus ter secessionem fecit à Senatu relicta urbe. Primæ successioni causam præbuerunt Tribuni, qui incitabant plebem contra Senatum. Hæc secessio facta est in montem sacrum. Secunda secessio facta est in montem Aventinum: ubi causam præbuit Appij Decemviri Tyrannis; & tunc abrogatus est Decemviratus. Tertia facta est in Janiculum propter æs alienum. Democratiam habuit Roma imperantibus Consulibus.

Lucanus: *Et cum Consulibus turbantes jura Tribuni.*

## EXEMPLA
### de Tyrannide.

I. Pysistratus cùm bis invasisset & obtinuisset Tyrannidem in urbe Attica: bis pulsus est à civibus; tertiò illam recuperavit & retinuit. Sed filius Hippias post patrem non diu eam tenuit, pulsus nimirum à civibus in exilium. *Herodot. lib. 1.*

II. Dionysius junior Tyrannus Siculus ex regno pulsus est à Dione.

III. Astyages deficientibus ab eo subditis Medis & Persis, regno Medorum excidit, & à Cyro in captivitate est detentus. *Herodot. lib. 1.*

IIII. Dominatus triginta Tyrannorum in urbe Attica constitutus à Lysandro post captas Athenas tempore belli Peloponnesiaci duravit per menses octo, recuperatis Athenis, & Tyranno Critia cum Collegis sublato per Thrasybulum.

# LXII.

*SI quis populariũm civitatum veterem memoriam repetat: profectò comperiet: aut cum hostibus, aut cum civibus sempiternum bellum gessisse: & quandiu floruerunt: non populari, sed sapientissimi cujusdam civis imperio, nutu, consiljs, quasi regia quadam potestate, moderatas fuisse.* *Ioh. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 4. pag. 1094.*

## EXEMPLA.

I. Quamdiu floruerunt Athenæ: non populi, sed Senatus Areopagitarum imperio tenebantur. Postea verò quàm à Senatu ad populum omnis delata potestas est: Periclis unius arbitrio omnia regebantur; quem rectissimè Thucydides civitatis imperium habuisse confitetur.

II. Florentini perpetuis ferè seditionum fluctibus jactati sunt: quousq; Lau-

rentius

rentius Medices imperium arripuisset. Hinc Soderinus in concione, quam habuit ad populum de convertendo statu, civitatem quidem antea specie popularem, reipsa unius Laurentij dominatione occupatam fuisse dixit: paulò pòst imperio plebi restituto, ad furores civiles relapsos non priùs conquievisse; quàm Regem haberent.

III. Romanam verò civitatem quis non videt perpetuis hostium bellis implicatam, vix tamen à civilibus unquam abstinuisse? Quòd igitur stetit; quòd legibus & armis aliquandiu flòruit: Menenio Agrippæ, Furio Camillo, Papirio Cursori, Fabio Maximo, Catoni Censorio, Marco Scauro, Pompejo Magno laus illa, non populo debetur. Quamobrem Livius, Sub umbra Scipionis, inquit, Vrbem terrarum dominam latere: nutus ejus pro decretis Patrum, populi pro jussis esse.

IIII. Stetit etiam aliquandiu popularis Thebanorum status: sed Pelòpidæ, sed Epaminondæ imperio singulari stetit: quos cùm amisissent: non ita multò pòst popularem imperium amiserunt. Perinde ut Athenienses amisso Pericle Imperatore fortissimo ac prudentissimo, civitas quasi navis amisso gubernatore, & ereptis Areopagitarum Senatui gubernaculis, in alto fluitare, ac seditionum civilium procellis agitari cepit: cùm alius ancoras jacere, alius portum tenere, alius vela facere conaretur: oborta tempestate fœdissimum sui naufragij spectaculum, & hostibus jucundissimum, exhibuerunt. *Idem ibidem.*

# LXIII.

*DEmocratiæ obnoxiæ sunt mutationibus propter septem causas. Primò enim mutantur propter eorum, qui veluti duces se præbent populo, perfidiam: dum privatim egregium quemq; calumniãtur, compellentes ita conspirare: publicè verò multitudinem irritant. 2. Propter seditiones & discordias civium. Sic enim seipsos perdunt: & advocant aliunde potentiores in auxilium: qui postea dominantur. 3. Propter nimiam licentiam à populo magistratibus concessam: quam facilè in tyrannidem convertunt. Per arma enim, quæ pro defensione Rei-*

*publicæ à Republica ſuſcipiunt, jam parata, inermi populo facilè imperant. 4. Propter res à gubernatoribus proſperè geſtas. Proſperè enim res à gubernatoribus geſtæ, aliquando etiam inducunt populū ſpontè ad deferendum adminiſtratoribus principatum, & ad mutandam Reipublicæ formam: & è diverſo, ſucceſſus rerum geſtarum, ad populum Rempublicam revocant. 5. Propter nimiam magiſtratuum indulgentiam. Illa enim tanquam dulci veneno ſeipſum populus perdit: & gradum facit ad principatum. Et qui magiſtratus ambiunt in Democratia, in omnibus ferè obſecundant populo: & eò rem deducunt: ut populum faciant dominum legum: quo facto nihil poteſt pernicioſius accidere ſtatui politico. Nam ſolis legibus mobilitas populi veluti freno continetur: & ſequitur ex relaxatione legum, mutatio Reipublicæ bonæ popularis, in ultimam ſpeciem vitioſam popularitatis. 6. Propter malam gubernationem & negligentiam magiſtratuum. 7. Propter confuſionem actionum, & promiſcuam officiorum & perſonarum indifferentem operationem. Hanc proximè ſequitur interitus. Petr. Gregor. Toloſ. lib. 22. de Repub. cap. 2. pag. 1377. 1378. 1379. 1380.*

EXEM-

# EXEMPLA

## De primo membro.

I. Hoc modo apud Coum popularis ſtatus interijt. Nobilitas enim ob paucitatem eorum, qui populum ducebãt, conſpiratione facta, regimen civitatis arripuit.

II. Apud Rhodum potentes retinentes ſibi pecunias, quæ militibus ſolvi debebant, irritarunt per triennium claſſis præfectos: qui cùm ſine pecunijs etiam ex lege navigare cogerentur, rebellarunt: & veriti pœnam judicij, conſpirationem inierunt ad popularem ſtatum evertendum.

III. Apud Megarenſes etiam, ductores populi, quò pecunias ex bonorum publicatione haberent, illatis injurijs nobilitatem expulerunt. Illi verò facta exulum multitudine, in unum convenientes, precio ſuperiores evaſerunt: oppreſſoq; populo, potentiam paucorum conſtituerunt: & perijt popularis ſtatus.

IIII. Dionyſius accuſans Daphnæum & divites, meruit Tyrannidem Syracuſis obtinere, propter inimicitias nobilitatis, ſibi fide à populo præſtita, tanquam ipſe popularis eſſet. *Idem pag.* 1377.

## De ſecundo membro.

Ita popularis ſtatus diviſus 1. apud Heſtiæam. 2. Mytilenem. 3. Phocenſes. 4. Delphos. 5. Epidamnos. *Idem ibidem.*

## De tertio membro.

Craſſi, Pompeij, & Iulij Cæſaris triumphi, præclaraq; acta navata pro Republica Romana, cujus miniſterio, opibus, militibus, dignitatibus gloriam ſibi pepererant, &, ut loquar cum Floro, nimia felicitas eorum, genuit ambitionem: per quam ſublato populari ſtatu ſibi dominationem vindicarunt: & demum inter ſe diſſidentes, ut conſortis impatientes, viam pararunt ad monarchiam. *Idem ibidem.*

## De quarto membro.

I. Apud Argivos nobilitas, quòd in prælio contra Lacedæmonios apud Matiniam urbem commiſſo, magnam famam conſecuta erat, popularem ſtatum delere tentavit.

II. Athenis Areopagi conſilium per tempora belli Perſarum famam conſecutum, Reipublicæ gubernandæ formam videtur ſeveriorem feciſſe.

III. Apud Romanos autoritas Senatus, & apud Syracuſanos contrà multitudo urbana, quod cauſa victoriæ belli adverſus Athenienſes videbatur feciſſe, Rempublicam mutavit in popularem ſtatum.

IIII. Apud Ambraciam populus unà cum aggreſſoribus, Periandro tyranno expulſo, in ſeipſum gubernationem convertit. *Pag.* 1378.

## De quinto membro.

In Heræa primùm magiſtratus fiebant nutu populari: poſtea ſortito: cùm electiones eorum in pudendos homines caderent. *Pag.* 1379.

De

## De sexto membro.

I. Apud Thebanos post pugnam in Onophytis commissam.
II. Apud Megarenses.
III. Syracusis ante Gelonis Tyrannidem.
IIII. Rhodi, antequam rebellarent. *Idem ibidem.*

## De septima causa.

De hac causa Plato ait: Si faber opera coriarij aggrediatur: vel coriarius fabri: vel instrumenta inter se commutent, aut præmia: aut si idem utraq; exercere contendat: omniaq; talia inter se permutentur: non commutationem hanc existimas magna quadam jactura afficere civitatem? Quotics autem aliquis artifex vel alius natura quæstuarius, divitijs elatus, vel multitudine, copiave & robore, aut hujusmodi alio quopiam, militaris ordinis hominem transire conatur: vel miles, cùm sit indignus, in consularis nititur & custodis ascendere dignitatem: & instrumenta vicissim quoq; sibi præmiaq; commutant; aut idē aliquis hæc omnia simul peragere tentat; tunc arbitror mutationem multarumq; rerum tractationem ejusmodi, videri tibi totius civitatis interitum. Et maximè quidem. Cùm ergo tria in civitate hominum sint genera: multorum tractatio, alterius q; in alterum commutatio, & extrema civitatis calamitas, rectissimeq; pernicies appellabitur. Est ita. Perniciem verò civitatis tuæ nonne injustitiam esse dices? Quidni? Hoc igitur injustitiæ genus. Rursum autem sic dicimus: quæstuarij, auxiliarij, custodum generis actio propria, unoquoq; suum opus peragente in civitate, contra ac confusio illa superior, & injustitia erit: & civitatem ipsam efficiet. Hæc Plato. Denique Paulus hanc confusionem valde noxiam Reipublicæ paucis describit: & eam esse unum corpus civile dicit: quòd in ea sint multa membra, diversa officia habentia: & si non essent membra, non esse corpus. Nam, inquit, & corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore: non ideo non est de corpore? Si dixerit oculus, quoniam non sum auris, non sum de corpore: non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodq; eorum in corpore, sicut voluit, &c. Apologo quoq; corporis humani usus Menenius Agrippa, pro revocandi plebis a secessione facta contra patritios & senatum: docuitq; plebem: quòd si nulla corporis pars amplius faceret suū officium: & contra ventrem conjuret: non fieri posse ullo modo, ut corpus diutius duret: ac non intra paucos dies fame, pessimo mortis genere, consumatur. Et idem de civitate eodem modo sentiendum. Et evenit populo alioquin, quod fabulosè narrat Plutarchus cuidam serpenti contigisse: cujus aliquando caudam ferunt, adversus caput seditione facta, petijsse: ut sibi vicissim quandoq; ducem reliqui corporis esse liceret: nec semper caput ducem sequi teneretur. Accepta autem ducendi potestate, fiebat: & ut ipsa sine intuitu se movens, graviter offenderet: & caput insuper, quod cœcum sui dumq; ducem præter naturæ institutum sequeretur, in eandem secum perniciem traheret. *Idem pag.* 1380.

*Optima*

# LXIIII.

*OPtima gubernandi ratio est, continere vulgus in officio, non tam sævitia, quàm moderata quadam severitate.* Sabinus in 2. Metamorph.

In administranda Republica convenit imitari ipsum Solem: quem Mathematici tradunt, niti quidem contra supremi orbis impetum: sed obliquè molliterq; ex transverso. Et *exempla utriusq; generis testantur, quàm pernicioſa sit, tum dura nimiùm, & populari voluntati semper adversa severitas:* qualis fuit in Catone: *tum blanda nimiùm, & ad vulgi libidinem accommodata facilitas. Pari enim calamitate Rempub. afficit gubernatio aut durior, quàm humanitatis postulat ratio: aut lenior, quàm officij dignitas permittit.* Quare ait Ovidius: medio tutissimus ibis. Nam *qui severitatem cum mansuetudine & comitate conjungunt: hi sapientissimè gubernandi viam incedunt: qui verò id non faciunt: illi non diu vulgus in officio continent.* Idem ibidem.

*Non aliter agendum cum civibus qui delinquunt, atq; cum membris languentibus. Semper anteferenda lenitas est severitati. Sed ut in difficilibus mor-*

*bis curandis, sic in gravibus delictis puniendis, interdum acrioribus utendum remedijs. Idem in 1. Metamor.*

*Imperia sint moderata—. Utraq; enim optima*, ut ait Plato Epist. 8. *moderata libertas, & moderata servitus. Strig. in Proverb. Salom. fol. 150. cap. 30.*

*Benevolentia retinentur & amplificantur imperia—.*

Inprimis ut orationis, ita etiam regnorum aut gubernationum exordia decet esse verecunda, blanda, jucunda, & ad civium benevolentiam conciliandam composita & accommodata. *Bucholc. in Chronolog. pag. 348.*

*Clementiæ Principis in subditos multi solent extare fructus. Quippe eo remedio populi querimoniæ sedantur: rebellionum seditionumq; materies, si qua est, discutitur. AntiMachiavellus lib. 3. pag. 600.*

*Ira Principis crudelis & temeraria, odium illi subditorum irreconciliabile parit: Danæus in Aphoris. pag. 194.*

*Cruentis remedijs nunquam, nisi summa necessitate cogente, utendum—: cùm ut plurimùm majus ex illis damnum—, quàm— lucrum—, nascatur. Guicciard. in Hypomn. pag. 94.*

*Usus docet haud diuturnam esse posse subditorum obedientiam—: si Principis imperia injusta esse videantur. Itaq; eos, quibus acerbè imperatur, opportunitate oblata, obsequium exuere, nec diutiùs*

*imperium*

*imperium tolerare, quàm necesse sit. Jam cùm nulla vis ac necessitas diuturna esse possit (nihil enim violentum naturâ durabile est) imperia quoq; aspera & iniqua non diu ferri certum est: & obedientiam metu nixam parùm fidam & stabilem esse. Nam æquitas & justitia imperij nervus est.* Et quemadmodum sine nervis corpus moveri quoquā non potest, nisi fortè in præceps, ut lapis: ita *edictum propter iniquitatem infestum & invisum subditis, usu valere & obtinere autoritatem nequit: nisi breve ad tempus, & in ipsis tantùm initijs.* *Anti Machiavellus lib. 3. pag. 515.*

*Quàm non solùm non damnosa, sed utilis clementia ei sit, in quemcunq; divinitus ea dos collata est: non aliunde melius, quàm ex contrarij vitij contentione deprehendi potest. Nam si sævitia (oppositum clementiæ vitium) sævis exitium adfert: quid ex clementia proficisci potest, præter utilitatem & decus? Cùm enim hæc virtus sponte sua sit amabilis: omnium hominum favorem, gratiam & benevolentiam ei conciliat, in quo est: neq; hi affectus aut ocioſi esse, aut à suis effectis magis sejungi, quàm ignis à calore, aut lux à splendore, possunt. Quare clementia & lenitate ornatum virum (præsertim Principem) super laudem, amicitiam & veneratio-*

*nem omnium, ultrò etiam omni metu libera ſecuritas, & ſumma animi tranquillitas conſequentur. Idem pag. 657.*

*Nihil eſt, quod Principis ſtatum tutiorem validioremq; præſtet: quàm ſi nullos inimicos hoſteſve habeat. Nullas autem inimicitias odiave in ſe conciturum Principem bonum & lenem, clementia ipſa ſpondet: virtus per ſe ſemper amabilis, & quæ eos, in quibus eſt, gratos omnibus acceptosq; reddit. Ac ſi fortè in talem Principem adverſarij quoq; nonnulli exoriantur (ſicuti nonnunquam honorum & divitiarum cupido avaros ambitioſosq; adverſus mites ſtimulat) vix tamen aut ejus ſtatum labefacere, aut cum ſede ac faſtigio evolvere unquam poterunt: præſertim ſi cum clementia boni conſilij copiam habeat. Cùm enim ei ſua virtus vicinos benevolentes, ſubditos ultrò obſequentes efficiat: quis dubitet, tot ſtudijs amicitijſq; fultum facilè vel occultis inimicorum inſidijs obviam ire, vel impetum propulſare poſſe? Idem pag. 680.*

*Perpetua omnium ætatum experientia docuit docetve: nullum ſtatum diuturniorem firmioremque ullo tempore fuiſſe ac eſſe: quàm bonorum & clementium Principum. Id. pag. 687.*

Principes & qui Rempublicam administrant, quos præstantiores, & præcipuos, atq; proniores ad factiones, tumultus & seditiones viderint excitandas, beneficijs, favore & largitione in suas partes adducere debent: subtiliterq; inquirere de causis, ob quas possent seditiones movere: num, quia pauperes, divitias quærant: aut, quia nobiles, ambitione moveantur: aut num odio in aliquos, & quam ob rem concitentur. Et pauperes quidem pecunijs venari oportet: ambitiosi dignitate & favore trahendi: odio irritati, satisfactione aliqua placandi, antequam in factiones & conjurationes prorumpant: aut si eas jam paraverint: poterunt ex his ad dissolutionem earum impelli. Etenim satiùs puto plerunq; his remedijs, quàm vindicta utendum: ne exasperati animi, in desperationem & audaciam majorem perveniant. Canes latrantes objecto osse silent. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 23. de Repub. cap. 9. pag. 1449.*

Proverb. 30: Qui premit lac, exprimit butyrum: & nimiùm emungens narem, elicit sanguinem.

Seneca: Violenta nemo imperia continuit diu: Moderata durant.

Scriptura nos hortatur ad moderationem, cùm inquit: Nè sis nimis justus. Item, Qui nimiùm emungit, elicit sanguinem. Et sæpe citatur dictum illud contra nimiam severitatem, quod in quadam Græca epistola extat de gubernatione ancillarum: Scito imitandas esse citharas, in quibus fides rumpuntur, si nimiùm tendantur. Sin autem nimiùm laxentur, edunt obtusos sonos. Quare mediocritas in omni re est optima. *Strigel. 1. Samul. 14.*

## EXEMPLA.

I. [illegible] Rex Ferdinandus (alij referunt ad Maximilianum I.) cùm esset Noribergæ, interrogavit unum ex præcipuis Senatoribus Civitatis, quo modo tantam multitudinem regerent? Respondit ille: Serenissime Rex, blandis verbis, & atrocibus pœnis. Est sapientissimum responsum hominis ingenioſi. *Sic enim debent esse Imperia constituta: ut gubernatores omnibus comiter respondeant: at in pœnis sumendu gravitatem adhibeant. Philippus in Locis Manlij pag. 589.*

II. Cùm Salomonis regnum filio ejus Roboamo tradendum esset: populus in urbe Sichem collectus petijt σεισάχθειαν, id est, onerum publicorum levationem: ad quod postulatum responsurus Roboam, tridui spacio ad deliberandum sumpto, primùm cum senioribus, qui paternæ sapientiæ discipuli fuerant, & vulgi sensus nôrant, deliberavit. Hi svaserunt, ut deposito fastu, captandæ gratiæ causa, populum placidè & blandè alloqueretur: firmius ei fore imperium, si amari mallet, quàm metui. Verùm Roboam juniores quoq; in consilium adhibuit: qui ei autores fuerunt: ut populo responderet: minimum digitum ipsius crassiorem esse lumbis patris sui; & si ab illo graviter se oneratos existiment: onus illud se nova accessione aucturum: Pater meus, inquit, castigavit vos flagris: ego autem flagellabo vos scorpionibus. Hac superbia & asperitate Roboam alienavit à se voluntates populi: quem obsequio, comitate & lenitate in officio continere potuisset. Verùm is torvitate sua perpetua distractioni occasionem præbuit. Nam decem tribus è vestigio ab ipso defecerunt: & constituto peculiari regno, quod vocarunt regnum Israël, Regem sibi crearunt Ieroboam: ita ut decem tribus parerent Ieroboamo; duæ verò Roboamo. Tanta autem fuit adversus Roboamum populi indignatio & fremitus: ut Aduram, quæstor regius, ad placandos concitati vulgi animos missus, nec dum auditus, à tota multitudine lapidibus sit obrutus: quod ita accepit Roboam: ac si in legati persona, suum quoq; caput saxis petitum esset. Protinus itaq; conscenso curru, in urbem Ierusalem celeri cursu contendit. *Buchols. in Chronolog. pag. 348, 349.*

III. Philippus Rex Macedo cùm audiret, Pythiam bonum quendam pugnatorem à se alienatum: quòd tres filias habeus, vix eas aleret: nec à Rege adjuvaretur; monentibus aliquibus, ut ab eo caveret: familiariter ad se advocatum Pythiam, cognitaq; difficultate rerum domesticarum, pecunia instruxit: ac meliorem fidelioremque habuit; quàm haberet, priusquam offenderet.

IIII. Iulius Cæsar militum erga se amorem & fidelitatem incomparabiliter comparavit, auxit & retinuit, primùm immensa largitione & honoribus: ostendens, non ad privatum luxũ se opes parare ex hostibus: sed communia virtutis præmia apud se servanda deponi; hactenus autem se ditescere: quatenus in bene meritos profunderet milites. Deinde, quòd nullum non periculum ultrò subiret: neq; laboribus fatiscceret in ullis.

V. Nolæ M. Marcellus Prætor cùm pro magno haberet negocio L. Bantium principem juventutis sibi conciliare, jam à Romanis abalienatum: quòd putaret sibi non fuisse gratiam habitam: quòd Cannensi strage ex cæsorum cumulis Romanum seminecem extractum diligenter curasset: cumq; eum videret ad res novas spectantem: ad se vocatũ benignè allocutus, laudavit; quòd pro Romanis strenuè se gessisset: equo donavit insigni & quingentis bigatis nummis: in futurum majora pollicitus; lictoribus imperans, ut quoties Bantius vellet, ad se darent aditum. Qua Prætoris munificentia ferox juvenis animus adeò est mutatus: ut sociorum nemo fideliorem operam Romanis eo bello deinceps exhibuerit. *Petr. Greg. Tolos. ũi suprà.*

VI. Alexandrum Severum, moderatum, lenem, affabilem, & cunctis hominibus amabilem fuisse accepimus. Itaq; cùm ei nimiam civilitatem objceret Mammæa mater, & sæpe diceret: Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem Imperij fecisti: ille respondit: sed securiorem atq; diuturniorem. Præclarè sanè ac verè.

Nam

Nam nisi illa fuisset: diu imperaturum constabat: sed parca & sordida mulier tantum arrogantia & avaritia effecit: ut sibi & filio exitium attulerit.

VII. Simile dictum Theopompo Spartæ Regi attribuitur: qui cùm regiam potestatem optimam esse intelligeret, si ea Reges moderatè utantur: plures tamen esse, qui eam in superbiam & libidinem vertant; quàm qui moderari sciant: solutæ Regum potentiæ Ephororum autoritatem, tanquam frenum, injecit: sibiq; & sequentibus Regibus illos veluti censores & castigatores morum imposuit. Ergo cùm exprobraret ei uxor: quòd regnum filijs minus, quàm accepisset, esset relicturus: Imò, inquit, eò majus, quò diuturnius. Ita nimirum innuens: ***principatum nullis melius opibus fundatum quàm moderato imperio stare: cùm videlicet Princeps ita iura & leges dat subditis: ut legum autoritati semet ipse subjiciat.***

VIII. Domitianus quanquam immanis & sanguinis sitientissimus esset: clementiam tamen, velut necessarium Principis ornamentum, laudibus ferre, & quoties in Senatu aliqua de re sententiam diceret, clara semper virtutis hujus encomia orationi aspergere insueverat. Famam scilicet mansuetudinis consequi dictis cupiebat; cùm factis everteret.

IX. Posteaquam Romæ, exactis Regibus, Respublica & libertas instituta est: populus sine publico stipendio militare cogebatur: interea eodem tempore Reipublicæ operam dare, & æs alienum facere: quod nihilominus usuris cumulabatur. Ergo militi labore ac vulnerib. fesso, domi pro quiete, novus objiciebatur labos; quippe aderant, creditores: qui super sortem crediti etiam fructus belli tempore auctas efflagitarent. Ita inopes judicati pecuniæ, & nexi ob æs alienum, à fœneratoribus in servitium ducebantur. Quamobrem plebs injusto fœnore obruta fremere: milites ægrè pati: postquam bello sanguinem pro Republica impenderint: non tantùm fortunas suas, sed corpora quoq; pecuniæ creditæ obnoxia esse: se nexos in servitutem & in vincula duci: ac ingentis motus non suspicio tantùm, sed aperta species obversabatur ante oculos. Iamq; haud procul seditione res erat: cujus leniendæ causa Patribus in curiam vocatis: Senatores aliquot æquioris ingenij, remittenda egenis debita, certè fœnore levandum æs alienum, censebant. Neq; æquum esse, ut plebs suo sumptu militiæ onera sustinens, usuris insuper sortem ipsam mergentibus obrueretur. Hujus sententiæ princeps erat M. Valerius, Marci filius, fratris P. Valerij Poblicolæ, unius eorum: quorum opera Tyranni urbe pulsi fuerant. Is addebat, irritatos esse inopes: periculum esse, ne plebs infensa Senatui Rempublicam iniquo tempore desereret: imò ne Tyrannorum blandimentis illecta cum illis arma adversus patriam consocier: ac mox Tarquinium in regnum restituat. Itaq; demerendam hoc beneficio plebem, & parvæ rei jactura civium benevolentiam redimendam, sibi videri: qua una Reipublicæ incolumitas staret. Huic Valerij sententiæ Senatus assensus est: edixitq;, ne quis civem Romanum vinctum aut clausum teneret: ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret aut venderet: liberos nepotesve ejus moraretur. Quippe non ignorabat: ***publici status firmitatem clementia & æquitate niti.*** *Anti Machiavellus lib. 3. pag. 681. 683. 684. 685.*

Monar-

# LXV.

*MOnarcha cùm nullius judicium metuat, infinitam licentiam sibi sumit: nec tanta præditus est sapientia quisquam: qui in summa potestate omnium rerum modum servare possit. Nam Monarchia est res insolens, & prona ad faciendas injurias: & stimulis invidiæ agitatur. Quem verò istæ Furiæ de sua mente atq; sanitate deturbarunt: huic ego nullum viciorum genus deesse arbitror. Fieri enim non potest, quin partim superbia inflatus, partim invidia ardens, multa tetrè & impiè faciat cum summa temeritate & impudentia. Otanes apud Herodot. lib. 3. referente Strigel. in part. 2. Chron. pag. 37.*

## EXEMPLVM.

Exemplo Alexandri Magni hanc sententiam Otanis Principis Persici, qui fuit filius injusti judicis Sisamnis, declaremus. Alexander Magnus ante captam Babylonem, cùm adhuc esset sanus, fuit optimus Rex & excellens sapientia, virtute & felicitate: nec quicquam fuit pulchrius in toto Regno, quàm ipse Rex Alexander. Sicut enim in prælijs fuit acerrimus: sic in victorijs fuit clemens & modestus. Post captam verò Babylonem, cùm jam esset tota Asia potitus: cepit furere & indulgere omnibus pravis cupiditatibus. Helluatus est: & inter pocula interfecit amicos & consiliarios optimè meritos, Clytum, Parmenionem, & alios. Voluit etiam se adorari tanquam numen: & negligentes aut omittentes hanc adorationem, jussit objici vel leonibus: vel includi in carcerem, & postea interfici: sicut Lysimachus fuit objectus Leonibus jussu Alexandri: & Callisthenes Philosophus & Historicus cavex inclusus, & postea morte mulctatus est. In hanc historiam intuentes discitis, quid dicat Otanes: ***Nemo est præditus tanta sapientia: ut possit in summa omnium rerum potestate, modum tenere.*** *Luxuriant enim animi rebus plerunq; secundis. Idem Strig. ibidem.*

Munitæ

# LXVI.

*MVnitæ civitates hostium devictorum relictæ integræ, victoribus victoriam reddunt infructuosam.*

*Exteri plerunq; eorum fiunt Domini: à quibus potestatem condendi civitatem precibus obtinuerũt.*

*Novæ civitates sæpe subvertunt eas ipsas Respublicas: quibus illæ debebant esse subditæ.*

Semper fortiores imperant inferioribus. Quare qui metuunt vicinos, dum illis superiores facti fuerint, dant operã, ut deijciant eorum civitates: & ut suas augeant: ut corruptio unius est generatio alterius. Quamobrem convenit, si quando Princeps videat vicinas ædificari civitates, sibi prospicere: ut vel impediat: vel fortiores obijciat. Permittere autem extrancis, novas sedes eligentibus, vix aut nunquam munitas excitare non erit utile. Recordatus exemplorum antiquorum: *quæ ab his subversas post permissionem declarant Respublicas.* *Petrus Gregorius Tholosanus lib. 2. de Repub. pag. 27.*

## EXEMPLA.

I. Tullus Hostilius Rex Romanorum ideo Albam potentissimam civitatem dejecit: ut Roma crescceret: Tarquinius Priscus, Corniculum: Servius Tullius Pomeriam: Populus Romanus Vejorum civitatem. Quo factum est: ut sublatis æmulis illis, & alijs civitatibus rebellibus, præstantior effecta fuerit. Qua arte & aliæ nationes usæ sunt.

II. Cùm Phœnices fugientes tyrannidem Pygmalionis Tyranni, in Africam veniſſent: cumq; repellerentur ab Afris: petierunt tantum loci ad incolendum; quantum tauri tergus comprehenderet. Riserunt illi Phœnicum tunc sordes: & puduit

tantil-

tantillam rem pernegare: sed maximè mirati sunt, quomodo oppidum in eo spacio posset fieri: cupidiq; videndi commentum ingeniosum, jurati promiserunt se daturos. Phœnices verò secto in orbem corio, sic ut unam corrigiam efficerent tenuissimam: circumtenderunt ubi fuit arx postea Carthaginensium; quam inde Byrsam nominarunt. Procedente verò tempore, incursantes finitimos & vincentes, navibus quoq; per mare victum quærentes more patrio, arci & urbem circumdederunt; jamq; potentes obtinuerunt Africam mari latè imperantes.

III. Idipsum evenit Segoregioribus: quorum Rex Senano permisit Phocensibus Massiliam in suis finibus ædificare: quæ tandem pro civibrs primùm inquilinis protulit dominos regionum. *Idem ibidem.*

# LXVII.

*SI verè judicare volumus, & veterum historiarum monumenta revolvere: inveniemus, plures rerum status eversos incuria ac perfidia eorum, qui arci præfuerunt: quàm servatos.* *Francisc. Patrit. lib. 8. de Rep. tit. 9. pag. 357.*

*Periculosa cùm in bello, tum etiam in pace & ocio, arcis munimenta sunt: & custodum ignavia seu incuria, nonnunquam civem, nonnunquam externum ad tyrannidem invitat.* *Idem pag. 359.*

Aristoteles affirmat inutilem periculosamq; arcem esse in optima Republica: præbereq; eam tyrannidis opportunitatem Optimè etiam Pedianus arcem definit: sedem esse Tyranni. *Idem pag. 357. 358.*

## EXEMPLA.

I. Roma quidem à Gallis capta incensaq; fuerat; sed Capitolij præsidio ex parte servata, pacem auro redemit. At ubi ad imperium rerum evasit: urbana munimenta seditionum, discordiarum, & intestini belli sæpenumero causas præbuerunt.

II. Timoleon summus ille Corinthiorum Imperator, qui patriam primò à Tyranno liberavit, & à Syracusis, quibus auxilio missus fuerat, inveteratam servitutẽ

depulit,

depulit, docuit, Vrbem, quæ arcis præsidio teneretur, vix unquam sine tyrannide esse posse. Nam cùm Dionysium Sicilia pepulisset: & civibus sua restituisset; urbium; mœnia bello disjecta instauraset: & civitatibus suas leges libertatem; reddidisset; arcem Syracusanam funditus evertit: & nunc (inquit) solida pacis fundamenta jecimus; cùm Tyrannorum domicilium ac sedem evertimus.

III. *Arcem, simultatem & civilem discordiam fovere*, vel ex hoc uno exemplo ostendere possumus. Lacedæmonij exercitum, cui Phœbidas præerat, Olynthum mittebant: iter; per Thebas, amicam tunc civitatem, ut faceret, opus erat. Laborabat tunc intestina seditione Thebanus populus: & pauciores, qui multitudinem formidabant, Lacedæmonio duci persuaserunt: ut munitissimam arcem, quam Cadmiam à conditoris nomine appellabant, occuparet: quod quidem eo consilio faciebant; ut adversæ factioni facilius resisterent, Lacedæmoniorum auxilio adjuti. Cùm autem occupasset arcem Phœbidas: hospitalitatis jura violata esse querebantur Thebani. Lacedæmonij excusabant, factum id privato ducis consilio, non publico. Et (ut rei fidem facerent) eum ab exercitu amoverunt pecunia multatum. Arcem tamen nihilo magis reddiderunt: ut qui asserent, periculosas esse inimicitias: nisi simul priùs paciscerentur: & dissimulato consilio, Lacedæmonij summam potestatem amicis dedere: qui tali auxilio freti, principes alterius factionis partim interfecerunt: partim verò in exilium ejecerunt. Et sic libertatem amiserunt Thebani: & paucorum potentia, externa tyrannide adjuta, tam diu populum Thebanum vexavit; donec Pelopidas vir fortissimus, exulibus accitis, & parva sociorum manu adjutus, patriam, hostibus cæsis, in pristinam libertatem vendicavit.

IIII. Pyrrhus Epirotarum Rex, qui Siciliam occupavit, & partem inferiorem illam Italiæ tenuit, quæ tunc magna Græcia dicebatur, bellumq; contra Romanos periculosum admodum gessit, & mox Macedoniam invasit, aliquando Athenas venit: benignoq; civium hospitio exceptus est. Is postquam urbem illam tunc opulentissimam & disciplinarum omnium matrem lustravit; in arcem Palladis deductus est: sacraq; magna cum veneratione fecit: & arcem natura atq; arte munitissimam magna cum admiratione contemplatus est. Deinde cùm discederet, inq; forum venisset: principibus civitatis, qui eum comitabantur, gratias peringentes egit pro fide magna, quam de se habere ostenderent: deinde eos monuit, ut in posterum nulli Regum potestatem facerent ampliùs arcem ingrediendi: ne opportunitatem præsidij nactus quispiam invaderet. Gratum consilium fuit Athenienses; ut qui liquidò cognoscerent; *periculosum admodum esse fortibus viris arcis aditum præbere*; & deinceps majore diligentia portas asservarunt.

V. Hæc Molossi Regis præcepta si tenuissent Locrenses, nobile quondam Italiæ oppidum, & Timei Platonici alumni memoria venerandum: non amisissent libertatem: nec Dionysij Tyranni crudelitatem ac libidinem perpessi essent. Exegerant namq; eum crudelissimo bello Syracusani. Is in Italiam profugit: & quamvis nomen ejus propter sævitiam compluribus odio esset: tamen à Locrensibus hospitij ac societatis jure benignè admodum exceptus est; & hi non modò urbis & agri, verùm privatarum ædium Tyranno potestatem fecerunt. Ille sævitiæ injuriæq; memor, immemor autem humani divinique juris, urbis arcem, quæ minùs diligenter custodiebatur, invasit: & eandem immanitatem in Locrenses diutiùs exercuit, quam in Syracusanos priùs exercuerat. Nam Principum civitatis conjuges, ubi forma præstarent,

rapi jubebat: & libidini satellitum suorum exponebat. Virgines ante nuptias adducebat; stupratasq; sponsis, procis patribusve reddebat. Locupletes quosq; aut civitate ejiciebat: aut occidi jubebat; ut eorum bona invaderet. Ita demum pœnas Locrenses malè custoditæ arcis dederunt: alijsq; exemplum præbuerunt: ***non temerè Tyrannos in urbem accipiendos esse.***

VI. Tarentini ignaviæ desidiæq; quondam etiam pœnas luerunt. Nam cùm Spurij illi Lacedæmoniorum, ob notam materni pudoris, relicta patria, ad novas sedes quærendas in Italiam se recepissent: Tarentum accesserunt: & exploratoribus præmissis, animadverterunt Tarentinam arcem minùs diligenter custodiri: quocirca eam repentino impetu occuparunt: urbemq; non modò diripuerunt: verùm ad unum usq; cives omnes populerunt: & retentis solùm virginibus, alijs verò omnibus relictis, sedes sibi constituerunt. Sic veteres Tarentini urbe ac laribus exspoliati sunt: & in perpetuum exilium acti; dum negligentiùs urbis præsidium asservarent. Eadem tamen Tarentina arx longo tempore post diligentiùs asservata à Romanis, urbis recuperandæ causam præbuit. Nam cùm ad Hannibalem defecissent Tarentini: & M. Livius Salinator arci præesset: præsto cum exercitu adfuit Fabius Maximus: urbemque per arcem recuperavit. Qua ex re ortum est illud facetè dictum, cujus non solùm Cicero, sed etiam meminit Plutarchus in apophthegmatis ad Trajanum Cæsarem cùm ait: M. Livium dicere: Memento Fabi, te mea opera recuperasse Tarentum. Cui ille, Verum, inquit, ais; nam nisi tu amisisses: ego nunquam recuperassem. *Idem Patritius ibidem.*

# LXVIII.

*Magnatum vel plures, vel adeò unus, qui inter eos potentior est, à Principe temerè læsus ac irritatus, facilè cæteros ad conspirandum impellit.*

***Danæus in Aphorism. polit. pag. 194.***

# LXIX.

*Principibus, monarchis ac potentioribus factæ à Republica vel Principe tenuiores injuriæ, altè in animis insidunt: nec, nisi priùs vindicatæ, omit-*

*tun-*

*tuntur vel oblivioni traduntur. Danæus in Aphoris. pag. 210.*

## EXEMPLVM.

Darius, ut ei nunciatum est, Sardes captas incensasq; ab Athenienſibus, & hujus rei autorem fuisse Aristagoram Milesium, fertur cùm primùm hæc audivit, interrogasse, quinam essent Athenienses? Id cùm audisset: tum arcum popoſcisse: eoq; sumpto, sagittam, quam imposuerat, in cœlum excussisse: & ea in aërem excussa, dixisse: ô Iupiter, contingat mihi, ut Athenienſes ulciscar. Atq; hæc locutus, cuidam famulorum præcepisse, ut sibi semper, appoſita cœna, ter diceret: Here, memento Athenienſium. *Vide Herodot. lib. 5. pag. 157.*

# LXX.

*EXempla multarum historiarum testantur: tentatis emendationibus politiarum, semper sequentem statum nova vicia genuisse. Philippus in Cordiali Abrahami Bucholceri: d. 15. Ianuarij, Anno 1557. Item in Comment. in Daniel. cap. 11. pag. 168.*

## EXEMLPLVM.

Democratia Athenis licentiam vulgi auxèrat: postea Oligarchia peperit tyrannides: quæ iterum discordias & bella civilia excitarunt. *Idem ibidem.*

# LXXI.

*CRescente Tyrannide, interit autoritas Legum. Tyranni enim nolunt subjecti esse legibus: & opprimuntur, qui leges tuentur.*

## EXEMPLA.

I. Caracalla Imperator Romanus curat interfici Papinianum Iureconsultum, nolentem excusare parricidium fratris Getæ. *Dion in Caracalla.*

II. Cambyses quærit ex judicibus Persarum, utrum lex sit inter Persicas: quæ concederet Regi sororem ducere: cumque illi negarent, talem legem extare, quæ hoc permitteret: sed aliam legem esse, quæ concederet Regi, ut faceret quod liberet: idq; dicerent metu suppliciorum: Cambyses, illis dimissis, sororem sibi matrimonio junxit. Et addit Herodotus: ita Iudices Persarum neq; legem abrogârunt metu Cambysis: & ne legem tuentes ipsi perirent, aliam invenerunt adjutricem eius, qui sororem in matrimonium locare vellet.

III. De Tarquinio Superbo inquit Dionys. Halicarnass. *lib. 4. antiquit. Rom.* Tarquinius rarò progrediebatur: nec statis temporibus: sed ex improviso. Tum negocia publica domi pleruncq; tractabat cum amicis intimis: pauca in foro. Controversias quocq; litium non ex jure dirimebat: sed ex suis moribus. Vnde vulgò Superbus cognominatus est.

# LXXII.

*DVæ sunt Rerum omnium publicarum antiquissimæ pestes, Egestas & Inertia. Ioh. Bodin. lib. 6. de Rep. cap. 2. pag. 1049.*

Summa ex operibus publicis ad universos & ad singulos utilitas manare consuevit: quia egestati simul ac ignaviæ occurritur: inertia è civitate expellitur: opificia condiscuntur: tenues sublevantur: ociosi exercentur: urbes exornantur: morbi arcentur: deniq; invidiæ erga Principes, quæ sæpissimè subditos ad defectionem exacuit, nullus nec seditioni locus relinquitur: cùm quæ tributa subditis imperantur, parta pace non modò in universorum, sed etiam in singulorum utilitatem redundant. Imò difficiliùs subditorum innumerabilis multitudo à paucis Principibus coërceri potest: nisi plebs operibus publicis ac opificijs intenta quæstum faciat. *Idem pag. 1048.*

## EXEMPLA.

I. Hinc Pericles publicas opes in opera publica effudit: nec solùm urbem propugnaculis munitissimam, verùm etiam ædificiorum magnificentia superbam, & opificum ingeniosissimorum multitudine admirabilem reliquit. *Idem pag.* 1049.

II. AEgy-

II. AEgyptij suorum inertiam capitalibus pœnis coërcebant. Hinc illæ pyramides, quæ à Regibus AEgyptiorum, ne plebs ocio & ignavia langueret, extructæ feruntur.

III. Et quidem Augustus parta pace, ut populum in officio contineret, locupletissimos quosq; ad ædium construendarum æmulationem invitabat: eosq; opibus & honoribus cumulabat; qui Vrbem ædificiorum magnificentia exornarent. Ipse sacras ædes vetustate collapsas, aut incendio absumptas, refecit: & in sacellum Iovis Capitolini XVI. millia pondo auri contulit: ac meritò gloriabatur: se Vrbem, quam lateritiam acceperat, marmoream reliquisse.

IIII. Quid Claudius Imperator? nulla re posteritati magis, quàm operum publicorum incredibili magnificentia commendatus est. Fucini lacus per tria passuum millia partim effossis, partim excisis montibus canalem absolvit post undecim annos, continuis triginta hominum millibus sine ulla intermissione, inquit Tranquillus, operantibus.

V. Quid Vespasianus? Non modò Capitolium, sed urbis regiones duodecim, incendio Neronis absumptas, civibus certatim operi manus admoventibus, paucis annis restituit. Et cùm architectus aliquis grandes columnas exigua impensa in Capitolium perducturum se polliceretur: præmium obtulit: operam remisit; præfatus, sineret se plebeculam pascere.

VI. Quid Veneti? Quatuor circiter hominum millia operibus publicis assiduè exercent & fovent. Quo nihil aut plebi utilius, aut civitati commodius, aut universis jucundius fieri potest: quòd præter opera publica civitati necessaria, etiam publicas opes tenuibus alendis summa benignitate largiuntur. *Idem ibid.*

# LXXIII.

*SOphistica Principum & Ignavia exitio sunt Rebuspublicis. Philippus in Epist. ad Camer. pag. 386.*

*Duæ sunt pestes Ecclesiæ & Reipublicæ præcipuæ, Tyrannis & Sophistica: sed hæc multò nocentior Tyrannide.*

*Omnibus seculis Sophistica contaminavit & dissipavit religiones. Philip. Tom. 1. Declam. pag. 588.*

Camerarius ex Sophocle:

*Vbi magistratus sophismatibus scatent:*

*Faciuntq;*

*Faciuntq; pluris odia sua, quàm patriam,*
*Quæ genuit ipsos, & adeò æternum* DEUM:
*Hanc civitatem statue tandem, prospero*
*Cessante cursu, vi procellis obrutam.*

## EXEMPLA.

I. Athenæ perierunt, secundum oraculum, ἡγεμόνων κακότητι, ductorum ignavia seu pravitate.

II. Apud Pausaniam in Phocicis dicitur, Athenas perijsse, δωλέρησι ξόποις, κακότητι νομέων, id est, fraudulentis moribus, pravitate pastorum, id est, ductorum.

# LXXIIII.

*CVm Tyrannide semper conjuncta est Sophistica calumniatrix, & præstigiatrix. Et econtrà, ubi est Sophistica: ibi simul est Tyrannis. Semper enim hæ duæ pestes conjunctæ sunt: ita ut una non sit sine altera. Hæc Regula est perpetua & semper vera.* *Peucer. in lect. Chron. 25. Iulij, Anno 1573.*

*Semper cum Tyrannide est mixta Sophistica*——. Fœdera fiunt & dissolvuntur mirabilib. artibus, **man macht denn einen** cothurnum, congruentem utriq; pedi. *Philip. in Cordiali Abrah. Bucholceri.*

Hujus Regulæ exempla invenietis infinita: quia *quæruntur plerunque speciosi prætextus ad opprimendos alios: & postea ad parricidia & injustas lanienas quoquo modo excusandas, prætenduntur non causæ ut causæ. Ista fallacia est usitata Imperijs Tyran-*

*nicis,*

*nicis*, id est, *ingenijs Tyrannicis. Ingenia enim Tyrannica sunt Sophistica—. Et plerunque Sophistica Imperia sunt Tyrannica—. Peucer. ut suprà.*

*Cum Tyrannide & sævitia injusta, semper est conjuncta Sophistica. Mendacijs & Sophistica excusantur crudeliter facta: ac quæruntur calumniæ: quibus innocentes opprimantur & tollantur è medio.* Nec in Imperijs hoc tantùm fit: sed etiam in Ecclesia. Propterea Filius Dei pingens naturam Diaboli, hæc duo conjungit, mendacia & parricidia: dicit eum esse ab initio mendacem & homicidam. Illa duo tribuit præcipuè Diabolo Filius Dei. Et talia fiunt in Ecclesia. Hæretici enim non tantùm sophisticè corruperunt doctrinam omni tempore: sed etiam fuerunt crudeles: sicut testatur tota historia Arianorum, quorum sævitia fuit longè major: quàm ipsorum Ethnicorum. *Idem.*

*In summa: ubi sævitia, ibi & Sophistica: & ubi Sophistica, ibi & sævitia. Hæ sunt duæ conjunctæ pestes inter se: sed perniciosæ Rebuspub. & Ecclesijs. Idem.*

## EXEMPLA.

I. Exemplo sit vobis totum Imperium Laconicum. **So sind die** Spartani **durchaus gewesen**: fuerunt crudeles & sophistici.

II. Paches, cùm obsideret Colophonem: noverat Arcadicum Ducem (cujus erat excellens industria) in urbe esse. Igitur evocat illum: & simulat se velle cum illo colloqui, promittens ei incolumitatem, & salvum in urbem reditum. Egresso ipso; Paches expugnat urbem; qui sciebat, sine Duce nihil effecturum esse exercitum. Capta verò urbe, iterum Ducem introduxit: ut sic servare videretur, quod ipsi promiserat: verùm postea eum callido hoc sophismate elusum iniquè trucidavit. Quare Paches etiam seipsum gladio confodit: quia DEVS punivit injustitiam illam. *Philippus in Locis Manl. pág. 271.*

III. Gonsagæ præsulis Mediolanensis singularis est in judicando dexteritas.

Cùm Hiſpanus, Præfectus oppidi, imperio ipſius ſubjecti, teneret nobilem captivum: & conjunx ejus peteret liberationem, oblata pro eo magna pecunia: Hiſpanus hac conditione promiſit ſe ei redditurum maritum; ſi priùs ſui copiam ipſi faceret. Quod cùm obtinuiſſet: deinde reddit mulieri captivum maritum, ſed priùs interfectum. Gonſaga, reſciens illum triſtem caſum, capit Hiſpanum: & cogit eum ducere interfecti mulierem. Ducta illa, & re deliberata, Hiſpanum capitali ſupplicio affecit; & omnes ejus facultates mulieri attribuit. *Idem pag.* 290.

IIII. Erat inter Triginta Tyrannos Theramenes; qui ut erat aſtutus, & antea mutationes quaſdam rexerat: & arte deduxerat rem ad deditionem, ut urbs ſervaretur. Hic cogitans, hanc ſævitiam non poſſe diuturnam eſſe, & ſciens præſtantiam virtutis in Thraſybulo exule, fuit hortator moderationis. Metuens igitur Critias, qui inter Triginta crudeliſſimus erat, ne, ut erat artifex Theramenes, contra hunc ſtatum aliquid moliretur: accuſat eum apud Collegas; & petit eum interfici. Theramenes ſe excuſat, & reſpondet: Sua conſilia non contraria huic ſtatui, ſed potiùs ſalutaria eſſe: quia injuſta ſævitia non poſſit eſſe diuturna. Et noſſe ſe, inquit, magnitudinem animi & conſilij in expulſo Thraſybulo: qui nactus exulum multitudinem, non ſit omiſſurus conſilia recuperandæ patriæ. Deniq; lex tuebatur Theramenem recens lata; Ne Collegæ, aut illi, qui in Catalogo ſcripti erant, ſine judicio interficerentur. At ego, inquit Critias, ne hic lege ſe tueri poſſit, nomen ejus deleo, & eum condemno. Tacent Collegæ; quia vident armatos ex Catalogo circumſtare. Et cùm ad Aram confugeret Theramenes; imperat lictoribus Critias: ut eum ab Ara abſtrahant, & interficiant. Abſtractus ducitur ad bibendum venenum. Quod cùm exhauſiſſet; & aliquantulum, quod reliquum erat, effudiſſet: jocans inquit; Hoc propino Critiæ. Hic exitus eſt Theramenis, interfecti ſævitia Collegæ propter moderata conſilia. *Idem lib.* 1. *Chron. pag.* 77.

V. Andromache apud Euripidem cùm confugiſſet ad aram: ne à Menelao interficeretur; jubet ille referre infantem filium Pyrrhi & Andromaches: eamq; jubet ab ara diſcedentem redire ad percuſſorem: quod niſi faciat: minatur ſe filium ipſius interfecturum. Hic generoſa mater filij ſalutem anteponit ſuæ: ac diſcedit ab ara. Poſtquam igitur ad percuſſorem redit; inſultat Menelaus deceptæ mulieri: Te, inquit, ego quidem interficiam: ſed infantem filia mea perdet. Hic illa juſto & ingenti dolore affecta exclamat: O digniſſimi odio Spartani, & execrandi ab omnibus hominibus, doloſi, mendaciorum architecti, inſidioſi, flexiloquas ambages captantes, aliud loquentes, aliud ſentientes, malè pereatis. *Tom.* 1. *Declam. Phil. in orat. de odio Sophiſtices, pag.* 534.

VI. Achab Rex Iſraël cùm inhiaret vineæ Nabodi Iſraëlitæ; & hac potiri non poſſet: per calumniam illum opprimit; & mortuo eripit vineam. Prætextus fuit, Nabodum Regi maledixiſſe; & propterea ſecundùm legis præſcriptum mortem commeritum eſſe.

VII. Antoninus Caracalla crudeliſſimus Tyrannus in Imperio Romano, ſubmiſit interfectores; qui fratrem Getam in ſinu matris confoderent. Quo facto ipſe fugit ex Vrbe ad exercitum, ſimulans percuſſores ſubornatos eſſe ab alijs: qui ſe & fratrem interficerent; & fratrem quidem jam occiſum eſſe. Hoc prætextu ſævitiam exercere cepit in multos; quos dixit conſcios fuiſſe cædis fraternæ; & interfecit ad viginti millia hominum. Idem cùm Cilonem Vrbis Prætorem interfici juſſiſſet: & milites

eum

eum in balneo correptum per urbem ad palatium ducerent: ut ibi interficeretur: & concursus fieret multitudinis: Imperator simulans suo jussu Cilonem non interfici, prodijt illi obviam: & toga illum texit. Postea sævijt in milites, prætextu usus: quòd Cilonem interficere voluissent: sed revera, quòd non in continenti illum occidissent. Plures alias fecit cædes; quas talibus prætextibus occultare conatus est. *Dion in Caracalla.*

VIII. Nero cùm matrem Agrippinam interfecisset; scripsit ad Senatum; & objecit ei multa crimina; ob quæ interfecta esset justè. Accusavit eam præterea: quòd vitæ suæ insidias struxisset. Cùm tamen omnia à Nerone conficta essent; ut parricidium hoc excusaretur. *Vide Dionem in Vita Neronis.*

IX. Pericles hostibus vitam incolumem futuram promisit, si ferrum abjecissent: illos tamen exarmatos, qui vel fibulas ferreas in vestibus haberent, trucidari jussit. *Ioh. Bodinus lib. 5. de Rep. cap. 6. pag. 949.*

# LXXV.

Πολυπραγμοσύνη *Mulierum, immiscentium se negocijs Ecclesiasticis aut Politicis, semper est infelix: & turbat regna & Respublicas.*

*Quando in Imperio, præsidente Principe, ignavo, molli, effœminato, tumido & crudeli, & subjecto imperio muliebri, res communes administrantur muliebri consilio, à vetula inquieta, avara, libidinosa, superba & ambitiosa: tunc ejus gubernationis exitus, sicut videre est in historijs, plerunque est pernicios us publico statui in Ecclesia & in Imperijs. Peucer. in lect. Chron. d. 8. Aug. An. 73.*

*Universaliter, quando res redeunt eò: ut vetula potiatur rerum in Imperijs: ut inserat se negocijs vel Politicis vel Ecclesiasticis: excitat ingentes mo-*

*tus sine causa, ingentes calamitates: & dilacerat Ecclesias & Politias.* *Idem lect. eadem.*

Est vetus versus de tali vetula, apud Græcos:

γραῦς ἀνασκυρτήσασα πολὺν κονίορτον ἐγείρει:

*Anus inconcinnè saltans, magnum pulverem excitat.*

Quo versu hoc voluerunt significare Græci, *Anum ingerentem sese gubernationi, admiscentem se negocijs Ecclesiasticis aut Politicis, & administrantem res communes suo consilio, ardentem odio sibi adversantium, & cupiditate vindictæ, nocere privatis & Rebuspublicis, esse causam multorum magnorum malorum, privatis & statui publico: sicut ostendunt exempla omnium ætatum & historiarum: Imperia muliebria infelicia esse: & plerunq; regna & Respublicas evertere.* *Idem.*

*Gynæcocratia est naturæ legibus inimica:* quæ viris prudentiam, robur, animi magnitudinem, imperandi vim dedit: fœminis ademit. Et quoties DEUS opt. max. sui nominis hostes acerbissimè ulturum se testatur: fœminarum imperijs ac legibus subditos fore minatur *(Esa. 8.)* *quasi malorum illud & calamitatum omnium extremum esset.*

*In Gynæcocratia aut connubio jungetur fœmina: aut per se ipsa imperabit. Si nupserit: Gynæcocratia tamen est: quoniam ea lege nubit: ut penes illam sint majestatis & imperij jura: non autem penes*

*mari-*

*maritum*. *Quòd si Regina nuptias recusârit: quæ verissima Gynæcocratia dicitur: Rempublicam in summo discrimine versari necesse est. Quoniam magno ac forti animo subditi muliebre imperium & contumeliosum, nec diu tolerandum sibi putabunt: sed alij quidem sexum, alij fœmineas libidines, alij muliebrem impotentiam, & sermonib. & scriptis irridebunt. Nihil est autem civitati pernitiosius: quàm eos, qui majestati præsunt, à subditis contemni. At fœmina contumeliarum impatiens ultionem reposcet: quod sine civili tumultu fieri non potest. Quòd si quem è subditis opibus & honoribus cumulaverit: uti quisq; gratiosissimus erit: ita invidiosissimũ fore necesse est. Ac cùm difficile sit in eo genere castissimas decus & existimationẽ tueri: tũ verò Reginas ipsas ab impudicitiæ fama vindicare difficilimũ est.* Quis enim facem ardentissimam in altissima specula latere putet? Quin etiam fœminis natura quodammodo insitum est: ut procorum numero & certaminibus pascantur. Quòd si tanta est subditorum ignavia, tantus stupor: *ut per summam contumeliam ac dedecus fœminam gubernacula Reipublicæ torquere patiantur: singulos etiam domestico fœminarum imperio teneri necesse est. Quod enim publicè licet: privatim semper licebit. Et quemadmodum familiæ perturbantur,*

*in quibus fœminæ maritis imperant: sic etiam Respublica disturbatur: quæ fœminæ dominatu tenetur: etiamsi prudentiæ famam assecuta fuerit: quantò magis si nec libidines domitas habere, nec cupiditates coërcere possit.*

*Tametsi pernicioſum sit Reges suffragio creare: tolerabilius tamen est, quàm perpeti Gynæcocratiã. Quoniam si Regina peregrino Principi nupserit: peregrinis legibus, peregrina religione, peregrinis institutis populum imbuet: ac peregrinis honores & imperia largietur.* Sed, inquies, Reginam civi nubere oportet. Id quidem commodius videtur: sed *res est inexplicabilis: quia nec facilè ad subditorum nuptias fœminæ principes delabuntur: nec sine potentiorum odio & invidia ijs, quos adamaverunt, nubere licet.* *Hactenus Ioh. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 5. pag. 1154. 1155. 1156. 1159.*

Aristoteles dixit, consilium mulieris esse invalidum: & non bene à mulieribus regi civitatem. Atq; Bologninus, in condendis statutis, vult, non adhibendum consilium mulierum: quòd in illis non resideat prudentia. Ita inconstantia, mutabilitas, & ad omnia ferè momenta versatilis mens, notatur in illis. *Petr. Greg. Tolos. lib. 7. de Repub. cap. 11. pag. 447. 448. Idem tamen cap. eod. prolixè pro fœminarum regimine disputat.*

*Regna tenent Solem, clamat gens tota simul væ:*
*Interitus regni est à muliere regi.*

Menan-

Menander: πολὺ χεῖρον ἐρωθῆσαι γραῦν, ἢ κύνα.:
*Multò peius est irritare vetulam, quàm canem.*
Rythmi proverbiales apud Germanos:
**Wo Landßknechte ſieden vnd braten /**
**Pfaffen zu weltlichen dingen rathen /**
**Vnd wo Weiber haben das Regiment /**
**Da nimpt es ſelten ein gut endt.**

# EXEMPLA.

I. Athalia regina Iudæ, mulier tyrannica, poſt mortem mariti rapuit regnũ: interfecit poſteritatem Salomonis; & publicè cultum & ſacerdotium Baal inſtituit.

II. Iſabel uxor Achab Regis Iſraël, cultum Baal inſtituit; horribiliter eſt perſecuta Prophetas: curavit interfici Naboth Iſraëlitam: propterea quòd Regi expetenti nollet concedere vineam à majoribus acceptam.

III. Semiramis obtinuit imperium Aſſyriorum fraude. Cùm enim eam deperiret Rex Aſſyriorum: petijt ab Rege munus, ſtolam regiam, Aſiæque imperium ad quinq; dies, & eorum, quæ in hoc gererentur, poteſtatẽ. Ipſa potita poſtulatis, mandavit ſatellitibus: ut Regem interficerent. Ita obtinuit imperium. *Aelian. lib. 7.*

IIII. Hecuba regina perſuaſit Priamo Regi Trojano: ne Menelao redderet Helenam: quod aliàs facturus erat, permotus populi clamoribus: qui ſcelus hoc Paridis raptoris alienæ conjugis deteſtabantur. *Dictys Cretenſis lib. 1.*

V. Hujus regulæ exemplum eſt in hiſtoria Artaxerxis Mnemonis: cujus mater Paryſatis, ſuperba & libidinoſa & crudelis fœmina, commiſit inter ſe primùm filios, Artaxerxem & Cyrum: Cyrumq; incitavit ad bellum fratri inferendum. Poſtea cùm Cyrus occubuiſſet, ultrà cædem ejus, pleroſq; conſcios cædis, adigit per fraudem ad horribilia ſupplicia: ſicut atrox admodum eſt ſupplicium Mithridatis: qui per jactantiam, ſe Cyrum manu ſua concidiſſe, in convivio vino plenus dixerat: ſicut deſcribitur apud Plutarchum ſupplicium ſcaphale. Paryſatis, omnium fœminarum, quas hic Sol vidit, peſſima & perditiſſima. *Vide Peucerum, ut ſuprà. Item Strigel. part. 2. Chron. pag. 225. 232.*

VI. Tiberius Cæſar, ob imperium, quod ſibi ſumebat mater Livia, nominabat eam Vlyſſem ſtolatum: **darumb das ſie im Regiment viel wolte zuſchaffen haben / nicht bey jhrem Spinnen / Nehen / Kochen / vnd ander Haußarbeit bleiben.** (Idem tamen publicis omnibus actionibus ab ea remotis, familiaris rei curam gerere mandavit. Propter quod & illa illi uſq; adeò moleſta fuit: ut peregrinationes ideo inſtituerit. *Petr. Greg. Toloſ. lib. 7. de Rep. cap. 11. pag. 451.*)

VII. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, Imperator, totus pependit à conſilijs Vxoris: ab eaq; perſuaſus, multa & injuſtè & crudeliter fecit. Ea de cauſa incurrit in odium apud proceres: qui incitatis contra eum filijs, prætextu occultarum molitionum novercæ, regno amotum carceri incluſerunt.

VIII. Soror Conſtantini Magni Conſtantia, revocato Ario, & revocatis certamine longo labore vix in Synodo Nicena Conſtantinus ſopiverat, autore cõ-

demnato

deminato & expulso, horribile excitat incendium in Ecclesia: quod postea longè latèque vagatum est: & horribiliter convulsit Ecclesias multos annos. **Das heist** verè excitare ingentem pulverem, **einen scheutzlichen Staub anrichten.**

IX. Ita Eudoxia secunda Theodosij uxor, vidua, mulier inquieta & ambitiosa, cùm opponeret se Synodo Chalcedonensi, & foveret reliquias Eutychianæ factionis: verè ingentem pulverem excitavit.

X. Et paulò pòst Basiliscus, qui Zenone in exilium pulso, imperium rapuerat, incitatus à Conjuge, edicta proposuit: quibus abolevit sententias & decreta Synodi Chalcedonensis.

XI. Et aliquantò pòst Iustinianus Imperator, indicta quinta Synodo Oecumenica, quæ est secunda Constantinopolitana, restituit decreta Synodi Chalcedonensis, & ea de novo sancivit & stabilivit. Sed idem Iustinianus paulò pòst persuasus Conjugis illecebris & blandimentis, descivit à veriore sententia ad Eutychianos: & præbuit causam magnis motibus & tumultibus in Ecclesia. **Das gehet also** universaliter. *Peucerus ut suprà.*

XII. Antonij, Reinerij nothi filij, Viduæ Mahometes cum parvulo filio supplici possessionem Principatus pecunia vendidit. Hæc postea exarsit amore Veneti mercatoris: qui filius erat Petri Palmerij præsidis Nauplij, & domi uxorem habebat. Cum hoc pacta est: si divortium faciat cum Vxore: se ipsi nupturam esse: & collocaturam eum in Principatu. Venetus incensus cupiditate, Conjugem domi veneno sustulit, & Viduam duxit. Sed cùm sævitiam exerceret in Viros nobiles. Athenienses pertæsi Tyrannidis accusarunt eum apud Mahometen. Cumq, ad hunc profectus esset: ut pecunia & culpam & pœnam redimeret: Mahometes eum interfici jussit. Ita primùm ipse scelerum pœnas dedit. Postea cùm Mahometes parvi hæredis cognato Antonio principatum attribuisset: is mulierem, quæ propter libidinem specie conjugij Vrbem in Venetum mercatorem transtulerat, carceri inclusam Megaris necavit. Ita & mulier divinitus punita est. Hæres matre orbatus, cùm sibi quoq; à cognito eripi Principatum videret: accusat eum apud Mahometum de nece matris. Mahometus igitur videns, non esse finem parricidiorum in ea familia, mandat præsidi Thessaliæ, ut Athenas occupet. Ita in Mahometi potestatem Athenæ redactæ sunt: ubi postea propter civium seditiones, arcem & magnam partem Vrbis victor delevit. *In Chron. Phil. lib. 5. pag. 570.*

XIII. Nemo est, opinor, qui nesciat, quales tragœdias de se ipsa excitaverit Iohanna: quæ ab impudicitia Lupa dicta est, Neapoleos Regina. Tres enim Reges eosdemq; maritos crudelissimis parricidijs interfecit: eodemq; supplicio est affecta.

XIIII. Cleopatra, ut Aegypti regno sola frueretur, fratrem interemit. *Iob. Bod. lib. 6. de Rep. cap. 5. pag. 1156.* De eadem ait Dion Cassius lib. 50: Propter hanc Cleopatram declaratus hostis Romanus Antonius: quare & Octavius contra eum excitans milites dicebat, eum mutatum fuisse per illam à priori virtute. Quod fieri non posset, ut qui regio luxui mollitiæq; muliebri indulgent, viro aliquid dignum vel consulant vel agant. *De eadem & Petr. Greg. Tolos. lib. 7. de Rep. cap. 17. pag. 496.* Cleopatra, ex his quæ in Aegypto vetustiore memoria Reginæ nomen tulerunt, matrem thoro expulit: filias viduas fecit: fratrem, cui debebatur regni successio, veneno sustulit, agentem quindecimum annum: deinde sororem suam Arsinoën, Ephesi in templo supplicem, per Antonium interfecit. Alienos fratrum muti immanis virilis

stupis

stirpis unum in exilium egit: alterum interficere conata est: cui tamen postea suorum scelerum debitas exsolvit pœnas, post mala propemodum infinita.

XV. Fuit summa Laodices in ea re ambitio & impietas: quæ ex sex filijs, quos ex Rege Ariarathe susceperat, timens nenon diuturna regni administratione, adultis quibusdam, potiretur, quinq; parricidiali veneno sustulit: unum tantùm parvum sceleri matris cognitorum custodia eripuit: qui post necem Laodices solus regno potitus est: & ipsa propter crudelitatem justas pœnas pependit, & à populo necata est.

XVI. Decreverat Euridices, uxor Amyntæ Regis Macedonum, occidendum virum, regnumq; adultero tradendum. Occidit & postea Alexandrum filium. Sed filia pellicatum matris, & adulterium, & consilium in perniciem generis conceptum, detexit.

XVII. Brunechildis, uxor Sigeberti Regis, ut post mortem mariti regeret regnum Galliarum, decem Reges Galliarum, partim consilio, partim manu aut veneficio extinxit. Verùm tandem meritas sceleruṁ & parricidiorũ luit pœnas: & indomiti equi caudæ per crines & brachia alligata, per aspera, sontes, rupesve ab equo concitato tracta, calcibus cerebro dispersо, per membra quoq; dissipata est: ex sententia comitiorum Francorum communi sub Clothario Rege.

XVIII. Refert Aeneas Sylvius, mulieres Boëmicas principatum Boëmiæ, more Amazonum, obtinuisse potenter per septem annos: multos interim viros juvenesq; aggressas, pessimo trucidasse: nec aliter pugnasse: quàm si mulieres viri animos, viri verò muliebres induissent.

XIX. Tullia, Servij Tullij filia, impijssima fœmina, ut Tarquinio Superbo nuberet, & regnum sibi pararet Romanorum, maritum, Tarquinij fratrem, & sororem suam, ejusdem uxorem, necari curavit: & postea Servium Tullium patrem fugientem: supra cujus jacentis & vulneribus sauciati cadaver, prætervehens carpento, infestis furijs agitata, & muliebri spiritu inflata, incedere non dubitavit.

XX. Scribit Dubravius, Drahomiram Lucensem, quæ Vratislao Boëmorum Principi nupserat, post mortem mariti imperium usurpasse: quamvis ex eo matrimonio haberet duos filios, Venceslaum & Boleslaum: & cùm Boëmi principatum propter ejus tyrannidem detulissent Venceslao: eam Ludmillam, sanctissimam fœminam, aviam Venceslai per sicarios in templo strangulasse: & Venceslaum trucidasse in templo: & sacerdotes extra Pragam occidisse. Cæterum biennio pòst, eò loci, quo ad huc insepulta jacebant ossa sacerdotum, terram sua sponte dehiscentem, Drahomiram unà cum curru, & qui simul vehebantur, absorbuisse. *Idem Petr. Greg. ibid.*

# LXXVI.

*MVtationes gubernationis mutant etiam leges & doctrinam. Omnes mutationes gubernationum sunt periculosæ in politijs, & multò magis*

*in Eccleſijs.* Quia Monarchæ non patiuntur ſe aſtringi vinculis legum: quærunt occaſiones: quibus aut laxent autoritatem legum, ſi non violentia, ſaltem ſophiſticis interpretationibus & calumnijs: quibus eludatur, vel potiùs elidatur autoritas legum. Alij profligata autoritate legum faciunt quod volunt. Multi religiones inflectunt ad ſuas opiniones & cupiditates. *Peuc. in lect. Chron. d. 3. Decemb. An. 69.*

**Jene Saw ſagte** cùm cecidiſſet cauſa in Camerę judicio: **Ich wil gerne den Schultzen ſehen / der mich zwingen ſolte.** Iubebatur Comiti N. reſtituere Comitatum: quem vi illi eripuerat.

# LXXVII.

*FRuſtrà appetitur regnum contra decretum Dei. Strig. 2. Sam. 5.*

## EXEMPLA.

I. Titus Veſpaſiani filius duos patricij generis convictos in affectatione Imperij, nihil ampliùs, quam ut deſiſterent, monuit, dicens: Principatum fato dari. *Idem.*

II. Maximilianus I. Imperator æmulos ſuos, qui illi abrogare Imperium moliebantur, ita eluſit: ut cùm olim Principes conventiculum celebrarent contra eum: quò adminiſtrationem Imperij illi auferrent: in caſtrũ illius Principis ſponte ingreſſus, qui autor factionis erat, cum Vxore ejus pranſus eſt hilariter & intrepidè.

III. Ita olim Trajanus fecit Cæſar: qui Licinij Suræ domum ingreſſus eſt: & cum eo pranſus poſt delationẽ factam. *Cuſpinianus in Vita Maximiliani I. Imperatoris.*

IIII. Auguſtus Cæſar multas conjurationes ac conſpirationes prudentia fatoq; evaſit: priuſquã faſtigiũ Imperij attingeret, rerumq; potiretur. *Idem in Vita Auguſti.*

# LXXVIII.

*REgnandi cupiditatem, quæ in maximis animis, ſplendidiſſimisque ingenijs plerunq; exi-*

*ſtit, nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt.* *Strigel. 2. Samuel. 15.*

*Scitis maxima bella ſæpe tantùm ex regnandi cupiditate orta eſſe: quibus everſa ſunt & deleta, aut inſigniter afflicta potentiſſima Regna & Reſpublicæ ampliſſimæ.* *Peucer. in lect. Chron. d. 28. Ianuar. An. 1570.*

*Nihil familiarius eſt ambitioſis ingeniis: quàm de dignitate certare quibusvis artib. & machinationib.* *Idem.*

Notus eſt verſus Ennij: *Omnis cura viris, uter eſſet Induperator.*
*Aurum, & opes, & vaſa frequens donabit amicus:*
*Qui velit ingenio cedere, rarus erit.*

φιλαρχία. *ſemper fuit cauſa magnorum ſcelerum.* Ovidius: *Regia res ſcelus eſt*, id eſt, *in magnis familijs nihil parvi accidere ſolet: ſed omnia in utramq; partem magna ſunt.* Inde Pompejus ſemper in ore habuit hoc Symbolum: Semper ego cupio præcellere, & eſſe ſupremus. Cæſar verò dixit, ſe malle in obſcuro oppido primum eſſe: quàm Romæ ſecundum. *Strigel. in Comment. in 1. Tuſcul.*

*In omnibus hominibus, & maximè in illis, qui ſummo loco nati ſunt, aut qui ad aliquod honorum dignitatumq; faſtigium evecti ſunt, maximum plerunq; eſt incendium ambitionis honorum, & regni cupiditas.*

Cupiditate honorum temerè rapti, nec humanis nec divinis parcunt legibus: imò nec ſibi, nec filijs: nec proximis: multò minùs extraneis: ſive jure, ſive injuria, ſive ex ſuſpicio-

ne, quos sibi obstituros implendæ ambitioni existimaverint, eos tollere omni studio satagunt: viam sibi per scelera detestabilia, ferro, igne & immanitate facientes. *Petr. Greg. Tolos. lib. 7. de Rep. cap. 17. pag. 493.*

# EXEMPLA.

I. Eteocles apud Euripidem in Phœnissis (quam vocem Iulius Cæsar scribitur semper in ore habuisse) inquit: Si violandum est jus: regnandi gratia violandum est: alijs rebus pietatem colas. Versus Eteoclis Tyranni, recusantis admittere fratrem Polynicen ad societatem regni, citat ex Euripide Suetonius, à Cæsare sæpe pronunciatos, etiam Cicerone teste 3. Off. εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ τυραννίδος ὄπι καλλίστου ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. *Sueton. in Vita Iul. Cæs. pag. 32.*

II. Polynices frater Eteoclis apud Senecã in Thebaide matri Iocastæ respondet: Pro regno velim patriam, penates, conjugem flammis dare: Imperia precio quolibet constant benè.

III. *Cicero in primo de Officijs*: Maximè adducuntur pleriq; ut eos justitiæ capiat oblivio: cùm in imperiorum, bonorum, gloriævè cupiditatem inciderint. Declaravit id modò temeritas C. Cæsaris; qui omnia jura divina atq; humana pervertit, propter eum, quem ipse sibi opinionis errore finxerat, principatum.

IIII. Absalom, cùm esset filius Regis, magnificebat & colebatur à principibus & consiliarijs: ac debebat adjuvare patrem. Sed non contentus hoc splendore præcipuoque dignitatis gradu, appetit superiorem vocationem, seu summum fastigium: nec expectat mortem patris: sed ante tempus invadit & occupat regnum, excusso patre. Hæc cupiditas impellit eum: ut jus naturæ violet: quo fancitum est, ut parentes colamus sermone, opere & patientia. Impellit etiam hæc pestis degenerem filium: ut sit ingratus erga parentem pro recenti beneficio: conciliatæ gratiæ. Deniq; extinguit in eo lucem & affectum naturalem; & est ei dux ad omnem turpitudinem. Non enim contentus est regno per seditionem rapto: sed etiam conjuges patris contaminat: quo nihil tristius cogitari potest. *Strig. ut suprà.*

V. Scitis Romæ fuisse septem Reges: quorum primus fuit Romulus: sextus, ut reliquos omittam, fuit Servius Tullius. Hujus filia fuit Tullia, nupta Tarquinio Superbo; qui fuit septimus & ultimus Rex Romanorum ante Consules. Hæc Tullia agitata furijs partim mariti Superbi Tarquinij, partim sororis, non dubitavit impellere maritum ad interficiendum parentem Servium Tullium: neq; contenta hoc scelere, addidit aliud majus. Egit enim carpentum seu currum per cadaver patris: & paterno cruore respersa ausa est domum redire. *Historiam integram legite lib. 1. apud Livium, Decad. 1. pag. 23. Et apud Ovidium in Fast. lib. 6. Strig lib. 1. Ethic. pag. 115.*

VI. Severus Imperator laudatissimus, habuit filium monstrosum, crudelem & incestum, Antoninum Bassianum Caracallam. Is interfecit initio suæ gubernationis fratrem Getam: & ipso facto probavit dictum Euripidis in Phœnissis; quod suprà in primo exemplo citatum est. Nam pater in testamento decreverat, ut frater Geta esset Collega Bassiani Caracallæ. Tanta verò fuit impudentia hujus Tyranni crudelissimi: ut non dubitârit postulare à viro justissimo Papiniano Iurisconsulto & præfecto ur-

bis Ro-

bis Romæ: ut excusaret hanc cædem aliquo juris prætextu & specie. Ad hoc postulatum tyrannicum & injustum & impudentissimum respondit, ut vir gravis & justus, Papinianus: Non tam facilè est excusare parricidium, quàm facere. Propter hanc vocem interfectus est. *Idem lib. eod. pag.* 127.

VII. Pausaniam, cùm annum unum regnũ tenuisset, bello invasit & regno exuit Amyntas II. Philippi exulis filius, adjutus auxilijs Atticis. Sed rursus fuit bis regno pulsus, & reductus item, semel à Thessalis, deinde à nobilibus Alephatis; & cùm secundò esset pulsus: venit in tantam desperationem: ut constitueret regnum deserere. Ibi quidam ex amicis confirmavit eum illo dicto Hellopidæ ad Dionysium: Honestissimam sepulturam Regum esse Regnum. Quo dicto monere voluit: neutiquam debere eum abijcere conatum appetendi regnum; etiamsi sit ei occumbendum. Isto dicto confirmatus, denuò confirmatis exercitibus, & accersitis auxilijs, regnum recuperavit, & in filios transtulit. *Peucer. in lect. Chron. d. 6. Febr. An.* 1574.

VIII. Mortuo Selime Solimanni filio Imperatore Turcico, Anno 1582. passim circumferebantur chartæ venales; in quibus ipsius & filiorum feretra conspiciebantur depicta, singula cum diademate, & stragulis preciosissimis exornata. Ii jussu fratris Muratis III. (qui nunc solus longè lateq; dominatur, & rerum inter Turcos potitur) interfecti & regio funere in monumenta majorum, ad minuendam invidiam, unà cum defuncto patre, illati fuerant. Murathes enim patris successor, recepto more barbaro, strangulari quinq; fratres suos, natu se minores, in præsentia sua jussit. Quorum minimi cervicibus & jugulo, cùm pro more nervus adhiberetur: incertum an teneroris in hunc amoris causa motum, an conscientia patratæ crudelitatis in omnes, illacrumasse quidem illum constat.

IX. Eodem modo & anno Ismaël Techmasis Regis Persarum vel Parthorum filius, secundo loco genitus, non solùm Sultanos sibi suspectos, verùm etiam fratres suos omnes, quotquot nancisci potuit, è medio sustulit: qui tamen sexto regni mense à sorore veneno sublatus est: sicut Leonclavius noster (*in supplem. Annal. Turcic.*) refert. Cùm autem hæc fratricidia pleriq;, & rectè quidem, detestarentur: cogitatio subijt animum: *nihil novi accidere inter illos: qui libidine regnandi excæcati, neutiquam turpe vel flagitiosum ducere id soleant: quod ipsorum cupiditatibus impedimento vel est: vel suspicantur esse posse.* Siquidem, *ut Robert. Gaguin.* (*lib. 1. cap. 5. histor. Franc.*) *ait, nihil apud dominandi cupidos probitatis aut fidei est. Libidine enim habendi Reges feruntur: nec amicis, nec generi indulgent suo.* Hoc ita esse apparet in Antonino Caracalla. Cùm enim fratrem Getam in gremio matris interfecisset: & quidam ei suasisset: ut fratrem interfectum, ad mitigandam invidiam fratricidij, divum appellaret: Sit, inquit, divus, dum non sit vivus. *Tam nescia est pietatis & iuris regnandi cupiditas.* Rectè itaq; de Tyrannis illis Lucani hoc dici potest: Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas Impatiens consortis erit. Sic videmus bruta pleraq;, quæ (quod Tyrannorum proprium est) rapto vivunt, & quibus solius pabuli cura impressit aliqua tyrannicæ naturæ vestigia, in proprios fœtus sævire potiùs: quàm ut illos socios venationis accipiant. Eodem modo Plinius (*lib. 10. cap. 19. nat. histor.*) scribit: Aves uncos ungues habentes, omnino non congregantur: & sibi quæq; prædantur. Ad summam, non fruſtrà barbara illa vox tam

sæpe ab historicis repetitur: ***Nullum regnum sine domestica cæde aut parricidio esse solere.***

X. Secutus est Murates ille (*suprà exempl.* 8.) exemplum proavi sui Selimis, Bajazetis filij: qui patre veneno, opera Iudæi Medici, ut ajunt, sublato, cùm libido & cupiditas regnandi naturalem mortem expectare non permitteret, non modò fratres suos & eorum liberos, omnesq; consanguineos è medio sustulit; ne æmulos regni relinqueret: sed etiam, cùm in expeditione Aegyptiaca esset, veritus ne sibi absenti, Solymannus filius unicus Imperium adimeret, quemadmodum ipse Bajazeti patri suo illud extorserat, veste quadam veneno tincta dono missa, filij vitæ pater, ut multi indicârunt, insidiatus est.

XI. Eadem diffidentia Solymannus erga filios laboravit. Cùm enim an. 1552. Mustapha filius major natu (sicut post alios à Bodino refertur) fractis Persarum opibus, ad patrem, accepta fide, sine comitatu redijsset; tanto exercitus clamore, tantaq; gratulatione exceptus est: ut mortalium antea nemo. Pater istam gloriam ferre non potuit; sed filium subinde strangulari mandavit in cubiculo interiore; & eodem momento coram exercitu projici: tum præconē altissima voce promulgare jussit; Vnum in cœlo Deum, in terris unum Solymannum Imperatorem esse oportere. Totus exercitus terrore attonitus obmutuit. Iunior natu biduo pòst veneno sublatus est, quòd ingemuisset. Tertius metu patris ad Regem Persarum confugerat: statim per legatos revocatus est, ac securi percussus. Restabat Selimus; cui pater minas intentavit: nisi solus restaret.

XII. Atq; ita usitatum est in gente Othomanorum: quia apud illos Musulmanos Reges mos est perpetuus: ut spes Imperij ad omnes, exitus ad unum recaturus sit. Ob hanc causam mortuo Saladino Sultano Aegypti, Saphadinus patruus ejus, novem filios Saladini, extra unum Norradinum, amicorum virtute tectum, libidine regnandi necavit. Decessit autem Saladinus, domitor ille Orientis, ac nostrorum terror, Anno 1352. *teste Meyero, in Annalibus Flandriæ lib.* 7. Rectè itaq; dicit Augerius Gislenius Busbequius, legatus Cæs. Majestatis, in suo itinere Constantinopolitano: Nihil omnino miserius Turcicorum Imperatorum filijs esse: è quibus, si quis patri succesisit, reliquos inevitabilem mortis necessitatem manere. Nam neq;, inquit, Turcæ imperij æmulos ferunt: nec per milites prætorianos omnino ferre possunt: qui, si quis fortè fratrum sit, præter eum, qui regnat, superstes, congiariorum petendorum nullum finem faciunt; si recusantur, statim audis; Salvus frater sit: fratrem Deus nobis servet. Quo verbo designari illum Imperio non est obscurum: adeò ut fratrum sanguine manus polluere, & parricidio regnum, Turcis Imperatoribus sit necesse.

XIII. Olim quoq; similia parricidia Asiaticis illis Regibus (licet Osmanica stirps nimis Europæa, cum magna clade & dedecore Christicolarum, jam pridem esse ceperit) consueta fuêre. Siquidem *apud Reges nihil tam sanctum est*: ut Papirius Massonus (*lib.* 2. *Annal. Franc.*) monet, *quod non facilè violetur: si utilitatē ostendas.* De qua re audiamus, ut de innumeris ferè exemplis unum atq; alterum memorabile adducamus, Plutarchum. Ait enim, Dejotaro plures fuisse filios: quorum cùm ipse uni relinquere Imperium, atq; omne patrimonium suum cuperet: quò id faciliùs efficeret: cæteros omnes manibus suis trucidasse, vinitorum exemplo: qui cùm vitis aliqua complures emiserit surculos; unum modò ex eis relinquere, alios amputare consueverunt: ut is, qui relinquitur, major & robustior fiat.

XIIII. Iustinus præterea de Horode Parthorum Rege (qui paulò antè fratrem suum Mithridatem, licet fiducia cognationis ultrò se in potestatem ipsius tradidisset, in conspectu suo trucidari jusserat) cùm filius ejus Pacorus unà cum toto exercitu à Ventidio interfectus esset, ita (*lib.* 42.) scribit: Hæc cùm nunciata in Parthia essent: Horodes pater Pacori, qui paulò antè vastatam Syriam, occupatam Asiam à Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repentè filij morte & exercitus clade audita, ex dolore ad furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quenquam: non cibum sumere: non vocem mittere: ita ut mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud, quàm Pacorum vocabat: Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur: cum illo loqui; cum illo consistere: interdum quasi amissum flebiliter dolebat. Post longum deinde luctum, alia solicitudo miserandum senem invadit: quem ex numero triginta filiorum in locum Pacori Regem constituat. Multæ pellices, ex quibus generata tanta juventus erat, pro suis quæq; sollicitæ, animum senis obsidebant. Sed fatum Parthiæ fecit; in qua jam quasi solenne est Reges parricidas haberi: ut sceleratissimus omnium, & ipse Phrahartes nomine, Rex statueretur. Itaq; statim, quasi nollet mori naturaliter, patrem interfecit: fratres quoq; triginta trucidat. Sed nec in filijs cessant parricidia. Nam cùm infestos sibi optimates propter assidua scelera videret; nec esset, qui nominatim posset Rex creari: adultum filium interfici jubet. Rectissimè igitur de hoc barbaro Rege, vel potiùs Tyranno dici posset; quod Polybius (*lib.* 2.) refert, Philarchum historicum de Aristomacho memoriæ tradidisse: Eum non solùm Tyrannum fuisse: verùm etiam è Tyrannis genitum. Quo quid gravius aut perniciosius dici potest? Hoc enim nomen, inquit, quasi seminarium in se continet crudelitatis: & omnes hominum injurias scelera q; complectitur.

XV. Simili morbo laboravit etiam populus Israëliticus. Qualis enim regnandi cupiditas, conjuncta cum insigni Tyrannide, fuit in Absalomo filio Regis Davidis? nonne parricida fuit (ut de Ammone fratre ab hoc interfecto taceam) si conatus ipsius spectes, Patris optimi? Quid Adonias ipsius frater consanguineus aliud meditatus est? cùm opera Ioabi præfecti militum, & Iothari summi Sacerdotis, Salomoni designato Regi, regnum & vitam præripere, nimia regnandi libidine conaretur, sicut sacra historia expressè testatur? Sed ad profanas historias revertamur.

XVI. Hæc parricidia Artaxerxes potentissimus Rex Persarum, in se à filio Dario, quem successorem regni constituerat, præparata, mira prudentia & astu vitavit: ut Plutarchus in ejus vita refert; qui tamen in extrema sua senectute paulò pòst conspicere cogebatur; quomodo filij sui propter libidinem regnandi invicem sibi insidias struerent: & alter alterum ad moriendum adigeret. *Ea de re sic Petr. Gregor. Tolos:* Artabanus præfectus Xerxis Regis Persarum, in spem regni adductus, Xerxem aggressus, ad quem jure amicitiæ semper ei patebat aditus, de mi trucidavit: & postea ut filios ejus tolleret; finxit apud Artaxerxem filium Xerxis, à Dario fratre & filio quoque Xerxis, quò maturiùs regno potiretur, fuisse necatum: & impulit, ut fratrem trucidaret. Sed cùm adhuc decrevisset & Artaxerxem tollere: is detecto consilio & proditione, collecto exercitu, Artabanum meritò cum filijs trucidavit: & ita perfidiæ & crudelitatis pœnas luit: & regni, quod ambiebat, spe privatus unà est. *Lib. 7. de Rep. cap. 17. pag. 493.*

XVII. Mitiore sanè animo sunt Reges Aethiopum vel Abissinorum (ex quibus

unus,

unus, teste Alvaresio, tuo tẽpore Negus & Iochan Belul, id est, gemma preciosissima appellabatur) in Africa omnium potentissimi. Ii enim regnante legitimo successore, reliquos filios suos & consanguineos, ne ad regnũ aspirent, neve habeant occasionẽ turbas libidine imperij excitandi, procul remotos, in monte altissimo, qui ab Alvaresio Anga vocatur, ad quem propter præcipitia unus tantùm aditus esse dicitur (scribit enim Hier. Osorius, *lib. 9. de reb. Afric. & Indic.* Multos in ea regione montes editos & excelsos contineri, undiq; præruptos, aditu perangusto: adeò ut unus tantùm homo per ostium penetrare possit: in summo autem fastigio esse miras planicies latè patentes: aquas perennes: pabula & fruges lætissimas: amnes pellucidos: pecorum & boum multitudinem: alvearia, ex quibus ingens vis mellis exprimitur) perpetuis, sed liberis custodijs potiùs incolumes detinere, quàm parricidia committere malunt. Inde nulli, nisi qui ad imperium magis idoneus ex filijs, & ijs deficientibus ex proximis agnatis, optimatibus videtur, egredi, & habenas Imperij absq; æmulo liberas capessere, mortuo tamen antè Rege, licet. *Hactenus ex Operis succisivis Camerarij, cap.* 88.

XVIII. Philippus Comminius in Commentarijs prodidit, annis non amplius 36. octoginta regiæ gentis Principes mutuis cladibus ac supplicijs in Anglia occidisse.

XIX. Reges item Castiliæ puras à parricidio manus continere non potuerunt. Vt enim omittam ea, quæ recenter facta commemorantur: Rex unus in ea gente sex fratres crudeli parricidio peremit. *Ioh. Bodinus lib. 2. de Rep. cap. 5. pag.* 348.

XX. Mahometes Turcicus Imperator, hujus nominis tertius, Amurathis patris An. 1595. d. 3. Febr. mortui, successor, à cæde fratrum octodecim (alij dicunt undecim) & quidraginta concubinarum patris, regnum auspicatus esse dicitur.

XXI. Antigonus & Hircanus fratres, filij Alexandræ Reginæ Iudæorum, dimicant de regno. Antigonus excutit Hircanum. Postea ope Pompeij rursus ab Hircano regno expellitur. Illud recuperat ope Parthorum: & Hircanum captivum in Babylonem abduci à Parthis permittit. Eripit hoc illi postea Herodes Magnus, à Romanis declaratus Rex Iudææ. Cum hoc dimicant filij Antigoni de regno: sed victi tandem in isto conatu vitam amittunt.

XXII. Philippus postremus Rex Macedoniæ duos habuit filios, Perseum & Demetrium: ex quibus Perseus cùm videret se præferri à patre, & Macedonibus omnibus, Demetrium fratrem, metuit: ne regni spe, quod ad ipsum tanquam ætate anteeuntem fratrem pertinebat, excideret. Quare primùm consiliarios patris, mox patrem ipsum contra Demetrium incitavit, imbutos suspicionibus: quasi cum Romanis, de quibus semper optimè loqui solebat, colluderet. Erat autem Philippus acerrimus hostis Romanorum. Tandem multis delationibus hoc effecit: ut Philippus filium Demetrium per Didam Heracleæ in sacrificio veneno tolleret; ut ipse post obitum patris regno potiri posset. *Vide Livium lib. 40. ab V. C.*

XXIII. Eucratides Bactrianorum Imperator, cùm obsidionem Demetrij Regis Indorum summis laboribus solvisset: & victor evasisset: & Indiam in potestatem suam redegisset: cumq; se inde reciperet; à filio, quem socium regni fecerat, in itinere interfectus est.

XXIIII. Refert Iustinus, Cambysem filium Cyri, postquam vidisset per quietem, fratrem suum Smerdim regnaturum, somnio exterritum, jussisse illum occidi.

XXV. Post Sethonem Aegyptiorum Regem, duodecim Reges creati: qui sanctissimo quidem fœdere ab initio inter se pacti sunt: ne sibi alius alij insidiarentur:

sicq;

ſicq; fida conſpiratione Aegyptum adminiſtrarent. Sed paulò pòſt cùm oraculo cognitum fuiſſet; quòd is eſſet ex illis regnaturus; qui phiala ferrea libaſſet in Vulcani templo; undecim Pſammetichum duodecimum poteſtate deturbarunt: & dignum morte, interdicta adminiſtratione, in paluſtrem Aegypti partem relegarunt. Is autem paulò pòſt, auxilio Ionum & Carum, qui cò vi tempeſtatis delati fuerant, Reges ſuſtulit; totiuſq; ditionem regni ſolus adeptus eſt. *Petr. Greg. Toloſ. lib. 5. de Repub. cap. 4. pag. 275. 276.*

XXVI. Refert Plutarchus, ſucceſſores regnorum poſt mortem Alexandri Magni, omnes parricidas, & inceſtis libidinibus infames fuiſſe; & inter illos axiomatis loco habitum: *Fratrum cædes ad ſecuritatem regni eſſe.* Extra unam Antigoni domum: in qua nullus, præter Philippum Macedoniæ Regem, qui Demetrium filium ſuſtulit, cognato ſanguine manus polluit.

XXVII. Sic meminit Herodotus, Aſtyagem avum Cyri Regis Perſarum, voluiſſe & juſſiſſe necari hunc Cyrum, nepotem ex filia Mandane: metuens ne poſt illum ſuccederet, juxta vaticinia ſuorum ſomniorum.

XXVIII. Voluit idipſum agere Amulius, oppreſſo fratre Numitore: & filios filiæ Numitoris tradidit exponendos & trucidandos: ne in eos paternum Numitoris recideret imperium.

XXIX. Herodes alienigena à gente Iudæorum, ideo regni incapax, ut tutiùs in tyrannide uſurpata imperaret: ſocrum, ſocerum, atq; filiam, uxorem ſuam, & duos ex ea ſuſceptos liberos, & Ariſtobulum interemit: Zanedrim ex domo David delevit: tum & Salomen ſororem ſuam, & virum ejus, de tribu Iuda, itemq; proprium filium, quem ex uxore ejuſdem tribus ſuſceperat, interfecit: quòd diceretur, jam in lege promiſſus CHRISTVS natus. Quamobrem Auguſtus, cùm audiſſet inter pueros, quos in Syria Herodes intra bimatum juſſit interfici, filium quoq; ejus occiſum, ait: Melius eſt eſſe porcum Herodis, quàm filium. Abſtinebant enim à porcis Iudæi; & ita non occidebant.

XXX. Quemadmodum & Domitianus, longo pòſt tempore, veritus regnum CHRISTI terrenum, eos qui de genere eſſent Davidis, juſſit conquiri & necari. Valde enim erat regnandi cupidus: ex quo non ceſſavit fratri Tito Veſpaſiano clàm inſidias ſtruere palamq;: quoad correptum gravi valetudine, priùs quàm planè efflaret animam, pro mortuo deferi & ſepeliri juſſit.

XXXI. Otho Sylvius nullum officij aut ambitionis genus in quemquam omiſit: ut favorem ſibi demereretur: & ſollicitaret etiam cuſtodias excubantes Principis viventis Galbæ: & cùm dolo non potuiſſet pervenire ad Imperium: per apertas inſidias Galbam necari & trucidari fecit. Sed non diu imperio potitus: neq; plùs quàm 95. diebus: à Vitellianis oppreſſus, ſeipſum interimens.

XXXII. Extincto in Sicilia Dionyſio Tyranno ſeniore, filium natu maximum ejus Dionyſium in locum ejus milites poſuerunt, maturam ætatem ejus ſecuti: & quòd firmius regnum futurum eſſet: ſi penes unum remanſiſſet: quàm ſi portionibus inter plures filios divideretur. Sed ipſe Dionyſius, favore priùs popularium ſibi conciliato: & cognatos & fratres ſuſtulit: ne conſortium regni aliquando haberent; & in ſuos priùs tyrannidem, quàm in extraneos auſpicatus eſt. Sed ille tandem & regno pulſus, & in privatam vitam Corinthi redactus.

XXXIII. Demetrius Soter contra jus gentium, mortuo Antiocho fratre, primo-

genito relicto filio pupillo, curavit filium necari, ut regnaret. Verùm ab alio Tyranno paulò pòst, qui se filium Antiochi diceret, nomine Alexandro, ex consensu populi suppositò, victus & necatus est.

XXXIV. Ptolemæus κέραυνος cùm totum Macedoniæ regnum occupasset, pulso Antigono: ut Arsinoën sororem suam deciperet: & filios ejus vita privaret; & Cassandriæ urbis possessione sibi regnum illorum firmaret, quod occupaverat; finxit se amore ejus detineri: & ducere in matrimonium velle. Atq; eo prætextu, in ipso nuptiarum convivio filios ejus trucidari jussit. Verùm non multò pòst à Gallis in prælio cum suis victus, eiq; caput amputatum est.

XXXV. Alexander Magnus proficiscens ad bellum Persicum, omnes novercæ suæ cognatos, quos Philippus in excelsiorem dignitatis locum provehens, imperijs præfecerat, interfecit. Sed nec suis, qui apti regno videbantur, pepercit: ne qua materia seditionis, procul se agente, in Macedonia remaneret; & Regis stipendiarios conspectioris ingenij, ad commilitium secum trahit; segniores ad tutelam regni relinquit.

XXXVI. Scribit Luc. Florus, motum concitatum in Syria; quòd Cleopatra Demetrium virum suum, & Seleucum filium interemisset; multùm indignata, quòd occiso patre ejus à se, injussu suo diadema sumpsisset.

XXXVII. Non omittam quæ narrat Plato, de Archelao Perdiccæ filio, qui imperavit Macedonibus. Is enim ex ancillâ Alcetæ, Perdiccæ fratris, natus est: & ideo regnum occupavit; quod ad eum non pertinebat; sed ipso jure Alcetæ servus erat. Occupavit autem injurijs commissis, & cædibus, primùm in ipsum Alcetam. Nam primò hunc ipsum Dominum patruumq; suum Alcetam, accersitum ad se, quasi regnum, quod Perdiccas abstulerat, redditurus, convivio vinoq; gravatum, ipsumq; & ipsius filium Alexandrum patruelem æqualemq; suum, conjectos in plaustrum, noctuq; asportatos trucidavit atq; delevit; & paulò pòst fratrem suum legitimum, Perdiccæ filium, puerum annorum septem, ad quem regnum pertinebat, in puteum præcipitem dedit & suffocavit.

XXXVIII. Polycrates, Æacis filius, Samum insulam armis occupatam, cum Pantagnoto & Silosonta fratrib. primò tenuit. Mox uno interfecto, altero in exilium acto, solus tyrannidem tenuit. Verùm non multò priùs, quàm Cambyses Persarum Rex perijt, ab Oræote, Lydiæ præfecto, fraude captus, & cruci affixus est.

XXXIX. C. Marij & L. Syllæ, Triumvirorum postea, Augusti, Lepidi & M. Antonij dissensiones regnandi causi, in horrendam carnificinam optimorum utriusq; factionis civium eruperunt.

XL. Arydæus, Pamphiliæ Tyrannus versutissimus, patrem senio confectum, & fratem natu majorem, interfecit.

XLI. Victericus Hispaniæ Rex, Luybam antecessorem in regno, insidijs interemit: ut regnum obtineret. Sed eo septem potitus annis, eodem mortis genere perijt.

XLII. Refert Ritius Neapolit. Theodoricum II. Visigothorum Regem in Hispania, unà cum fratre Friderico, Torismundum fratrem jugulasse: ut regnum acciperet: tandem & illum à suis fratribus jugulatum. *Idem Petr. Gregor. lib. 7. de Rep. cap. 17. pag. 492. 493. 494. 495.*

# LXXIX.

*IN regnis nihil est periculo propius: quàm Rege sine liberis mortuo, unum aliquem existere: qui opibus ac potentia cæteris præstet: eoq; magis, si regnandi cupidus fuerit. Neque enim dubium est: quin dominatum cæteris Principibus, si possit, eripiat.*
*Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 1. pag. 621.*

## EXEMPLA.

I. Vt quidem Hugo Capetus: intermortua Caroli Magni stirpe: cùm præfectus Prætorio, opibus & gratia plurimùm valeret: Carolum Lotharingiæ Ducem, qui unus cum Othone filio ex omnibus Caroli Magni nepotibus restabat, de imperio dejecit.

II. Id quod Othomanis Principibus metuendum est: qui tametsi habent Turcanos, Ebranes, Michaëlitas, suæ gentis ac nominis Principes: nihilominus tamen, si Othomanorum familia penitus intereat, verendum est: ut qui plus opibus & gratia possit inter Prætorianos milites, de Imperio dimicaturus sit: ac Principibus, qui minùs potentia valent, dominatum erepturus: quod maximos bellorum civilium motus in Oriente excitaret: propter eam quam de Othomanorum virtute & imperandi majestate opinionem populi conceperunt.

III. Memorabile exemplum habemus de conversione imperij Lacedæmoniorum. Nam fuso ac fugato Cleomene Rege ab Antigono: Spartiatarum populus summo imperio tres annos præfuit. Sed cùm allatum esset, Cleomenem Regem in Aegypto cæsum fuisse: ex Ephoris quinq; à populo creatis, duo, arreptis armis tres Collegas sacrificantes occiderunt. Deinde populus Agesipolim regiæ stirpis Heraclidarum suffragio Regem creavit. Sed cùm ante Cleomenem duo Reges creari consuevissent: Lycurgus novus homo, emptis pecunia suffragijs, Rex etiam à populo creatus est, Chilone regiæ stirpis propter inopiam à petitione diadematis summoto: qui tantam suo generi ac dignitati contumeliam illatam ferre cùm non posset: magistratus omnes interfecit. Ita Lycurgus, qui cædem evaserat, solus dominatum tenuit: cùm Heraclidarum gentem penè deleviset. *Idem ibid.*

# XXC.

*PRincipum securitas nulla major esse potest: quàm ut subditi persuasum habeant, sanctos & inviolabiles esse oportere. Quanquam Reipublicæ plurimùm interest, stirpem regiam sacrosanctam esse: ne sublatis Principibus Respublica concidat: aut inexplicabili seditione perturbata, distrahatur.* *Ioh. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 5. pag. 348.*

## EXEMPLA.

I. Quæ cùm ita sint: prudenter Seleucus Asiæ Rex, qui captum Demetrium Poliorcetem, bellicis laudibus clarissimum, nec liberum abire, nec occidi passus est. Alterum enim impietatis erga socerum, alterum imprudentiæ fuisset.

II. Ita Hugo Capetus Carolum, quem in urbe Laoduni post diuturnam obsidionem, Pontificis Laodunensis perfidia, ceperat, Aureliorum arce conclusit: ne principatum à parricidio proximi, qui cum cognatione conjunctus erat, auspicaretur; ac regiæ stirpi parcendum esse doceret.

III. Crudelius aliquantò Henricus I. Anglorum: qui Robertum fratrem captivum, & quidem natu majorem, exoculari, sempiternisq; carceribus coërceri jussit.

IIII. Nec ita pridem Christiernus, hujus Federichi Daniæ Regis pater, eum quem de regno dejecerat, post exilium redeuntem in arce Calemburgi conclusit: in qua cùm annos 25. exegisset, privatus interijt.

V. Eadem pietate Ioannes Suecorum Rex, qui nunc sceptra moderatur, erga Henricum fratrem usus est: quem à populo repudiatum, ne se Remq; publicam perturbaret, carceribus continere cogitur.

VI. Nec aliter Elizabetha Anglorum Regina Mariam Scotorum Reginam, ad quam totius Insulæ principatum jure pertinere Scoti contendunt, diuturna captivitate continet: ut suæ Reiq; publicæ saluti consulere, ac tandem aliquando in utriusque regni jus ac libertatem restituere velle videatur. *Idem ibid.*

*Nullius*

# XXCI.

*NVllius unquam gubernatio est felix: nisi à Deo adjuvetur.* *Philip. in Theog. fol. 866.*

*Nulla gubernatio invadēda est sine vera vocatione:* juxta illud ad Ebr. 5. Nemo sibi sumat honorem: sed vocetur à Deo, sicut Aaron. *Nec enim felix est gubernatio: nisi Deo adjuvante:* ut Baptista inquit: Nemo potest quicquam sibi sumere: nisi sit ei datum desuper. *Strig. 2. Reg. 9.*

*Quàm infelices sint magnæ potentiæ extra vocationem & ordinem affectationes: ostendunt exempla historiarum.* *In Chron. Philippi, lib. 4. pag. 409.*

Versus: χωρὶς θεὸς μὴ οὐδὲν ἐυτυχῶμ.
*Item:* Nisi Dominus ædificaverit domum, &c.

*Ubi non DEVS, sed humana electio, gubernatorem ad clavum Reipublicæ collocat: ibi malorum & ærumnarum nullum est effugium.* *Strigel. in orat. de David.*

## EXEMPLA.

I. Silyphus. Conatus sapientum, DEO non juvante, est volvere saxum Sisyphi. Sisyphus significat ambitiosum: significat humanos conatus sine auxilio divino. *Philippus ut suprà.*

II. Saul fuit infelix: quia non tam approbante, quàm permittente Domino, humanis consilijs electus erat. At Davidis labores profuerunt Ecclesiæ ac politiæ: quia DEVS ipse hunc Regem populo dedit.

III. Sic Reges Samariæ non divina, sed humana autoritate electi gesserunt res pernicioſas sibi & alijs: & magna ex parte tragicos exitus habuerunt. *Strig. in orat. de David.*

IIII. Pertinet huc fabula de Phaëthonte: de qua vide Sabinum *Metamorph. 2.*

## XXCII.

*MVlti in qualibet gubernatione sunt, qui impediunt bona consilia: & pauci qui adjuvant. Et multa vasa iræ: pauca vasa misericordiæ.* **Philipp. Proverb. 3. edit. tertia, pag. 42.**

### EXEMPLA.

I. Vt in exercitu Saulis multi duces impij fuerunt: pauci salutares, ut David & Ionathas.

II. Romæ multi fuerunt turbatores Reipublicæ, Cassius, Brutus, Lepidus, Antonius, & eorum comites. Econtrà Augustus fuit utilis patriæ. *Idem ibidem.*

## XXCIII.

*NIhil omnium rerum humanarum est difficilius: quàm gerere magistratum. Quicunq; enim accedunt ad Rempublicam: initiò in magnas difficultates incurrunt: deinde, quò sublimiorem gradū obtinent: quoq; diutius gubernant: eò majora sustinent pericula.* Sabinus Metamorph. 2. *Omnium verò difficillima, est gubernatio Ecclesiæ.* **Philipp. in Postilla per Pecel. edita, part. 3. pag. 253.**

*Nullius unquam Regis aut Principis gubernatio tam placida est, & tam felix: quin multæ ca-*

*lami-*

*lamitates miſceantur: & multa vitia accedant. Strigel. 2. Samuel. 24.*

*Nulla gubernatio eſt ſine peccato: tanta animorum humanorum eſt infirmitas. Lutherus in Geneſin, cap. 12. pag. 116. b.*

*Fateri oportet ſapientes omnes: multas magnas difficultates, multa impedimenta ſemper in omni, quamvis ſalutari & placida, gubernatione, obijci: multa accidere, aut improviſa ſapientiæ humanæ: aut humanis conſilijs inextricabilia: & augeri hæc mala: cùm motis aut turbatis Rebuspublicis, effert ſeſe, & applauſu multitudinis confirmatur ac creſcit licentia deteriorum, adverſus meliores. Peucer. in præfat. lib. 2. Epiſt. Philippi.*

Quantum invidiæ, metus, calumniæ ac diſcriminis expectandum ſit omnibus Reipublicæ gubernatoribus, etiam optimis & prudentiſſimis, admonet Ovidius, cùm ait *Metamorph. 2.*

*Forſitan & lucos illic, urbesq́; Deorum*
*Concipies animo, delubraq́; ditia donis*
*Eſſe: per inſidias iter eſt, formasq́; ferarum.*
*Vtq́; viam teneas, nulloq́; errore traharis:*
*Per tamen adverſi gradieris cornua Tauri,*
*Æmonioſq́; arcus, violentiq́; ora Leonis,*
*Sævaq́; circuitu curuantem brachia longo*
*Scorpion, atq́; aliter curuantem brachia Cancrum.*

Multæ enim exiſtunt belluæ in Republica, Tauri, Centauri, Leones, Scorpij & Cancri: hoc eſt: homines invidi & factioſi, qui omnia conſilia, quamvis recta & ſalutaria, calumnian-

tur:

tur: omnia reprehendunt: ad evertendam illorum dignitatem: qui præcipuè ſerviunt communi utilitati. Quin etiam vulgus non facilè regitur, &c. *Sabinus Metamorph. 2.*

Grave onus, parvus honos, eum geſtat ☉.

Magnum ſanè Principibus viris onus impoſitum: Imperium moderari ſapienter: juris æquabilitatem colere: flagitiorum coërcere licentiam: excitare virtutis ſtudia: ordinem in omni officio conſervare: & rem deniq; publicam excellentibus meritis obſtringere.

*Conſulere patriæ: parcere afflictis: fera*
*Cæde abſtinere⌣: tempus atq; iræ dare⌣,*
*Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.*

Quoq; majus Imperium diffuſiuſq;: eò major cura: ut non immeritò Diocletianus Imperator nihil difficilius dixerit: quàm bene imperare. Nam ſi adminiſtrationem rerum ſuarum familiaribus totam permittant: omnia regni præſidia dilabantur neceſſe eſt: ſi per ſe omnia curare velint: inanem curam & ſine ullo fructu percipient: horamq; nullam moleſtiſſimis negotijs, metu & ſollicitudine liberam habebunt. Magna ſervitus, magna fortuna.

*——————metui cupiunt,*
*Metuiq; timent: non nox illis*
*Alma receſſus præbet tutos:*
*Non curarum ſomnus domitor*
*Pectora ſolvit.*

Prudenter Saturninus illis, qui imperatoria eum purpura induebant: Neſcitis, amici, quid mali ſit imperare: gladij & tela noſtris cervicibus impendent: imminent undiq; haſtæ, undiq; ſpicula: ipſi cuſtodes timentur & formidantur. *Hippolytus à Collib. in præfat. libelli, quem Conſiliarium inſcripſit.*

## Cauſæ, *quare in Imperijs multæ magnæ calamitates exiſtunt, hæ ſunt:*

1. Quia Diabolus eſt homicida: & conatur facere majores diſſipationes.

2. Im-

2. Imbecillitas humanæ naturæ: quæ per se infirma est: & facilè suis erroribus & cupiditatibus movet res injustas: & harmoniam interturbat.

3. Quia fatales pœnæ multæ accedunt: in quibus magnæ fiunt & regnorũ & disciplinæ perturbationes. *Strig. 2. Sam. 24.*

# EXEMPLA.

I. Hæ causæ omnes in peccato Davidis numerantis populum conveniunt. Quòd enim à Diabolo sæpe turbata sit politia Davidis, testatur dictum 1. *Paralip.* 21. Surrexit Satan contra Israëlem: & incitauit Davidem: ut numeraret populum. Deinde David jussit populum numerari, vel humana superbia elatus, ut ostenderet regnũ crevisse: vel humano consilio sine mandato DEI novam in regno ordinationem facturus. Ad hæc accedunt fatales pœnæ: de quibus textus hoc loco inquit: Rursus exarsit ira Domini adversus Israëlem. Eædem causæ in hac postrema mundi senecta cõcurrunt. Etenim natura hominum tanquam effœta sine ulla dubitatione imbecillior est: quàm fuit initiò. Præterea cùm peccata cumulata sint: pœnæ quoq; creverunt. His occasionibus Diabolus utitur: & infirmam naturam, tanquam inclinatum parietem, & maceriam impulsam, rabiosiùs urget. Odio enim DEI & Christi, quem scit non ita multò pòst palàm venturum esse ad judicandum, & Ecclesiæ daturum bona æterna, & abjecturum Diabolos & impios in æternos cruciatus, sævit in postremo actu suæ Tragœdiæ atrociùs. Hæc cogitemus, cùm confusiones regnorum, tumultus, profusiones, βδελυμίας principum, expilationes populi, & alias miserias servitutis crescere cernimus: & has æruminas piè tolerare discamus: & DEVM oremus: ut aliqua Ecclesiæ suæ hospitia servet & regat. *Idem, ibidem.*

II. *Quàm difficilis & periculosa res sit gubernatio, exemplum Davidis ostendit.* Cùm enim regnum ipsius vix inchoatum esset: novi tumultus à Ioab, interficiente præstantem virum Abner, excitantur. Hos motus nisi Rex sua moderatione sedasset: major ruina secuta esset. Quare cùm ingens moles negociorum & periculorum gubernatoribus imposita sit: nostrum est, nominisq; Christiani, precari DEVM: ut regat & defendat eos: quibus tradidit imperium. *Idem 2. Sam. 3.*

III. Vnde Pittacus Mytilenæus principatum recusavit, dicens, arduum esse, Principem esse bonum. Idem parta victoria, imperium deposuit.

IIII. Sic Audentius, electus Imperator, mortuo Antonino primo, recusavit Imperium, senectutem excusans.

V. Sic Ioannes III. Dux Venetiarum, cùm morbo laboraret, Petrum Candianum sibi subrogari petijt.

VI. Imperium quoq; deposuit Q. Cincinnatus.

VII. Et Michael Imperator Orientis: quòd diadema sit magis nobile, quàm felix: & res magni momenti sit, laudabiliter imperium administrare, & animis dominari, ob onera principatus. *Lalium Zecchium lib. 1. de Principe, cap. 4. pag. 71.*

VIII. Sapientes gubernatores multi fracti difficultatibus, alij gaudere se dixerunt, quòd à Republica, tanquam à rabiosa cane, liberati essent: ut Aeschines.

IX. Alij duabus vijs sibi propositis, una ad mortem, altera ad Rempublicam ducente: se eam ingressuros affirmarunt: quæ ad mortem duceret: ut Demosthenes.

X. Alij intuentes diadema regium, dixisse feruntur, ut Antigonus Rex: pileum quidem esse parvum: sed si quis consideraret: quantis curis intus subductus esset: neminem fore tam insanum: ut si humi jaceret, eum vellet attollere.

XI. Aliqui etiam sponte sua Imperium deposuerunt: ut Diocletianus.

XII. Quod & Augustum Imperatorem sæpe facere cogitasse, historiæ testantur. *Pezel. in Genes. cap. 41. pag. 777.*

# XXCIIII.

*NVllus unquam vir magnus fuit: qui non ad extremum sit factus exemplum imbecillitatis humanæ & pœnarum: quæ lapsus humanos immoto ordine justitiæ divinæ comitantur.*

*Magni viri plerunq; & à majorum vestigijs, & à seipsis degenerant. Non enim tantùm mutatur fortuna, sed etiam virtus in hominibus. Certè, qui vocantur habitus in homine, sunt aliquid valde imbecillũ & languidũ: citò senescunt sapiẽtia & virtus. Peuc. in lect. Chron. d. 11. Martij, Anno 1570.*

*Heroici viri ferè omnes insigni probro à Diabolo deformantur. Strigel. in Comment. in 1. Tuscul.*

*Nullius est tanta virtus: quæ nusquam incurrat aut impingat.*

*Constat in magnis & sanctis viris jam senescentibus, nonnunquam simul sapientiam senescere ac decrescere, & virtutum vigorem deflorescere. Bucholc. in Chronolog. pag. 326.*

*Verum est quod dicitur: Sapientem non leviter errare aut peccare. Quantò enim est major sapientia & virtus in hominibus: tantò etiam graviores & tristiores lapsus*, & ut Græci dicunt, σφάλματα. *Strig. lib. 2. Chron. pag. 335.*

*Sunt magnæ infirmitates & multa errata omnium gubernatorum, etiam optimorũ & vigilantissimorũ. Idem 2. Reg. 23.*

*A magnis ingenijs ut magnæ virtutes, ita vicia etiam magna proficiscuntur. Plato, citante Plutarcho in vita Demetrij.*

*In heroicis viris cum maximis virtutibus maxima plerunq; vicia conjunguntur.*

*Magnorum virorum sicut virtutes sunt eximiæ: ita peccata etiam non solent esse vulgaria.*

Proverb. Germ. **Kein grosser Mañ begehet keine kleine Thorheit.**

Plato: Sicut in Aegypto nascuntur optima remedia, & nocentissima venena: ita *in heroicis viris cum magnis virtutibus conjuncta sunt magna vicia.*

Theognis: ἀνταὶς ἀνὴρ ἀγαθὸς πότε μὴν κακὸς ἄλλοτε ἔσθλος. *Vir bonus interdum bonus & malus esse videtur.*

*Paulus:* Qui stat, videat ne cadeat. *1. Corinth. 10.*

## EXEMPLA.

I. Saul cùm fuisset donatus Spiritu Sancto: & ornatus eximijs virtutibus & insignibus victorijs: non retinuit hoc decus: quod regno majus est, sed ambitione & æmulatione impellitur ad crudelitatem & Tyrannidem.

II. David, qui non solùm Regis officio felicissimè functus est: sed etiam do-

ctor fuit præcipuus in hoc populo: & doctrinam de Messia splendidissimè illustravit: tandē sexagenarius factus, indulsit voluptati: & addidit adulterio optimi viri cædem. *Strigel. in orat. de Salomone.*

III. Salomon filius Davidis, Rex & doctor excellens in Ecclesia, cui DEVS aliquoties apparuerat: & in quo fuerat Spiritus Sanctus: persuasus blanditijs muliebribus, adeò de sua mente & sanitate deturbatur: ut ædificet templa idolorum. Atq; ita exemplo suo ipse patefecit fenestram posteris ad omne genus idolorum exercendum: ut post eum idola cumulata sint: & quidem terra & abominanda in Ecclesiam DEI sint invecta. *Strig. ibid. & Peuc. ut suprà.*

IIII. Non fuit post Iosuam tantus Vir in populo Israëlitico, quantus Gedeon: nec habuit populus parem usq; ad Davidem. Vocatur ad gubernationem divinitus: confirmatur manifestis miraculis: Filius DEI eum coram alloquitur: commendat ei defensionem populi: promittit auxilium: videt victimas absumi igne accenso à Filio DEI, per contactum baculi. Postea excitantur divinitus trecenti Viri: qui tinctu aquæ inter bibendum à reliquis aquam manu haurientibus separabantur: horum ope ingentem exercitum Midianitarum fugat, fundit & delet: atq; ita asserit populum in libertatem: destruit aras idolorum: abolet cultum Baal: unde adipiscitur nomen Ierobaal: restituit veros cultus: instaurat altare: revocat populum ad vocem legis divinæ: regnum à populo delatum magno animo contemnit: respondet, Monarchiam in eo populo non esse unius solius: sibi non licere mutare præsentem formam gubernationis. In summa, gerit res magnas & salutares. Ille idem tantus Vir, tantis ornatus victorijs, fit ad extremum exemplum magnæ infirmitatis humanæ: fit infelix in sua posteritate: nec labitur communi hominum more: sed in primam tabulam peccatum Idolatriæ committit. Qui populum antè & se ipsum alligârat ad autoritatem legis divinæ: privata audacia peculiarem cultum instituit: & suo exemplo seducit populū: fit autor populo imitandi audaciam illam in fingendis novis cultibus, in idolis novis comminiscendis: ut expressè textus dicit: Fornicatus est universus Israël, *Iudic.* 8. id est, ad idolum, ab eo excitatum, ipsius exemplo. Ita scandalum perniciosum suæ familiæ & toti populo excitavit. Hoc exemplum diligenter mementote. Theognis: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἔστιν ἅπαντα σοφός: Nemo hominum semper & ubiq; est sapiens. Item: Peccat etiam sapiente sapientior. ἁμοὶ τάνυ δὲ καὶ σοφὸς σοφώτερος. *Peucer. in lect. Chron. d. 15. Octob. An. 1569.*

V. Osias, cujus & alterum nomen est Azarias, regnavit in Iuda annos quinquaginta duos. Initiò pius & felix, vicit Philistæos & Arabes. Sed postea cùm officio sacerdotis fungi vellet: & per se sacrificatum esset, DEVS iram suam publica pœna declaravit. Regem enim subita lepra percussit: quæ postea hæsit in eo in longa senecta. *Strig. 2. Reg. 15.*

VI. Iosias est imago boni Principis: qui habet προαίρεσιν rectè faciendi: & plerunq; & in præcipuis partib. officij sui rectè facit: etiamsi aliquando labitur. Iubet enim legi scripta Prophetica: & delet omnia idola: & Pascha celebrat: nec ullum officium prætermittit diligentis & moderati gubernatoris. Sed idem fit exemplū humanæ infirmitatis. Nam hic pius & sanctus Rex bellum non necessarium intulit Regi Aegyptio Neco offerenti pacem. Cùm igitur vulnus accepisset prope urbem Mageddo: quæ sita fuit in littore in regione tribus Manassē, non procul à Iesrahel: ali-

quantò.

quantò pòst mortuus est. Hoc exemplum accommodetur ad regulam in Ecclesiaste traditam *cap.* 7. Non est justus in terra: qui quanquam facit bona: non etiam peccet. *Idem* 2. *Reg.* 23.

VII. Hercules tot tantisq; rebus gestis tandem fit furiosus: & sese in rogum præcipitat, his verbis compellans amicos: Aspicite me, qui eram conspicuus mortalibus præclara peragens: & me dejecit fortuna veluti plumam ad æthera uno die. Sed divitiæ magnæ & stabiles nescio cui stabiles sint.

VIII. Oedipus Rex Thebanorum, cujus sapientia celebratur, tandem pellitur ex regno: & vivus hiatu terræ absorbetur. Excedens Thebis dixit: Ego qui Reges omnes antecellui sapientia, nunc exeo ex patria tanquam umbra.

IX. Alexander Magnus, qui omnes Reges Ethnicorum virtute & felicitate superavit: tandem degenerat capta Babylone: instituit certamina poculorum: interficit optimè meritum Ducem: à quo servatus fuerat in pugna ad Granicum: tandem furore correptus moritur. *Plutarch. in Vita Alexandri Magni. Idem de eodem*: Hic Rex alioquin jucundissimæ consuetudinis, nulliusq; expers leporis, jactantia nimia molestus fuit: nimisq; militari lenitati indulsit: cùm & ipse majori se fastu efferret: & seipsum adulatoribus quasi equitandum præberet.

X. In Alcibiade fuerunt penè paribus gradib. conjunctæ virtutes & vicia: vicia penè æquarunt virtutes. **Es ist ein seltzamer Kopff gewesen.** Fuit acerrimo ingenio: excelluit eloquentia, fortuna, industria, peritia rei militaris, &, quod præcipuum erat, felicitate tanta: ut semper ea pars, cui ipse affuit, fuerit superior: tanta ejus fuit felicitas. Fuit in eo animus excellens, ingens audacia: contemptor periculorum: fuit alienus à crudelitate: beneficus erga alios, placidus & comis. **Es sind herrliche** virtutes. Fuit discipulus Socratis: à quo sine dubio fuit non tantùm in eloquentia institutus: sed etiam in alijs disciplinis & virtutibus, & inprimis doctrina Ethica: quàm recens in Græciam & Vrbem Atticam invexerat, omissis disputationibus Physicis. **Das sind die** virtutes **in jme gewesen**: quas virtutes vicia, quæ accesserũt, penè æquârũt. Fuit enim inquietus admodum & turbulentus, **Es ist ein vnruhiger Kerll gewesen**, infinitæ cupiditatis, appetens maxima, **wie der** Græcus scriptor **saget**, μεγαλεπίθολος. Fuit in ipso cupiditas rerum maximarũ, & inexplebilis ambitio: fuit tenax injuriarum, & cupidissimus vindictæ: fuit inconstans & mutabilis, nunc ad has, nunc ad illas sese inflectens partes: mox cum suis civibus contra Spartanos pugnavit: mox irritatus à civibus suis transijt ad Spartanos. *Peucer. in lect. Chron. d.* 18. *Iul. An.* 1573.

XI. Themistoclis sapientia & virtute Persas pulsos esse ex Græciæ, omnes communiter confessi sunt. Is postea degenerat: & à quatuor nudis meretricibus in forum se duci patitur.

XII. Pausanias fuit Princeps in Repub. Spartana. Hic vicit Mardonium Ducem Persicum, relictum in Græcia cum magnis copijs à Xexe Rege Persarum, fugiente ex pugna Salaminia. Post illam victoriam verè divinam, tanta fuit modestia Pausaniæ Ducis Laconici: ut cùm quidam eum hortarentur ad exercendam immanem sævitiam in cadavera interfectorum Persarum: noluerit mortuos contumelia afficere: sed dixerit: satis est, me meis Spartanis placere, sancta dicendo, & sancta faciendo. Hæc verba debent Iuniores meminisse tanquam regulam vitæ. Satis nobis sit, nos placere nostris Spartanis, sancta dicendo, & sancta faciendo: id est, Deo & Ecclesiæ rectè ju-

dicanti. Ac planè congruit hæc regula cum dicto Paulino Rom. 14. Qui in his operibus servit Christo, placet DEO: & probatus est hominibus: non quidem omnibus; quod est impossibile: sed rectè judicantibus. Laus ejus, ut inquit Psalmus, in Ecclesia sanctorum. Sed pergo in historia cõtinuanda. Nam post recentem illam & gloriosam victoriam ad Plateas partam divino auxilio, adeò fuit castus & continens Pausanias: ut quanquam natura esset libidinosus: tamen abstineret à pulcherrima & nobilissima fœmina Coa ad ipsum adducta à militibus: quod exemplum postea imitatus est Scipio in Hispania, apud Livium Decad. 3 Lib. 6. Cùm vero Pausanias esset præfectus Byzantij: rapuit quandam puellam nobilem, præcipui civis filiam: & noctu in tenebris, in subita consternatione, raptam & stupratam interfecit. Post hoc scelus, & alia quædam, quę nunc commemorare longum esset, revocatus est domum à summis magistratibus Lacedæmoniorũ; qui vocantur ἔφοροι, quasi dicas, inspectores seu reformatores. Cumq; malè sibi conscius, fugisset in quoddam templum, in sacellum Palladis: in quo sperabat se habiturum impunitatem tanquam supplicem: & inde religione loci extrahi non posset: Lacedæmonij jusserunt templum obstrui: & intus inclusum Pausaniam fame necarunt. Mater ipsius dicitur primum attulisse ad fores templi obstruendas lapidem. *Strigel. lib. 2. Dialect. pag. 615. Vide Philip. lib. 2. Chron. pag. 69.*

XIII. In Artaxerxe Mnemone, septimo Rege Persarum, fuit natura clemens, mansueta, liberalis, facilis; ut ex his, quæ à Plutarcho commemorantur, percipi potest. Nam cùm ei malum Punicum insigni magnitudine dono à paupere datum esset: Per Solem, inquit, hic vir civitatem ex parva magnam, si ejus fidei creditur, facilè reddere posset. In itinere alijs alia ad eum munera afferentibus, homo rusticus, cùm nihil præterea in promptu haberet, quod Regi largiri posset; hausta è proximo flumine aquam ambabus manibus illi obtulit: quo munere adeò lætatus est Artaxerxes: ut phiala aurea & mille Daricis hominem donaret. (*Unus Daricus valet duobus Ungaricis*, id est, *tribus Taleris.*) Euclidi Lacedæmonio, cùm omnibus probris eum onerasset, per Tribunum militum respondit: Illi quidem licere, quæ vellet in Regem dicere: sibi verò dicere & facere. Sed has regias virtutes libidinibus deformavit: & magnas calamitates sibi & regno accersivit. Nam cum filia Atossa incestam consuetudinem habuit: eamq; ita ardenter amavit: ut pro illius salute obtinenda Junoni votum fecerit: se spacium sedecim stadiorum (id est, *dimidium miliare Germanicum. Octo stadia faciunt miliare Italicum. Et triginta duo stadia efficiunt integrum miliare Germanicum: teste Plutarcho in Vita Gracchorum*) quod erat inter regiam & Junonis templum, auro completurum esse. Deinde Aspasiam, concubinam Cyri, post mortem fratris ad se transtulit. Cumq; eam filio Dario tradidisset: paulò post, mutato consilio, traditam repetivit: qui ex re tragicæ calamitates ortæ sunt. Etenim filius, retecta conjuratione adversus patrem, unà cum socijs conjurationis supplicia affectas est. Quid? quòd hic ipse Rex Medum quendam Arbacen iratus punivit: ut cogeret eum nudum scortum impositum humeris diem totum in foro circumferre. O petulantiam, tanta ingenij præstantia indignissimum. *Idem lib. 2. Chron. pag. 226.*

XIIII. De Cyro minore, hujus Artaxerxis fratre, Xenophon, qui cum eo militia perfunctus est, scribit: Neminem ex omnibus Persis, excepto Cyro majore, magis ad regnum accommodatum fuisse. Ac primùm quidem Cyro tribuit eximium & singularem amorem veritatis: quæ jure ac meritò appellatur fundamentum aliarum virtutum. Nam Cyrus optimè fide servavit fœdera & pacta: nec unquam in eo mendacij ve-

stigium animadversum & notatum est. Itaq; civitates & Respublicæ se libenter ipsius tutelæ commiserunt: cùm exploratum haberent: nihil ab eo fieri contra veritatem. Deinde laudat in eo beneficentiam Rege dignissimam: qua alios vincere studuit. Semper enim in ore hoc votum habuit: Vtinam tam diu superstes sim: donec benefacta amicorum cumulatissimè compensare possim. Tertiò laudatur à Xenophonte Iustitia distributiva Cyri: quia non solùm bonos & fideles ministros amplissimis honoribus & opibus auxit: sed etiam sceleratos heroica nemesi punivit. Postremò in amicitijs colendis præcepto Euripidis obtemperavit: Ille sapit ad communem utilitatem, non ad privatam: qui amicis vel collegis honestissima tribuit. Cùm enim plurimæ vestes auro & gemmis ornatæ ei donarentur: multas amicis dedit, affirmans, nullum esse majus præsidium & decus regni: quàm habere amicos fide præstantes. Hac suavitate humanitatis Cyrus perfecit: ut omnibus Græcis & Barbaris charissimus esset. Quod cùm ex alijs rebus, tum ex hac vel maximè perspici potest: quòd omnes ipsius ministri pro domino dimicantes fortiter in acie occubuerũt. Sed ut *nulla hominis perfecta virtus est*: sic Cyro defuit modestia: quæ hominem intra metas vocationis retinet. Quare cùm in eo esset ingenium acre & ambitiosum: non potuit acquiescere in provincia florentissima, id est, minori Asia: quæ fuit quondam hortus amœnissimus: sed ardens cupiditate regni, bellum injustum & non necessarium fratri intulit: in quo miserè perijt. *Idem lib. eod. pag.* 228.

XV. Pompejus, qui summa habuit populi studia: & res magnas gesserat: tandem vincitur ad Pharsalum à Iulio Cæsare: & exul concedit ad Regem Aegypti Ptolemæum: à quo interficitur, natus annos sexaginta tres. *Plutarch. in Vita Pompeij.*

XVI. Constantinus Magnus, qui sedem Imperij ex urbe Roma transtulit Constantinopolin: & abolitis blasphemijs Ethnicis, orbem terrarum coëgit amplecti doctrinam Euangelij: tandem labitur: & subscribit blasphemijs Arrianis, persuasus incitationibus sororis Ipsum etiam Arium revocat: ipsiusq; dogma impium in Filium Dei obtrudit Ecclesijs: quod paulò antè publico decreto damnârat.

XVII. Inter Epiphanium & Chrysostomum tanta extitit contentio & disceptatio: ut Epiphanius calore iracundiæ dixerit: Non morieris, Chrysostome, in tua Ecclesia: & Chrysostomus responderit: non rediturum in patriam superstitem Epiphanium. His imprecationibus respondit eventus. Nam Epiphanius navigans in Cyprum extinctus est: & Chrysostomus non ita multò pòst in exilium pulsus est. *Vide Sozom. lib. 8. cap.* 15.

XVIII. Sic Hieronymus strinxit stylum adversus Ruffinum: cum quo multos annos amantissimè conjunctissimeq; vixerat.

XIX. Eusebius Episcopus Cæsarien sis dolet crescere Basilium: eumq; premit quantum potest. *Strigel. Psal. 68. pag.* 492.

XX. Exæmulatione quadam Chrysostomus Severianum urbe, quasi contumelioſum & in Deum blasphemum, ejecit: indignè ferens, quòd & ad illum audiendum hominum ingens fieret concursus. *Vide Sozom. lib. 8. cap.* 10.

XXI. Theophilus Alexandriæ Episcopus Dioscorum Episcopum Hermopolis odio habuit: & ut ipsum cum fratre ulcisceretur: finxerat sanamq; eorum doctrinam oppugnare non dubitavit. *Vide Socratem lib. 6. cap.* 7.

XXII. Livius de Hannibale dicit; quòd Hannibal virtutes æquaverit magnis vicijs.

XXIII. Xi-

XXIII. Xiphilinus ex Dione concludens vitam Tiberij Cæsaris, sub quo CHRISTVS est crucifixus, ita inquit: Tiberius fuit homo magnis virtutibus præditus, coopertusq; sceleribus: ac ambobus pariter usus est: quasi tantùm in alterutro se exercuisset.

XXIIII. Iulius Cæsar habuit maximas virtutes. In victoria fuit clemens: pepercit victis & ignovit hostibus. Fuit alienus ab omni crudelitate. De Republica studuit benè mereri. Erga omnes fuit comis, amans patriæ. Sed in eodem fuerunt etiam maxima vicia: fuit in eo maxima libido regnandi, & ingens ambitio: præterea verò libidinosissimus, prodigus etiam admodum; sicut magnam vim pecuniarum profudit in milites.

XXV. Dion de Trajano optimo Imperatore ita scribit: Cuncta in eo Viro optima atq; præstantissima erant: sed amoribus puerorum & vino deditus erat. Ita etsi in eo fuerunt magnæ virtutes: tamen vicia in eo fuerunt, temulentia, & quòd polluit se libidinibus masculis. Exercuit etiam sævitiam in Ecclesiam: sicut historiæ ostendunt: quòd sub eo interfecti sint Simeon frater CHRISTI, Archiepiscopus Hierosolymitanæ Ecclesiæ: & Ignatius Episcopus Antiochenæ Ecclesiæ; qui bestijs objectus est.

# XXCV.

*MAgni viri, doctrina, virtute, dignitate, autoritate, clari, aut longa experientia præditi, nonnulla aliquando dicunt aut faciunt, singulari quadam fiducia freti: quæ ab omnibus probari velint: etsi nullam rationem adducant, nullumq; testem habeant. Francisc. Patrit. lib. 7. de regno, tit. 9. pag. 462.*

## EXEMPLA.

I. Agebatur Athenis Euripidis Tragœdia quædam: ex qua cives omnes majorẽ in modũ rogabant, ut sententia quædam, quæ importuna eis esse videbatur, tolleretur. Tunc Euripides subitò progressus in scenã, ait, se, ut populũ doceret, Tragœdias dare: non autem ut ab eo doceretur. Cujus dicto omnes auscultantes, placidè ac quietè spectaverunt: nec ausus est quispiam in Poëtam illum mussitare.

II. Scipio quoq; Nasica, Vir bonus cognominatus, obstrepente populo in caritate annonæ, exclamavit: Tacete quæso, Quirites, plùs enim ego, quàm vos, quid Reipublicæ expediat, intelligo. Cujus autoritatem omnes veriti, tacito silentio quieverunt.

III. Nec

III. Nec iniquo animo tulit Iulius Cæsar: cùm in Collegium Poëtarum accessisset: quòd Accius Poëta ei non assurrexit. Novit enim illum non contemptu majestatis id egisse: sed fiducia quadam sui ipsius: qua putabat se in Poëtarum studijs antecellere.

IIII. Magna fiducia aliquando in Alexandrum usus est Apelles. Nam cùm sæpe in ejus officinam accederet: plerunq; de pictura imperitè dicebat. Cui artifex silentium comiter indicebat: rideri enim eum ajebat à pueris, qui colores tererent. Ferebat ea Alexander æquo animo; tantum autoritatis ac juris huic pictori tribuebat. *Idem pag. 463.*

# XXCVI.

*Sapientia humana infelix est: cùm à Deo deseritur.* Iuxta hæc dicta: Non potest sibi homo sumere quicquam: nisi sit ei datum à Deo. Item: Scio Domine, quòd non est hominis via ejus. Item in epistola Iacobi: Si quis indiget sapientia: petat à Deo, &c. *Philip. lib. 2. Chron. pag. 70.*

*Omnis humana sapientia est infelix: quæ non regitur verbo Dei.* *Strigel. Psal. 119. pag. 440. Item lib. 1. Dial. pag. 522.*

*Sapientia cùm à Deo deseritur: nec felix est, nec salutaris.* *Idem Psal. eod. pag. 441.*

*Nulla virtus, quæ à Deo deseritur, est constans & perpetua.* *Idem 2. Paralip. 24.*

*Omnis humanus labor, omnis conatus, inanis atque irridendus est: nisi adjuvetur divinitus.* *Sicut D. Præceptor Philippus in carmine quodam scripsit:*

*Nullius est felix conatus & utilis unquam:*
*Consilium si non detq;, iuvetq; Deus.*

*Strig. lib. 2. Dialect. pag. 559.*

*Nulla est tanta hominis sapientia & virtus: quam non possit de gradu deturbare, & quasi de præsidio deijcere, hostis Dei & hominum, Diabolus: nisi custodiamur divinitus.* Idem lib. eod. pag. 616.

*Nullius tanta est sapientia, aut virtus: quæ non possit à Diabolo everti: si destituatur excubijs, & custodia Filij Dei.* Idem. lib. 3. pag. 843.

*Fiduciam humanæ sapientiæ punit* DEVS. Philip. in Cordiali Abrah. Bucholceri.

*Omnis virtus humana sine Deo est valde languida & infirma: & facilè mutatur in contrarium. Non tantùm est magna inconstantia rerum humanarum & fortunæ: sed etiam magna imbecillitas heroicæ virtutis: quæ non regitur & custoditur à Deo per Spiritum Sanctum & per Angelos bonos.* Strigel. lib. 2. Dial. pag. 619.

*Facile est naufragium sapientiæ: facilis jactura virtutis: nisi ad omnem nutum* DEI, *clavum tenentis, manus nostræ remigium munus summo conatu obeant & exequantur.* Bucholcer. in Chronol. pag. 345.

*Sine Deo non est felix humana sapientia: quia plerunq; tentat Deum: facit quædam irregularia ex calliditate, ex metu, ex diffidentia: vel alijs modis impellitur cupiditate.* Mementote dictum Pindari: Qui vult progredi ultra columnas Herculis, stultè facit.

Ter

Ter hoc est in Pindaro. Nos debemus manere intra metas nostræ vocationis. *Philippus in Postilla per Pezel. edita part. 2. pag. 1010. Et part. 4. pag. 395.*

# EXEMPLA.

I. Aharon primus sacerdos in populo DEI pollùit se & populum cultu idolorum.

II. Gedeon maximis rebus gestis instituit novum cultum sine mandato DEI.

III. Samson victor Leonis & Palæstinorum præbet se ministrum Dalilæ.

IIII. Saul primus Rex Israëlis initiò gloriosas res gerit. Tandem verò interficit sacerdotes: & magicam mulierem de exitu postremi prælij consulit: in quo fractus desperatione sibi necem consciscit.

V. Magna fuit sapientia & virtus Davidis. Sed hic tantus vir fit adulter & parricida.

VI. Salomonis sapientia erat felix: donec DEVM rectorem habebat. Sed postea cùm defecisset à DEO, fit infelix: sequũtur defectiones subditorum, & alia mala.

VII. Quid pulchrius fuit Rege Ioas, cùm adhuc regeretur consilijs Iojadæ? Idem verò post mortem Iojadæ non modò idola coluit: sed etiam trucidavit Zachariam, filium Iojadæ. *Strigel. 2. Paralip. 24.*

VIII. Milo Crotoniata confisus suis viribus miserè perit; cùm fortè in silva rimam arboris manu diduceret; & postea rursum coëuntes partes alterum ejus brachium corriperent: non erat alterius brachij tantum robur: ut iterum divulsa rima brachium liberaret. Dum sic hæret: veniunt bestiæ; & ipsum discerpunt.

IX. Iason perijt ruina navis, quam ædificavit: & qua avectus fuerat ad asportandum aureum vellus.

X. Perseus in fabulis felix erat: quàm diu rectè utebatur donis divinis: quæ, secundùm Poëtarum fabulas, erant Orci galea & clypeus. Tandem factus insolens, & ex insolentia præter mandatum Palladis inspiciens Aegida, ipse mutatur in lapidem.

XI. Hercules in rebus secundis DEVM non invocat: nec cernit armatum se esse hoc robore animi divinitus. Ideo paulò pòst tantum decus amittit: deinde in ærumnis jacet sine DEO, sine opitulatore. *Vide Tom. 2. Declam. pag. 317.*

XII. Pertinet huc querela Ciceronis *in epistola ad Octavium*: O me nunquam sapientem, & aliquando id, quod non eram, falsò existimatum: quantum te, popule Romane, de me fefellit opinio? O meam calamitosam ac præcipitem senectutem: O turpem exacta dementiæ; ætate caniciem.

XIII. Sic Alcibiades excellens ingenio, fortitudine & industria, gessit res magnas: sed inutiles sibi & patriæ. *Strig. Psal. 119. pag. 440.*

XIIII. Adeò excelluit sapientia Themistocles: ut præcipuè ipsius consilijs Græcia fuerit victrix Persarum. Tanta cùm fuerit sapientia: & cùm optimè meritus esset: tamen ex tota Græcia expulsus est: & invisus factus utriq; parti, Lacedæmonijs & Atheniensibus: ut nullus ei locus relinqueretur in Græcia; ubi figeret pedem. Ac primùm ei injusta odia Lacedæmoniorũ nocuerunt. Postea & apud cives accessit invidia: quia minùs modestè vivebat. Vnde Cicero *in epistolis ad Atticum, lib. 10. epist. 194.* Quan-

quàm, *inquit*, laudatur Themistocles à Thucydide graviſſimo & ſapientiſſimo ſcriptore hiſtoriæ: tamen non vidit ſua ſapientia, ſua ſagacitate, acie ſuæ mentis, nec quomodo Lacedæmoniorũ, nec quomodo ſuorum civium invidiam effugeret, &c. Poſt pugnam enim Salaminiam, qua victus & fugatus eſt Xerxes, incidit Themiſtocles in flammam invidiæ & calumniæ: ut *plerunq; comes individuus gloriæ eſt invidia & calumnia. Nam miſeris nemo invidet: ijs verò, qui florent, plurimi invident.* Eò autem usq; proceſſit invidia Lacedæmoniorum & Athenienſium; ut optimè meritus vir Themiſtocles non eſſet tutus in univerſa Græcia: ſed cogeretur confugere ad filium Xerxis, ad Regem Artaxerxem Longimanum: qui eſt notus in hiſtoria ſacra. Huic Themiſtocles pollicitus eſt, ſe ducturum magnas copias in Græciam: & perfecturum, ut Græcia ſervi et Perſis. Cùm autem Rex ei exercitum & pecuniam, ut Græciæ bellum inferret, decreviſſet; Themiſtocles verò huic ſuæ ampliſſimæ promiſſioni non poſſet ſatisfacere: & fortaſſe etiam moveretur pietate patriæ; deſperatione rei tantæ, ac præcipuè metu Cimonis, omiſit expeditionem; & mortem ſibi conſcivit, hauſto ſeu Taurino ſanguine, ſeu veneno: cùm quidem vixiſſet annos quinque & ſexaginta. Hic fuit exitus tanti viri: qui cùm excelluerit ſapientia; ſtultè tamen ſe adjunxit infidis hoſtibus; & longè majora viribus ſuis promiſit: & ſeſe in tantum periculum adduxit: ut mortem ſibi conſciſcere mallet: quàm expectare triſtiorem exitum: cùm metueret fore, ut vel à Græcis, vel à Perſis interficeretur. Adeò infelix eſt ſapientia humana: cùm à DEO deſeritur. *Philippus lib. 2. Chron. pag. 69. Item in Cordiali Abrah. Bucholceri. Et Strigelius lib. 1. Dialect. pag. 521.*

XV. Simonides jam ſenex ſedit in convivio apud Pauſaniam victorem, Regem Laconicum. Pauſanias fuit tunc juvenis eques, inſolens propter res geſtas. Deridens Pauſanias Simonidem dixit: Simonide, dicas nobis aliquid ſapienter. Sicut illi Centauri volunt Philoſophos audire tanquam fatuos & moriones. Simonides dixit: μέμνησο ἄνθρωπος ὤν: id eſt; memento quòd ſis homo: quaſi dicat: tu jam es inſolens. Inſolentes multa tentant: multa faciunt non facienda: multa aggrediuntur ſuis cupiditatibus, ut ambitione & alijs affectibus. Sicut ille voluit fieri Rex Græciæ; voluit habere Xerxis filiam: fecit practicas cum Xerxe. Tandem interfectus eſt, vel fame necatus eſt à ſuis civibus, in templo; & ipſius mater primum poſuit lapidem ad templum claudendum quia ipſe fugerat in templũ: & erat injuſtum, captivum educere ex templo. Ergo ibi in templo necabatur fame. Hoc non erat injuſtum. Sunt ſuperſtitiones. Sed tamen DEVS ipſum punivit. Ibi dicit dictum Simonidis: μέμνησο ἄνθρωπος ὤν. *Philippus An. 1551. in lect. Dialect. referente Bucholcero in Cordiali ſuo.*

XVI. Nullus Regum Ethnicorum poteſt comparari cum Alexandro Magno; ſive ſpectemus virtutem: ſive ingenium: ſive felicitatem in rebus gerendis: ſive alia dona. Omnia fuerunt heroica, eximia & illuſtria in hoc viro, & ſingularia. Nihil fuit hoc Rege modeſtius ante captam Babylonem. Vt nunc omittam reliqua exempla modeſtiæ illius, noluit aſpicere filias Darij, quæ forma præſtabant: cùm quidem haberet eas in ſuis caſtris. Sed poſt captam Babylonem cepit furere: & ebrius interfecit amicos & optimè meritos conſiliarios, Clytum & alios. Deniq; tanta fuit ejus petulantia: ut deformârit omnes ſuas res antea præclarè & laudabiliter geſtas. In talia exempla intuentes diſcamus: quanta ſit humanarum rerum infirmitas: & quàm ſit neceſſarium auxilium & præſentia Spiritus Sancti. *Strigel. lib. 2. Dialect. pag. 618.*

XVII. Tertullianus, cùm ediditset scripta utilissima Ecclesiæ DEI: quæ adhuc meritò sunt in precio & honore: tandem à Diabolo & humana infirmitate impulsus est: ut deficeret à vera Ecclesia: & fieret ex amico hostis; & mallet haberi Montanista: quàm orthodoxus & catholicus. Quare post defectionem à vera Ecclesia, edidit aliquos libros contra doctrinam Ecclesiæ: in quorum numero est liber de Monogamia: in quo impiè damnat secundas nuptias. Vt autem faciat imperitis lectoribus fucum: utitur hoc sophismate:

Non licet fratris mortui Vxorem ducere.
Ducens viduam relictam à Christiano, ducit fratris mortui Vxorem.
Ergo non rectè facit.

Sed negatur consequētia: quia Fratris appellatio in majore significat gradum cognati sanguinis: in minore, copulationem spiritualem: quæ non impedit contractum conjugij. Hæc ideo volui commemorare de Tertulliano: ut hoc etiam exemplo moniti, vivamus in timore DEI: & obtemperemus regulæ à Paulo traditæ *Philip.* 2. Cum timore & tremore salutem vestram operemini. *Idem lib.* 3. *pag.* 843.

XVIII. Constantinus cùm feliciter pacasset totum Imperium Romanum, deletis Tyrannis: & constituisset Ecclesias, abrogata idololatria Ethnica, ejusq; propugnatoribus sublatis: tandem labitur, & cedit Arianis furoribus: eaq; re turbat paulò antè à se feliciter constitutas Ecclesias.

# XXCVII.

*NIhil tam obscurat & delet Regum ac Principum gloriam: nihil quod citiùs memoriam ipsorum nominis extinguat & sepeliat: nihil quod tam eos reddat odiosos & detestandos posteris seculis, si qua fiat illorum mentio: quàm quòd Viros doctrina & virtute præditos rejecerint aut neglexerint. Contrà verò nullum illustrius eorum Nobilitatis insigne: nulla canorior tuba ad laudes ipsorum ubiq; celebrandas: quàm amor ingeniosorũ & doctorũ hominum.*
*Iohannes Spinæus lib. 4. de Tranquillitate animi, pag. 188.*

Si credimus Alphonſo Regi, ejus nominis I. Neapolitano: nihil aliud eſt Princeps illiteratus: quàm aſinus coronatus. *Petr. Greg. Toloſ. lib. 10. de Repub. cap. 6. pag. 644.*

# EXEMPLA

## prioris membri.

I. Quis etiamnum Licinium Imperatorem non deteſtetur, propter contemptum odiumq; tantum literarum, ut omnes doctos Roma expulerit, per deriſionem & barbaram arrogantiam vocans aulicos mures? Quod in illo non mirandum: ita enim ignarus fuit: ut ne nomen quidem ſcribere ſciret: *plerunq; autem ignorantia eſt capitalis virtutis hoſtis.*

II. Nec miranda ſimilis Atheæ Regis Scytharum barbaries: qui cùm Iſmeniam, tibicinem optimum, in bello cepiſſet: ac juſſiſſet canere: cæteris admirantibus, ipſe juravit per Ventum & Acinacem: ſibi jucundius eſſe audire hinnitum equi: indicans tum ſuam in tibicinis laudem & auditorum delectationem invidiam: tum animi ſui & aurium ruſticitatem & barbariem; quorum ille ſtabulis incluſus erat; hæ rudente aſino, quàm ſuavi Muſarum voce digniores. Non mirum eſt (ut jam dixi) ſi hic Rex, in ſilvis ferarum more natus & educatus, ſilveſtri & fero animo fuerit: & ita doctrinam & virtutem contemſerit.

III. At mirandum certè: tales extitiſſe quoſdam inter Græcos & Romanos: qui ſibi humanitatis laudem aſſumebant, reliquas nationes pro barbaris habentes. Dionyſius Syracuſanus abominanda invidia Poëtam Philoxenũ in lapidicinas damnavit: quòd Tragœdiam à Tyranno compoſitam corrigere juſſus recuſaſſet; ſed perperua litura induxiſſet, nihil in ea probans.

IIII. Adrianus multis fuit ornatus virtutibus, nulli Imperatori ulla doctrina ſecundus. Quas omnes dotes obſcuravit invidia: qua præſtantiſſimos quosq; artifices tanta proſequebatur: ut præter ſuos libros Romæ legi nullos permitteret: nullumque artificem, pictorem præſertim aut ſculptorem, ſe meliorem haberi vellet: & propterea Favorinum & Dionyſium Meliſium in exilium pelleret: quòd ipſi præferrentur: & in artibus ingenuis pingendiq; & ſcalpendi peritia principes exiſtimarentur. Adhæc imperante Trajano, & ſacellum vel aulam exercitijs Muſicis extrui curante, cùm de cochleæ ſitu orta eſſet contentio: & ſuam ille & ipſius Imperatoris & architectorum opinioni ſententiam præferret: præfectus operi, ut ejus arrogantiam reprimeret, ad eum inquit: niſi peritior eſſet pictor: quàm cochlearum collocator: non valde doctum eſſe pingendi: juſſitq; eum (ut Dio refert) cucurbitas pingere. Quod tunc obſcurè tulit & diſſimulavit, quaſi non audiſſet. Odium tamen & invidiam concepit tantam: quòd rejecta & deriſa fuiſſet ſua opinio, ut, cùm Trajano defuncto ſucceſſiſſet, ſtatim architectum illum necari juſſerit, nulla alia de cauſa: niſi quòd ei ſua in arte & officio fideliter faciendo non ceſſiſſet. *Spinæus ibidem.*

EXEM-

# EXEMPLA
## posterioris membri.

I. Tempore Alexandri nullus fuit Philosophus, Poëta, Orator, Mathematicus, Architectus, Pictor, Sculptor, aut alius Artifex præclarus: quem ille non videret, alloqueretur, honoraret & ditaret: atq; adeò nonnullis statuas publicè curabat erigi: quò magis & quanti faceret virtutem declararet: & aliorum animos ad eos imitandos accenderet. Difficile sit dijudicare, cujus in eos magis esset prodigus: an animi sui ad amandos: an linguæ & eloquentiæ ad laudandos: an divitiarum ad remunerandos. Nulli enim harum rerum illorum causa parcebat. Alijs decem talenta, alijs quinquaginta, alijs centum, alijs mille largiebatur: citiusq; Darij opulentissimos thesauros exhausit: quàm suæ erga illos liberalitati satisfecit. Quin etiam Ducibus & egregijs bello Viris (quibus ut invideret, eum cogeret *eadem professio*, siquidem hæc *plerunq; homines in invidiam impellit*) tam liberaliter favit: ut neminem sine præmio dimitteret: castella, urbes, regiones, regna in Viros præstantes distribuens: quorum nonnullos ea puduit accipere: quòd non æqualia putarent sua erga illum merita. Tanta igitur fuit ejus liberalitas erga omnes, qui virtute clari erant: ut post ejus mortem, cùm Viri egregij jacerent & spernerentur, & in his Archestratus, venustus admodum Poëta: quidam partim desiderio felicitatis seculi superioris, partim commiseratione Poëtæ illius inopiæ, exclamans diceret: At si Alexandri contemporaneus fuisses, ô Archestrate: in singulos ille tibi versus Cyprum aut Phœnicem daret. Propterea illius Imperium comparatum fuit Veri. Nam quemadmodum hac tempestate propter aëris temperiem fruges exuberant: haud secus Alexander sua liberalitate, benignitate humanitateque eximia ingenia, quæ superioris ætatis invidia, sordibus, moro sitate quasique hyeme delituerant, tanta fœcunditate, quanta sequentibus seculis nulla fuit, in lucem evocavit.

II. Alexander Severus, Imperator, illum hac in re imitari studuit: quòd Oratores & Poëtas præstantes, quotquot in Italiam venirent, audire & cognoscere cuperet. Et aliquando apud multos exterarum nationum legatos gloriatus est (quasi de re maximè ad suam dignitatem & felicitatem pertinente) raros esse in orbe Viros doctos: quos non esset allocutus: quive ad ipsum non scripsissent. Laus digna Regibus: & quam hæreditariam illis propriamque esse decet. *Spineus lib. eod. pag.* 186. *Vide Pontanum lib. de liberalitate, pag.* 105. *b.*

III. Alcibiades aliquando in ludum literarium ingressus, petijt à Ludimagistro Homeri Iliadem: cumq; Ludimoderator nihil se habere Homericum affirmaret: colaphum ei impegit: atq; eum imperitum esse, & similes sui discipulos efficere dixit.

IIII. Alexander Magnus adeò delectatus est Homeri scriptis: ut illum ad verbum edidicerit: ac dormiens etiam cervicali suppositum haberet. Addebat illud, se mille Homeri Thersiten esse: quàm Cherili Achillem. Erat autem Cherilus Alexandri Poëta non satis felix: cum quo ita pactus fuerat Alexander: ut pro quolibet bono versu acciperet Philippejum aureum: pro malo, colaphum. *Cicero pro Archia*: Alexander cùm in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset: O fortunate, inquit, adolescens: qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris. Et verè: nam nisi Ilias illa

extitisset:

extitisset: idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. Cùm ad eum delatum esset scriniolum: quo nihil inter opes Darij preciosius, pulchriusve repertum est: & quæreretur, in quemnam usum destinandum esset: alijs aliud suadentibus, dixit: Huic optimè servandus dabitur Homerus: sentiens nullum esse thesaurum illo preciosiorem. Ita visum est juveni: qui se totum ad exemplar Achillis componebat. *Bucholc. in Chronol. pag.* 379. Idem Alexander munificentiam suam & amorem erga doctos inprimis ostendit in Aristotele suo præceptore: quem, quò ad animũ utilibus præceptis informandum, parenti suo Philippo Regi, præferre non erubuit: donatis illi ob historiam animalium talentis 800 quæ faciunt coronatorum aureorum millia 480. In eadem munifica liberalitate permansit etiam: cùm Apellem pictorem, ob ejus imaginem artificiosissimè depictam, talentis 20. auri donasset: quanti hodie Comitatus non mediocris emi posset. Hæc pictura, teste Plinio, fuit in templo Dianæ Ephesiæ, Alexandri, fulmen tenentis: in qua digiti eminere videbantur, & fulmen extra tabulam esse. Faciunt autem 20. auri talenta ad minimum, teste Budæo, 120000. aureorum coronatorum. *Philip. Camerar. Centur.* 2. *Operar. succis. cap.* 55. *pag.* 339. Impetravit etiam facilè ab Alexandro discipulo Aristoteles, instaurari solum patrium, à Philippo eversum. *Petr. Greg. Tolos. lib.* 18. *de Rep. cap.* 3. *pag.* 1215. Quid Philippi filius Alexander? nonne quasi stipatus semper incessit doctissimis viris? *Ioh. Iov. Pont. lib.* 5. *de Obed. pag.* 44. Tanti fecit Pindarum, Poëtam Lyricum, antiquitas: ut & Alexander M. cùm Thebas vastaret, Pindari ædibus inscripserit, ut Dion testatur: Πινδάρου τοῦ μελοποιοῦ τῶν οἰκιῶν μὴ καίειν: hoc est: Pindari Poëtæ tectum ne cremate. *Petr. Greg. lib.* 16. *cap* 10. *pag.* 1139.

V. Ptolomæus Philadelphus AEgypti Rex potentissimus, postquam septuaginta interpretes, regijs & amplissimis muneribus auctos, in patriam remisisset: Eleazarem Pontificem inter alia rogavit suis literis: ut si quis ex his viris vellet ad ipsum redire, hoc permitteret: quandoquidem plurimi faceret cum doctis consuetudinem: divitias libenter in ejusmodi usus insumeret.

VI. Insignem liberalitatem erga Medicos Romani proceres & alij quoq; exercuerunt. Plinius scribit, 250. sestertia, id est, 6250. aureos, annua mercede, multis Medicis celebribus Romæ à Principibus numeratos esse. Idem scriptum reliquit, Archontio vulnerum medico, sestertijs 100 condemnato, ademisse Claudium Principem: eidemq; in Gallia exulanti, & deinde restituto, acquisitum non minus intra paucos annos. Proëresum Armenum Rhetorem & Professorem Atheniensem è Gallijs à Constante Imperatore redeuntem, cùm varias ob dotes honorare decrevissent Romani: statuam illi ex ære pari magnitudine consecrarunt, cum inscriptione: Regina Rex Roma, Regi eloquentiæ. *Petr. Gregor. Tolos. lib.* 18. *de Rep. cap.* 3. *pag.* 1216.

VII. Ob munificentiam & studium erga doctos non immeritò prædicatur etiam Sigismundus Imperator: & quòd literatos reliquis, qui genere tantùm erant nobiles, prætulerit. Ob hunc favorem interrogatus à Principibus, qui literas oderant, cur homines obscuro genere natos, ob literarum commendationem tanti faceret? Quibus respondit, se jure illos colere, qui cæteris singulari dono divino antecederent; illos à Deo solo posse creari: verùm in sua potestate esse: ut titulis & prædijs nobiles faciat: quoscunq; & quandocunq; velit. *Idem. Camerar. ut suprà.*

VIII. Ca-

VIII. Carolus M. delectatus est valde libris D. Augustini de Civitate Dei: quos sibi legi & historias inter cœnandum curabat.

IX. Aelius Verus Cæsar libros amorum semper in lecto habuit; & Martialem Epigrammaticum Poëtam Virgilium suum dixit.

X. Alphonsus Rex Hispaniarum semper in omni expeditione Commentaria Iulij Cæsaris tulit. Idem etiam librum apertum pro insigni gestavit: quòd bonarum artium cognitionem maximis rebus convenire intelligeret: quæ videlicet ex librorum cognitione atq; evolutione perdiscerentur. Fertur tam fuisse librorum studiosus: ut milites in direptione urbium, si quos libros comperissent, ad eum deferrent. Gloriabatur idem, se Biblia sacra quater & decies, cum glossis & cõmentarijs perlegisse. Cubavit etiam cum libris in sponda positis. Solitus etiam est dicere: se malle uniones margaritasq; suas perdere; quàm qualemcunq; librum. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 16. de Rep. cap. 10. pag. 1139.* Idem Alphonsus Antonio Poëtæ incredibili quadam voluptate operam dabat, aliquid ex priscorum annalibus referenti, Quin etiam veterum ab eo scriptorum lectiones singulis diebus audiebat: ac licet multis magnisq; interim gravaretur curis: nunquam tamen passus est horam libro dictam à negocijs aufferri. Mirum est enim quantum valeat ad optimam vitæ institutionem, assidua & diligens lectio. Idem vicio captoq; Antonio Caldora, cum exercitu in Pelignos profectus, cùm perveniisset in locum, unde Sulmo poterat despici: percuntatus, An ea, ut ferretur, Ovidij esset patria? & qui aderant, affirmassent: urbem salutavit: gratiasq; genio loci egit; in quo tantus olim Poëta genitus esset: de cujus laudibus cùm non pauca differuisset; tandem famæ ejus magnitudine commotus, Ego, inquit, huic regioni, quæ non parva regni Neapolitani, nec contemnenda pars est, libenter cesserim; si temporibus meis datum esset, hunc Poëtam ut haberent: quem mortuum pluris ipse faciam: quàm omnis Aprucij dominatum. *Ioh. Iov. Pont. lib. de Principe, pag. 89. a. 90. a.*

XI. Filium, inquit Philippus ad Aristotelem scribens, mihi genitum scito: quo equidem Dijs habeo gratiam, non tam quia natus est: quàm quòd eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore: ut eductus: eruditusq; à te, dignus existat & nobis, & rerum istarum successione.

XII. In Iulio Cæsare tanta fuisse traditur Astronomiæ cognitio: ut annus ab eo correctus fuerit; qui nunc Iulianus dicitur.

XIII. Augustus quanti literatos fecerit, unum illud dictũ declarare satis potest: quo judicavit, Principum gloriam Poëtarum versibus & ore inniti. *Pontan. lib. 5. de Obed. pag. 44.* Idem potitus victoria contra Antonium & Cleopatram, Alexandrinis civibus omnino ignovit; tum propter alias causas; tum propter Areum Alexandrinum civem: cujus opera usus fuisset in Philosophia. Idem pœdagogum & libertum suum Sphærum publicè sepelivit; atq; in theatris pædagogis cum prætextatis proximum locum assignavit. *Petr. Greg. lib. 18. pag. 1213.*

XIIII. Dionysius Milesius historicus & Sophista acutissimus, Hadriano Principi ob ingenij felicitatem adeò fuit acceptus: ut inter satrapas & equites sit numeratus: & mensæ, in qua omnes viri docti in toto orbe terrarum continebantur, particeps sit factus. *Idem ibid.* Magna in eodem fuit eruditio literarum: magna etiam Astrologiæ.

XV. Philosophiæ non minor in Antonino. *Pontanus ibidem.*

XVI. Tyrannus fuit Phalaris, & quidem crudelitate nobilitatus: insigniter tamẽ

munificus erga Polycletum Medicum suum: cui misit puro ex auro phialas quatuor: crateres argenteos duos; poculorum item thericliorum paria decem: puellas quoq; intactas viginti: cum his etiam Atticorum argenteorum quinquaginta millia. Quin etiam (ut ait in epistola ad ipsum scripta) scripsi Tucro à dispensatione: tibi ut penderet salarij, quantum capiunt, tum navium præfecti, tum satellitum, cæterorumque ordinum Principes; exiguam profectò retributionem maximo pro beneficio. *Vide integram epistolam apud Pontanum lib. de liberalitate, pag.* 111.

XVII. Ludovicus XI. Rex Galliæ Medico suo menstruum dabat stipendium, decem aureorum millia: nec id modò: verùm etiam Episcopatum Ambianensem ejus nepoti: & munera publica multa largiebatur ejus propinquis & amicis. *Philip. Cominaus lib.* 10. *pag.* 308.

XVIII. Theodosius Imperator Orientis Arsenium præceptorem filiorum suorũ admonuit; ne quem ex sublimitate conciperet metum: sed illis potiùs ut servis uteretur. Quod tamen Arsenius non fecit: sed insigni modestia semper erga eos se habuit. Et cùm repentè Theodosius ad eos aliquando veniisset: pueros quidem cum splendore magnifico considentes, Arsenium autem inter docendum astantem reperisset: Imperator indignatus, tum illos insignibus principalibus nudavit; tum sempiterna memoria dignum & verè imperiale illud verbum est elocutus: Si tales se præbituri essent: ut mores vitamq; suam ad disciplinam & leges componerent; propensum & illum fore: ut illis Imperium in manus traderet, ad civium & subditorum commodum & utilitatem accommodatum: sin minùs, conducibilius illis esse dixit: ut sic privati vitam exigerent; quàm doctrina nulla cum periculo imperarent.

XIX. Præceptor Gratiani Ausonius, Consulatu donatus est ab eodem.

XX. Pharao Rex Aegypti, propter unum sapientiæ documentum, quod exhibuit [illegible] Patriarchi, in prædictione annorum futurorum fertilium & sterilium, per somnij significationc, constituit eundem super domum suam: utq; ad ejus oris imperium populus obediret: voluitq, ipse tantùm uno regni solio præcedere: atq; tulit annulum de manu sua, deditq; in manu Ioseph, &c. *Genes.* 41.

XXI. Hoc eodem honore donatus Daniel à Nabuchodonosore, audita explicatione somnij, quod de Monarchijs habuerat: constitutusq; est super sapientes Babyloniæ præfectus & magister.

XXII. Achilles inter Græcos præcipuus, & consilio suo major, Phœnicem suum præceptorem ab Agamemnone ad se legatum missum, honorificè habuit: eiq; dimidium regni sui detulit: & dimidio honoris sui frui voluit. Ita enim ait apud Homerum *lib.* 9.

ἴσον ἐμοὶ βασίλευε, καὶ ἥμισυ μείρεο τιμῆς.

*Aequè ac ego regna, & dimidium partire honorem.*

*Petr. Greg. Tolos. lib.* 8. *de Rep. cap.* 3. *pag.* 1215. 1216.

XXIII. Mortuo Nicolao V. P. M. quod de Marino Tomacello, qui per id tempus Romæ agebat, audivi, cùm ei successisset Calistus: timereturq; ne à Iacobo Picinino bellum moveretur: atq; ad eum accessisset magnus quidam vir, novo tamen, quod immineret, bello perterritus: non esse, inquit, quòd Picininũ vereretur. Habere enim Ecclesiam CHRISTI tria millia & amplius literatorum hominum: quorum consilijs, sapientiaq; omnes omnium simul Europæ Ducum conatus facilè reprimi, atque contundi possent. *Ioh. Ioꝟ. Pontan. lib. de Principe, pag.* 89. *b.*

*Regibus*

# XXCVIII.

*REgibus nihil vtilius est sapientibus & fidelibus amicis. Strig. in orat. de Salom. Et 1. Paral. 28.*

*Benevolentia civium, & fideles amici, quos Princeps justo imperio parare sibi debet, adeò tuta firmaq; principatus præsidia sunt: ut nulla satellitum militumvé custodia illi opus sit. AntiMachiavellus lib. 3. pag. 520.*

## EXEMPLA.

I. Id significat votum Darij Hystaspis: qui cùm pomum Punicum in manu teneret, dixit; se non optare majorem thesaurum ullum: quàm ut tot haberet Zopyros: quot grana sint illius pomi.

II. Devs Salomoni adjunxit sapiens Collegium Prophetarum, & aliorum excellentium eruditione & pietate. Nam tempore Salomonis rexerunt studia doctrinæ Sadoc & Abiathar, auditores Nathan & Davidis. Eodem tempore vixit Prophcta Ahias Silonites: qui Ieroboam primo Regi decem tribuum exitum denunciavit.

III. Apud Salustium inquit ille in historia belli Iugurthini: Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt: verùm amici, quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas, officio & fide parantur. *Strigel. ut suprà.*

IIII. Cyrus moriturus ad filium Cambysen inquit: Sit hoc jam tibi, Cambyse, à principio persuasum: regni præsidium firmissimum esse non aureum sceptrum: sed amicos: quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas: sed fide & beneficio parantur. Neq; enim amici sua sponte nascuntur: ut stirpes è terra: sed suavitate humanitatis conciliandi atq; in officio retinendi sunt. Ac si voles tibi regni custodes adjungere: quorum fides spectata sit: non ab alienis hominibus, sed à cognatis initium sumito. *Idem.*

V. Nero apud Senecam inquit: Ferrum tuetur Principem. Respondet Seneca: Meliùs fides.

VI. Egregia est oratio Sylæ ad Bocchum Mauritaniæ Regem: Magna nobis (inquit) lætitia est: cùm te talem virum Dij monuere: uti aliquando pacem, quàm bellum malles. Populo Romano à principio inopi melius visum est, amicos quàm servos quærere: tutiusq; rati, volentibus, quàm coactis imperitare. Tibi verò nulla opportunior amicitia nostra: primùm, quòd procul absumus; in quo offensæ minimum est: gratia par, ac si propè adessemus: deinde quòd parentes abundè habemus. Amicorum neq; nobis, neq; cuiquam hominum satis fuit.

VII. Sic Trajanus, cùm amari à populo, quàm coli mallet, hostiq; formidolosus, civibus charus esset: sæpe veniebat in amicorum ædes, nulla septus custodia.

VIII. Hic quoq; fuit mos veterum Galliæ Regum; qui peregrinis & sclopetarijs ad præsidiariam cohortem non utebantur, ut hodie: neq; alios satellites aut stipatores circum se habebant, præter aliquot nobiles, solo ense accinctos. *Anti Machiavellus ut suprà.*

# XXCIX.

*A Confirmata sub orphanis, sed Imperio nondum idoneis Principibus, privatorum & ambitiosorum hominum audacia, ambitione & avaritia, plerunq; extitisse initia ingentium malorum: docent infinita historiarum exempla—. Peucer. in orat. de Arcadio & Honorio Impp.*

*Quamdiu est infirma adhuc Regis ætas: multæ inter Principes regni conjurationes, rixæ, & seditiones aliorum in alios esse solent. Danæus in Aphorism. polit. pag. 156.*

Quid sub Antiocho acciderit, vide apud Polyb. *lib. 5. pag. 447.*

# XC.

*QVando jus primogenituræ inter Principes violatur: & primogeniti ab imperio repelluntur: gravissima sæpe bella & funestissima parricidia— sequuntur. Ioh. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 5. pag. 1141.*

EXEM-

## EXEMPLA.

I. II. Vt cùm Numitori Amulius frater junior Albæ regnum, Aristobulus Hyrcano regnum Iudæorum ademit. Neq; enim priùs bella civilia exitum reperire potuerunt; quàm Pompeij Magni sententia regnum Hyrcano restitutum fuisset: tametsi Aristobulus ad imperium natus, alter ineptus videretur.

III. Ptolemæus Lagi F. cùm ad juniorem Aegypti regnum, perrupto gentium jure, detulisset: effecit ut naturæ jura alterius parricidio violarentur.

IIII. Eodem errore peccavit Ptolemæus Physco: qui uxoris oratione persuasus, majori prætulit juniorem; sed mortuo patre populus juniorem expulit: majori sceptra restituit.

V. Anaxandrides quoq; Rex Lacedæmoniorum Cleomeni primogenito regnum ademit: ut regnaret junior: non sine magno populi dolore: quòd virtutis specie gentium jura perrumperentur: ut Herodotus scribit *lib.* 4.

VI. Atreum in Thyestem pater armavit; cùm juniorem diademate cinxisset: ac funestissimis parricidijs domum fœdavit.

VII. Ineptiùs etiam Alphonsus X. Rex Castulonum: qui cùm natu juniorem Regem propterea denotasset; quòd ex siderum inspectione regno magis idoneum arbitraretur; primogenitus illatam sibi contumeliam sic ultus est: ut fratre interempto, patrem etiam carceribus conclusum dolore concepto necaret.

VIII. Consimili ferè exemplo Gabriel Marchionis Salussiarum F. fratrem natu majorem, matre annuente, in vincula conjecerat: hic tamen effractis carceribus principatum recuperavit: & exacto fratre matrem ijsdem angustijs, quibus fuerat antè conclusus, mancipavit.

IX. Gallia etiam tota bellis civilibus exarsit: propterea quòd Ludovicus Pius Carolum filium, uxoris illecebris persuasus, Lothario primogenito prætulisset. *Idem ibidem.*

# XCI.

*VIolatio juris succedendi, & dum voluit minor ex filijs præripere regnum majori, peperit ingentes clades. Petr. Gregor. Tolos. lib. 7. de Repub. cap. 7. pag. 423.*

## EXEMPLA.

I. Id liquet ex duobus filijs Alexandri Regis Iudæorum. Eo enim mortuo, uxor ejus Alexandra, quæ duos illos ex Alexandro genuerat filios, natu maximum Hircanum, & propter ætatem declaravit Pontificem; & quòd præterea segnior esset: quàm ut potestate regia molestus cuiquam videretur, Regem constituit: minorem au-

tem Aristobulum privatum vivere maluit: quòd ferventioris esset ingenij. Attamen mortua Alexandra, Aristobulus regnum sibi usurpavit; donec post ingentes clades & prælia à Pompejo victus & captus est: & regnum Hircano restitutum.

II. Narrat Pausanias tragœdiam ob eandem causam, his verbis: Ptolomæus, qui Philometor est dictus, octavus Rex Aegypti à Ptolomæo Lagi filio. Id autem cognominis per illusionem nactus est; neq; enim Regum quisquam fuit unquam ex omnibus: quem majori mater odio prosecuta fuerit. Hunc enim majorem quamvis natu, Regum salutari non est passa: & ut in Cyprum, vivente patre, ablegaretur, effecit. Cujus in filium acerbitatis cùm alias fuisse causas Cleopatræ commemorant: tum quòd Alexandrum natu minorem sibi obsequentiorem fore sperabat: ob eamq; rem primùm, ut eum Aegyptij Regem crearent, suadebat: deinde cùm repugnante plebe id assequi nequisset: in Cyprum Alexandrum misit, Imperatoris quidem (patris) nomine: revera, ut per eum Ptolomæo formidolosior esset ipsa. Postremò ex omni Eunuchorum numero, quos amantissimos esse sui putabat, saucios in concionem produxit, Ptolomæum insimulans & insidias sibi fecisse: & Eunuchos vulneribus fœdasse. Qua re Alexandrini commoti, non multùm abfuit, quin Ptolomæum impetu facto opprimerent: sed cùm ipse navi se periculo cripuisset: haud ita multò pòst è Cypro reversum Alexandrum, Regem appellarunt. Digna autem facinore pœna Cleopatram consecuta est. Eam enim filius, quem suis ipsa consilijs ad regnum evexerat, peremit. Quo scelere detecto, cùm civium metu aufugisset Alexander: Ptolomæus in AEgyptum redijt: ac iterum regno potitus est.

III. Scribit Iustinus de Prusia Rege Bithyniæ: quòd ceperit consilium interficiendi Nicomedis filij: dum consulere studeret minoribus filijs: quos noverca ejus susceperat, & Romæ habebat: & re manifesta adolescenti ab his, qui facinus susceperant, accitum in patris regnum venisse: statimq; Regem appellatum: Prusiam regno spoliatum à filio: privatumq; redditum: etiam à servis derelictum: & cùm in latebris degeret: non minori scelere, quàm filium occidi jussérat, à filio interfectum.

IIII. Prætulit aliquando in successione regni Pharnaces filijs suis Mithridatem fratrem, tanquam magis utilem Parthorum regno, contra morem gentis. Sed non diu apud ejus stirpem directam remansit: sed à filio ejus in patruum translatum fuit imperium.

V. Narrat Valerius Maximus, Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine nova celebrante, duos regios filios, nuper patre mortuo, in arenam processisse: pollicitosq; se ibi de regno præliaturos; quò spectaculum illud illustrius pugna sua facerent. Eos Scipionem monuisse: ut verbis, quàm ferro dimicare mallent, uter regnare deberet: ac cùm jam major natu consilio ejus obtemperaret: minorem corporis viribus fretum, in amentia perstitisse: initoq; certamine, pertinaciorem impietatem fortunæ judicio morte mulctatam. Sicq; narrat Valerius: cui consentire videtur Livius: qui tamen hos fratres, patrueles dixit, Corbim & Orsuam, de principatu civitatis, quem ibidem ducebant, disputantes: & deinde duello terminantes successionis eventum. *Idem Petr. Greg. ut suprà.*

*Sicut*

# XCII.

*SIcut nimis morosa Regum severitas in filios plerunq; minùs prodest: sic nimia illa indulgentia, qua Reges vivi atque incolumes filijs regnum permittunt, ut illos regnantes videant, sæpenumerò obest. Ejusmodi enim indulgentia parentibus plerunq; discrimini esse solet: & causam nonnunquam parricidio præbuit.* Non enim omnino contemnenda est barbara illa vox, qua dicitur: Nullum regnum sine domestica cæde aut parricidio esse solet. *Francisc. Patrit. lib. 8. de regno, tit. 9. pag. 520.*

## EXEMPLA.

I. Vt de Prusia Bithyniæ Rege scribentes historici ajunt: illum per filium Nicomedem, cui regni habenas vivus permiserat, necatum esse.

II. Darius quoq;, à patre Artaxerxe vivo Rex factus, interficiendi patris consilium cepit. Sed facta conjuratione, dum patri insidias parat, deprehensus cum socijs, parricidij DEO paternæ pietatis ac majestatis ultori persolvit.

III. Eucratides Bactrianorum Rex virtute ac rebus gestis præstantissimus fuit: & obsessus à Demetrio Indorum Rege, cum trecentis militibus tantùm, quadraginta hostium millia assiduis eruptionibus vicit; & omnem Indiam subegit. Deinde cùm victor in regnum, ut suis gratularetur, se recipere vellet: filij insidijs, cui vices suas gerendas dederat, exceptus, trucidatus est. *Idem ibid.*

# XCIII.

*DIvisio regni inter plures, regnum infirmius reddit: & sæpe parricidij causam præbet. Qui*

*enim*

*enim contenti non sunt portionibus suis: alienas semper invadere conantur. Franciſc. Patrit. lib. 9. de regno, tit. 22. pag. 628.*

## EXEMPLVM.

Alexandri comites, poſt ejus obitum, Imperium tot diverſarum gentium, inter ſe ſortiti, mutuis odijs exarſerunt: & qui ſi in demortui locum vel Perdiccam vel alium quempiam ſuffeciſſent: potuiſſent Imperium diutius propagare; & plures fortaſſe Alexandros habere: in ſeipſos impia arma converterunt: quibus non modò ipſi ceciderunt: verùm univerſa Philippi atq; Alexandri domus interijt. Caſſander enim, per quem Alexander enectus credebatur, Arideo, qui Philippi nomine ab exercitu Rex deſignatus fuerat, id impoſuit: & Herculem Alexandri filium, qui jam adoleverat, cum Barſane etiam matre peremit; cùm ne Olympiadi quidem peperciſſet. In eam namq; percuſſores miſerat: quæ gladios non muliebriter refugit: verùm Alexandri matrem, & ex Aeacidarum genere ſe ortam oſtendit. Nam cùm perfoſſa pluribus vulneribus ceciduſſet: jamq; deficeret: capillum ac veſtem ad talos usq; extendit: ne quid ex corpore ejus indecori cerneretur. *Idem ibidem.*

# XCIIII.

*TEſtatur experientia, quando primogenitus in imperio ſuccedit: id magis Reipublicæ paci, & tranquillitati ſubditorum expedire. Petr. Greg. Toloſ. lib. 7. de Repub. cap. 5. pag. 416.*

## EXEMPLA.

I. Pro Tyranno habitus Amulius, qui fratrem Numitorem ſtirpis maximum Procæ patris à regno vetuſto Sylviæ gentis detulbaverat: & proinde poſtea à nepotibus ex filia Rhea Sylvia, Romulo & Remo, necatus; qui avum in regnum reſtituerunt.

II. Atq; poſt mortem Anaxandridæ Regis Spartanorum, Lacedæmonij Cleomenem ejus filium, etiam non mentis compotem, ſed inopem, prætulerunt alijs filijs & Cleomenis fratribus, mentis compotibus, Dorio, Leonidi & Cleombroto. Idq; factum ex lege, quòd maximus natu eſſet.

III. Inter Parthos receptus ille mos, ſicut conſtat ex Iuſtino, dum ait: poſt

mortem Arsacis Regis Parthorum, qui reliquerat duos filios, Mithridatem & Pharnacem, majorem natu Pharnacem, more gentis fuisse hæredem regni.

IIII. Sic etiam in Macedonia jus successionis regni deferebatur primogenito ex liberis decedentis Regis, ut notat Diodorus Siculus. Livius explicat latiùs. Perseus, inquit, natu major Demetrij Regis filius, cùm Demetrium fratrem accusaret apud patrem, tanquam vitæ insidiantem, ut succederet regno, Frater, inquit, regnare utiq; vis: huic spei tuæ obstat ætas mea; obstat gentium jus: obstat vetustus Macedonię mos: obstat etiam patris judicium: huc transcendere, nisi per meum sanguinem, non potes.

V. Quo tempore Darius, Histaspis filius, Rex Persarum, profecturus erat in bellum contra Græciam: ingens inter ejus liberos de principatu orta est contentio: quoniam ex instituto Persarum oportebat ita demum ire in expeditionem: cùm regni successorem Rex declarasset. Artabazanes maximus natu disceptabat: quòd apud universos homines sit institutum: ut maximus natu liberorum obtineat principatum.

VI. Iosaphat Rex Iuda plures habens filios, dedit eis multa munera auri & argenti, & pensitationes cum civitatibus munitissimis in Iuda: regnum autem tradidit Ioram: eò quòd esset primogenitus: qui tamen alijs melior non erat.

VII. Sic & servatum in regno Vngariæ: ut ordine genituræ primus primùm succederet in eo.

VIII. Cyrus Rex moriturus, duobus filijs existentibus, Cambyse & Tanaozare, consentaneum dixit sibi visum esse, regnum & ducatum ei relinquere, qui prior natus esset, nempe Cambysi, & rerum plurium consentaneè peritus esset.

IX. Oizericus senex decedens testamentum condidit: in quo mandavit Vandalis: ut per manus regni essent successores, & ille propinquiori ex genere virilis prolis, qui ætate præcederet. Cabadem natu majorem ætatis gratia lex vocabat.

X. Mortuo Antiocho Rege Syriæ, relicto parvulo admodum filio, Demetrius obses Romæ se dimitti ad regnum petendum æquum esse dicebat: quòd sicuti jure gentium majori fratri cessisset: ita sibi tunc, qui ætate pusillum antecederet, deberi. In eo verè fassus, quòd jure gentium in regno minor frater debet cedere majori: sed in reliquo injustè concludens: quòd deberet præferri filio fratris: cui jus competebat ex persona patris, tanquam proximiori: unde etiam Senatus id non concessit.

XI. Apud Lusitanos strictiùs hoc servatur, non solùm in majoribus dignitatibus: sed etiam in quacunq; donatione: quæ à Rege fit de terra coronæ regiæ. Solus enim legitimè descendēs primogenitus, vel proximior succedit; nec ulla divisio admittitur. *Idem pag.* 416. 417. 418. 419.

## XCV.

*IMpetus Regum & Principum divinitus gubernantur.* *Strigel. 2. Reg. 13.*

*In rebus arduis Deus Principum & Regum voluntates gubernat: ita ut consilia sequantur accommodata ijs, quas cogitãt deinde perficere, actionibus.*
*Phil. Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 8. p. 240.*
*Proverb. 21:* Sicut rivuli aquarum: ita cor Regis in manu Domini, quocunq; voluerit, inclinabit illud.

## EXEMPLA.

I. Ioas fatali quodam impetu, non nisi tribus vicib. terram ferit. Etsi autem Propheta humano more Regem objurgat: quòd non sæpiùs terram percusserit: tamen non est ignarus consilij divini; quo decretum erat: ut certus esset numerus victoriarum adversus Syros. *Strig. ut suprà.*

II. Hannibal post cladem Cannensem, in qua multa millia Romanorum civium deleta sunt, non duxit exercitum Romam. Ideo alius quidam Princeps Carthaginensis dixit: Hannibal, tu scis vincere: sed victoria uti nescis. Quia si duxisset victorem exercitum ad mœnia: haud dubiè tota Italia fuisset potitus. Sed DEVS aliter rexit ipsius voluntatem & cor; quia Carthago non debuit potiri Monarchia: sed Roma, juxta vaticinium Danielis. Anno octavo belli secundi Punici duxit exercitum in agrum Romanorum: & locavit castra tria millia passuum ab Vrbe; & cùm acies instructæ utrinq; & Romanorum & Carthaginensium starent: & inter se essent conflicturæ: tempestas diremit prælium. Post reditum uti iusq; exercitus in castra, magna fuit serenitas cœli. Altero die cùm rursus vellent congredi; eadem tempestas diremit prælium. Igitur animadvertens Hannibal, divinitus se impediri, dixit: potiundæ sibi Vrbis Romæ modò mentem non dari: modò fortunam. *Livius lib. 6 decad. 3.* Hæc pertinent ad locum communem: quòd *Imperia sint fatalia*: seu quòd *potestates fato dentur*: ut Paulus inquit *Rom. 13.* Non est potestas, nisi à DEO. Quæ verò sunt potestates: à DEO ordinatæ sunt. Carthago longè potentior fuit tempore belli Punici secundi, quàm Roma: sed DEVS prædixit, Romam fore dominam orbis terrarum.

III. Similis historia extat in Iosepho *lib. 11.* ἀρχαιολογίας: *quæ repetitur in Chronicis Philippi.* Alexander Magnus, capta Tyro, mox duxit exercitum victorem hostili animo in Iudæam. Quia Iudæi noluerant mittere auxiliares copias, rogati ab Alexandro: & habebant suæ recusationis honestissimam causam. Nam Persis erant tributarij: & non tantùm juramento, sed etiam beneficijs devincti. Summus autem Pontifex Iaddus veste sacerdotali cum cœtu Sacerdotum processit obviam Alexandro. Quo conspecto, Alexander desiliens ab equo, prior pacem petivit. Interrogatus, cur tantum honorem haberet Sacerdoti, respondit: Ego ante hanc expeditionem Asiaticam per quietem vidi imaginem, proximè accedentem ad hujus Sacerdotis similitudinem. Quare cùm illa imago mihi promiserit victoriam, & successum: justum est, ut parcam huic Vrbi: in quam postea ingressus, nihil fecit hostiliter. Remisit etiam tributa ab Ocho Tyranno imposita: ac regijs muneribus templum ornavit. Huic A-

lexandro etiam Spiritum abstulit DEVS: ut *Psal. 76.* dicitur; Qui auffert Spiritum Principibus. Et ut Virgilius inquit:

*——ponunt{q}; ferocia Pœni*
*Corda volente* DEO. *Strig part. 1. Locor. Theol. pag. 164.*

IIII. Anno secundo Martiani Attila victus est ad Tolosam magno prælio. Indè egressus, cùm vires in Pannonia reparasset, Italiam invasit, capta Aquileia, Mediolanum & Ticinum diruit. Et cùm Romam accessurus esset: missi obviam Leo Romanus Episcopus, & pars Senatus, petierunt pacem: & supplices oraverunt: ut parceret Vibi Romæ: quæ tot excellentes Viros olim genuisset; quorum virtus in toto orbe clara sit. Flectitur præter omnium opinionem Attila; & exercitum in Pannoniam reducit. Interrogatus causam, cur subitò oratione supplicum motus esset, dixit se vidisse Senem, astantem Leoni Romano Episcopo, specie supra humanam terribili, minitantem ei mortem: nisi supplicibus, parceret. Ita ***etiam terribilium Tyrannorum impetum sæpe DEVS frangit.*** *Philip. lib. 3. Chron. pag. 237.*

# XCVI.

*HOc commune Regum peccatum est: quòd dum autoritatem suam stabilire conantur: plerunq; in Tyrannidem incidunt: & nimiùm sunt asperi. Multum autem inde nascitur malorum in Imperijs. Ita nulla gubernatio est sine peccato: tanta animorum humanorum est infirmitas. Lutherus in Genesin cap. 12. pag. 166.*

## EXEMPLA.

I. Narrat Augustinus, quendam Antiochiæ præfectum, magis in terrorem reliquorum civium, quàm quòd res ita postularet, civem quendam conjecisse in vincula: ac statuisse magnam pecuniæ vim liberationi. Dum igitur Vxor ejus anxiè circumcurrit: & de argento conficiendo sollicita est: incidit in prædivitem quendam civem. Is sic promittit pecuniæ summam: si sui corporis potestatem ei faciat. Erat enim mulier egregiè formosa. Circumventa igitur necessitate, capto marito rem omnem exponit: atque ejus consilio & hortatu (cupiebat enim liberari ex vinculis) conditionem accipit. Dives cùm expleviset libidinem suam: dimittit mulierculam, dans ei in manus saccum, non auro, sed arena plenum. Mulier cùm se deceptam videt: præfecto rem omnem exponit. Ibi cùm præfectus, indignitate facti permotus, agnoscit sua temeritate, dum jure suo nimis acerbè vtitur, huic peccato datam occasionem; Hoc, in-

quit, meum peccatum est. Igitur & captum maritum gratis statim dimittit: & ei istius Divitis, qui miseræ mulierculæ ita illuserat, omnes fortunas donat.

II. Nonnunquam subditorum tanta est pravitas: ut severa disciplina, & gravibus pœnis opus habeant. Hoc vidit Matthias Vngariæ Rex. Sed dum aspero imperio suos regit; sæpe in tyrannicam crudelitatem prolapsus est: cùm tamen & eruditus, & non inhumanus, nec malus Princeps esset. *Lutherus ibidem.*

III. Titus Vespasianus, præfecturam prætorij adeptus, suspectum quemque & oppositum sibi, immissis qui per theatra & in castris invidiosa jactantes, ad pœnam poscerent, quasi criminis convictos oppressit. In quo inciviliùs egisse fertur. Aulum etiam Cecinnam Virum Consularem, cùm ad cœnam vocasset, egredientem tandem confici jussit. *Cuspinian. in Vita Titi, pag. 41.*

# XCVII.

*REges ludunt fœderibus: ut pueri astragalis: & pacis ac belli, induciarum ac fœderum leges & jura metiuntur suis commodis: hoc justum, hoc sanctum eis: quod ad augendam potentiam utile. Sequuntur ergo pœnæ: quæ in totis gentibus vastitatem efficiunt. In Chron. Phil. lib. 5. pag. 598.*

*Reges plerunq; sua consilia instituunt ac temperant ex usu suo & commodo: & sanctitatem, veritatem, pietatem, justitiam, fidem ac religionem fœderum pactorum, constantiam in his servandis, postponunt suæ utilitati: qua metiuntur & æstimant dignitatem: non curata mutatæ fidei labe: quantumvis indigno tanto ordine ausu.*

*In seditionibus & bellis omnia præter rationem eveniunt: ubi non jure, sed utilitate sua ac necessi-*

*tate amicos inimicosq; suos, hi qui rerum potiuntur, æstimant: ac pro opportunitate temporis, eosdem & hostes & necessarios suos judicant.* *Dion lib. 48. hist. pag. 501.*

## EXEMPLA.

Sextum Pompejum, Magni filium, tenentem Siciliam & imminentem Italiæ, metu Antonij, cui ne se cõjungeret metuebat, sibi primum adjunxit Octavius Cæsar. Postea illum rursus deseruit. Deinde Antonius cum eo fœdus pepigit, interposito jurejurando: ut se muniret contra Octavium Cæsarem; sed ubi cum Cæsare in gratiam redijt: violata fide fœdus dissolvit. Vterq; tandem Octavius & Antonius, coacti à plebe Romana, ægrè ferente intercipi à Pompejo navigationes, quibus vehebantur frumenta in Italiam, fœdus cum Pompejo iniverunt, certis conditionibus. Sed coactum fœdus mox rursus dissilijt, Octavio Cæsare fingente causas contra Pompejum: ut jure id dissoluisse crederetur. Ita denuo bellum contra Pompejum recruduit. *Dion lib. 48. hist.*

# XCVIII.

*INterdum ex prædone Regem optimum extitisse, & qui pirata omnium maximus antea fuisset, in bonum Principem evasisse legimus.* Certè quidem multi grassatores, Regum appellatione digniores habiti sunt: quàm eorum pleriq;, qui regalia sceptra tenent: qui suæ diritatis ac immanitatis probabilem causam nullam habent. Prædonum itaq;, qui vocati vel invocati in jus veniunt, & magistratuum imperia sponte subeunt, rationem in judicijs haberi æquum est: cùm eo ipso jam desierint esse prædones. *Ioh. Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 1. pag. 2. & 3.*

## EXEMPLA.

I. Id Alexandro Magno probrum objecit Demetrius pirata: cùm diceret, se nihil præter piraticam didicisse: nec aliud quicquam de paterna hæreditate crevisse,

præter duos nuyoparonces: Alexandrum verò, qui piraticam in Demetria improbaret, cum exercitu potentissimo terra mariq; impune latrocinari: tametsi à patre regnum Macedoniæ florentissimum accepisset. Quæ certè oratio Alexandrum non ad ultionem acceptæ contumeliæ, sed ad commiserationem adeò commovit: ut Demetrium legioni præficeret.

II. Aetate nostra Sulimanus Turcarum Rex Ariadenum Aenobarbum, Dragutum, Ochialam, piratarum omnium potentissimos, maximis propositis præmijs ad se pellexit: & classibus ac maris imperio præfecit: ut & eorum opibus suum imperium confirmaret: & piratarum copias toto mari grassantes frangeret ac debilitaret.

III. Augustus Cæsar decies sestertium edicto promiserat ijs: qui Coracotam, latronum in Hispania ducem, ad se deduceret. Coracotas, re intellecta, seipsum Augusto sponte obtulit: ac præmium ex edicto popposcit. Augustus & veniam illi, & pactũ præmium dari jussit: ne aut mercede promissa vitam eripuisse, aut publicam securitatem violasse videretur adversus eum: qui sponte seipsum judicio stiterat: tametsi jure damnare, ac supplicio afficere latronem potuisset. His illecebris prædonum duces ad sanitatem perducere laudabile est: ne extrema desperatione coacti, in Rerumpub. status invadant: sed potiùs latronum copias ipsi evertant. *Idem Bodinus.*

# XCIX.

*REges etiam optimi non sunt sine multis & gravibus lapsibus. Peucer. in lect. Chron. d. 17. Decemb. Anno 1569.*

*Certò constat, nullum esse Principem tam prudentem: qui non erret & labatur aliquando: imò sæpenumero, si longior ei vita contingat:* ut ex illorum actionibus ac consilijs, si verè perscriberentur omnia, facilè judicari posset. *Omnes profectò omnium temporũ Senatores ac viri præstantes, qui vel fuerũt aliquando, vel hodie sunt, errarunt: & sæpe errare possunt atq; labi. Testatur hoc experientia quotidiana. Philipp. Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 8. pag. 241.*

EXEM

## EXEMPLA.

I. Saul diffidentia invadit munus alienum: usurpat officium sibi non demandatum: sacrificat, & illa curiositate DEVM graviter offendit. Idem æmulatione labitur in tyrannidem: persequitur hominem insontem Davidem, vocatum divinitus ad regnum: propterea abijcitur à DEO.

II. David, qui fuit vir sanctus: qui ornatur hoc testimonio à DEO: quòd invenerit sibi Dominus Virum juxta cor suum: ille gravius peccat. Fit adulter: & adulterium cumulat homicidio. Sequuntur pœnæ horribiles. Excitatur seditio à filio: quæ attrahit ingentia mala: multa millia interficiuntur: filius polluit thorum patris.

III. Salomon adhuc gravius peccat: quia ad libidines addit idolatriam. Propterea post Salomonem dilaceratur regnum: & avelluntur decem tribus: inde nascuntur seditiones & bella. *Peucer. ibidem.*

IIII. Pharao etiam inscius peccat. *Vide Luther. in Genes. cap. 12. pag. 166.*

## C.

*POst bellatores DEVS pacificos & togatos Principes excitat.*

*Plerunq; Principi bellatori succedit togatus: ne omnia bellorum motibus obruta intereant. Philip.*

*Semper ferè in omnibus Imperijs hunc Deus servavit ordinẽ: ut bellatori successorem togatũ, instructum consiliis togatis, qui ornamenta pacis rectè ordinaret, & nervos gubernationis confirmaret, dederit. Peucer. in lect. Chron. d. 25. Febr. An. 70.*

## EXEMPLA.

I. David fuit bellator: & qui debellatis & domitis vicinis gentibus comparavit successoribus insignem potentiam. Salomon succedit: qui est gubernator: & ea curat atq; exequitur: quæ sunt opera propria pacis: & quidem illa ipsa: de quibus expressa mandata à Patre acceperat. Quia enim *regna debent esse defensio & gubernatio*: defensio, quæ fit armis: gubernatio, quæ regitur sapienti consilio in pace: ideo post Davidem concessit DEVS Salomoni pacem: ut populus respirare, & regnum utcunq; confirmare sese posset: quia non potuisset sustinere assiduas vastationes. & quod caret alterna requie, durabile non est. Vt itaq; regnum confirmaretur: concessit Salomoni pacem. *In omnibus Imperijs oportet has duas res cõcurrere: defensionem ad-*

*versus latrocinia & externa & domestica: & gubernationem in pace iuxta utramque tabulam Decalogi*: id est: oportet esse leges, doctrinam, judicia: oportet constitui judicia. Vt autem retineri pax possit: & possint administrari judicia: opus est multis sumptibus & præsidijs. Sumptibus oportet ali præsidia: quæ defendant publicam pacem: arceant hostes: & domi in officio contineant contumaciores. Ideo & tributis opus est & exactionibus: & quidem omnis gubernationis, non tantùm bellorum, nervus est pecunia. Demosthenes inquit, pecuniam esse bellorum nervum: sed non tantùm bellorum: imò etiam gubernationis.

II. Post Romulum, qui regnum Romæ armis constituit, secutus est Numa Pompilius: qui totum se dedit religioni. Hic nulla bella gessit. Fuerunt ergo Romæ halcyonia, vivente Numa, post tanta bella, per annos quadraginta.

III. Sic post Iulium Cæsarem Davs Augustum dedit.

IIII. Sic post Carolum Magnum, qui bella gessit difficilima, dedit Ludovicum Pium.

V. Post Trajanum, Adrianum,

VI. Post Carolum V. Ferdinandum: qui pacem in Germania constituit: & lata lege de sacra pace eandem confirmavit; cujus beneficio tranquillitas huc usq; conservata est. *Pencer. ut suprà.*

# CI.

*FErè semper crudelissimos Tyrannos excipiunt justissimi & moderatissimi Reges. Quorum enim exitus perhorrescunt: eorũ facta imitari pudet: vel quòd certis legibus & conditionibus Imperium accipiunt. Ioh. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 1. pag. 590.*

## EXEMPLA.

I. Marco Antonio libidine ac luxu diffluenti, successit Augustus sapientissimus ac temperantissimus Princeps.

II. Neronem flagitiosissimum, Galba Imperator optimus excepit.

III. Vitellium ebriosum ac libidinosum, Vespasianus continentissimus.

IIII. Heliogabalum naturæ portentum, Alexander Severus virtute nemini secundus. *Idem ibid.*

Qui

# CII.

*Qui bellicoso Principi succedit ipse iners, libidinosus, & ebriosus: cùm à subditis externisq; facilè ac statim contemnitur: tum etiam conjurationes multorum, quibus patet, experitur: ac tandem facilè regno expellitur, vel occiditur.* L. Danæus in Aphorismis, pag. 155.

## EXEMPLVM.

Cùm primùm Ptolemæus Philopater, mortuo patre & fratre, ac sequacibus illius interfectis, Aegypti imperium suscepit: ratus nullum ampliùs domi timorem ob prædictum facinus, foriséq; omnia sibi fortunam tutissimè præparasse, Antigono & Seleuco vita functis, receptisq; in regna Antiocho & Philippo, qui vix adhuc pubertatis annos excesserant; velut rebus omnibus sibi felicissimè succedentibus, luxuriæ se tradidit: Regisq; morem omnis secuta est regio: quamobrem nulla inter suos ejus autoritas erat. Nec illis solùm, sed & reliquis, qui Aegypti res, & qui exteras quoq; obibant, contemptibilem sese præbuit. *Vide Polyb. lib. 5. pag. 440.*

# CIII.

*Etsi mortui Principis domesticos & familiares novo Principi mutare omnino liceat: id tamen periculosum sapientibus visum est: nec nisi cum bona venia, & sine contumelia faciendum: aut certè priùs exarmandos: qui opibus & gratia statum Reipublicæ conturbare posse videbuntur.* Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 3. pag. 669.

## EXEMPLA.

I. Quod cùm Imperator Galba minimè providisset: ac Pisonem in spem Imperij adoptasset: Otho Prætorianorum militum opibus & gratia potens ac florens, cùm se neglectum videret: Galbam una cum Pisone, ut solus imperaret, trucidavit. *Hac igitur paulatim fieri commodius est, quàm vim adhibere, aut momento omnia convertere velle.*

II. Cùm enim Carolus V. is qui Sapiens est appellatus, regni Francorum procurationem, adhuc juvenis captivo patre gereret: imperitorum consilia secutus, magistratibus omnibus una lege imperium abrogavit: creatis curatoribus quinquaginta: qui quæstiones peculatus ac repetundarum exercerent. Quæ lex ingentes motus in tota Gallia excitavit. Quibus ut remedium quæreretur: Carolus non multò pòst in Curia Parisiorum proceribus coactis ex Senatusconsulto legem abrogavit. *Idem ibid.*

## CIIII.

*PLerunq; omnes magni Principes conflictantur cum duobus generibus hominum inter se contrarijs. Vnum est assentatorum: qui naturas, ingenia, affectiones Principum observantes, alludunt ad affectus Dominorum: probant omnia: incitatores sunt Dominis ad facienda ea: ad quæ naturâ rapiuntur. Alij amantes Principum honoris, incolumitatis, hortantur eos ad mansuetudinem, clementiam, ad moderata & tuta consilia.*

*Non deest pernicioſa adulatio, perpetuum malũ Regum: quorum opes sæpiùs assentatio, quàm hostis evertit. Hinc evenit, sicut passim exempla in historiis testantur: ut plerunq; Reges, si perperam ira cupiditateve sua, vel adulatorum instinctu adducti, aliquid fecerunt: aut neminem habuerint, qui eos re-*

*prehen-*

*prehendere liberè ausus fuerit : aut ipsi quoq; licet admoniti , id quod semel in animum induxerant suum , obstinatione quadam mutare erubuerint.* *Philip. Camerar. in operis succisivis, cap. 90. pag. 448.*

Prudenter & graviter Gordianus ad Misitheum socerum scribit (*ut refert Iulius Capitolinus in vita Gordianorum*) Miserum esse Imperatorem, apud quem vera reticentur: qui cùm ipse publicè ambulare non possit: necesse est ut audiat: & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet. Quod etiam ante eum T. Manlius Torquatus prudenter considerauit. Is enim cùm esset declaratus Consul, oculorum valetudinem excusavit, Impudentem dicens & gubernatorem & Imperatorem esse: qui cùm alienis oculis ei omnia agenda sint: postulet sibi aliorum capita ac fortunas committi. Huc Horatius spectasse videtur, ubi dicit:

*Segniùs irritant animos demissa per aurem:*
*Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus: & quæ*
*Ipse sibi tradit spectator.*

Vnde Iurisconsulti aspectum rei, cuicunq; probationi præferunt. *Idem Camerar. cap. 90. pag. 445.*

In herba Heliotropio tantus est amor Solis: ut cum ipso circumagatur: & quocunque se verterit Sol: eodem flectat cacumen: noctu etiam, tanquam desiderio Solis, contrahat florem. Hujus herbæ similes sunt aulici Gnathones: qui se in omnibus rebus accommodant ad voluntatem Regum, nihil nisi ad gratiam loquentes: & quocunque illorum inclinat animus: eodem ipsorum quoque mentes inclinant ac propendent. *Sabinus in lib. 4. Metamorph.*

Iohannes Dantiscus, Episcopus Varmiensis, solebat cõparare Actæonis canes Parasitis: ac dicebat, idem accidere Principibus à Parasitis: quod Actæoni à canibus: nempe, ut devorentur ab iis, quos alunt. Itaq; in Principem adulato-

ribus & parasitis circumfusum, immodicisq; largitionibus perditum, competunt hi versus Ovidij *Metamorph. 3.*

*Vndiq; circumstant, mersisq; in corpore rostris*
*Dilacerant Dominũ falsi sub imagine Cervi*, Sabin. ibidem.

# EXEMPLA.

I. In aula Philippi postremi Regis Macedoniæ erant Demetrius & Aratus. Demetrius norat artem allentandi Domino. Is cùm intelligeret, Regem aspirare ad imperium orbis terrarum: impulit eum, ut occuparet Græciam & Italiam. Intulit itaq; bellum Athenienſibus. Hi contra Philippum attrahunt Romanos: qui metuentes audaciam & potentiam Philippi, cùm antea etiam eum odissent; cùm ob fœdus cum Hannibale & Carthaginenſibus: tum quòd compererant eum meditari bellum inferre Italiæ: succurrunt Athenienſibus: & victo Philippo Macedoniam occupant. Alter in aula Philippi Aratus Sicyonius, qui reprehendebat libidines & sævitiam Philippi, quòd solebat in convivijs hospitibus propinare venena, dixit ad Philippum: Regi fide & benevolentia nihil esse firmius, nihil tutius. Hunc sustulit Philippus veneno. Ex eo cùm Aratus decumberet: & moriturus vomeret atrum sanguinem: dixit ad amicos: Ταῦτα ὄξιρ ὦν ἔχεα τυραννικῆς φιλίας. Hæc sunt præmia tyrannicæ amicitiæ.

II. In aula Alexandri Magni erant Ephestio & Craterus. Ephestio indulsit Alexandro Magno; atq; ejus dicta & facta omnia admiratus est. Craterus fuit sapiens & honestus: & reprehendit Alexandrum, ſicubi opus esset. De Ephestione solitus est dicere Alexander: illum esse φιλαλέξανδρον. De Cratero: eum esse φιλοβασιλέα. Ephestionem magnificè sepeliri curavit Alexander: ut ostenderet, quanti eum fecisset. Impendit in funus decem millia talentorum, id est, sexaginta tonnas auri.

III. Antiochum Regem, eum qui Parthos oppugnavit, ferunt in venatione aliquando aberrasse à comitatu suo: & diu per silvas, ignarum loci, vagatum: tandem in casam rusticam delatum; cùm illum nemo eorum, qui incolebant, Regem esse sciret; cumq; in cœna fortè sermo de Rege injectus esset: adjuvisse hunc, & produxisse longiùs, cupidum rescisendi, quid de se plebs sentiret atq; loqueretur. Nullo autem crimine illius, ac contrà plurimis virtutibus commemoratis, nisi quòd in exequendis regni negocijs uteretur ministerio improborum hominum, quibus nimium fidei haberet, neq; ipse Rempublicam respiceret, atq; capesseret, quòd venandi studio totus esset deditus, atq; uni occupationi isti vacaret Regem quidem tunc tacuisse: sed cùm manè vestigia illius secuti satellites cum insignibus regni adessent: contemplatum diadema & purpuram dixisse: Heri primùm, ex quo vobis utor, audivi de me veritatem.

IIII. Patrum nostrorum memoria Regem fuisse optimum atq; fortissimum accepimus Matthiam Hunniadem; qui cùm Pannoniam solam teneret: formidabilis tamen & Asiæ & Europæ Imperatoribus fuit. Idem mirifico ardore flagravit bonarũ literarum atq; artium: quarum professores magnis præmijs affecit: & libros undiq; grandi pecunia conquiri jussit: quorum spectabilis copia ad Turcicam irruptionem usq; duravit. Eum igitur hoc nequaquam fugit: vix esse aditum atq; accessionem Veritati & Libertati in Regum atq; Principum domos. Itaq; cùm haberet circum se non

tam

tam belli, quàm pacis artium peritos: solitum tamen traditur sæpe illum data opera à comitatu in venationibus suo sese abducere: atq; in solitarijs casulis rusticorum, vel aliquo pago pernoctare, colligentem famam & rumores de Rege, & administratione Reipublicæ. Ita illum nihil ferme vitiorum, vel quibus ipse, vel sui laborarent, neq; ulla peccata administrationis, fugisse.

V. Hoc fecit etiam olim Mithridates potentissimus & bellicosissimus Rex, qui 46. annis cum Romanis varia victoria bellum gessit. Is enim Asiam, cum quibusdam amicis tacitus a regno profectus, nomine sciente pervagatus est: omniumq; urbium situs ac regiones cognovit. Noluit enim fidere aliorum oculis & indicationibus.

VI. Franciscum Galeatium, Iovius in elog. illustr. virorum scribit, ita amari simul & metui cupijsse: ut nonnunquam sordidi mercatoris simulato habitu, discurrens per ditionis regiones, oblatos in via, aut in diversorijs hospitalibus simplicissimos homines ad serenda de Principe colloquia perlaheret, eruendoq; certissimos de se rumores, utraq; sui nominis fama frueretur, paratus utrique ad præmium exolvendum, aut infligendam pœnam. Nam in Pado, Abdua, Ticinoq; custodes ad trajectum lintribus præpositos, qui abs se precibus atq; pecunia tentati essent, ut sine tessera properantem transveherent, ex merito, aut supplicijs extremis, aut peramplis præmijs afficere consueverat.

VII. Extat egregium Epigramma Georgij Sabini, viri doctissimi & Poëtæ insignis, de quodam Duce Norico: cujus nomen non exprimitur.

*Sæpe rudes inter mutata veste colonos,*
*Noricus Agricolæ Dux faciebat opus.*
*Nunc pascebat oves: nunc gramina falce secabat:*
*Vomere proscindens nunc subigebat humum.*
*Et simul illato de se sermone rogabat*
*Plurima: nempe quibus moribus ipse foret.*
*Iustus an exigeret pœnas à sontibus ultor:*
*Debita conferret præmia numne bonis.*
*Quærenti verò causam, cur Regibus ortus*
*Princeps, agricolam se simularet, ait:*
*Me juvat è rudibus cognoscere vera colonis:*
*Servit adulatrix auribus aula meis.*

Laudantur itaq; non immeritò Reges & Principes, quibus administratio regnorum commissa est: quando non ab alienum nutu & consilijs planè pendent: omniaq; in familiares suos reijciunt, ipsi planè desides, & ad imperium inutiles: sed ipsimet industrij sunt in rebus ad salutem & incolumitatem subditorum suorum spectantibus. *Philip. Camer. in op. succis. cap. 90. pag. 444. &c.*

VIII. Ludovicum XI. Regem Galliæ aliquando dixisse ferunt: se in regno suo, & potissimùm in aula propria, abundare omnibus rebus, una excepta. Quam verò innueret rem, dum quæreret unus ex suis familiaribus aulicis: Veritatem esse, respondit. Id ipsum Lucas Contilis suo festivo ænigmate denotare voluit. Habent, inquit, Principes nonulli apud se fœminam quandam, vultu formosissimam, quam magnificiùt, induuntq; veste longissima ad talos usq; descendente: hæc altero pede pleruneq; claudicat: nonnunquam utroq; etiam: quo fit, ut ægerrimè ferant: si ventus quispiam ab Austro aut Septentrione spirans, vestes, quibus hæc puellæ vicia teguntur, quandoq;

attollit. Quare instituêre permultos: qui non secus hujusmodi ventos buccis plenis absorbeant: atq; Charybdis & Scylla marinas aquas, & quæ in ijs sunt deglutire consueverunt. Hoc ipsemet ita solvit; Principum vitæ conditio permultis expetita, potentia prudentiaq; nititur, & magna autoritate exornatur; quam veritas denudare & imminuere, adulatorum autem ora obtegere consueverunt. *Idem pag.* 448.

IX. Flavius Vopiscus Syracusanus scribit, se de patre audivisse: Diocletianum Cæsarem, cùm adhuc privatus esset, dicere solitum: Nihil difficilius esse, quàm bene imperare. Conveniunt enim quatuor, quinq;, plùs minùs, clàm consilium ad circumventendum Principem ineuntes: quæ dicunt, verisimilibus adumbratisve rationibus fulciunt: & sua fallaci impostura imperitam vulgi multitudinem cum Principe excipiunt. Imperator autem, qui domi clausus est, vera ne novit quidem: at cogitur hoc tantùm scire: quod illi mussitant: facitq; quod novitius ille figulus Corinthius: qui dum urceum fingere gestit, amphoram format. Sic Rex quoq; figulo forsan ineptior, dum judices facere debet, Geryonaceos quadruplatores tribunali præficit.

X. Imperatori Galbæ exitio fuit; quòd trium virorum arbitrio, quos assiduo contubernio semper secum habebat, regebatur; quibus se adeò permiserat, abutendumq; tradiderat: ut vix sibi ipsi constaret: & ex illorum sententia semper penderet: neminiq; ad eum, nisi per illos, aditus patebat. Horum primus erat Oninius dispensator pecuniæ: qui præsenti fortunæ sine discrimine aliquo implebatur; & optimè instituta omnia à Galba evertebat. Quæ quidem res Galbæ non modò odij causa extitit (omnia enim Imperatori imputabantur) sed exitij etiam ac cædis. Fuit autem Oninius ab ineunte ætate furacissimus: cui facetè admodum aliquando illusit Cl. Cæsar. Nam cùm eum convivam p. idie habuisset: omnesq; aureum poculum illum surripuisse suspicarentur: postridie eidem revocato fictilem calicem apponi jussit. *Francisc. Ratrit. lib. 7. de regno, tit.* 8. *pag.* 458. 459.

# CV.

*PRincipum sapientum autoritati libentissimè paruisse semper homines, ac sub tali imperio floruisse opibus & omni rerum copia regna & civitates, docent exempla. AntiMachiavellus lib. 1. Theorem. 1. pag. 29.*

## EXEMPLA.

I. Rex fuit sapientissimus, idemq; insignis Philosophus Salomon; quippe cui nulla earum artium, quæ ad res bene administrandas pertinent, ignota esset: sed plantarum etiam animantiumq; naturas, cæteraq; Philosophiæ arcana, ita exactè teneret: ut admiratione scientiæ & fama omnia compleret. Regibus quoq; finitimis hæc illius sapientia adeò venerabilis fuit: ut ipsius amicitiam ultrò appeterent. Porrò per omne ejus regni tempus tanta pax & tam alta quies cum omnium bonorum libertate mansit: ut apud Israëlitas argentum quoq; ipsum instar lapidum vilesceret. Ipse

fortunæ

fortunæ Principalis insignibus, cæteroq; habitu & apparatu regio adeò conspicuus fuit: ut nulli superiorum sequentiumvé Regum aut Imperatorũ magnificentia cesserit.

II. Carolus Sapiens regnum Galliæ initurus, multis malis & cladibus attritum reperit: cùm Aquitania tota, pars Normaniæ & Picardiæ ab Anglis occuparentur. Res illi erat cum Rege longè omnium, quicunq; in Anglia regnarunt, felicissimo & fortissimo, Edvvardo III. quiq; paucis antè annis Gallos magnis prælijs duobus fregerat. Priore enim ad Crecyacum conflictu adversus Philippum Valesium Galliæ Regem, ceciderant undecim Galliæ Principes: mille ducenti equites; & militum triginta millia: altero per Principem Cambriæ filium & legatum suum in Pictonum agro Ioannem Gallorum Regem vicerat & ceperat una cum Philippo filio (pòst Burgundiæ Duce) multisq; Principibus: qui in Angliã traducti sunt. His tot exercituum stragibus regni opes adeò attritæ erant; ut jam suis viribus niti non posset. Accedebant ad hæc mala ingentes seditionum procellæ commotæ tum Lutetiæ, tum alijs in Galliæ locis. Sed Carolus ita prudenter dextreq; munia regni tractavit; & cùm Delphinus patris in Anglia captivi vicem obiret: mox etiam Rex designatus, ut primùm sopitis intestinis dissidijs, paulatim Anglis eriperet, quæ ditionis suæ fecerant. Neq; tamen aut patri Ioanni, aut avo Philippo, militiæ artibus par erat: sed cùm utrunq; prudentia anteiret; plura consilio quam vi gerens, nihil temerè, nihil improvidè (ut illi, dum timidi videri nolunt) nihil nisi consultum & cogitatum agebat. Rarò arma induebat; sed ubi opus esset: & belli artium rudis non erat: & viros idoneos ac strenuos legere nôrat. Ergo Rex Edvvardus, cùm ejus solertia videret armorum suorum aciem retundi, & labefactari victorias suas: En (ajebat) eccui Rex alius visus est, vel magis armorum insolens, vel qui mihi majorem rerum laborumq; molem struaret? Totos dies domi sedens epistolas dictat: at me graviùs inermis armatum literis fatigat: quàm patris & avi ipsius arma copiaq; fecerint. Adeò pollebat prudentia Carolus: ut illi hanc laudem hostis tribuere non dubitaret. Quippe non modò ille populum, egestate priùs ac miseria perditum, primùm pace, deinde larga opulentia recreavit: verùm tam ingentes quoq; cumulavit divitias: quas reliquit filio: ut inde non tantùm Sapientis cognomen, sed etiam Divitis, ferret *Ibidem.*

# CVI.

*NOn confidendum est lætis initiis Gubernatorum & Principum: cùm pauci sint manibus, pedibus & mente* ☺, πρόγνοι. *Strigel. 1. Sam. 11. In Chr. pag. 296. part. 1. Et. 2. Reg. 12. 2. Paral. 25.*

*Magnæ virtutes initio principatus non possunt esse diuturnæ.* Cujus ratio ea videri potest: quòd qui principiò tam clarus & illustris apparet: simulationẽ vultu tegat necesse est: in quo genere Tiberius omnes superasse dicitur. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 1. pag. 591.*

*Plerunq; ab initio*, ut ait Lucanus, *mitissima sors est Regnorum sub Rege novo. Quia sciunt omnes, novum imperium inchoantibus utilem esse clementiæ famam. Petr. Greg. Tolos. lib. 8. de Repub. cap. 1. p. 537.*

Ad pœnitendum properat: qui citò de Principibus judicat.

Pertinet huc sapientissimum dictum Solonis: Finem vitæ specta: quod Ovid. ita expressit:

*dicique beatus*
*Ante obitum nemo, supremaq; funera, debet.*

Non frustrà jubet nos Paulus *1. Timoth. 2.* precari pro omnibus hominibus: maximè verò pro magistratibus: quia in pace illorum, ut ait *Ieremias cap. 29.* etiam nos fruemur pace. Si gubernatio publica est tranquilla: singuli privatim ejus boni fructum percipiunt. Si autem gubernatio est inquieta, turbulenta, tyrannica, injusta, infelix: in thalamos penetrant publica damna tuos, juxta versum Solonis. Quare cùm videatis, non esse confidendum lætis initijs Principum & Regum: & hominem non tantùm esse mortalem: sed etiam mutabilem in moribus: oremus Deum, ut hoc quod operatus est in pijs pectoribus gubernatorum, perficiat usque ad diem Christi. Confirma Deus hoc quod operatus es in nobis, propter sanctum Templum tuum, quod est in Ierusalem. Fac Deus in nobis, quod facis, esse ratum. **Ihr sehet / wie die Herren so bald vmbschlagen.** Habetis multa exempla. *Strigel. part. 1. Chron. pag. 297.*

## EXEMPLA

I. Saul cùm habuisset læta initia: tamen impellitur ambitione & æmulatione ad crudelitatem & tyrannidem. *Strig. 1. Sam. 11.*

II. Joas, vivente adhuc Joiada Præceptore & Magistro, & præcipuo Consiliario, fecit officium erga DEVM & homines. Sed illo mortuo, obtemperavit alijs Consilianijs: & ex Principe factus est monstrum. Cœpit enim colere idola: & adeò

fuit

fuit ingratus Cuculus: ut non pepercerit innocenti Viro Zachariæ, filio Iojadæ sacerdotis & Prophetæ: qui veri Patris officio functus fuerat. Ipse enim infantem Ioas ex faucibus fati eripuerat: eundemq; puerum in regia sede collocaverat: & consilia Reipublicæ gubernaverat. Quare ad pœnitendum properat: qui citò de Principibus judicat. *Idem 2. Reg. 12. Et part. 1. Chron. pag. 296.*

III. Amasias cùm initiò fuisset pius: & tribuisset ministerio vocis divinæ debitum honorem: aliquantò pòst elatus fortunæ indulgentia, Prophetas contempsit: & coluit idola: & bellum non necessarium movit. Secuta est igitur Nemesis comes superbiæ: & justis pœnis Amasiam affecit. Non solùm enim victus est à Rege Israël nepote Iehu: sed etiam fugiens ex Hierosolyma à conjuratis interfectus est in Laches. *Idem 2. Reg. 14. Et 2. Paral. 25. Et part. 1. Chron. pag. 297.*

IIII. Osias initiò pius & felix fuit: & res magnas & salutares patriæ gessit: tandem verò exultans in rebus secundis, & aliena à vocatione suscipiens, lepra percussus est. *Idem part. 1. Chr. pag. 298.*

V. Tiberius ab initio principatus liberalem se ac modestum gessit, paucissimis contentus honoribus. Imperatoris enim nomen recusavit. Nam serò Imperium assecutus est, circa annum scilicet sextum & quinquagesimum ætatis suæ: nec ab ullo Imperator aut dici aut appellari voluit, adulationibus spretis ac contemptis: adversus convicia ac maledicta patientissimus. Senatum Senatoresque omnes usque ad submissionem veneratus, humanitatis propè excellens modum, pristinamque fere libertatem exhibens: quandoquidem singula, & parva & magna ad Patres conscriptos referebat. Vectigalia, monopolia, ædificia, delectum exercitus, patrum more decerni statuit: autoritate Consulum penè singula administravit. Quòd si quando de tribuendis militaribus donis quidam secum agerent: indignatus corripuit: quòd non hæc Senatui perscriberent. In omnibusq; se civilem admodum, etiam minoribus exhibuit: præsidibus provinciarum tributa suadentibus rescribens, *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere*. Tandem vicia malè diu dissimulata detexit. Ob nimiam vini aviditatem, Caldius Biberius Mero joculariter, pro Claudius Tiberius Nero, est vulgò dictus. Libidinibusq; adeò deditus: ut cùm Sextus Claudius eum vocasset ad cœnam, prodigus ac libidinosus senex: nudæ puellæ ministrarent mensæ. Sed portentosæ libidinis autor in spintrijs, cùm puellis & exoletis: quæ nescire nullum dispendium est: ut omnium luxuriosissimus habitus sit & fuerit. Ebrietati ac luxuriæ summam adjecit avaritiam: ut nunquam militibus expeditionum salaria exolveret: nihil ædificaret: nulla spectacula ederet: militibus legata Augusti non præstaret. Et ut crudelitatem rapacitati annecteret, ditiores ac locupletiores ad fastidium vitæ cogeret plures: multos bonis suis spoliatos occideret: odium in necessarios ac propinquos exerceret: Drusum fratrem, Iuliam uxorem in exilium relegatam: Liviam matrem, quam nec ad se quidem venire, nisi rarissimè passus est: nec defunctæ aliquem honorem exhibuit: ejusque testamentum pro irrito habuit. Quinimò nec filios dilexit: sed nurum Agrippinam relegavit. Parem crudelitatem in nepotes atque amicos exercuit: quorum cùm viginti è numero principum veluti Consiliarios suos depoposcisset: vix tres incolumes emisit. Omnes alios alia de causa perdidit ac interfici jussit, atrociter sæveque tyrannidem exercens: ut carmina jam multa in eum passim conscriberentur: nullusque dies à pœna hominum, etiam sacer religiosusq;, vacaret. Cujus sævitiam latissimè Tranquillus

ediderit, commemorans multa tormentorum nova supplicia. *Cuspinian. in vita Tiberij, pag. 14. & 15.*

VI. Cajus Caligula primo Imperij anno ac sequenti magnificè rebus usus, mediocrem se exhibuit; ut apud Romanos & alias gentes amplissimus haberetur; & nunc pius, nunc ejstrorum filius, nunc pater exercituum, nunc optimus Cæsar vocaretur. Sed procedente tempore, magnitudine dignitatis, humanum perdidit intellectum: & in tam vanam gloriam & elevationem prolapsus est: ut se adorari appellarique Latialem Iovem pateretur: victimasq; ac hostias expeteret, constituens propria sibi sacerdotia. Tum sævitiam in omnes propinquos exercuit, in aviam proaviumq;. Tiberium fratrem interfecit veneno, socerum item Syllanum: tres sorores suas constupravit, & in insulas inde relegavit. Ptolemæum Regis Iubæ filium consobrinum suum necavit: Senatores multos occidit: equites ac matronas quodam tumultu viginti eligit. Conclusis nonnunquam horreis populo famem indixit: carceratos sine ulla pensitatione criminis ad supplicia duxit omnes: multos bestijs objecit honesti ordinis: plures in metalla damnavit: plures discecuit. Ex levibus autem causis hæc tormenta ijs inflixit: exulesq; jussit universos trucidari. Hanc sævitiam atrocitate & inverecundia verborum auxit, sæpe tragicum illud jactitans: Oderint dum metuant; & illud verbum in ore habuit: Vtinam populus Romanus unam cervicem haberet. Optabatq; sæpe exercituum cædem, famem, pestilentiam, incendia, hiatumq; aliquem terræ: ut sua tempora redderentur insigniora. Tantaq; usus malignitate ac superbia: ut statuas Virorum illustrium ferè omnes dejecerit: parumq; abfuit, quin carmina Homeri combureret: Virgilium, quem nullum dixit habere ingenium, Liviumq;, quem verbosum appellavit, una cum Iureconsultorum scriptis deleret, extirparetq;. Minatus etiam est electissimo cuiq; utriusq; ordinis necem, ac ingentia facinora meditatus. Nam post ejus obitum duo libelli reperti sunt; quorum unus Gladius, alter Pugio titulo vocabatur: in quibus nomina continebantur destinatorum morti: & arca ingens cum veneno. In talem ergo feram ac crudelem bestiam, non hominem, conspirationes factæ sunt. *Cuspinian. in vita Caij Cæsarij, pag. 19. & 18.*

VII. Nero ab initio gubernationis ad quinq; annos rectissimè se gessit. Matri & Senecæ præceptori sedulò paruit. Leges utilissimas tulit. In sententijs dicendis nihil temere fecit. Civitatem ædificijs ornavit. Humanitatis, magnificentiæ & liberalitatis officia permulta præstitit populo Romano. His & similibus quinquennium illud insumptum est. Inde proverbium est ortum: ***Quinquennium Neronis.*** Et Trajanus dixit, cunctos Principes à primo quinquennio Neronis longissimè abesse. Adeoq; fuit moderatus Nero, ac tantam clementiæ speciem præ se tulit: ut recusaret subscribere libellis continentibus sententias de supplicijs condemnatorum. Sic enim Seneca de simulata Neronis clementia scribit: Animadversurus in latrones duos Burrus præfectus tuus, vir egregius & tibi Principi notus, exigebat à te scriberes, in quos, & ex qua causa animadverti velles. Hoc sæpe dilatum, ut aliquando fieret, instabat. Invitus invito cùm chartam protulisset traderetq;, exclamasti: Vellem nescire literas. **Sed *nunquam diuturna est hypocrisis*:** quæ non in pectore, sed in labijs habet benitatem. Postea enim cùm in ocio degeret: spectaculis & alijs nugis intentus esse cepit. Inde paulatim occasiones datæ sunt ad dissolutiorem vitæ rationem: & sequuntur subinde horrenda flagitia. De nocte grassatur in platea personatus: comessatu: & po-

tat

tat in mediam noctem: sedet in medio mulierum impudicarum: uxores iniquissimè tractat: ut interim de iniquitate erga matrem, honestas matronas & adolescentes nihil dicamus. Præterea Romam incendi curavit: ut esset spectator incendiorum, & haberet aliquam ideam conflagrationum Trojæ. In Christianos etiam persecutionem movet: Petrum & Paulum ad supplicia trahit. Senecæ Præceptori benevolentiam & incolumitatem promiserat: sed admonitus ab eo de meliori vitæ ratione, fidem fregit: & autor fuit, ut è medio tolleretur. Nec desunt aliæ scelera: quæ tot & tanta sunt: ut in hunc mundum vix aliud magis sceleratum genitum esse videatur. *Paulus Pratorius in Cæsaribus Romanis pag. 23. Et Strigel. 2. Reg. 12.*

VIII. Domitianus initio gubernationis facit quædam cum aliqua moderatione. Postea verò ad ingenium redit: & horribilem sævitiam exercere cepit. Nobilissimos quosque ex Senatu interficit. Multos in exilium agit, atque ita demum interimit. Philosophos & Mathematicos expellit: Christianos crudelissimè persequitur. *Idem Pratorius pag. 34.*

IX. Sic Herodem juniorem scribit Philo sex annos justè imperasse: triginta duos crudelissimam in omnes tyrannidem exercuisse. Nam septuaginta Senatores regiæ stirpis, excepto Semmea, interemit: nobilissimam conjugem occidit: tres filios trucidavit: ac jam jam moriturus, optimos quosq; viros ac Principes necari jussit: ut se mortuo luctus ingens sequeretur. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 1. pag. 591.*

X. Maxentius Maximiani filius, Roma occupata, Severo Galerij Augusti filio pulso, ad firmandas opes, se æquum universis exhibuit: ut Christianos etiam suis rectoribus commendaverit. Ac Italia Africaq; pacata, mox secundis elatus, mores mutavit: cepitq; Romæ & in Africa tyrannidem exercere: imprimisq; Christianos lacerare instituit: & prolapsus ad omnia scelera, nullū impietatis, nullum intemperantiæ genus omisit.

XI. Dionysius, filius Dionysij Syracusani tyranni initio tyrannidis postquam militū favore patri successit; populum libertate sibi conciliavit: tributa insuper populo per triennium dimisit. Dehinc tamen sublatis fratribus, & propinquis, quos metuebat, in cæteros grassatus: & propter crudelitatem invisus, tandem regno pulsus est.

XII. Ferquardus II. Scotorum Rex, privatus liberalissimus & religiosissimus extitit. At regno potitus, extortor bonorum, religionis hostis, cruentus carnifex evasit. *Petr. Greg. Tolos. ut suprà.*

# CVII.

*SÆpe novi Principes, qui ab initio regna vel tyrannides usurparunt, & ab initio crudeli & barbaro more vel dominico imperarunt, quàm diu de populo & magnatibus diffiderunt: postea verò ubi*

*senserunt populum securum, & à seditionibus & commotionibus quiescentem: modestiùs & humaniùs seipsos gesserunt, remittentes minas & terrorem, & benevolentiam aucupantes: unde ex Tyrannis facti sunt Reges.* Petr. Greg. Tolos. lib. 8. de Repub. cap. 1. pag. 539.

*Plures qui in juventute crudeliter & pessimè imperarunt: postea cum ætate mores in melius mutarunt, defervescente juventutis ardore, & temeritate per experientiam temperata & emendata*—. Vt enim omnium rerum est satietas: sic etiam & voluptatum & crudelitatis: neq; tempus variatione sua eadem patitur esse in uno statu: neq; hominum quoq; voluntates perpetuò pertinaces sunt. *Idem pag. 540.*

## EXEMPLA.

I. Manasses Rex, post multa commissa scelera, & post captivitatem Babylonicam, pœnitentiam egit: & ad meliora conversus est.

II. Cecrops cùm teter & efferatus antè fuisset: postea comiter & blandè imperavit.

III. Megalopolitanus Tyrannus. Lydiades ita in ipsa dominatione immutatus est: ut violenti juris pertæsus, reddiderit postea civibus leges suas: & pro patria dehinc strenuè dimicans, magna cum gloria ceciderit.

IIII. Gelon, Hieron, & Pisistratus, Hippocratis filius, invaserunt quidem malis artibus principatũ. verùm postea Principes fuerunt Reipublicæ salutares & moderati.

V. Cenovalchius, Occidentalium Saxonum Rex perditissimus & impijssimus ab initio regni: unde regno pulsus tandem: tamen ad frugem revocatus, regnum receptum optimè administravit.

VI. Scribit & Hector Boëtius, Octavinum Britanniæ Regem, ex iniquo Principe optimum, pacisq; studiosum factum esse.

VII. Fertur & Bretislaus, Boëmorum Princeps, filius Vratislai, ingenij priùs intractabilis, tandem factus mansuetissimus

VIII. Et Sylla ex illa crudelitate, tandem venit ad privatam vitam.

IX. Vt & Diocletianus, & plures alij.

X. Sic &

X. Sic & respondit Antigonus Rex mirantibus, quòd jam senex blandè & comiter regnaret; antè, inquit, opus habebam potentia: nunc gloria & benevolentia.

XI. Refert Polydorus Virgilius, Offam Merciorum Regē in primo ætatis flore laborasse suis inexhausta divitiarum, imperijq; amplificandi, militaris disciplinæ studiosum, virtutis contrà cōntemptorem: in ætate autem jam matura, cùm morum probitate atq; modestia, tum vitæ innocentia maximè floruisse.

XII. Dio Cassius tradit, Titum Augusto comparandum in diversa ætate, hunc-que, si minùs vixisset, nunquam a Romanis dilectum fuisse: neq; illum, si plùs. Nam Augustus crudelior in principiò propter hostes & seditiones: postea longo tempore multis in populum Romanum beneficijs claruit. At Titus humanè imperans, perijt in robore gloriæ, fortassis non vacaturus culpa, si diutiùs vixisset; quia fortunæ majori, quàm virtute, utebatur. *Idem ibidem.*

# CVIII.

*STulta Principis minimè mali facilitas ac benignitas, facit ut adulatores ac fures Rempublicam depeculentur: ac sceleratißimis & impudentißimis quibusq; honores, imperia, magistratus sine delectu tribuantur. Ita fit ut tenuibus sua crudeliter eripiantur: ac pro unius, multorum tyrannidem perpeti cogantur: scelera verò ac flagitia multa maneant tum sordibus & corruptelis magistratuum: tum etiam Principis facilitate sceleratißimo cuique impunitate proposita. Deniq; sub tali Principe publica privatorum commodis cedunt: ac plebs ipsa potentium libidine & avaritia oppressa jacet:* perindè ut in corporibus humanis ab ægrotantium capite, ad imbecilliora membra pravi humores defluere solent. *Ioh. Bodinus lib. 2. de Rep. cap. 4. pag. 331.*

## EXEMPLA.

I. Certè quidem exemplis ad id comprobandum historiæ tum Græcorum, tum Latinorum abundant: sed domesticis utamur. Nunquam enim calamitosior extitit Respublica: quàm regnante eo Carolo: qui ab ingenijs stupore, Simplex usurpatur.

II. Floruit etiam sub Francisco Majore imperium hoc legibus, armis, potentia, literis, opibus, artiumq; omnium incredibili varietate: idq; potissimùm aliquot ante annos, quàm moreretur: cùm ætas ingravesceret jam sua: nec ulli affabilem se aut facilem cuiquam præberet: sed cancs aulicos ac impudentes homines longè à se repelleret: præmia, magistratus, honores, sacerdotia bene de virtute ac Republica meritis tribueret: largitiones verò ita regeret: ut eo moriente fere millies sestertium, id est, decies septies centena aureorum nostrorum millia, in ærario publico restarent: præter trimestria tributa: quorum dies jam venerat. Nec ulli Respublica tunc obærata fuit: præterquam Helvetijs & argentarijs Lugdunensibus: ut in officio retinerentur. Pax item aut societas cum omnibus Principibus ac populis, atq; etiam Imperij finibus ad portas usq; Mediolani prolatis: regnoq; ipso Imperatorum ac doctissimorum hominum multitudine redundante. Successit patri Henricus II. cujus bonitas ac facilitas tanta extitit: ut nulla usquam major. Sed cùm vix annos duodecim sceptra tenuisset: omnia pessum iêre. Neq; enim tanta Principis benignitas dicam an simplicitas, rogationem cujusquam repudiare potuisset. Ita exhausto brevi ærario, magistratus ac imperia mercatoribus proscripta sunt: tributa acerbissimè exacta: sacerdotia amplissima in homines sordidissimos collata: graves ab hostibus acceptæ offensiones: imperium suis finibus tantopere deminutum, & accisum ultra citraq; Alpes: ut omnia, quæ annis quadraginta parta fuerant, una turpissimæ pacis actione penitus amitterentur: ac moriente Henrico, Respublica ære alieno gravissimè oppressa jaceret. Certè quidem ex rationibus publicis, ferè vicies millies sestertium Rempublicam debuisse constat: quanquam his omnibus nominis ac famæ jactura gravior erat. Quòd si Regis Henrici facilitas severitate, lenitas acerbitate, largitio parsimonia quadam temperata fuisset: ac pro molli & fracto, magnum & excelsum animum gessisset: bene beateq; vixissemus: nec in eas, quas pertulimus, calamitates Respublica incidisset. *Bodinus ut suprà.*

## CIX.

*BOnum consilium Principem admirabilem & formidabilem efficit.*

*Haud dubiè Princeps, quem fama tulerit sanis consiliis morẽ gerere, apud exteros admirationẽ sui, apud hostes formidinem movebit: neq; inimicis ex se crescendi potestatem unquã faciet. Anti Machiavel. lib. 1 p. 56.*

*Perspicuè certè constat ex historiis Latinis, plura consilio, quàm vi gerentes, etsi utroq; pollerent, subegisse orbem Romanos.* *Idem pag. 58*

# EXEMPLA.

I. Sic Annibal Romanos Duces cautos & prudentes multò vehementiùs metuebat: quàm feroces atq; fervidos. Itaq; cùm Sempronium & Flaminium, prompti & rabidi ingenij Imperatores, Romani adversum se misissent: gaudebat Annibal; ac cùm ferociùs, quàm consultiùs, rem sciret gesturos: eorum temeritati insciandæ levibus aliquot prælijs sinebat levinci; atq; id damnum haud ægrè patiebatur; ut caulã iusti certaminis cum illis contraheret. Deinde quò promiores essent in vitia sua: eos sociorũ cædibus atq; incendijs irritabat Pœnus. Illi suum dedecus rati, per mediam Italiam Pœnum impunè vagari: pugnandi consiliũ cepêre. Ita dum præpropere universo periculo summam rerum committunt: insignibus prælijs duobus ab Annibale victi sunt. Sed Dictator Fabius longè alia ratione bellum id gessit. Nam consilio magis, quàm fortunæ, confidens, itineribus, summa cum cura exploratis, ad hostem ducebat: neq; quoties Pœnus in aciem educeret, faciebat pugnandi copiam. Ea solers cunctatio Fabij Annibalem non mediocri cura sollicitum habebat: quòd cum Duce haudquaquam Sempronio Flaminioq; simili futura sibi res esset: cerneretq; eum tandem militiæ magistrũ delegisse Romanos: qui bellũ ratione, non fortuna, gereret. Ac prudentiam quidem ille, non vim Dictatoris metuit; constantiamq; ejus haud dum expertus, agitare ac tentare animum, movendo crebrò castra, populandoq; in oculis ejus agros sociorũ, capit: & modò citato agmine è conspectu abibat: modò repentè in aliquo flexu viæ, si excipere digressum in æquum posset, subsistebat. Fabius per loca alta agmen dùcens, modico ab hoste intervallo, ut neq; omitteret eum, neq; cõgrederetur, carpens agmen, palantesq; excipiens, in casum universæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat hostis, non veniebat. Cumq; aliquando Fabius victoriam ex Minutio hosti extorsisset: Annibalem ex acie redeuntem, palàm dixisse ferunt: Tandem eam nubem, quæ sederet in jugis montium, solicitatam procella imbrẽ dedisse: &, à se Minutium, se a Fabio, victum. His igitur artibus Fabius, sedendo & cunctando, magis Annibalẽ, quàm ullis viribus, fregit. Hinc illo celebri Varronis dicto: Romanos sedendo vincere; nihil aliud significatum puto: quàm venerabilem illum Patrum cœtum, considentem in Senatu, ea cura, ea prudentia, de rebus consuesse deliberare: ut nullius unquam incepti eos pœniteret.

II. Non absimile huic exemplum est Edvardi III. Angli: qui dicebat, se longè magis Caroli Sapientis epistolis terreri: quàm ingentibus avi patrisq; ipsius copijs unquam territus esset: suaque destinata frequentiùs sedendo iistum & dictandis literis frustrantem eludere: quam illi armis fregissent. Hæc regij consilij sapientiæque elogia eò plus fidei merentur: quòd duorum celeberrimi nominis Imperatorum testimonijs comprobata sunt: qui multo usu didicerant: quantum vis & arma possent.

III. Eadem

III. Eadem hac Romanorum arte Veneti hodie non tantùm Rempublicam suam tuentur: verùm etiam amplificant: etsi rei militaris rudes propemodum sint atq; imperiti. Itaq; si quod fortè bellum incidit: peregrino & conducto milite gerunt: cæterùm tantum illis solertiæ inest: ut quantum humanis ingenijs provideri potest, bella declinent: si quæ suscipi necesse sit, ea quavis alia ratione potiùs, quàm prælijs, urbium obsidione, cæteri isq; belli incommodis, restinguant. Reapse igitur illi multò maturiùs æstu & consilio bello finiunt: sæpe ne viso quidem hoste: quàm Principum potentissimi ingentibus copijs & armis. *Idem, ibidem.*

# CX.

*BOnus Princeps & per se judicat: & ut Iudices, suo loco constituti, rectè judicent, providet.* Hocque inter eorum præcipuas delitias eis curæ esse debet. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 6. de Repub. cap. 6. pag. 320.*

Miserum, imò miserrimum est regnum, ubi hæ Principis voces exaudiuntur: Videte, ut rectè omnia curentur: facite, pro ut vobis meliùs videbitur: hæc vestræ curæ commissa sunt. Namq; *tale regnum nunquam feliciter gubernari vel administrari poterit: quòd, quæ oculis aguntur alienis, rarissimè bene procedant:* & nulla convenientia consiliorum existente, quilibet consiliariorum sibi collibitum sequetur, arq; res suas curabit, omnes mali evadent: & fieri nequit, ut in tanta malitiæ occasione non seducantur: & qui aliud sibi persuadet, maximè fallitur. *Ejus* verò *calamitatis causa ab imperitis Principib. proficiscitur.* *Ex præfat libelli, cui titulus: Idea consiliarij, A. 9.*

## EXEMPLA

I. Refert ejus rei exemplum Athenæus ex Heraclide Cumæo rerum Persicarum scriptore; quòd in thuris regione feraci Rex suis legibus vivit; neq; ullius im-

perio

perio patet, delitijs maximè abundans: nec cum multis versatur: sed Iudices tamen constituit. Quòd si quis minùs dijudicasse putetur: fenestra quædam est in altissimo regio loco: quæ ferrea catena ligatur: quâ qui sibi injustè judicatũ existimaverit, apprehendit, fenestramq; attrahit: quod ubi Rex senserit: eos ad se vocat: atq; ipsus dijudicat. Et si videantur Iudices minùs justè judicasse, moriuntur: si justè, is moritur, qui fenestram moverit.

II. Persarum Reges quamvis delitijs addicti: tamen jus in aureo solio, & throno purpura ornato dicebant.

III. Refert de Regibus Indorum Q. Curtius, etiam in tanta, quam habeant, magnificentia seu luxuria, regiam omnibus patere: & cùm Rex capillum pecteret & ornaret: tum responsa legationibus, & jura popularibus reddidisse.

IIII. Hoc ipsum attribuit priscis aurei seculi Regibus Ovidius *lib. 2. Fast.* dum inducit Ianum sic loquentem:

*Tunc ego regnabam, patiens cùm terra Deorum*
*Esset: & humanis numina mixta locis.*
*Nondum justitiam facinus mortale fugârat:*
*Virtutis desperis, illa reliquit humum.*
*Proq; metu populum sola verecundia pudorq; ipse regebat:*
*Nullus erat justis reddere jura labor.*
*Nil mihi cum bello: pacis pacemq; tuebar:*
*Et clavem ostendens, hac (ait) arma gero.*

Adstipulatur Berosus, dum de Nino agit: & tradit Ianum anno 43. Nini Vetuloniæ jura dixisse, docuisse, & regnasse.

V. Refert Hector Boëtius, Galtherum, Scotorum Regem in Hispania, in Brigantia urbe, quæ Compostella hodie est autorum, jus dixisse sedentem in marmore, cathedræ in modum efformato: & ideo marmori tantam accessisse autoritatem: ut ubicunq; terrarum reperiretur; omen constituendi regni Scotorum facere crederetur. Et proindè Simonem Brechum ab Hibernis ex Hispania evocatum in Regem, marmor illud secum extulisse: multoq; pòst Fregusium ex Hibernia in Albionem trajicientem, secum unà evexisse: & in Argathelia constituisse; cui deinceps longa successione usq; ad Robertum I. Scotiæ Reges insidentes, coronari solebant.

VI. De Severo quoq; Imperatore Herodianus, Romæ deinde haud paucos, inquit, commoratus annos, jus dicebat frequenter, civilibus negotijs & liberis erudiendis intentus: accusatos à provincialibus judices, probatis rebus, graviter punivit.

VII. AElius Spartianus in eodem etiam firmat: Primis seculis Monarchatus Britannici Rex nihil suum habebat: omnia erant universorum: ad æquitatem certis legibus astringebatur: ac ne avaritia diverteret à vero, discebat paupertate justitiam.

VIII. Octavius Augustus jus dixit assiduè, & etiam in noctem; nonnunquam si parùm corpore valeret, lectica pro tribunali collocata; vel etiam domi cubans; & non modò diligentia, sed & lenitate summa.

IX. Mithridates Rex Ponti, oriundus à septem Persis, duarum & viginti gentium, quæ sub regno suo erant, linguas loqui didicit: ut omnibus jura dicere, omnes audire & colloqui sine interprete posset.

X. Hoc modo populum sibi conciliavit Absolon, vivente patre, ambiens regnum Davidis patris. Manè enim consurgens, juxta introitum regiæ portæ stare sole-

bat: & omnem virum, qui habuit negotium, ut veniret ad Regis judicium, vocabat ad se, clementerq; audiebat.

XI. Admonuit Agapetus Iustinianum in epistola ad eum scribens: ut facilis aditu esset indigentibus, ob vim supremæ illius potestatis; aperiret ijs aures, qui à paupertate obsidentur: ut inveniret DEI aditum adapertum.

XII. Sed & cum ratione Demetrium Regem, difficilem & morosum ad audiendas querelas subditorum, paucis sui officij admonitum ab anu, refert Plutarchus in ejus vita; à qua postea emendatum se ostendit. Cùm enim illum rogasset, ut se audiret: respondente eo, sibi ocium non esse: tum alta voce ad illum anus conversa, Nec etiam regas, inquit. Quæ verba revoluta animo effecerunt; ut posthabitis omnibus dehinc rebus alijs, multos dies audiendo respondendove consumeret.

XIII. Idipsum refert de Adriano Dio Cassius. Cùm enim illum mulier rogasset, ut se audiret: & ille respondisset: Mihi ocium non est: illa deinde clamans ait: Noli ergo imperare.

XIIII. Idipsum alia mulier Philippo Regi Macedonum objecit. Monebant enim verè, dignitatem imperandi & regiam deponere debere: eaq; indignos: qui nollent munus præcipuum, ob quod instituti sunt, exequi. *Idem Petr. Greg p.* 320.321.322.

# CXI.

*CONsiliarij Melancholici aut Phlegmatici ad Reipublicæ gubernacula, maximè verò ad consilia danda, naturâ sunt inepti.* Melancholicus etenim ut naturâ frigidus & siccus est: sic terrestris constitutionis naturam refert: animo abjectissimo humi serpit: nec sese citra laborem à terra tollit: rudis, tristis, vanus: præclarè cogitatis infestus: malitiosus ac superstitiosus: ita *ut hac temperatione præditi, semper religionem suis stultis somniis corruperint atque everterint.* Adhæc ultra modum suspicios us & invidus: ita ut ipsissima invidia esse videatur: sese mœrore, tristitia ac cruciatu conficiens, absq; ratione ad arma, vel verborum contumeliam prosilit: quantoq; magis ætas aggravescit: tantò minùs

nùs scientia crescit. Demum Melancholici Saturno subjecti sunt: à quo genere hominum Astrologi & Philosophi ita abhorrent: ut memoriæ proditum sit ab Apollonio Tyaneo: Ephesi Melancholicum inventum: qui totam civitatem corruperit: & in ea pestem maximam excitârit. Postremò Phlegmaticus, rudis, ignarus, intempestivus & inscius est: nec ulla virtus excellens in ipso invenitur: sed omnes infra mediocritatem subsistunt. *Frideric. Furius Ceriolan. in libello de Conciliis & Consiliarijs, pag. 88. 89.*

# CXII.

*Consiliarios maximè commendat taciturnitas.* Consiliarius occultas & sibi concreditas res nullo modo divulget. Nam si, qui amici consilium de privata re aperit, omnium odio meritò dignus habetur: quo odio dicemus illum dignum, qui Principis sui consilium de Reipublicæ salute, de propria dignitate, de publico officio, contra tam sanctè datam fidem, magno magistratuum contemptu & damno, evulgat? Ideo consilium veteres à silendo dictum putarunt, quo maximè invenitur, ait Festus: & Senatusconsulta illa tacita vocabant. *Hippolytus à Collibus in Consiliario, pag. 215.*

## EXEMPLA.

I. Lex Ægyptiorum jubebat abscindi illi linguam, qui arcana Reipublicæ, quæ tecta esse debebant, detexisset.

II. Iurisconsulti consiliorum publicorum enunciatores, ut transfugas vivos exuri, & furcis suspendi debere statuerunt.

III. Catoni insigne illud reddidit Tullius: eum nullum unquam verbum emisisse: quod emissum doleret.

IIII. Q. Fabium Max. à Cos. graviſſimis verbis objurgatum legimus. Sed ipſa Valerij Maximi elegantiſſima verba referam. Adeò magna patriæ charitate tenebantur (inquit) ut arcana Patrum conſcriptorum multis ſeculis nemo Senator enunciârit. Q. Fabius Max. tantummodò per imprudentiam de tertio bello Punico indicendo, quod ſecretò in Curia actum erat, P. Craſſo rus petens domum reverenti in itinere narravit: memor, eum ante triennium Quæſtorem factum: ignoransq; nondum à Cenſoribus in Senatum lectum: quo uno modo etiam ijs, qui honores geſſerant, aditus in Curiam dabatur. Sed quamvis honeſtus foret error: vehementer tamen à Coſſ. objurgatus eſt. Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.

V. Pompeij probabilis virtus: qui dum legationis officio fungeretur: à Gentio Rege interceptus, cùm Senatus conſilia prodere juberetur: ardenti lucernæ digitum cremandum præbuit: eaq; conſtantia Regi ſimul & deſperationem tormentis quicquam ex ſe cognoſcendi excuſſit & expetendi. *Idem Hippolyt. ibid.*

# CXIII.

QVemadmodum primum mobile tanta incitatione fertur, ut etiam ſecunda mobilia, hoc eſt, ſtellas fixas & Planetas ſecum rapiat: ita *Conſiliariorum impetus ſæpe abripiunt bonos & moderatos Principes: ut aliquid durius decernant.* Sic Cicero in epiſtola quadam ad Marcellum inquit: Multa victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda ſunt. *Nulla* igitur *aula tam felix, & tam bene conſtituta eſt: in qua non accidant talia* σφάλματα. *Strigel. 1. Sam. 29.*

## EXEMPLA.

I. Darium Regem ſapientem & juſtum impulerunt Satrapæ: ut Danielem Leonibus objiceret.

II. Principes Palæſtinorum permoverunt Achis: ut Davidem fidelem miniſtrum à ſe diſcedere juberet. *Idem ibidem.*

III. Cùm Rex Ammonitarum Nahas hoſpitium parentibus Davidis præbuiſſet: facere aliter nec debuit nec potuit David; quin grati pectoris motum erga filium ipſius Hanon omni officio declararet. Quare miſſis legatis ſignificationem commu-

nis

nis luctus propter obitum patris optimè meriti ostendit. Sed ut ars navium gubernandarum non rarò tempestatum sævitia superatur: ita consilijs Davidis sapienter cogitatis inopinati eventus respondent. Nam degener filius aulicorum calumnijs fascinatus, in deteriorem partem officium Davidis rapit: & legatos non vulgari contumelia afficit. *Idem 2. Sam. 10.*

IIII. Rex Ioas fuit pius vivente Iojada. Fecit enim placentia Domino cunctis diebus Iojadæ. Post mortem autem Iojadæ, adulatione Principum corruptus, cepit colere idola. Venerunt, inquit textus, Principes Iudæ: & obtemperavit eis Rex. *Idem 2. Paralip. 24.*

V. Manasse decessit relicto successore impio filio Ammon: quem mirum est exempla calamitatum paternarum, & postquam resipuisset, gloriosæ restitutionis, nihil prorsus movisse. Viderat quid Patri acciderat idola amplectenti & defendenti: viderat quid eidem resipiscenti acciderat. Sed fortasse fascinatus persuasione suorum adulatorum, & concepto idolatriæ fascino dementatus, prorsus patrem propter ætatem, & propter calamitatem captivitatis existimavit delirare: sicut *facilè assentatores impij Principibus iuvenibus talia persuadent. In aulis hoc est valdè usitatum.* Valde consentaneum est, aulicos assentatores ita pronunciasse de patre: quòd ætatis delirio & mentis errore, redierit ad priorem religionem, quam antea repudiavit. *Peucer. in lect. Chron. 21. Octob. An. 1570.*

VI. Cambyses fit patri dissimilis: induit mores non solùm genere & regio nomine indignos: sed etiam tales, ut à manifestis furoribus Diaboli non dissimiles videantur. Contracti sunt hi mores, sine dubio à mala consuetudine cum assentatoribus: qui à pietatis studio abductum, & incensum odio disciplinæ, ejusque vinculis liberatum, indulgendo ad omne licentiæ genus affluefecerunt: sicut fit in aulis. Consentaneū est, aliquos id fecisse odio Iudaicæ gentis & religionis: cui fuit sine dubio Cambyses à teneris imbutus. *Nemo facilius corrumpitur, quàm Princeps adolescens*: quia per se grata est illis libertas, memoria disciplinæ præteritæ, liberatis jugo disciplinæ: & cùm intuentur exempla vitæ liberioris in alijs: concipiunt & induunt incredibile odium disciplinæ: oderunt & leges & commonefactiones & disciplinam, tanquam iniquissimum & durissimum carcerem: & plerunque sua libertate insolentiùs abutuntur. Ad eam si adipiscuntur magistros improbos: magis corrumpuntur, & à semetipsis magis degenerant: ita ut etiam sæpe naturæ mutentur, quamvis bonæ. Et nunquam desunt talibus voces gnathonum incitatrices: sicut licet cernere in ijs: qui educantur paulò negligentiùs. Ita omnino existimo, Cambysen, qui fuit honestis studijs imbutus, patre absente, antequam ætas & judicium matureſceret, corruptum. *Idem d. 9. Febr. Anno 1572.*

VII. Sergius Galba trium regebatur arbitrio amicorum, ac consilio: quos unà, & intra palatium habitantes, ac assiduò adhærentes, Pædagogos vulgò vocabant. Hi erant T. Iunius, Cornelius Laco & Itellus. His tribus se abutendum permittens ita tradidit: ut vix sibijpsi constaret: modò acerbior parciorq;, modò remissior ac negligentior: quàm conveniret Principi electo, atq; illius ætatis. *Cuspinian. in Vita Sergij Galbæ, pag. 29.*

VIII. Constantinus fuit clarus justitia & omnibus virtutibus, ut Eusebius ait, Alexandrum Magnum cum eo non esse conferendum. Sed ut *sapientes & boni Prin-*

*cipes interdum decipiuntur per Sycophantas:* ita & Constantinus, deceptus à suis, scripsit, supplicium esse sumendum de quodam innocente, vel ut alij volunt, de tribus militibus seu capitaneis: qui per calumniam erant accusati apud Constantinum. Sed Beatus Nicolaus, Episcopus in oppido Myra, accurrens repressit lictorem, stringentem gladium, ut eis caput amputaret. Postea scripsit Imperatori, illis fieri injuriam & indicavit causas. Et probatum fuit Cæsari hoc factum Nicolai. Ita ***nulli sunt tam circumspecti, cauti & boni Principes: quin decipiantur. Imperia sunt misera. Sape etiam boni Principes falluntur. Et Sycophantia regnat in aulis.*** *Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 4. pag.* 822. 824. 825. 826.

# CXIIII.

*NOn desunt ulli ætati exempla—: quæ ostendunt, in Principibus crescere furorem—, mortuis aut remotis bonis & præstantibus Consiliarijs.* Itaq; à Deo petendum est: ut adjungat Principibus Consiliarios excellentes eruditione & pietate: *quorũ moderatio, placidè occurrens rapiditati Dominorum, multa— mitigat.* *Strigel. 2. Reg. 12.*

## EXEMPLA.

I. Fuit Ioas pius erga DEVM, & justus in gubernatione: donec consilijs Iojadæ obtemperavit. Mortuo autem Iojada mores ipsius valde mutati sunt. *Idem ibidem. Vide Chronol. Bucholc. pag.* 381. 382

II. Rehabeam spretis senioribus Consiliarijs valde desipit.

III. Alexander Magnus remotis vel potiùs sublatis Consiliarijs & Ducibus, Clito, Parmenione, & alijs, fit furiosus.

# CXV.

*VSitatum est Principibus juvenibus, negligere Consiliarios majorum, seniores: & his anteferre*

*ferre eos: quibus ipsi consueverunt. Peuc. in lect. Chron. 8. Martij, Anno 1572.*

## EXEMPLA.

I. Rehabeam Salomonis filius non acquiescit in consilio bono & salutari seniorum: sed præfert illis Iuniores, quibus cum adoleverat.

II. Cùm Xerxes consultaret de bello Græcis inferendo: præcipuæ in eo conventu sententiæ fuerunt Mardonij adolescentis, & Artabani senis. Mardonius suadet bellum. Artabanus senex dissuadet, Vincit tamen sententia Mardonij. *Vide Peucer. ibidem.*

III. Ludovicus XI Gallorum Rex, filio suo Carolo hoc consilij dedit: ne quid mutaret in administratione regni: & antiquos amicos, familiares & ministros retineret: se enim ipsa expertum: in quot quantaq; discrimina, vel unica hac de causa venisset; quòd excellenti probitaq; virtute viros ab aula pepulisset: exorto haud multo pòst Principum bello, quod commune bonum vocabant, & conspiratione multiformia.

IIII. Amicos elegit Titus (ait Tranquillus) quibus etiam post eum Principes, ut & sibi & Reipublicæ necessarijs, acquieverunt.

V. Quo nomine Claudianus Honorium laudat:

*Vt fortes in Marte viros, animisq; paratos,*
*Sic justos in pace legis: longumq; tueris*
*Electos: crebris nec succedentibus urges.* Hippol. à Collib. in Consil. p. 239 240.

## CXVI.

*SEmper magni Principes & Heroës traditi sunt in disciplinâ præstantib. magistris & præceptoribus. Nihil enim magis ornat nobilitatem: quàm literæ & Musæ. Sicut enim poma aurea in lance argentea sunt conspectiora: sic nobilitas literata est conspectior & multò illustrior. Strigel. part. 1. Chron. pag. 389.*

*Omnes qui ad Rempublicam accessuri sunt, anniti debent: ut optimis artibus sese instruant. Nemo enim sine varietate artium ad ullam rem illustrio-*

*rem*

*rem satis ornatus potest accedere. Quanquam enim in heroicis & generosis naturis acres ad virtutem impetus sunt: tamen si non regantur doctrina, sæpe aberrant. Idem 2. Sam. 12.*

*Nullus è Græcorum quondam Principibus, quos multos, & præstantes ea natio protulit, nulli è nostris, quorum & Italia, & Roma feracissima semper fuit, non instituti fuêre sub optimis & clarissimis præceptoribus. Iohan. Iovian. Pontan. lib. 5. de Obed. pag. 45.*

## EXEMPLA.

I. Etsi in Hercule maxima vis erat ingenij; tamen ad doctores deducitur. Extat enim Theocriti carmen: in quo ejus magistri recensentur. Nec adolescens tantùm literas & Musicam didicit: sed senex etiam Atlantis doctrinam de siderum motibus percepit.

II. Quali doctrina institutus fuerit Achilles, significat Homerus, cùm ait, eum laudes clarorum Principum ludentem cithara decantasse. Qua ex re apparet, eum & historias & reliquam ejus ætatis doctrinam & Musicam didicisse. Præceptoribus usus est Phœnice Amyntoris filio, & Chirone Thessalo.

III. Regum omnium haud dubiè ingeniosissimus Alexander, non modò primas literas, sed universam Philosophiam & medendi artem percepit. Sed obvia sunt in historijs exempla plurima: quæ testantur, *Gubernatoribus opus esse omni genere doctrinæ.* (*De Alexandri præceptoribus vide Francisc. Patrit. lib. 2. de regno tit. 8. pag. 106. 107. & lib. 2. de Repub. tit. 7. pag. 95.*)

IIII. An existimandum est, Constantinum, nisi ad pietatem adjunxisset magnam eruditionem, potuisse controversiam ab Ario motam vel intelligere vel judicare? Ille verò nequaquam erat in cœtu Episcoporum muta persona: sed cùm in disputatione Arium dextrè refutavit sua oratione, collectis Apostolorum & probatorum autorum testimonijs: tum plerasq; alias Episcoporum contentiones eruditis sermonibus mira comitate diremit.

V. Cùm David Salomoni filio regni successionem despondisset: rectè erudiendum curavit: ut non solùm civilem disciplinam tueri, sed etiam gubernare religionem posset: eamq; ad rem delegit magistrum maximè idoneum Nathan Prophetam: qui cum religionis doctrina haud dubiè conjunxerat universam Philosophiam, & regendæ Reipublicæ scientiam. Fuerunt enim Prophetæ non tantùm doctores: sed etiam

guber-

gubernatores consiliorum pacis & belli. Hoc exemplum nostræ ætatis Principes imitentur: & filios suos optimis magistris erudiendos tradant: ut illos efficiant oratores verborum, actoresq; rerum: ut Phœnix apud Homerum dicit:

*——— Comes atq; magister*
*Sum datus, ut præcepta tibi rerumq; bonarum*
*Verborumq; darem: rebusq;, ut fortiùs agendis*
*Esses, & verbis posses orator haberi.* Idem ibidem.

# CXVII.

*DEVS cùm servet aut mutet Imperia—: Duces heroicos sæpe custodit peculiari modo.* Strigel. part. 2. Chron. pag. 327.

*Servat Deus magnos Duces, & Doctores excellentes tantisper: donec curriculũ suum absolvant.* Idem part. ead. pag. 385.

*Magni & heroici Viri sæpenumerò ab insidiis & periculis conservantur divinitus.* Philippus Camer. in op. succis. cap. 30. pag. 130.

*Heroicis naturis multa irregularia accidunt.* Peucer. in lect. Chron. d. 19. Maij, An. 1571.

*Deus subinde bonos Principes Reipublicæ conservat: atq; etiam in summis periculis mirabiliter tuetur ac liberat.* Philippus in Locis Manlij pag. 601.

*Principes habent suam quandam peculiarem— fortunam—.* Idem pag. 599.

*Dij immortales, ut præditos insigni virtute homines diutiùs servent: plerunq; imminentis Fortu-*

*næ impetum benignitate prævertunt. Paulus Iovius lib. 16. pag. 332. b.*

# EXEMPLA.

I. Romulum & Remum parvulos exppsitos Faustulus pastor reperit; & domum delatos conjugi alendos commendavit. De hac dissimiles sententiæ sunt Aliqui dicunt conjugem vocatam fuisse Lupam propter rapacitatem. Alij affirmant, revera nutritos fuisse à Lupa. Potuit fieri, ut sicut sunt servati præter omnem spem; sic fuerint & miraculosè nutriti.

II. Sicut Cyrum tradunt à Cane nutritum esse.

III. AEsculapium à Capra. *Peucer. in lect. Chron. ut suprà.*

IIII. Alexander cum Satrapis Darij ad Granicum Phrygiæ flumen dimicans, divinitus servatus est. Nam cùm ei Dux Persicus Spithridates galeam decussisset: & incitato equo jam nudatum interfecturus esset: Clitus intervenions Alexandrum protexit: & Ducem Persicum occurrentem hasta transfixit. *Strig. part. 2. Chron. p. 326.*

V. Etsi Hannibali agitanti convivia inter Campanos à Perolla Pacuvij Calavij filio certæ insidiæ structæ erant; tamen ex his angustijs non tam intercessione Patris, quàm DEI providentia evasit. *Strig part. 2. Chr. pag. 385.*

VI. Tale exemplū recitat Plutarchus in vita Cæsaris. Cùm gubernator navis, quæ Cæsarem vehebat, cessurus esset fluctibus & tempestatibus: Cæsar prehensa gubernatoris dextra, qui ad ejus obstupuerat aspectum, Perge, inquit, generosè, perge audacter: nec extimesce quicquam: Cæsarem vehis, ac Cæsaris fortunam navigationis comitem. *Idem. 1. Paralip. 19.*

VII. Augustus Cæsar multas conspirationes ac conjurationes prudentia fatoq; evasit: priusquam fastigium Imperij attingeret, rerumq; potiretur. Cùm enim quidam felicem ejus statum odissent, L. Murena & Fannius Cepio, diversis morib. (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus: Cepio & ante hoc erat pessimus) cùm inijssent occidendi Cæsaris consilia: oppressi autoritate publica, quod ij facere voluerant, jure passi sunt. Neq; multò pòst Ruffus Egnatius per omnia gladiatori quàm Senatori propior, collecto in ædilitate favore populi, quem extinguendis privata familia incendijs indies auxerat, in tantum quidem, ut ei præturam continuaret, mox etiam Consulatum petere ausus, cùm esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus, nec melior illi res familiaris, quàm mens foret, aggregatis simillimis sibi, interimere Cæsarem statuit: ut quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Sed neq; hic prioribus in occultando felicior fuit: abditusq; carceri cum conscijs facinoris mortem dignissimam vita sua obijt. *Cuspin. in Vit. Augusti, pag* 8. Suetonius scribit, Augustum vultu, vel in sermone, vel tacitum, adeò tranquillo serenoq; fuisse: ut quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum: quò minùs eum, ut destinârat, in transitu Alpium, per simulationem colloquij, propiùs admissus in præcipitium propelleret. Has vel similes insidias subijsse Octavium Augustum, testatur etiam Valerius Maximus, *lib. 9. cap.* 11. ubi exclamatione vehementi utitur contra eum: qui Augustum interficere voluerat. *Philip. Camerar. in Oper. succis. cap.* 30 *pag.* 131.

VIII. In simili periculo quoque fuit Tiberius successor Augusti, teste Suetonio. Parùm enim abfuit: quin à Rutheno, vel ut alij legunt, Bructero inter proximos versante occideretur. Equidē illis attentior: qui Rutero legunt. Ruteros enim Germani patrio nomine omnes equo merentes vocant. Hinc factum, ut Romani tanquā propriū Viri nomen expressérint: sicut Levino Torrentio quoq; placet. *Idem Cam. ibid.*

IX. Titus Vespasianus cùm duos amplissimi ordinis Viros, in manifesta adversum se conspiratione deprehensos, ut cogitatum scelus abnuere non possent, admonuisset: deductos in spectaculum, utrunq; circa se assidere jussit: petitoque ex industria gladio Mirmillonum, quasi ad explorandam aciem, uni atq; alteri dedit. Quibus perculsis, & constantiam mirantibus, inquit: Videtis ne potestates fato dari, fruſtraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu? Fratremq; Domitianum, ut Sextus scribit, parantem insidias, militumq; animos sollicitantem, flens sæpius obtestatus est: nè parricidio aspici cuperet: quod & se volente esset obventurum ei: & jam haberet: cùm esset potestatis particeps. *Cuspinian. in Vita T. Vespasiani, pag. 41.*

X. Tertium Trajani bellum, quod susceperit contra Judæos seditiosos, antecessit ingens terræmotus in Syria: qui duravit aliquot dies: & multa ædificia evertit: quorum ruinis magna hominum multitudo oppressa est. Ipsum Trajanū scribit Dion a spectro eductum esse in locum tutiorem ex ea domo Antiochiæ: in quam diverterat. *Philip. lib. 3. Chron. pag. 165.* Idem cùm apud Agarenos in obsidione urbis cujusdam, fallendi hostes ergò, sine regio ornatu muros circumiret, magnum periculum vix evasit. Generosa enim canicies & oris majestas Principem prodidit: ut hostes, quem Regem suspicati erant, in eum frequentes sagittas conjecerint: quarum tanta vis fuit: ut qui pone Cæsarem sequebatur, transfixus fuerit. *Philip. Camer. Centur. 2. Oper. succis: cap. 6. pag. 27.*

XI. In illa celebri expeditione Hierosolymitana in Orientem, Gallorum & Anglorū Principes, insidijs hostilibus partim succubuerunt, partim vix servati sunt. Etenim fuit tunc temporis in Oriente quoddā genus hominum Assassinorū sive Beduinorum nomine in densis montib. habitantiū, & Domino cuidam parentium; cujus nullū aliud nomen cognoscebatur: quàm quòd Senē, sive Magnum montis appellabant. Is per speciem cujusdam paradysi voluptatis, quem corū animis impressérat, tantū ab eis consecutus erat: ut solenni voto sponderent: sese in Principes omnes sævituros esse: qui ipsorum sectæ adversarentur. Et sanè compertū est: Principes Christianos in tota illa expeditione, à nullis æquè atq; ab illa hominum fece fuisse infestatos. Eorum insidijs & Comes Tripolitanus occisus est: & aliquantò pòst Edvardus filius Regis Angliæ ab ijsdem oppressus, in suo ipsius cubiculo vulneratus est. Philippus Galliæ Regis filius, prænonitus de insidijs, in se illis locis compositis, coactus est ex illis finibus excedere. Et Ludovicus, quem Sanctū appellant, pater ipsius, ipse perditorū illorum conatus difficulter evasit. Atq; inde ASSASSINI in Gallica & Italica linguā vocantur: qui cædē aliquam, aut alioquin atrox facinus dedita opera perpetrāt. *Phil. Camer. ut suprà.*

XII. Fridericus quoq; Cæsar hujus nominis primus, qui à colore pilorum Barbarossa vocatur, majus periculum, vt refert Albertus Cranzius (*histor. Saxon. lib. 7. cap. 38.*) vix evasit. Cùm enim castra sua haberet ad fluvium quendam: cujus citeriorem ripam hostes tenerent: & fortè solus cum famulo cogitabundus obambularet: quidam ex insidijs subitò in eum irruit: conatusq; est pertrahere secum Cæsarem in profluentem; hocq; perfeciſſet: nisi gladio ministri abacto latrone, Cæsar se explicu-

isset, illo per amnem ad suos natando revertente. *Idem pag.* 132. Idem Cranzius (*lib. 6. cap. 45. de rebus Saxon.*) scribit, Cæsarem Fridericum I. Erfordiæ in conventu D. Petri, mirabiliter super latrina periclitatum fuisse; cùm collapsis trabibus, vix ad cancellos fenestræ ferratos adhæsisset. Perijsse autem in istis sordibus, cùm alios Nobiles; tum Henricum Schvartzeburgensem Comitem: qui exitus sui præsagium quoddam ferebat in proverbio; Si, inquit, hoc fecero: mergar in latrina. *Idem Camerar. cap. 86. pag. 421.*

XIII. Magnum quoq; periculum evasit Henricus III. Imperator: cùm profecturus in Hungariam, secundo Danubio devheretur; & à Richilta viduâ Adalberti Ebersbergij magnificè hospitio & convivio excipertur. Dum enim Cæsarem ea supplex orat: ut Bosenburgum & prædia nonnulla, quæ maritus ipsius possederat, VVelphoni nepoti suo ex fratre tradat: & Cæsar extensa dextra postulatis annuisset: repentè contignatio collabitur. Henricus in alveum solij balnearij illæsus cecidit. Verùm Bruno Episcopus VVürceburgensis, cognatus Cæsaris, qui postea in numerum Divorum relatus est, Alemanus præses Ebersbergensis, & Richilta margini tabellisq; lignei labri graviter allisi, paucis post diebus hoc casu extinguuntur, teste Aventino, *Annal. Bajor. lib. 5.* qui etiam recenset: quale spectrum sub imagine atri Aethiopis, paulò antè in saxo eminentiori apparuerit: & quomodo Brunonem cum Cæsare navigantem compellaverit. *Idem Camerar. cap. 30. pag. 132. Vide in Regulis Oeconomicis, Reg. 2. exempl. 36.*

XIIII. Non minus periculum evasit Henricus IIII. Imperator prope Nemetum Augustam: ut ibidem Aventinus refert: cùm arte Annonis Archiepiscopi Coloniensis in navim ornatissimam ad abducendum eum illectus esset: atq; ad necem se duci ratus, è navigio in Rhenum se projecisset. Ibi enim perijsset: ni Ecberti patruelis sui industria, cùm jam in oculis omnium submergeretur, servatus fuisset. *Idem ibidem.* Mira quoq; protectione divina ille ipse insidias & præsentissimum periculum Romæ in templo S. Mariæ Aventinæ evasit: quam historiam Benno Cardinalis, sicut à Baronio refertur, ita recenset. Henricus Imperator solitus erat frequenter ire ad orationem, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ: quæ est in monte Aventino. Pontifex autem cùm per exploratores suos omnia ejus opera diligenter inquireret: locum, in quo frequentiùs Imperator, vel stans, vel prostratus orabat, notari fecit: & quendam promissi pecunia ad hoc induxit: ut supra trabes Ecclesiæ (sanctum Papæ consilium) occultè lapides magnos collocaret: & ita aptaret: ut de alto super caput orantis Imperatoris demitteret, & ipsum contereret. Quod minister tanti sceleris cùm festinaret implere: & lapidem magni ponderis super trabes aptare vellet: lapis pondere suo eum traxit: ac fracta sub trabibus tabula, & lapis & ille miser homo, DEI judicio, in pavimentum Ecclesiæ cecidit: & eodem lapide contritus penitus est. Hujus rei gestæ ordinem postquam Romani cognoverunt: pedem illius miseri funè ligaverunt: & triduo per plateas urbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem solita clementia jussit eum sepeliri. *Idem Camerar. cap. 98. pag. 494.*

XV. Sigismundus Imperator, qui annum jam agebat vicesimum, Vngariam, ne regnum amitteret, cum exercitu ingressus, susceptisq; insignib & ornamentis regijs, ac nuptijs celebratis, de Horvatio parricida, qui Reginam viduam Ludovici in aquam demersam suffocârat, & alijs triginta duobus, qui cum illo de abrogando Sponsæ suæ regno consenserant, supplicium sumpsit. Hac severitate irritati Vngari, captum Sigis-

mundum

mundum tradiderunt custo diendum ad exquisitam corporis pœnam fœminæ viduæ, cujus maritum è nobili familia Garenorum inter factiosos supplicio affecerat. Et ex custodia liberatus divinitus, cùm promissis amplissimis iratum viduę animum placasset: mox regno recepto præsidijsq; firmato, autorem captivitatis Stephanum Veivodam securi ferijt. *In Chron. Philip. lib. 5. pag. 626.*

XVI. In infelici nostrorũ cum Turcis cõflictu ad Varnam, singulari modo DEVS Iohannem Hunniadem texit: ut superesset Vngariæ: ac hostem post victoriam progressurum reprimeret: turbatasq; regni res atq; rationes constitueret: quod egregiè præstitit. Deindeetsi ipsius consilia perfidus vicinus Georgius Despota Serviæ, beneficiorum perceptorum, præstitrẽq; ab Vngaris defensionis immemor, hosti prodidit: quo factum, ut bis ille infeliciter pugnârit cum Amurathe: servatus est tamen divinitus: ut ex duorum Turcorum manibus, cùm non agnosceretur, sese eriperet, altero jugulato, altero in fugam conjecto: & cùm ab eodem Georgio interceptus esset: reposcentibus Vngaris redderetur. *In ejusdem Chron. pag. 640. & 650.*

XVII. Est in historia Megapolensium Principum: quomodo aliquis ex Ducibus in bello adversus Turcas captus, postea in Aegyptum ductus sit, ut ibi serviret. Elapso aliquo tempore Livoniensis quidam magister tormentorum, factus est Soldanus Aegypti. Hic cùm novisset illum Ducem: vocat eum ad se, dicens: Vetus fuit inter nos amicitia: & ego tecum sub patre tuo militavi: à quo plurima in me beneficia sunt collata pro quibus meam erga te gratitudinem iterum declarabo. Memor igitur illius nostræ veteris amicitiæ, & beneficiorum tui patris, mittam te in patriam. Dux aliquandiu Soldano acquiescere nolait, dicens: se non ægrè ferre servitutem: quàm tamen si ipse magis lenire vellet, sibi gratum fore: quod si faceret, se non admodum cupere in patriam reverti: quòd vereretur, suos ipsi fidem non habituros esse: & arbitraturos, quod sit impostor. Adhortanti Soldano tandem acquiescit: is navim ipsi prospicit, addito viatico & mediocri comitatu. Ibi cùm præternavigarent Macedoniam rursus in mari à piratis capitur: & in Aegyptum ad eundem Soldanum reducitur, cui dixit: Vides, DEVM meredire in patriam non velle: manebo potiùs hic. Sed Soldanus Ducem denuò instructum viatico & majore comitatu mittit in Cyprum: ubi invenit (DEI providentia sic ordinante) suam conjugem: cum qua in patriam profectus est. Postea verò per totam vitam ipse cum suis pro hac liberatione DEO gratias agere solitus est. *Philippus in Locis Manlij pag. 21.*

XVIII. Maximilianus I. Imperator, cùm aliqui ipsum sequentes interficerentur, & ferirentur globis, dicebat: Non oportet vos meam audaciam imitari. *Idem pag. 599.* Qui ex Germania in Italiam per salebrosis montium cautes, per aspera saxa, per altas ac præcipites valles, atq; per amœnissimas Oeniponticas ac Tyrolensium vias contendunt: præterquam quòd arces, villas, elegantesq; urbes conspiciant: in prælatis etiam scopulis rubricaprarum greges, earumq; miram ac jucundam venationem frequenter vident: quæ per rupes & saxa, instar avium volitantium, saliunt: & in tantam altitudinem scandunt: ut visum fallant: & exigui videantur esse cuniculi. Hujus venationis occasione, monstratur locus in sublimi rupis pariete, in quadrum excisus: & in eo imago crucifixi Salvatoris nostri: altitudinis quadraginta pedum: quæ ab imo cernentibus, vix bipedalis apparet: in memoriam rarissimi casus ibidem posita. Qui quidẽ casus ita narratur. Post quã Maximilianus Cæsar, Friderici Augusti filius, imperito prorsus ardore, juvenilique nimia audacia feras istas infectãdo (ut cacoëthes

illa venandi in adolescentibus Principibus plerunq; vehementer flagrare solet ) eò loci evasisset: unde nec referre pedem: nec ulteriùs progredi posset: nisi in præcipitium: stabat attonitus in abrupto loco infelix ille Princeps, temeritatem suam culpans ipse, famis diræ longa rabie, vel morte violenta vitam ibidem finiturus. Stupebat animus: horror & tremor artus occupaverant: & obversabatur ubiq; tristissima mortis imago. Si altum respicit: nivosa cacumina & scopulorum ingentes minæ capiti imminent; & ut Silij Poëtæ verbis dicam:

*caligat in altis*
*Obtutus saxis; abeuntq; in nubila montes.*

Sub pedibus occurrunt, tartareus veluti abyssus:

*& regni pallentis hiatus*
*Ad manes imos, atq; atra stagna paludis.*

A tergo & lateribus, Marpesiæ cautes, non ferro, non flammis, non aceto Punico domandæ, viarum accessus occludebant. Nec funes aliavé instrumenta, quibus extraheretur è periculo, ad ipsum alicunde protendi poterant; nec semita quæpiam, lapicidarum labore menstruo parari. Stabant gregatim hinc inde comites ac ministri, consilij prorsus inopes: Dominumq; suũ miserum à longè non sine lacrymis prospectant: quem juvare non poterant. Ipse autem cùm jam noctes atq; dies integros duos in tam afflicto statu continuè permaneret: nec ulla salutis spes residua esse videretur: mortalis hujus vitæ cupidinem prius Princeps abijcere, & qua ratione tutiùs beatioris vitæ cœlestem in locum transire posset, cogitare cepit. Appellat magna voce suos: jubetq; ut quàm primùm Sacerdotes sacrosanctam Dominici corporis eucharistiam adferrent: & è viciniore, quo possent, loco sibi monstrarent: ut, quando corpus mortali cibo reficere non daretur: saltem oculos à longè mentemq; immortali viatico, quantũ concederetur, nonnihil muniret: DEVMq; Servatorem suum præsentem adoratione postrema, reconciliare sibi posset. Satisfactum tam pio Principis desiderio quàm diligentissimè. Sed luctus interea magnus per universam provinciã spargitur, fama tam acerbi casus divulgata. Deplorabant parentes dilecti ac unici filij sortem infelicem: & infaustã orbitatem detestabantur. Curia, Senatus, ac ordines universi, crudeli fato spei optimæ Principem adolescentẽ sibi sublatum mœrebant. Populus omnis publicè vota pro Principis sui salute suscipiebat: in urbibus oppidisq; singulis templa atq; ædes sacras, magna utriusq; sexus frequentia, supplex circuibat, iram divini numinis deprecando. Flectere cœlestium iram mortalia vota, precesq; pias, veluti miraculo quodam tum innotuit. Cùm enim jam ope destitutus humana Maximilianus in scopulo, cura fragilis vitæ prorsus abjecta, nil ageret aliud: quàm immortalitatis, DEIq; Servatoris sui contemplatione semet occuparet: audit non procul à se strepitum: circumpiciensq; videt arreptare per rupis costas juvenem quendam ignotum, habitu rusticum, dimovere ingentia saxa, & collem parare. Qui cùm ad ipsum accessisset: porrecta dextera, Macte, inquit, animo virtuteq; tua Princeps: vivit & adest, qui te servare potest: depone metum in unem: & me sequere: actutum te in tutiora loca traducam. Vti Sol perdensis nubes clarior emergit: ita mox anxij pectoris, angore derelicto, serenior redijt animus: confidenterq; ducẽ sequitur. Et paulò pòst in patentiore viæ positus, semet ex Orci faucibus ereptum videt: liberatorisq; sui industriam non satis admirari potest. Ad descendentem deinde fit magnus comitum ministrorumque nobilium concursus: ubi inter congratulantium turbas ducem suum perdidit. Pallidus & ine-

dia

dia languidus excipitur equo: domumq; cum summa lætitia à suis reducitur: luctu publico confestim in maximum gaudium converso. Postero die cùm læti patris edicto promulgato, dux ille ubiq; terrarum quæreretur: quò præmio merito posset honorari; nec diu quæsitus inveniretur: cognitum pariter & creditum est: Evangelum custodem bonumvé Genium fuisse à DEO missum: ut adolescentem Principem ad maxima Reipublicæ Christianæ commoda, & ad Austriacæ domus incrementũ grande, ab immatura morte servaret. Quam opinionem postea res ab ipso præclarè gestæ plurimùm confirmarunt. Ad rei memoriam pius Princeps semitã lapicidarum labore muniri, & in eodem periculi sui loco, crucifixi Servatoris nostri imaginem conspicuã è via poni curavit; uti peregrinantes, divini auxilij gratiam ubiq; pijs esse paratam in periculis, inde cognoscerent. Hanc Maximiliani Cæsaris fortunam Germanus Poëta quidam non indoctè sic attigit in Hodœporico sive Itinerario suo:

*Postera rore levi virides Tithonia campos*
*Sparserat: ad scopulum cursu pervenimus altum;*
*Hic ubi sectatus ter Maximus AEmylianus*
*Alta in rupe capras, finisset turpiter ævum:*
*Ni DEVS ad majora virum servasset: opemq;*
*Auxilio agricolæ penè ipsa in morte tulisset.*

Meminit item Georgius Sabinus itineris Italici Hodœperico suo his versibus:

*Iamq; tenebamus, qua spumifer æstuat Oenus,*
*Ardua carpentes sub juga montis iter.*
*Cujus in abrupto per noctes vertice Cæsar,*
*Dive, tuus quondam, Carole, sedit avus:*
*Silvestres quando capreas, damasq; bicornes*
*Ausus in aëreæ figere rupe fuit:*
*Culmen & ascendit juvenis temerarius: unde,*
*Cùm vellet, potuit non revocare gradum.*

*Hactenus Georgius Braunius in quinto Vrbium theatri Tomo, sub descriptione Vallis Oenipontanæ, fol. 59. De eodem Maximiliano extat & in historia de rebus gestis Frondspergiorum lib. 2. pag. 24. hæc narratio:* Als Käyser Maximilian vor Meyland lag/hat Häuptmann Suggar einen Hauptman auß den Schweitzern gefangen / bey deme man Brieffe funden / vnd der bekandt / das sich die Schweitzer wolten zusammen thun / vnd den Käyser dem Frantzosen vbergeben. Der Vrsachen halben hat der Käyser M. Antonio de Columna vertrawlich zuerkennen geben / es sey nicht Geldt verhanden / sondern Auffruhr vnd Vntrew des Kriegßvolcks / fürnemlich der Schweitzer / zubesorgen. Vber das sey jhme dieselbe Nacht im Schlaff sein Vranherr / Leopold Ertzhertzog zu Oesterreich / den die Schweitzer zu Sampach erschlagen / deßgleichen sein Schwäher / Hertzog Carl zu Burgund / den die Schweitzer zu Nanse vmbgebracht / beyde in bluttigen Kleydern fürkommen / Das sey jhme eine Warnung / das er sich da nicht solle in Gefahr begeben. Darauff ist er wider vbers Gebirge für Laverß / vnd vber den Noßgen Trient kommen / mit sechs Hundert Pferden.

XIX. Ludovicus XII. Rex Galliæ, qui proximus fuit ante Franciscum, postquam diu exul apud Imperatorem Maximilianum fuisset: vocatus est rursum ad regnum. Erat autem pulsus in exilium à Carolo Gibboso: & evaserat in habitu mulieris. Veniebat igitur ad Imperatorem Maximilianum: apud quem vivebat: donec iterum in regnum Galliæ revocaretur. Ita divinitus est custoditus: & in regnum suum restitutus. *Philip. in Locis Manlij pag.* 22.

XX. Legimus in historijs, Gabrinum Fundulum Cremonensium Dominum, ante obitum confessum fuisse. Cremonæ de altissima turri, quam propter altitudinem & pulchritudinem spectandi causa ascenderant Sigismundus Imperator & Iohannes Pontifex XXIII. utrumq; constituisse præcipitare: conscientiæ tamen terrore à facinore tanto abstinuisse. *Philip. Camerar. in Oper. succis. cap.* 30, *pag.* 130. *Idem etiam Centur. altera, cap.* 7. *pag.* 31.

XXI. Duces Saxoniæ fratres, Fridericus Elector, & Iohannes, in Albi à Torga VVitebergam navigarunt: cùm recens soluta glacie, magnæ moles congelatæ Albi innatarent. Hæ navim utrinq; quassarunt: ut cùm VVitebergæ in ripam, vicinam arci, egressi essent: carina navis mox latè finderetur: & latera resoluta decciderent. Intuentur id spectaculum Principes stantes in ripa, cum magna admiratione, cogitantes, quanto in periculo fuerint, & agnoscentes, divina ope navim servatam esse integram, donec ipsi inde egressi essent. Tandem post longum silentium inquit Dux Fridericus ad fratrem: Fateamur nos divinitus servatos esse: & grati beneficium DEI celebremus: qui nos, & in hoc periculo, & in alijs, protexit. Quòd autem nobis egressis navis dilaceratur: profectò metuo post nos nostræ navis, id est, domus Saxonicæ dilacerationem. *Philip. in Locis Manl. pag.* 22. *Et Peucer. lib. de Divinat. pag.* 44. *b.*

XXII. Romæ in summitate Panthei, quod M. Vipsanius Agrippa ædificari maximis impensis curavit, opus sanè mirandum, & ex vetustis structuris, quæ hodie conspiciuntur, ut opinor, omnium integerrimum, monstratur locus: ex quo Italus quidam, Carolum V. Imperatorem, cùm hoc ædificium perlustraret, per impluvium, vel, si mavis appellare, fenestram, quæ unica, sed magnæ capacitatis, in fastigio hujus ædificij conspicitur, præcipitem dare, nescio an ambitione quadam, vel cupiditate vindictæ, odio, aliave de causa, constituisse dicitur. Verùm deterritum majestate & autoritate Cæsarea, ab hoc suo scelerato proposito destitisse. Hocq; suum sceleratum intentum illum deinceps, antequam ex hac vita decederet, parocho suo fassum fuisse. *Philip. Camerar. in Op. succis. cap.* 30. *pag.* 130. 2. Imperator Carolus V. sæpè in magnis periculis, quorum illud inter cætera non minimum fuit, cùm in expeditione Aphricana reliquas juxta se naves mergi, sibiq; idem periculum instare videret, tamen divinitus ex hoc, sicut ex plurimis alijs servatus est: sicut dixit ad me Granuelus: O malum hospitium, ô malum hospitium mare. Pinxerunt quidam Imperatorem Carolum V. dormientem, & Christum abigentem illi muscas: quod fecerunt in ignominiam eorum: qui Imperatori struxerant insidias: quæ tamen divinitus impediebantur. *Philip. in Loc. Manl. pag.* 20. 3. Quando Franciscus Rex Galliæ conjunxerat sibi Venetos, Pontificem Romanum & Italiam contra Imperatorem: tunc fœdus illud vocabatur Liga Sancta. Sed tamen nihil effecerunt. Rex enim captus: Veneti sunt facti supplices, procumbentes in genua: & difficulter impetraverunt pacem, quamvis deprecante pro eis Pontifice Romano. *Idem pag.* 601. 4. Videtis quantæ fiat conspirationes contra nostrum Imperatorem Carolum. Italia & aliæ regiones consentiunt in

interitum

interitum Aquilæ; sed tamen hæc Aquila divinitus servatur à fulmine Gallico, Italico, Turcico & aliarum conspirationum. *Idem. pag. 600.* 5. Retulit amicis Petrus Apianus, se in bello Germanico, Ingolstadio ad Carolum in castra urbi tum vicina, evocatum fuisse: ut in machina, certis rotulis orbes circumducentibus, repræsentante Planetarum motus proprios, aspicienti certiùs & accuratiès singula monstraret Cùm verò illo ipso die, qui Cal. Septembris An. 1546. proximè antecessit, globi ex hostium castris emissi circumvolitare magno agmine cepissent; trepidante se & caput subinde inclinante, Carolum prorsus nulla timoris significatione edita, pedem loco nusquam movisse. *Chytræus in orat. de Carolo V.* 6. Franciscus Robortellus *in oratione funebri Bononiæ habita de vita Caroli V. Imperatoris* ita inter cætera ait: Carolo in Hispaniam profecturo, cùm sedatis jam fluctib. nautæ navem conscendẽdi tempus esse dicerent: & pestis in locis maritimis indies magis invalescere nunciaretur: Cæsar eundum, inquit, nec prætermittenda tam bona tempestas: pestis Augustum, pestis Cæsarem, pestis Carolum ullum nunquam attigit. Non multis diebus pòst, ad portum, qui est ad Laredum oppidum in Calabria, appulit. Factum id est Anno 1556. 7. Idem Robortellus: Stabat Carolus Imperator in acie intra vallum & stationes armatus, exiturus ad prælium cum copijs adversus hostes. Illi ex proximo colle, qui castris imminebat, magna bellistarum & tormentorum vi Cæsarem repellere ac deterrere conati sunt. Cumq; alij suaderent, ut exercitum longiùs à colle abduceret; alij de ipsius salute magis solliciti orarent, ne in prima acie staret: illis quidẽ dicitur respondisse: Canes, qui latrarent, non esse extimescendos; his verò; nè metuerent, se enim præsidio Dei satis esse tutum. Factum Anno 1546.

XXIII. Fridericus Marchio Misnensis, invitatus est à Duce quodam ad convivium, in oppidum Madeburgum. Inter prandendum autem venit percussor, qui debebat interficere Ducem Misniæ: & impetum in ipsum facit. Adest tum fortè civis quidam Freibergensis, injiciens se inter Ducem & percussorem: qui tam fortiter defendit suum Dominum: ut ipsius vulnera excipere et: ac tandem ipsum percussorem interficeret. *Philip. in Locis Mann. pag. 601.*

XXIIII. Miserat in Pomeraniam gubernatorem Lescus Suantopultum. Is, florens opibus & gratia populari, voluit se nominari Principem Pomeraniæ: & juvabat eum Vladislaus Dux Poloniæ majoris, gener ipsius. Lescus, re deliberata cum Henrico Silesio (qui Barbatus dicitur) quem amabat ut patrem, statuit eum publico conventu Principum Poloniæ, tanquam seditiosum, opprimere sine armis, cùm magna esset potentia Suantopulti. Indicitur igitur conventus totius regni, in villa quadam Poloniæ majoris, Gnesana: & vocatur eò Suantopultus: sed ipse jam præmonitus de suo periculo, vicissim struebat insidias vitæ Principum omnium; ut deleta stirpe regia, dominatum totius regni invaderet. Atq; ita decimo quarto die Novemb. adjutus à genero, Principes, Lescum & Henricum, qui tunc balneum ingressi erant, cum armatis adoritur. Lescus, hortantibus & sublevantibus eum suis, in equum nudus exilijt & fugit: sed Suantopultus eum tanquam verum hostem persequens, quamvis acerrimè sese defendentem, obtruncavit. Interea Henrico, qui ex ætate jam gravis erat, & ad fugam ineptus, immissi sunt percussores in balneum; quo jam ex vulneribus collapso, objecit sese gladijs hostium quidam Germanus peregrinus de Visenburg: qui transfixus gladio, demum sese projecit in Henricum: ibi sicarij, cùm utrumq; exanimem putarent, discesserunt. Henricus autem se colligens, clàm lectica Vratislaviam delatus

est: & posteritatem Visenburgij ad magnas opes & honores evexit. Ita divinitus bonus iste Princeps, ex media morte retractus & servatus est, virtute sui ministri: sicut Alexander à Clyto ad Granicum: & recens ad Pestum Hungariæ à viro nobili Princeps Mauritius. *Curaus in Annalibus Silesiæ pag. 62.*

XXV. Cùm absens Imperator Carolus V. in Germania res nondum pacatas componeret: accersitus est quidam ingenio, prudentia, alijsq; multiplicibus virtutibus excellentissimus Princeps ad gubernationem Hispaniæ & vicinorum regnorum. Ibi dum vel animi causa, vel exercendi corporis gratia, venationi ad Granatum vacaret: cumq; in ea venatione cupiditate insequendi feram oblatam, longiùs à comitatu suo discederet; à suis relictus diu in densissimis silvis vagatus est: accedente jam nocte, solicitus (ut qui sibi a feris in illis locis immanissimis, & alijs noctu nis incommodis timeret) circumspectat, si quis sibi locus daretur; quo se in tutum reciperet. Itaq; procul conspecta pastoris casula, citato equo ad eam pervenit: rogatoq; pastore, ut sibi apud eum diversari ea nocte liceret, is omnia benignè pollicitus, descendere de equo jubet, & tugurium ingredi. Erant porrò domi apud pastorem sex numero: utiq; præter illum filius circiter viginti annos natus, tum oppidò robustus, & ad quodvis facinus aggrediendum idoneus: præterea uxor cum parvula filia & nutrice; quæ paulò antè nova nupta in familiam rustici concesserat. Princeps ubi ad terram equo desilijdet: eumq; tradidisset opilioni curandum: casam ingreditur: ac dum tenuis cœnula sibi paratur: ad ignem assidet, nihil quicquam suspicans mali. Interea cùm ij, qui domi erant, hunc Principem minimè nossent: neq; ipse, quisnam esset, cuiquam aperuisset: illi tamen cum eleganter amictum, & præclaris alijs ornamentis corporis & animi ornatum viderent, rati, eum esse magnum omnino aliquem atq; opulentum Virum: opimæ inhiantes prædæ, fœda deterrimiq; de illo perdendo consilia ineunt. Itaq; cœnati, cubile (in perangusto cubiculo, quod quidem hostiolo vetustate putri, & cardinibus diluxatis, ac malè cohærentibus, ægrè claudebatur) ei consternunt. Dumq; ea parantur: nova nupta filij, sive, quòd hujusce consilij ab initio particeps fuisset, factiq; conscia, cujus postmodum eam pœnituisset: sive (id quod credibilius est) non adhibita consilijs, tantùm ex nutibus ipsorum & concursationibus rem persensisset: tandem vel atrocitate rei comota, vel egregij Principis sibi ignoti vicem miserata, fidem ab eo stipulata, ne se proderet, illi perdita consilia detegit. Is, licet facilè potuisset, apertè fassus, quisnam esset, illud periculum declinare: maluit tamen virtuti propriæ, quàm fidei pastorum, & eorum præsertim, quos semel infidos atq; impios expertus esset, se committere. Itaq; magno & erecto animo statuit: ut periculum potiùs, quàm eorum perfidiam subiret. Quamobrem in cubiculum sibi ad insidias paratum, ab hospite perductus, haud gravatim se recipit: ibiq; occluso ostio, coq; objectu gravioris arcæ, benè opilato, tum in manum sumpta bombarda ad omnes casus subeundos paratus, cepit intrepidus observare, quo res caderet. Pastor cùm illum de venatione ac via fessum vidisset: ubi somno pressum dormire credidit: suspenso gradu ad ostium accedit: ac manu prætentat, nihil ratus fore, ut id clausum interiùs offenderet. Quod ubi præter spem illi accidisset: petit à Principe, ut sibi ostium aperiat: esse cur velit nescio quid straguli ex arca promere. Is verò cùm omnia persensisset: ut qui nihil dormiret: Apage te (inquit) cum tua ista importuna diligentia: ego jam in somno compositus, nihil est cur ostium recludam. Tum ille primùm indignari, clamare, quiritari, se perditum ac proditum prohiberi rebus suis: deinde ad arma currere: vim apertã parare: postremò pa-

lam cædem quoq; minari: nisi domus sua tota sibi pateret: ac ille sese ipsi protinus dederet. Et jam pastores ceperant ostium amoliri, alius autem per fenestram cubiculi eo tentat e irrumpere, eoq; obnixiùs rem ceptam perficere conabantur: quòd jam sua consilia detecta esse facilè intelligebant. At verò hic Princeps magnanimus cùm rem in iniquissimo loco sitam esse videret: fortiter pugnandum ratus, intentatam ad fores bombardam displodit: quo glandis ictu ostium trajecit: pastorem prosterni: nec mora, dimota arca, patefactoq; ostio, foras erumpit: pastoris filium obtruncat: opilionem ense stricto persequitur, inq; fugam vertit. Neq; tamen protinus omni periculo defungitur: nam & vociferationibus uxoris, & tumultu insueto excíti, qui circum aderant alij pastores, raptis undiq; telis concurrũt: domum ipsam armati circumsistunt: juvenem Principem ad cædem & supplicia deposcunt. Ille autem dum primo illo insano rusticorum furore (quo nihil iniquius est) sibi caveret: nihil præterea territus, ubi jam illuscente aurora, magnam rusticorum turbam illò confluxisse videt; audacter, quis nam ipsus esset, aperit: atq; intrepidus, autoritate illa, quæ se digna erat, Hispaniarum sese præsidem ac moderatorem esse ostendit: extremum omnibus supplicium minatus: ni se omnes totis viribus servatum vellent. Si sibi parum fidei habendum putarent, à præsenti cæde abstinerẽt; sese cognitioni magistratus animadversioniq; reservarent: quòd si id facere negligerent: id non sibi solùm fraudi, verùm etiam ipsis excidio atq; internecioni futurum. Illi, tametsi & heroica præstantissimi juvenis Principis indole & constanti oratione permoti, facilè crederent illum ipsum esse, quem præ se ferret: à cæde quidem abstinent: cæteri cùm ne ab ingenio suo rusticano discederent: eum comprehensum manibus vinciunt: itaq; colligatum atq; obstrictum summo mane ad vicini oppidi præfectum perducunt. Iam eodem pervenerant ex Principis satellitibus, eum quæritantes: quem cùm ita vinctum, atq; indignissimis acceptum modis viderent: parùm abfuit, quin in turbam illam pastorum inconditam ac tumultuantem irruerent: sed ab ipso admoniti, ut à vi & armis temperarent, ægrè absistunt incepto. Tum verò horum adventu re omni, ut erat, detecta, qui tanti sceleris fuerunt conscij, indignissimi facti pœnas dederunt. Opilio ad extremum supplicium pertractus: scelerata domus tam impij facinoris particeps flammis consumpta: nova nupta, quæ indicium fecerat, multis & magnis muneribus affecta, apud ipsum Principem, suosq; in magno precio est habita. Sic Princeps ille mirabili Dei bonitate in periculosissimo illo casu conservatus & ex illo liberatus est. *Philip. in Loc. Manlij pag.* 23.

XXVI. Saxoniæ Dux Mauricius in bello Pannonio An. 1542. voluntariè militabat, circiter viginti & unius annorum juvenis: & è castris quodam die progressus, uno solùm comitante satellite, cùm in Turcas aliquot incidisset, manus conserit: & equo confosso in terram effunditur. Ibi famulus, genere nobilis, corpore toto super incumbens, jacentem protegit: & tantisper illos demoratur atq; sustinet: donec equites superveniunt: qui Principem eripiunt. Itaq; vitam ei servavit: ipse verò, multis acceptis vulneribus, in castra relatus, non multò pòst interijt. *Sleidanus lib.* 15.

XXVIII. Herodes per Hierichonta properans ibat: ut quamprimùm interfectores fratris sui posset ulcisci: ubi mirabilis ei monstriq; similis casus evenit: unde præter spem liberatus, opinionem, quòd Deo carus esset, adeptus est. Nam cùm multi honorati vespera illa apud eum cœnavissent: postquam dimisso convivio omnes egressi sunt, confestim cœnaculum concidit. Idem superato & profligato exercitu Antigoni, ad vesperam, cùm lassos amicos reficiendi corporis gratia dimisisset, ipse adhuc ab armis

calidus,more militis lavatum ibat: siquidem unus tantùm puer eum sequebatur. Et priùs quàm in balneum perveniret: obvius ei quidam ex hostibus gladio armatus occurrit,deinde alter,& tertius,& plures. Et hi confugerant armati ex acie in balneum: sed perculsi etiam tum metu,ac latitantes, ut Regem viderunt, illum quidem stupore debilitati ac trementes,cùm inermis esset,prætereunt: exitus verò qua fugerent cursu petebant. Itaq; cùm alius casu,qui eos comprehenderet, nullus adesset: Herodi autem nihil pati satis fuisset:omnes effugiunt. *Iosephus lib. 1. de bello Iudaico,cap. 13.*

XXIX. Titus cùm propiùs ad mœnia Hierosolymæ,explorandi causa, accederet: multis erumpentium hostium telis peritus est. Quo quidem tempore maximè intelligi potuit,*& belli momenta & Imperatorum pericula* DEVM *curare.* Tot enim adversus Titum missilibus jactis, cùm neq; galea neque thorace septus esset ( non bellator enim, sed explorator, ut dixi,processerat ) nullum in ejus corpus delatum est: sed tanquam ne eum ferirent,ex industria mitterentur, omnia prætervolabant. *Idem lib. 6. cap. 3. Vel juxta alios lib. 5. cap. 7.*

XXX. An. 1509.d. 20. Maij cruenta fuit concitata seditio Pragæ. Incidit lis inter multitudinem urbanam & aulicos Regis Vladislai Hungaros:qui aliquid protervè dixerant in religionem Hussiticam. Populus commotus in ædes Regiorum impetum fecit;&multis trucidatis,præcipui proceres vix in arcem Regis se recipere potuerunt. In isto tumultu senex quidam Bohemus vidit Vladislaum Regem,cui astabat Episcopus Iaurinensis Hungarus,de fenestra prospiecre: in eum grandem sclopetum dirigit. DEO tamen ita gubernante,globus medius inter Regem & Episcopum, in proximum parietem delatus est: & tantùm calcem ex fenestra excussit. Rex attonitus,agnoscens præsentiam DEI, agit DEO gratias pro defensione. Sedato motu, Bohemus ille, qui vitæ Regis insidiatus erat, corio detracto necatus est. *Curæus in Annalib. Silesiæ, pag. 226.*

XXXI. Huc meritò referri debet miraculosa & divina protectio Iacobi VI. Regis Scotiæ,quæ Anno 1600. 5. Aug. Perthi accidit. Cùm enim Rex incautus & inermis ab Alexandro fratre Comitis Gauriæ,præfecti regij Perthi,eò ex venatione cum pauciss imis familiaribus miris persuasionibus attractus esset: iniq; horum fratrum & conjuratorum insidias præparatas,in quodam cubiculo solus incidisset; unius atq; alterius sicarij impetum partim majestate sua & eloquentia,partim contra vincula intentata se viribus & nixu, clamando se liberum natum,liberum etiam moriturum, defendendo sustinuit: donec quatuor ex suis familiaribus unus post alium diversis ex locis in auxilium venerunt:& octo vel plures conjuratos bene armatos vel interfecerunt, vel malè mulctatos abegerunt,illæso Rege. Qui, sublatis interfectisq; capitibus conjuratorum, cæterisq; remotis & fugatis,numeroq; aulicorum suorum,animadverso periculo Regis,aucto,atq; ab insidijs & proditione in tutum constitutus, præsens auxilium divinum sentiens, in medio suorum, in genua supplex procumbens, DEO pro liberatione tam miraculosa,& victoria tam insperata,gratias prolixè egit: sibiq; pollicitus fuit: non frustrà se DEVM ab imminente isto periculo liberasse: nec dubitare se: quin idem DEVS à tanto malo incolumem servârit. *Philip. Camer. Centur. 2. Oper. succis. cap. 7. pag. 34.*

XXXII. Magnum periculum adijt Lazarus Schvendius, heros ille formidabilis Turcis, Anno 1567. in obsidione Zatvari Erdelij castri. Dum enim ad collocandas machinas bellicas ipsemet omnia circa hanc arcem loca perlustrat & explorat magnitu-

est

est ab hostibus ex insigni proceritate corporis; qua longè super cæteros eminebat; deq; comitatus frequentia: & parùm omnino abfuit: quin discrimen vitæ adiret. Petitus enim globis aliquot tormentarijs fuit, è machinis majoribus: quorum unus humerum ita strinxit: ut etiam vestis ejus, igne concepto, quòd esset ad pellendum frigus hibernum suffulta pellibus, arderet. Simile exemplum in obsidione Magdeburgensi, dum propiùs munitiones perlustrat, & locum ad oppugnationem idoneum quærit idem Schvendius. A præsidiarijs enim agnitus, subita eruptione facta, multis globulis ex tormentis majoribus & minoribus petitus, virtute equi optimi transilientis fossam vix incolumis evasit. *Idem cap. 6. pag. 27.*

# CXVIII.

*EXperientia testatur, plerunq; sicarios, & malè feriatos, vel potiùs assassinos, ad necem magnorum virorum conductos, quando scelerata sua facinora perficere conantur, ex mala conscientia metu perturbatos, pusillanimos, stupidos & vecordes fieri. Econtrà ijs qui in sua functione manent, & defendendo seipsos, & suos Reges & Dominos, præter vires fortitudinem, præsentem animũ & robur, confirmante eos bona conscientia & causa, accedere. Philip. Camerar. Centur. 2. Operar. succis. cap. 7. pag. 35.*

## EXEMPLA.

I. Sicut Andreæ Hunderiorto illi, qui Regem Scotiæ interficere debebat, accidit. Is enim cùm fratrem Comitis Alexandrum stricto pugione Regi necem minari videret: tremebundus & timore ita est coneussus: ut condemnato, quàm deputato ad tale facinus patrandum, similior videri posset. Quæ res occasionem præbuit: ut pauci familiares, non iam armis, quàm præsenti animo, & bona conscientia armati & instructi vincerent: & illa exigua interposita mora Rex incolumis conservaretur. *Idem ibidem.*

II. Darius Histaspis filius cùm cognovisset sibi in venatione, à nonnullis Persis magnæ autoritatis, insidias structum iri: non correptus metu est: sed jussit eos ar-

ma sumere & equos : atq; deinceps mandavit: ut proferrent & intenderent arma: torvumq; aspiciens eos, Quid igitur, inquit, non exequimini id, cujus gratia venistis? At illi, cùm intrepidum Regis vultum aspicerent: non solùm impetum remiserunt: verùm etiam usq; adeò terrore perculsi sunt: ut hastas abijcerent: Darium adorarent: ejusq; arbitrio prorsus se dederent.

III. Alphonsum Estensem I. Ducem Ferrariensem cùm sæpe in manu sua conjurati habuissent, & potuissent eum occidere: tamen, ut postea confitebantur, vultu ejus exterriti, nec manus, nec cor validum retinebant: idq; usq; eò processit: donec isti ab Hippolyto Estensi, fratre Ducis, proditi, tandem facinoris concepti, & non patrati, pœnas dederunt. *Idem cap. 6. pag. 28. 29.*

# CXIX.

*Hostem Principem occidere, non semper benè cedit.*

*Interfectores Dominorum suorum malam reportant gratiam, etiam apud eos ipsos: in quorum gratiam fecerunt cædem.*

*Qui Tyrannorum interfectoribus præmia largiuntur: ut ipsi regnare possint: opinione ac spe decidũt. Neq; enim salvi esse possunt: nisi conjuratos ac parricidas sui Principis, quantumvis Tyrannus extiterit, supplicio afficiant. Ioh. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 5. p. 346.*

## EXEMPLA.

I. Vt prudenter Severus Augustus: qui omnes Pertinacis Augusti interfectores, aut conjurationis suspectos, capitali pœna damnavit: quod certè factum incredibilem illi tum gloriam attulit: tum etiam diutissimè imperandi securitatem.

II. Ita quoq; Vitellius non tantùm Galbæ parricidas, sed eos etiam, qui ab Othone cædis præmia supplici libello poposcerant, prolatis libellis supplicio affecit.

III. Quin etiam Theophilus Imperator Græcorum, eos qui patrem, occiso Leone Armenio, Imperatorem fecerant, accivit, quasi amplissima præmia laturos: deinde contractos unum in locum mactari jussit: quo facto pleriq; cædis minimè conscij præmiorum illecebris eò deducti pœnas dederunt.

IIII. Illud etiam crudelius: sed tamen ad Imperantis securitatem: quòd Domitianus Epaphroditum, Neronis libertum, capitali supplicio damnavit: quia Neroni, sib. gladio jugulum petenti, opem attulisset: tametsi rem gratissimam patrono faceret; qui carnificis manibus & crudeli supplicio majorum illum eripiebat. *Idem Bodinus ut suprà.*

V. Sic Antonius Caracalla eos omnes, qui se ad fratris parricidium impulerant, quasi rem gratissimam populo facturus, trucidari jussit. *Atq; hîs artibus Tyranni sapiùs plebis insidias ac furores evaserunt.* *Idem pag.* 344.

VI. Quanquam passio Isboseth, interfecti in lecto à filijs Rimon Berothitæ, Rechob & Baëna, justa est; tamen actio interfectorum injusta est. Nam Isboseth justas pœnas motæ seditionis adversus Davidem legitimum magistratum persolvit; juxta regulam: Qui gladium acceperit, scilicet, non datum à legibus, gladio peribit. Sed Rechob & Baëna non debebant esse executores hujus pœnæ: quia non solùm erant subditi Isboseth: sed etiam ab eodem honoribus & potentia ornati. Ideo non immeritò malam apud Davidem reportant gratiam; qui eos interfici jussit; præcidiq; eis manus & pedes: & suspendi eos juxta piscinam in Hebron.

VII. Alexander Magnus Bessum interfectorem Darij comprehensum jussit discerpi, alligatum duabus arboribus inflexis.

VIII. Sic Antonius & Augustus Brutum & Cassium, interfectores Cæsaris, bello persecuti sunt. Ac Cassius quidem sibi ipse mortem consciv: Brutus verò se interfici à Stratone jussit. *Strigel. 2. Samuel. 4.*

IX. Sic David supplicio affecit Amalekitam, falsò nunciantem, se interfeciss Saulem: & hac fabella se magna præmia à Davide consecuturum esse sperantem. *2. Samuel. 1.*

X. *Sæpe actio iniusta est: etiamsi passio iusta sit.* Etsi Amon pœna dignus erat propter cultum idolorum: tamen servi peccarunt accipientes gladium non datum à legibus. Rectè igitur hi parricidæ Domini sui à populo interficiuntur. *Idem 2. Reg. 21.*

XI. Bellum fuit inter Emir Soleiman, quintum Imperatorem Turcicum ex familia Osmanica, & Musam Zelebi fratrem ipsius. Emir Soleiman, qui fratrem nihil metuens, tantùm strenuè potabat & helluabatur, à fratre Musa, ex improviso ipsum superveniente, in fugam profligatus, & ab omnibus suis desertus est; qui in partes Musæ Zelebi transierunt. Deinde fugiens in pagum quendam devenit: ibiq; ab ejus pagi rusticis occisus est. Sed victor Musa Zelebi totum illum pagum, unà cum omnibus incolis (qui se magnam apud Musam initurós gratiam hac fratris cæde sperabant) exussit. Factum id est anno numerationis Turcicæ 813. qui incidit in annum Christi 1411. *Iohannes Leonclavius part. 1. Annalium Turcicorum pag. 16.*

# CXX.

## *SVbditi plerunq; imitantur Principum mores.*

*Philip. Camerar. in Oper. succis. Centur. 1. cap. 66.*

*Plerunq;*

*Plerunq; accidit, ut ij, qui subsunt, mores eorum exprimant: sub quorum imperio degunt.* *Idem cap. eod. pag. 308.*

*Cupiditatibus Principum & viciis infici solet tota civitas.* Nec enim tantum mali est peccare Principes: quanquam est magnum per seipsum malum: quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum existunt. *Strig. 2. Reg. 21. Et 1. Samuel. 10. Cicero in libris de Legibus.*

*Formāt in suos mores cæteros, qui sunt potentiores.* *Philip. in explicat. Euang. Domin. 3. Advent. An. 52.*

*Principum mores & vitam ita pleriq; imitantur: ut eorum exemplo vel maximè inveteratos mores & opiniones facilimè immutent.* *Philip. Camerar. Centur. 2. cap. 66. pag. 307.*

*Magnatum & Principum prava exempla sunt omnium pestilentissima, & latissimè patent: quia multos corrumpunt: & ad licentiam peccandi pertrahunt. Privatorum exempla minùs nocent, & facilius corriguntur. Principum delicta sunt planè Diabolica. Ideo puniuntur atrociter.* *Lutherus in Genesin, cap. 34. pag. 514.*

*Longè magis exemplo, quàm culpa peccat, qui Reipublicæ præest.* *Francisc Patrit. lib. 3. de Repub. tit. 5. pag. 127.*

*Plerunq; qualis est Princeps: talis est Senatus & consilium, & tales sunt ministri.* Cùm Princeps

amat

amat virtutem, sapientiam, doctrinam, justitiam : ministri plerunq; tales sunt. *Peuc. in lect. Chron. d. 25. Febr. An. 70.*

*Quales sunt mores superiorum: tales sunt mores inferiorum.* Est usitatum dictum : Qualis Dominus, talis servus : Talis familia, tales ministri. Et, Quales Dominæ, tales catellæ & ancillæ. *Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 2. pag. 964.*

*Princeps cùm peccat, non modò facto suo, id est, contemptu legum & disciplinæ, nocet: sed exemplo quoq; : quia eodem peccato universam contaminat Rempublicam.* *Pezel. in Genes. cap. 34. pag. 657.*

Vellejus Paterculus in historia Romana de Augusto Cæsare ait : Facere rectè cives suos Princeps optimus faciendo docet. Cumque sit imperio maximus : exemplo major est. Nam populus in Regem, tanquam in edito loco positum, & in clarissima luce versantẽ, oculos conijciens, omnia curiosè & diligenter inquirit, quid agat, quid dicat, quemadmodum vivat : & in illius animum quasi per rimulas inspicit. Exemplum habemus Romæ in Pasquillo & Marforio : quorũ clandestini internuncij, minuta quæq;, quæ à Pontifice Romano, & Cardinalibus, alijsq; aulicis committuntur, licet remotis arbitris fiant, pleraq; tamen scriptis suis in lucem proferunt. Ita ut non absurdè aliquis dixerit : cùm isthic hominib. libertas loquendi & reprehendendi vicia potentiorum, adempta sit : lapideis statuis, cuncta quæ occultantur veluti enunciantibus, obturari os non posse. *Philip. Camer. cap. 66. pag. 306.*

Tilius *lib. 2. de rebus Gallicis prope finem* rectè monet : inprimis necessarium esse : ut Regis domus munda honestaq; conservetur. Nam si qua virtutis monumenta in ea Rex constituerit : ea totum regnũ prosequetur : ut è contrario Prin-

ceps in vitia fertur exemplo regiæ. Hoc non ignoravit Martialis: qui *lib. 9. epigram.* rectè ad Domitianum scribit:

*Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)*
*Sed Domini mores Cæsareanus habet.*

Huc Claudianus quoq; respexisse videtur, cùm ait in Paneg. de quarto Consulatu Honorij: *——componitur orbis*
*Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus*
*Humanos edicta valent, quàm vita regentis.*
*Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

Et in laudibus Stillicon. Paneg. 1:

*Scilicet in vulgus manant exempla regentum,*
*Vtq; ducum lituos, sic mores castra sequuntur.* Idem Cim. p. 307.

De viciorũ in Principib. pernicioſa imitatione eſt verboſa quaſi diſputatio, in quadam Gregorij Nazianzeni oratione, ubi dicitur: Nullam eſſe tam præparatam imbuendo veſtem ad colorem: neq; tam idoneam ad odorẽ recipiendum: neq; tam peſtilentem halitum ullum in aëre diffundi, cujus contagione animãtes inficiantur: quàm ſoleat celeriter principum virorum pravitate atque vicijs compleri vulgus, multò quidem citiùs, quàm è contrario virtute. Quæ eadem diſſeruntur à Cicerone, lib. 3. de Legibus, demonſtrante: *Peccata Principũ plùs exemplo, quàm peccato nocere.* Siquidem exempla, ut Sebaſt. Foxius Morzillus Hiſpalenſis ait, uſq; adeò movent hominum animos: ut quoniam eo ſunt illi ingenio, ut quod ab alijs fiat, ſibi quoq; putent faciendum: vel vicia etiam & ſcelera aliorum ipſi imitentur. Sumus enim omnes invicẽ veluti ſimiæ factorũ & dictorum noſtrorũ: ſicut & ſimiæ quoq; ipſæ noſtri: ita cernimus hominis unius ſcelerati & impuri vitam, quaſi morbũ latè ſerpentẽ & contagioſum, aliorum mores corrumpere: ſic mali Principes non tam detrimenti id Rebuspublicis afferunt, quòd eas malè adminiſtrant: quàm quòd exemplo ſuo cunctos depravant: ſic patres vicioſi filijs ſunt pravitatis cauſæ & exemplo. *Idem pag. 308.*

Manet, manebitq; vera ea sententia, à sapientissimo Viro literarum prodita monumentis, mutatione temporum, eventu vario, per omnes ætates comprobata: *Cum Principum moribus atq; institutis, privatorum hominum sensus & studia congruere*. Est enim ita more comparatum: ut in eorum, qui imperant, vitam, ij qui parent, veluti in speculum intuentes, dicta simul & facta diligenter animadvertant. Inde oritur cupiditas imitandi: inde fit, ut aut virtutes emanent: aut vicia deriventur. *Paulus Manutius lib. 11. epistol. referente Camer. pag. 312. cap. eod.*

Ihr wisset wol/wie man saget: Talis est unusquisq;, qualibus delectatur. Et nihil est tam rapax, quàm natura similium, Cicero dicit. Empedocles: τὸ γλυκὺ ἐπὶ τὸ γλύκυ, © πύκρον πρὸς πύκρον: id est, Dulce ad dulce, amarum ad amarum. *Philippus Melanchthon ut suprà.*

Proverb. Τὰς δεσποινας κώας μιμέμεναι. Nos Germani dicimus: **Wenn der Abt die Würffel legt/ so ist dem Convent erlaubt zu spielen.**

Salomon: Omnes ministri regis impij, etiam ipsi sunt impij. *Item:* Mali domini, mali sunt servi. *Philip. in Postil. per Pec. ed. part. 2. pag. 964. Et part. 4. pag. 493.*

Theodoricus Rex Gothorum apud Cassiodorum, cùm ad Senatum populumq; Romanum scriberet, Facilius est, inquit, errare naturam: quàm dissimilem sui possit Rempublicam formare.

## EXEMPLA.

I. Manasses non solùm vicia concipit ipse: sed ea infundit in civitatem: ejusque impietatem maxima pars populi Iudaici & civium Ierusalem imitatur. Atq; ita non solùm obest, quòd ille ipse corrumpitur: sed etiam quòd corrumpit: pluriq; exemplo, quàm peccato nocet. *Strigel. 2. Reg. 21. & 2. Paral. 33.*

II. In aula Maximiliani II. Imperatoris optimi, observavi familiares Cæsareæ Majestatis plerosq; imitari solitos non solùm colorem vestitus, sed etiam formam poculorum, aliarumq; rerum: quibus Imperator plerunq; uteretur. Sic etiam imitabantur fœminæ illustriores; quæ conspiciebant in Augusta: ita ut pelliceæ vestes, & aliæ res, alioquin tanquam nimis vulgares neglectæ, in majori precio haberentur: eò

quòd Imperator & Augusta jis uti non dedignarentur. Sanè hac in re nihil novi accidit. Videmus enim lapillos & gemmas pluris venire: quæ divitibus ac opulentioribus in precio sunt: quàm quæ pauperioribus & tenuioribus.

III. Sabina Poppæa illa (cui cuncta alia fuêre, præter honestum animum) quæ à Nerone ad insaniam usq; adamata fuit, capillos habuit succinei coloris: quos Nero crebris sermonibus laudabat: versibusq; ad citharam scitè cantabat. Quo factum est, ut puellæ omnes Romanæ ac Italicæ, eo tempore ejusmodi colorem magno studio affectarent, non in coma modò & capillis: sed & in reticulis, annulis, & omni genere ornamentorum. Qua ex re succina gemma, quæ parvo antea æstimabatur, magno deinde licere cepit: quòd maximo omniũ Principi grata esset. Vnde Plinius de Neronis munere quodam gladiatorio ita *lib.* 37. *cap.* 3. scribit: Tanta copia succini invecta: ut retia arcendis feris podium protegentia, succino nodarentur. Retia enim appositа erant muro: qui arenam dividebat in theatro: ut sedentes tuti essent à leonibus, pantheris & alijs feris: si septa transilire conarentur. Ex his apparet, *ut in magnis rebus, ita in minimis quoq; multum valere exempla summorum virorum.*

IIII. Cùm Iosina Rex Scotorum, medicorum & chirurgorum familiaritate delectaretur: brevi reliqua nobilitate in mores Regis eunte, factum est: ut multis seculis nemo esset in Scotia illustriore natus loco: qui vulnerum curationem non teneret. Ideoq; Buchananus in historia Scotica *lib.* 13. Iacobum IIII. Regem Scotiæ commendat: quòd è vetusta gentis consuetudine vulnera scientissimè tractare sciret. *Philip. Camerar. cap. & pag. suprà allegatis.*

V. Philippus Bonus Dux Burgundiæ circa annum Christi 1460. ut Heuterus Delfius *lib.* 4. *de rebus Burgund.* refert, cùm longo incognitoq; implicaretur morbo: ei pellendo, inter varia remedia, medicis est visum, comam (quam tum summa cura viri proceres nutriebant) ut poneret. Cùm verò animadverteret, se propter novitatem rei à suis familiaribus, alijsq; eum invisentibus derideri: edictum proposuit: quo aulicis & nobilibus sui imperij omnibus, quemadmodum fecisset, caput radi jubebat, pabaccij viri nobilis, ad hanc rem delecti, coactis: ita ut Bruxellæ, cæterisq; urbibus ac oppidis, nobiles omnes rasi, magno vulgi cum risu, conspicerentur. Hæc res tum temporis insolita, paucos post annos, non solùm apud Belgas, sed universam Europam invaluit. *Idem Camerar. cap.* 36. *pag.* 155.

VI. Ludovicus XI. Rex Galliarum cùm Carolum filium, fortassè propter valetudinis imbecillitatem, ut Vincent. Lupanus *lib.* 1. *de magistrat. Franc.* memoriæ tradidit, scire Latinè vetuisset, præter unum illud: Qui nescit dissimulare, nescit regnare: malo & à pessimo Principe petito fortè exemplo (nam Tiberius nullam æquè ex virtutibus suis, quam dissimulationem diligebat, ut refert Corn. Tacitus) Ludovici consilium ita malè interpretati sunt nobiles Francis: ut nullum literarum genus non contempserint. Gulielmum Bellajum autem, cùm ad belli gloriam literas addidisset, deinceps primùm Gallos docuisse, nobilitati non officere bonas literas, tradit ibidem idem autor.

VII. E contrariò cùm Franciscus I. Rex Galliæ miro studio bonas & liberales literas doctosq; foveret: plerique cum imitati idem fecerunt: ut idem Lupanus *lib.* 2. *de Magno Consilio* testatur. Nobiles, *inquit*, Franci ita perpetuò à literis abhorruerũt: ut illis literarum studium sordidum videretur. Quorum liberi cùm ejus ætatis essent:

ut la-

ut laborem equestrem ferre possent: familijs Principum & procerum addicebantur: ubi aliquot annos, quoad pubescerent, equitandi & venandi studijs dediti, cùm ex ephebis excessissent, militiæ totos se dabant. At tunc DEI primùm, deinde Francisci Regis benignitate in literatos literarumq; studiosos, quod antè vicio vertebatur, nunc laudi tribuitur. Hoc Tilium movit, ut diceret: literas equestris ordinis nobilitatem confirmare: & ab ignobilitate vindicare. Id ipsum etiam Bodinus (*in methodo historica*) observavit; ubi dicit ad illustrandum dictum Platonis: *Quales in Republica Principes fuerint, tales fore cives*: non longiùs exempla petenda esse quàm à Francisco Rege Galliæ: qui ut primùm literas, à quibus sui majores semper abhorruerant, amare cepit: statim nobilitas secuta est: deinde reliqui ordines tanto studio conquisierunt: ut nusquam literatorum extiterit major copia. *Vide Ioh. Bodinum de Rep. lib. 4. cap. 6. pag. 708.*

VIII. *Pessata Principum facilè imitatores reperire*, confirmatur facto Neronis. Nam Corn. Tacitus *lib. 13. annal.* refert, & à Suetonio *in vita ejus* mentio fit: eum itinera urbis, & lupanaria & diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositum, pererrasse, comitantibus qui raperent ad venditionem exposita: & obvijs vulnera inferrent adversus ignaros: adeò ut ipse quoq; acciperet ictus & ore præferret. Deinde, *inquit*, ubi Cæsarem esse qui grassaretur pernotuit: augebanturq; injuriæ adversus viros fœminasq; insignes: & quidam simili licentia sub Neronis nomine, multi proprijs cum globis eadem exercebant: & in modum captivitatis nox agebatur, &c.

IX. Memorabile est, quod Athenæus (*lib 4. cap. 20. de sua Siloq. & intemperant.*) de Philippo Rege ex Theopompo refert: Philippus ut plurimam habuit in potestate pecuniam: eam ocyus, non expendit, sed prodegit & projecit, omnium hominum pessimus rei suæ dispensator: & non ipse tantùm: sed etiam comites, atq; ex familiaribus intimi. Nullus enim, citra exceptionem, rectè vivere didicerat: aut modestè suam familiam regere. Ejus autem insolentiæ præcipua causa Rex fuit: qui sumptuosior justo, avaritiaq; esset inexpleta: & omnia inconsulta facilitate donaret, acquireret, faceret. Bellis enim militiæq; assueto nunquam vacavit rationes subducere, quantum réditus esset, quantum expensi. Prætereà necessarij ac familiares ejus diversis ex locis ad illum confluebant: alij ex eadem provincia: alij ex Thessalia: alij ex alijs Græciæ regionibus: non optimi & virtutis respectu delecti: sed ut è barbaris aut Græcis quisq; petulans fuit, impurus moribus, audax, in Macedoniam hi omnes congregati, amici Philippi vocabantur. Neq; mirum hoc fuit, Philippum sui similes socios habuisse: cùm idem autor Theopompum rursus (*lib. 6. cap. 6.*) alleget, dicentem: Eum viros modestos, rerumq; suarum studiosos reprobasse: prodigos autem atq; inter pocula & talos viventes laudasse, & in honore habuisse, &c. Salutaris itaq; est monitio Euagrij (*lib. 3. cap 1. Eccles. histor.*) Imperatorem non ex eo, quòd alijs imperat, spectari debere: sed ex eo, quòd seipsum ita regere & moderari potest: uti nullum absurdum voluptatis genus sinat in animum irrepere: sed ita invictum se ab intemperantia præstet: ut vita ejus sit tanquam imago virtutis: quam & imitentur subjecti ejus: & ad virtutem erudiantur. *Philip. Camerar. cap. 66. pag. 309. &c.*

X. Fuerunt in Alexandro Magno rarissimæ virtutes: sed rerum à se gestarum gloriam ac decus turpissima ebrietatis consuetudo fœdavit: cùm etiam talenti præmium proposuisset ei: qui pocula vini ampliora siccaret: in quo certamine quadraginta cum eo, qui præmium tulerat, effusis visceribus, propemodum spectante Rege,

crepuerunt ac perierunt. Hunc igitur morem non modò Græci, sed turpiter cæteri quoq; Principes imitari studuerunt. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 6. pag. 709.*

XI. Franciscus major Rex, accepto vulnere, capillos, quò faciliùs curaretur, tonderi jussierat. Repentè domestici omnes, Principes, nobilitas, magistratus, opifices, omnes deniq; ordines, capillos omnino de capite decuti curaverunt. Ac si quis majorum vestigijs insisteret: aut tonderi turpe duceret: cum omnium risu excipiebatur: cùm tamen Regum insigne ab hujus imperij primordijs semper antea fuisset; nec nisi patricijs ac nobilitati capilitium nutrire fas erat. Cæteri servili habitu tonderi tamdiu coacti sunt: quoad Petrus Lombardus Parisiorum Pontifex obtinuit; pro ea, quæ tunc erat Pontificum in Reges autoritate: ut plebi capillos alere liceret.

XII. Alexander Magnus, & Alphonsus Rex Aragonum, colla contorquebant: hic quidem à natura, ille verò à consuetudine depravatus. Aulici canes utriusq; vicium modis omnibus studebant imitari. *Idem pag. 710.*

XIII. Ptolemaici Reges Mathematicas scientias coluerunt. Eorum igitur temporibus complures egregij Mathematici claruerunt.

XIIII. Xerxes voluptates mirifica quadam cupiditate perquisivit: & eas tanti fecit: ut non contentus solitis voluptatum illecebris, magna præmia proposuerit his, qui novas invenissent. Qua ex re regiones, quibus imperabat, omnis turpitudinum genere infecit: hominesq; omnes turpiter effœminavit.

XV. Nero quòd citharœdos, mimos & histriones summa benevolentia complectebatur: complures nobiles juvenes earundem artium studijs pellexit. *Francisc. Patrit. lib. 8. de regno, tit. 4. pag. 493.*

# CXXI.

*VSus hoc docet: libentiùs parere homines legi multorum sententiis in Senatu agitatæ: quàm edicto ad unius vel paucorum libidinem conflato.* *Anti Machiavellus lib. 1. pag. 61.*

## EXEMPLA.

I. Hujusmodi extitit Alexander Severus: qui nullam legem constitutionemve sanxit sine viginti Iurisperitis, alijsq; doctissimis ac sapientissimis viris non minus quinquaginta: ut non minùs in consilio essent sententiæ: quàm Senatusconsultum conficerent: & id quidem ita: ut irctur per singulorum sententias: ac scriberetur, quid quisq; dixisset: dato tamen spacio ad disquirendum cogitandumve, priusquam dicerent: ne incogitati cogerentur dicere de rebus ingentibus.

II. Ejusmodi fuit Theodosius Imperator: qui sanxit, ne ulla nova lex promulgaretur: nisi quæ ab omnibus antea tam proceribus Cæsarei palatij, quàm à Patribus conscriptis tractata esset: & tum universorum consensu, tum Imperatoria

auto-

autoritate confirmata. Bene enim (inquit) cognoscimus: quòd cum vestro consilio fuerit ordinatum; id ad beatitudinem nostri Imperij & gloriam redundare.

III. Ejusdem modi fuit Augustus Cæsar: quem cùm Senatus legum vinculis decreto liberasset: si quas tamen leges conderet: non suo unius consilio, sed populi consensu scribebat: atq; omnibus, qui possent, emendandi faciebat potestatem. Præterea consultabat de multis rebus cum Consulibus & optimatibus: & cùm sibi semestria consilia sortiri instituisset: cum ijs de negocijs da frequentem Senatum referendis antè tractabat. Habebat in eo consilio quindecim Senatores: mox etiam viginti sorte ductos: sed inter cæteros eminebant doctrina vel usu rerum insignes, Trebatius Iurisconsultus, Agrippa ipsius gener, & doctorum præsidium, Mæcenas. Ita regnum Augustus salubri temperamento cum Republica miscebat.

IIII. Tiberius, etsi ipsius virtutes ingentibus vicijs superabantur, pauca tamen primò per sese, vel potiùs nihil faciebat: sed de publicis negocijs & minimis quibusq; rebus referebat ad Senatum: & cum eo communicabat omnia: & consilia ios, ut Augustus consueverat, capiebat. *Idem pag. 61, 62.*

# CXXII.

*TVrba aulica plerunq; se ad voluntatem Domini inflectere solet. Nam Principes mali non solùm vicia concipiunt ipsi: sed ea infundunt in aulã: neq; solùm obsunt, quòd illi ipsi corrumpuntur: sed etiam quòd corrũpunt, plusq; exemplo, quàm peccato nocẽt. Strigel. in orat. de Esaia.*

*Plerunque qualis est Princeps: talis etiam est Senatus & consilium: & tales sunt ministri.* Cùm Princeps amat virtutem, sapientiam, doctrinam, justitiam: ministri quoq; plerunq; tales sunt: & hortantur Principem ad cultum illarum virtutum: & ipsi se ministros earum rerum libenter præbent: quas hæ virtutes exigunt. Imò *Princeps plerunq; ingenio & morib. suis fingit mores & ingenia ministrorum*: id est, allicit similitudine

morum

morum ad se naturas congruentes Princeps qui delectatur convivijs, crapulis, levitate, scurrilitate, facilè adipiscitur ministros tales: & tales postea confluunt ac insinuant se: qui similibus artibus delectantur: vel afferunt ingenia idonea, instructa ad res illas: quib. Principes delectantur. In summa: *qualis Rex, tales ministri. Et inprimis ministri imitantur Regum exempla: componunt se ad ingenia & affectus suorum Regum.* *Peucer. in lect. Chron. d. 25. Febr. Anno 1570.*

*Qualis Dominus: tales ferè semper sunt ejus servi. Omnes enim student voluntatibus Principũ satisfacere: & eorum morib. se accomodant ingenia.* *Petr. Greg. Tolos. lib. 4. de Repub. cap. 6. pag. 191.*

*Plerunq; sunt similes Principum & aulicorum opiniones & mores.* Vt Græci dicunt: Quales Dominæ, tales catellæ. Item: Quales Dominæ, tales ancillæ. Et Salomon Proverb. 29. inquit: Princeps amans mendacia habet omnes ministros impios. *Strigel. Psal. 101. pag. 202.*

Iuvenalis: *Maxima quæq; domus servis est plena superbis.*

## EXEMPLA.

I. Carolus V. fuit æstimator acutissimus ingeniorum: & rectè judicavit de his: ac fuit sapiens Princeps: adeo contigit ei sapiens consilium. Fuit in Collegio Cardinalium Romæ vir præstans, Nicolaus, Episcopus Capuanus, natus ex familia nobili gentis Mysorum, Schönbergiorum, Vir excellens. Hic fuit missus legatus à Paulo Pontifice ad Reges tres: ad Regem Galliæ, Angliæ, & Hispaniæ, ad Carolum, adolescentem. Reversum cùm Paulus Pontifex audisset: postea cum Cardinalis Salviati interrogavit: ut paucis exponeret, quis vidisset res maximè dignas admiratione. Ille, ut erat Vir sapiens, paucis respondit: Vidisse se in regno Galliæ Regnum pulchrum: ut est & fuit florentissimum, fuit optimè constitutum legibus, judicijs, & disciplina, alijsque vinculis pertinentibus ad disciplinam. In Anglia vidisse se pulchrum Regem: quia Henricus fuit pulcher corpore: sed deformis moribus: quia fuit bestia, monstrum. In Hispania vidisse se sapiens consilium Regis: quia formavit consilia adolescentis Mer-

curinus

curinus Cancellarius, vir admodum celebris laude sapientiæ: qui fuit Carolo autor moderationis: & flexit eum ad consilia moderata: in quibus perstitit usq; ad extremum vitæ. Amavit semper Carolus moderata consilia: superbiam exosam habuit: consilia calida & fervida repudiavit. Ideo Granuellum maximi fecit insistentem vestigijs Mercurini: & repulit à se Heltum; qui erat æmulus Granuelli: & conabatur inducere Carolum in alia consilia violenta & improba.

II. Ita & Salomon cùm excelleret sapientia: habuit sapiens consilium, Senatum ex Viris sapientibus collectum. *Peucerus ut suprà.*

# CXXIII.

*QValis Rex est: tales plerunq; sunt Sacerdotes. Multi sunt omnibus temporibus: qui sententias suas de religione rebusq; divinis ad affectus Principum & aularum inflectant: & naviter faciunt, quod in Tragœdia dicitur: Malus est minister regij imperij pudor. Et juxta versum:*

Nempe cocus Domini debet habere gulam.

*Strigel. 2. Reg. 16.*

*Plerunq; maxima multitudo sectatur religiones Principum.* Vt hæ voces superioribus ætatibus usitatæ fuerunt: **Ich gleube/was mein Herr der Käyser gleubet.** *Imperitum vulgus exemplis potentum judicat de Religione. Scitis usitatum esse: quòd multi omni tempore imitentur opiniones & facta Dominorum, seu bona seu mala: sed citiùs tamen adhærent & propagantur contagia prava, præsertim in ijs: qui familiaritate assidua Regibus & Principibus conjuncti sunt:*

*illis citiùs contagia adhæreſcunt.* Meminiſtis dicta ſapientum: Quales in Republica Principes ſunt: tales ſunt & cives. Et notum eſt Proverbium Germanicum: **Wenn der Abt die Würffel auffwirfft/ſo haben die Brüder frey ſpielen.** Quod Dominus Præceptor reddidit duobus Græcis verſibus, & totidem Latinis:

ὅταν πρῶτα κύβους βάλλῃ ποτὲ μάταιος ὁ ἄββας,
παίζειν οἴονται οἱ μοναχοὶ νόμιμον.

*Fortè cubos primùm poſuit cùm futilis Abbas:*
*Tunc ſeſe Monachi ludere iure putant.*

Et ſæpe repetuntur hæ ſententiæ ex Poëtis: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus: non tantùm in moribus: ſed etiam in religionibus. Et eſt egregium dictum apud Salomonem: Princeps amans mendacia habet omnes miniſtros impios. Talia fiunt, & quidem uſitatiſſimè. *Multùm nocent exemplo ſuo Reges & Principes: præſertim ſi temerè mutent Religiones.* *Peuc. in lect. Chron. d. 2. Octob. An. 70.*

## EXEMPLA.

I. Conſentaneum eſt exemplo Manaſſis multos, & ipſo vivo, & poſtea, ſeductos eſſe: multos exemplum ejus imitatos eſſe: qui idola ab ipſo introducta pertinaciter ac mordicus retinuerunt: ut fuit gens Iudaica pertinax admodum. *Quando* autem *mala exempla ſemel incipiunt vagari: poſtea non facilè tolli poſſunt. Et magnam inprimis vim habent Regum exempla: plus his ex vulgo moventur: quàm ullis aliis doctorum comomnefactionibus.* Etſi verò Manaſſes converſus eſt, tamen protinus ſimul converſi non ſunt, quos antea ſeduxerat. Et *inprimis difficile eſt, Religiones ſemel conceptas radicitus extirpare & animis eximere.* Idem.

II. Vrias alludit ad opiniones & affectus Regis Ahas, & facit imperata. Nam de eo expreſsè ſcribitur: Fecit Vrias ſacerdos omnia: quæ ei præceperat Rex Ahas. Tales Vriæ multi ſunt omnibus temporibus. *Strig. 2. Reg. 16.*

Uſita-

# CXXIIII.

*VSitatum est magnis Principibus, non affici magna Religionis cura. Peucer. in lect. Chron. d. 3. Decemb. An. 1569.*

Wie das dictum heist: Pietas, probitas, fides, privata bona sunt: quà juvat Reges eant.

# CXXV.

*DEVS acerbiorem de Principibus, quàm de reliquis quæstionem exercet:* ut sapientiæ magister Salomo, idemq; Rex verissimè scripsit. Cui congruit Marci Aurelij, ejus, qui ob sapientiæ studiũ Philosophus est appellatus, dictum illud: Magistratus quidẽ ipsos de privatis, Principes de magistratibus, DEUM autem de Principib. decernere ac judicare. Hæc duorum Principum, qui sapientia cæteris omnibus excelluisse dicuntur, sententia est. Tertium adjungere placet, Antigonum Asiæ Regem: cui cùm assentator diceret: Omnia Regibus licere, ac semper omnia licuisse: Ita quidem barbaris, inquit Antigonus, ac tyrannis. Primus omnium opinor, Anaxarchus extitit: qui Alexandro blanda oratione persuasit: Iustitiam ob id Iovi assidere: ut intelligeretur, nihil à Principib. injustè fieri posse. Capitalis Anaxarchus, & certè dignus, qui crudelissimo supplicij genere plecteretur: ac Principum justitiam illam in seipso experiretur. Cùm enim in potestatẽ Cypri Regis, cui omniũ infensissimus erat, incidisset: Rex illum incudibus superpositum malleis contundi jussit. At quantò veriùs Seneca, Cæsari cùm omnia licent, inquit, propter hoc minùs licet. Qui autem

Principes legibus & pactis conventis solutos esse statuunt: nisi DEI præpotentis, ac naturæ leges, tum etiam res ac rationes cum privatis justa conventione contractos excipiant: maximam immortali DEO ac naturæ injuriam inferunt. Præclarè itaq; Romani magistratus, qui in rogationibus ac legibus, quas ad populum ferre consueverant, hanc clausulā ad extremum subijciebant: SI QVID IVS NON ERIT, F. E. L. N. R. quibus verbis significabant: si quid justum non esset: id populum rogari jus non esse. Huc pertinet illud Pacatij ad Theodosium Augustum: tantum tibi licet, quantum per leges licebit. *Ioh. Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 8. p. 152.*

# CXXVI.

*PLeruncq; optimorum Principum laudatissimi conatus in nervum erumpunt & pereunt: quia adversationibus, sæpe amicorum etiam, intempestivis impediuntur. Peucer. in lect. Chron. die 12. Martij, An. 1574.*

## EXEMPLA.

I. Meminimus exemplum Caroli V. Imperatoris: cujus hoc erat consilium absq; dubio: quod ipse paulò antè mortem, cùm instituillet deliberationem de abdicatione Imperij, prolixè commemoravit: ut Germania, Gallia & Hispania conjunctis, compararet potentiam formidabilem non tantùm vicinis Regibus, orbis Christiani: sed & ipsis Turcis Et fuit hujus consilij autor Vir sapientissimus Mercurinus: qui adolescentem eum rexit & moderatus est. **Es ist ein trefflicher Mann gewesen.** Et in non dubiam spem pervenit istis successibus animatus inter initia gubernationis: quando Hispanicas seditiones, excitatas crudelitate Belgarum, feliciter sedavit, autoribus illarum seditionum captis, & ad supplicium raptis. Et postea capto Francisco Rege Galliarum, non magno negocio domuit universam Italiam: & ita domuit; ut post Carolum Magnum nulli Imperatori Occidentis ita paruerint, ut sibi. Tenuit enim utrobiq; conclusam Italiam imperio suo: ex parte citeriore versus Germaniam per Ducatum Mediolanensem: ex parte altera per regnum Neapolitanum. Et tranquillam reddidit Italiam: sustulit feralia odia Guelphorum & Gibellinorum:

quorum

quorum illi pro Pontifice, hi pro Imperatore assidua penè laniena decertabant. Carolus ita domuit eos; ut non tantùm illa sint extincta: sed etiam autores illorum sint sublati. Istas duas provincias Carolus feliciter domuit & armis subegit. Germaniam ne tentaret armis Mercurinus suasit semper; sed voluit, ut experiretur alia moderatiora consilia; propterea nunquam voluit Carolus, illo vivo, arma expedire; sed alia consilia moderatiora & tutiora secutus est. Tentavit compositionem controversiarũ per doctorum Virorum colloquia; ut hoc modo reconciliaret inter se disjunctos animos Principum; & pacem componeret: & in pacata Germania ita dominaretur; ut Principes beneficijs & benevolentia sibi potiùs adjungeret: quàm irritaret consilijs violentis, aut armis, aut quocunq; alio contu minùs moderato. Sed hoc agentẽ impediunt utriq; & Pontificij, & nostri: quib. hoc fuit propositum: ne paterentur Caroli potentiam crescere. Suspicati sunt idem, quod in Græcia suspicatus est Demosthenes: ut si in pacata Germania dominaretur: facilè opprimeret libertatem; mutaret statum Imperij. Et utriq; incitabantur præcipuè à Francisco Rege Galliæ; cujus intererat, ne Germania esset conjuncta. Et Legatus ejus in Conventu Ratisbonensi Anno 1541. aperte professus est his verbis; Carolum Imperatorem totis viribus hoc eniti; ut pacem constituat in Germania, Religionis controversijs compositis: suum verò Regem hoc agere, ut nihil minùs fiat, quàm pax: & ut nihil magis, quàm controversia in civitatibus constituatur. Ita fuit impedirus utrobiq;.

II. Græci dimicant de libertate stantes amittunt libertatem.

III. Ita Germania penè est redacta suis armis sub jugum & servitutem. Hæc ita eveniunt: & similitudinem consiliorum & eventuum in historijs considerare; quia collatio format judicium de rebus; & auget prudentiam. Propterea sunt legendæ historiæ cum tali judicio; ut diligenter considerẽtur & consilia, & consiliorum eventus, & modus gerendi. *Peucer, ut suprà.*

IIII. Philippus Macedo in bello Sacro hoc agebat; hunc finem suis cõsilijs proponebat; ut Græciam redderet tranquillam: & adjutus societate & auxilijs Græcorum transferret bellum in Asiam contra Persas. Hunc ipsius conatum impediebat Demosthenes, excitata contra eum Græcia: atq; ita à necessario bello eum abstrahebat. Præcendebat eum insidiari libertati Græciæ.

V. Iunius & Lacon amicissimi Galbæ Cæsaris, sæpe impediebant Cæsaris Galbæ salutaria consilia; ut inquit Plutarchus *in Galba*. Quoties Galba præclarum quid instituebat: Iunius id prohibebat & criminabatur. Ideo Nymphidius dixit: Galbam quidem bonum & moderatum civem esse; verùm suis minimè uti consilijs: & à Iunio & Lacone non rectè regi.

VI. Hannibal Pœnus cùm ad Antiochum Magnum Syriæ Regem venisset, fugiens ex Africa indignationem suorum civium: suasit Regi Romanis inimicissimo; ut si vellet debilitare res Romanas; transferret arma in Italiam. Illud consilium cùm complecteretur Rex: impedijt hoc Thocis princeps Aetolorum: &, ut inquit Plutarch. *in Vita Hannibalis*, adversatus huic sententiæ, seu invidia: seu quòd revera ità agendum censeret: mutavit animum Regis; & hanc deliberationem, quæ magnum momentum ad bellum habere videbatur, omnino evertit; hortatusq; est Antiochum: ut ipse cum omnibus copijs in Græciam transiret; ipsemet rem suam ageret; nec pateretur hujus belli gloriam ad alios pervenire.

# CXXVII.

*SÆpe domestici, Regis aut Principis sunt acerrimi hostes: quos diligentia humana sine Deo vitare non potest. Strigel. 1. Reg. 11.*

## EXEMPLA.

I. Ieroboam, qui erat domesticus, insidiatur Salomoni: & omnia in ejus perniciem parat atq; meditatur, *Ibidem.*

II. De perfidia humana narratur jocus Antigoni Regis: qui in précatione dixerat: se DEVM orare: ut protegeretur ab eo adversus amicos. Hic, cùm quidam familiares interrogarent, cur non potiùs precaretur, se defendi adversus hostes, Imò, inquit, ab his, qui palàm sunt hostes, cavere sibi homines sua vigilantia possunt: ab amicis, quorum pauci fideles sunt, cavere sibi nemo potest: sed DEO custode opus est. *Idem 2. Samuel. 3.*

# CXXVIII.

*PRincipes, dum omnibus sine discrimine confidũt, sæpe in magna incurrunt pericula—.*

*Nec ipsi populo bono confidendũ est Principi. Facilè enim populus ab impiis & ambitiosis commoveri potest, non secus, quàm mare placidum ventis. Petr. Greg. Tolos. lib. 22. de Repub. cap. 11. pag. 1409.*

Sine armis parùm tuta est majestas Principis. Atq; pro regula ponitur administrationis Reipublicæ: *eos qui domini sunt armorum: esse dominos status Reipublicæ. Idem ibid.*

Rectissimè scripsit Epicharmus: νᾶφε, καὶ μεμνησο ἀπιστεῖν:

sobrius

sobrius sis,& memor esto, nulli temere credere seu confidere. Sententia Theognidis quoq;:

*Res mihi fracta fide: res diffidendo retenta.*

Et Euripides inducit Helenam dicentem: Vnumq; diffidentia mortalibus nihil usq; utilius esse potest. Hancq; diffidentiam omnibus hominibus,qui sapiunt,à natura communiter ait concessam custodem salutis. Hesiodus quoq; monet,neq; fratri infinitam fidem esse habendam: dum jubet,si quid negotij cum illo gerendum sit, adhibito teste id agere. Fuit sententia quoq; Solonis:

*Mortalibus à cunctis caveas:*
*Ne fortè quis occultis animo*
*Odijs, amicum te appellet vultu hilari:*
*Bifidaq; ex ore sonet lingua.*

Imò *plus à proximis & consanguineis cavendum—, quàm extraneis,docent nos quotidiana exempla—.* In summa, filius ante diem patrios inquirit in annos: non hospes ab hospite tutus. *Sæpe & filiæ prodiderunt patrem,& cum ejus vita & regna:* ut filia Nisi. *Ambitio,invidia nulla major regnandi: quàm inter proximos.* Vnde vox à Tyrannis frequenter usurpata: Si jus violandum: regnandi causa violandum est. *Neq; est ulla amicitia tam arcta—: nulla familiaritas tam sancta—: quam animus regnandi cupidus non contemnat & violet. Ita non proximis, non amicis, non subditis, non— confœderatis, in causa ambitionis confidendum— omnino sine cautione est.*

Mu-

*Mutantur voluntates hominum: & quæ priùs placuerunt, postea displicere incipiunt. Imò & sunt plures, qui seipsos desperando oderunt: & scelerate se interimunt: & dum modò de inimicis se vindicaverint, vel Principem necaverint: vitam suam amittere parvi aut nihili faciunt. Abutuntur & amici ut plerunq; nimia familiaritate: & ita dum in contemptum incidunt, si spiritu ambitionis arripiantur: nihil non audent absq; metu.* Idem pag. 1410. 1411.

*Nullus non cavet ab inimicis: ab amicis tamen longè deteriora patitur.* Et ut ait Theognis in fine sententiarum:

ἐχθρὸν μὲν χαλεπὸν καὶ δυσμενῆ ἐξαπατῆσαι,
κύρνε, φίλον δ' φίλῳ ῥᾴδιον ἐξαπατᾶν.

Inimicum quidem difficile est & malevolum decipere, Cyrne: amicum verò amico facilè decipere. *Multorum quoq; Regum exitus si reputaveris: plures à suis, quàm ab hoste, interfectos numerabis.* Quamobrem Apollonius Tyanæus rogatus à Rege Babylonis, quonam pacto stabiliter tuteque regnare possit, sapienter respondit: *Si multos honoraveris: paucis verò credideris.* Idem pag. 1414.

## EXEMPLA.

I. Notum est Viriatum, Ducem vigilantissimum in Hispania, qui & dormire armatus solebat, & gratia inter suos milites, propter disciplinam militarem, clementiam, liberalitatem in milites valebat, ab Aulace Ditalcone & Minuto fuisse obtrun-

catum

catum & jugulatum: quos dilexerat: & legatos ad Cepionem Romanum miserat: à quo magnis pollicitis, ut illud ageret, fuerunt inducti & corrupti.

II. Experti id sunt Consules Romani, L. AEmilius & Virginius, commota seditione ob agrariam causam: & necato Tribuno plebis: ereptoq; è manibus lictoris Voplerone: qui jussu Consulum ob seditionem adjudicabatur morti. Experti, inquam, parùm tutam majestatem sine viribus esse.

III. Ita consultè Dejoces post sibi à Medis delatum regnum, priusquam illud susciperet, voluit sibi ædificia imperio digna erigi: stipatores corporis sui adjungi: quos sibi ex universis Medis, quos voluit, delegit. Atq; his munitus, & regia cum mœnibus constructa, primus cavit: ne cui ad Regem ingredi liceret: sed per internuncios cuncta transigerentur: adeò ut neq; conspici Regem à quoquam fas esset: adhæc nec ridere, nec spuere, propterea quòd omnibus factu deformia essent, coràm liceret. Quæ ideo, inquit Herodotus, faciunt circa Regem: ne videlicet eum cernentes æquales, & una cum eo educati strenui & fortes, indoleant atq; insidientur: quin potiùs quiddam à reliquis hominibus diversum ipsis esse videatur: si coràm ipsum non intueantur.

IIII. Eundem morem servatum fuisse etiam tempore Regis Sardanapali apud Assyrios Iustinus meminit: ad quem videndum præfectus ejus Medis præpositus, nomine Arbactus vel Arbaces, cùm magna ambitione admitti obtinuisset: quod nemini antea permissum fuisset: captavit occasionem rebellandi, & regnum usurpandi: prætextu, quòd eum effœminatum & voluptuosè viventem conspexisset.

V. Quod & contigit in regno Francorum: cujus aliquando Reges non conspiciebantur ab omnibus: & inde nata est occasio occupandi regnum Majori ejus domus Carolo Martello aut Pipino.

VI. Per diffidentiam Laërtiades Vlysses tot pericula evitavit.

VII. *Cognationes, communia studia, non valde firma sunt repagula.* Nam & Atreus Thyestis frater erat, & parvulorum, quos concidit, patruus.

VIII. Eteocles & Polynices fratres erant, eadem matre patreq; eodem orti: sed qui fidem dederat, alterum regno expulit: & alter alterum non multò pòst occidit.

IX. Theseus filium Hippolytum calumnijs expositum perdidit.

X. Remo fratri Romulus non pepercit.

XI. Aegysthus jugulavit maritum, uxoris proditione.

XII. Vt & Gyges Candaulem, uxoris impulsu.

XIII. Hujus generis erant Arsacides Persæ: qui insidiabantur Christianis: & latentes cœtibus procerum se insinuabant: aut nacti occasionem, quem vellent, Principem aut alium obtruncarent: etiamsi intercepti morituri essent: inde beatam vitam se habituros persuasi. Quæ fuit etiam prima causa, cur Reges Francorum acceperint ab eo tempore custodes corporis: & tempore, inquam, Ludovici IX. cujus ætate frequentes per universum orbem mittebantur insidiatores illi homicidæ Arsacidæ: quos Concilium Lugdunense multis pœnis detestatur, & vocat Assassinos (*de quibus vide Regulam* 117. *exempl.* 11.) Isti se amicitiæ nomine insinuabant Principibus, & inter familiares: unde nec postea tutum fuerit se amicitiæ vel familiaritatis nomine omnibus committere.

XIIII. Antigonus Syriæ Rex, à sodalibus, quos temulentus in convivio pulsaverat, occisus est.

XV. Medea sæpe pro libetis Deos oravit: quos p[illegible] cavit.

XVI. Abiolon sæpe pro regno patris Davidis defendendo pugnavit: quod postea sibi, illo pulso, usurpavit.

XVII. Dominus noster IESVS CHRISTVS civitatem Hierosolymam ingressus, turbam populi laudes suas canentem audivit, & Regem cum dicentem, cum illa præcantione magnifica: Benedictus qui venit in nomine Domini, Osianna filio David. Sed paulò pòst populus idem, qui pro Rege eum exceperat, hebdomada proxima, eundem ad mortem crucifigendum postulavit. *Idem pag.* 1409. 1410. 1411.

XVIII. Alexander Magnus dicere solebat: Philippus in acie tutior, quàm in theatro fuit: hostium minas sæpe vitavit: suorum effugere non valuit.

XIX. Tempore Achaz Regis Iudæ, necatus est Rex Israëlitarum Phaceias, dolo cujusdam amici, nomine Ozias: qui occupavit tyrannidem novem annis malignus & DEI contemptor, ut scribit Iosephus. *Idem pag.* 1414.

# CXXIX.

*NEgligentia inquirendi suspectos, & nimia confidentia, perdidit plures Principes. Et contrà, nimia etiam credulitas. Petr. Greg. Tolos. lib. 22. de Repub. cap. 11. pag. 1413. 1415.*

## EXEMPLA.

I. Sicut narratur de Accha Tyranno Thebanorum à Plutarcho: cui cùm fuisset allata de conjuratis inter convivium epistola: & is, qui pertulit, admonuisset, ut statim legeret: de scrijs enim scriptum esse rebus: risit, & dixit: in crastinum ergo seria: simulq; acceptam epistolam pulvillo suppositi, cui insidebat: ac sermonem cepti pertexebat. Ea autē nocte à Pelopida cæsus est: & Thebæ à jugo Spartanorū liberatæ.

II. Eodem modo Nicephorus Phocas Imperator Orientis, ut ait Zonaras, conjuratione Teophaniæ & Iohannis Zimicis, in lecto dormiens cæsus est, sua culpa: quòd libellum sibi traditum, in quo conjuratorum nomina scripta erant, & ut sequentem noctem caveret, non legisset.

III. Sic accidit Iulio Cæsari: ut die, qua necatus est, porrectum libellum, insidiarum indicem, ab obvio quodam oblatum, libellis cæteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuerit, nec legerit.

IIII. Dion perijt: quanquam suspicaretur insidias sibi instrui à Calippo: sed veritus est, nimiùm confidenter observare amicum & hospitem.

V. Antipater Cassandri filius, vocato ad cœnam Demetrio, illoq; vicissim sequenti die vocato, veritus ei diffidere, à cœna necatus est.

VI. Gallus Cæsar in nimiam lapsus est lævitiam, suspectos habens sibi subditos ex levibus relationibus vel criminationibus invidorum & adulatorum. *Idem ibid.*

Omnis

# CXXX.

*OMnis Gubernator aut est Pater, aut Tyrannus, aut Quæstor.* *Herodot. lib. 3. referente Strigel. lib. 3. Dialect. pag. 902.*

Hanc Regulam CHRISTUS Iohan. 10. ita effert: *Omnis Gubernator aut est bonus pastor*, ut Athanasius: *aut lupus*, ut Arius: *aut mercenarius*, ut aliquis plebeius pastor, qui tantùm quærit nummos in Ecclesia. Ita quod Herodotus dixit de politicis gubernatoribus: hoc dixit Dominus & Salvator noster de Ecclesiasticis gubernatoribus. *Strigel. ibidem.*

*Tres sunt gradus Principum seu gubernatorum. Primi sunt boni Principes: qui rectè faciunt officium suum: & res gerunt necessarias & salutares.* Tales fuerunt David, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Sealthiel, Zorobabel. *Ad secundum gradum pertinent, qui aliquantisper faciunt officium suum: sed tandem mutantur*, ut Asa, Osias. *Tertio gradu sunt Tyranni: qui ne student quidem rectè facere: sed manifesta vi grassantur*, ut Ahas, Manasses, filij Iosiæ. *Idem 1. Reg. 3.*

*Gubernatores alij sunt heroici: alij mediocres: alij Tyranni.* *Idem ibidem.*

## EXEMPLA.

*In omni regimine aliqui Gubernatores sunt lupi: aliqui mercenarij: aliqui veri pastores.* Has appellationes primùm in genere declarabimus. *Primus gra-*

*dus Gubernatorum sunt lupi.* De hoc gradu non est opus longa declaratione: quia vitia semper sunt conspectiora, quam virtutes: vt, faciliùs potest intelligi, quid sit ebrietas, quam sobrietas. Moribus est conspectior sanitate. Ita facile potest conspici, qui sint lupi, videlicet, Tyranni, quales fuerunt Nero, Caligula, Phalaris; qui interficiunt homines sine causa evidenti, tantùm rabido, vel furioso motu incitati. Omnes historiæ etiam recentes, habent exempla talium Tyrannorum. Et sunt horum facta aliqua; quæ non possunt, nisi exquisitæ malitiæ tribui: cùm singularis modus crudelitatis in ijs conspiciatur: sicut fuit quidam Tyrannus Heliacus: qui legatis, afferentibus aliquid, quod non erat gratum, solitus est excidere testiculos, & eos præbere comedendos. Item fuit Tyrannus in Rhodo; qui solitos est ludere cum suis socijs, & pacisci conjuges alienas: Si ego vicero, adduces mihi conjugem illius civis. Si pences te erit victoria, dabitur tibi hujus vel illius civis uxor. In talibus exemplis, quæ sunt valde horribilia, facile est cogitare, qui & quales sint apertè Tyranni: quorum alij magis, alij minùs sævi sunt. Hodie Turci sunt Tyranni manifestè. Pater Solimanni Selimus interfecit patrem & fratres suos, ut perveniret ad regnum. Recens Imvvrebascha est interfectus; qui nihil mali fecerat, in regno Turcico. Scribitur fuisse vir placidus erga suos, & humanus ac benesicus erga legatos nostros. Thessalonicæ condidit hospitale magnificentissimum. Sed *est usitatum in Turcia, ut si quis antecellat virtute, ne nimiùm crescat, interficiatur.* Ita nocuit illi Imvvrebascha partim virtus, partim favor: quo complectebantur eum milites. Quando Tyrannus Turcicus egressus est ad templum, vel aliò equitavit, quò ille etiam ire debuit: plerunq; Imvvrebascha habuit majorem comitatum. Præstantissimi quiq; Duces & milites erant apud eum: non apud Imperatorem. Hac specie offensus Imperator, vocavit eum ad se: & in cubiculo jussit interfici. *Secundus gradus est mercenariorum, qui sunt ignavi: item qui tranquillis temporibus mediocriter faciunt officium: sed in periculis nõ sunt firmi.* Talis fuit in Imperio Romano Honorius: qui non fuit quidem crudelis & sævus in alios: sed indulsit voluptatibus suis: & pavit sese in ocio. Cùm sederet Ravennæ: & nunciaretur ei captam esse Romam; mugitus est in convivio. Non doluit de tanto damno publico, & de interfectis tot millibus hominum. Tales sunt similes fucis: qui mella facta ab apibus devorant: & ipsi interim nihil laborant: pascunt sese, & agunt aliquid pro forma: sed ad summam rei & ad publicam utilitatem nihil faciunt. Exempla præsentia non libet mihi commemorare. Videmus quid fiat: quantum sit rapacitatis, quantæ βδλιμίαι in Imperijs. Plerisq; gubernatores hoc curant; ut exhauriant, imò exsugant & deglubant subditos: non sunt solliciti de religione, de disciplina, de judicijs. *Tertius gradus est pastorum, qui sunt boni gubernatores, salvatores Reipublicæ.* Quia DEVS semper vocat aliquos, & ornat certis donis: ut aliquandiu sint Imperia, ne genus humanum pereat. Talis fuit in Imperio Romano Augustus, Imperator sapiens, habens animum paternum in gubernatione, cujus cursus fuit salutaris. Sunt autem pauciores tales omnibus temporibus, sicut Claudius dixit: Omnium bonorum Principũ imagines in uno annulo sculpi posse. Vetustas sculpebat faciem Principum: inde usurpatum fuit nomen imaginum. *Philippus in Postilla per Pezelium edita, part. 2. pag. 648. 649. 650. Vbi Pezelius ad marginem hæc sequentia addidit:* Tres sunt gradus gubernatorum inter homines: quorum alij lupis, seu furibus, seu latronibus: alij mercenarijs: alij bonis pastoribus in quocunq; genere regiminis conferri possunt.

Ima-

Imago Luporum pingit Tyrannos, & horum satellites: id est, vel aulicos Sycophantas, vel seditiosos in Imperijs & Rebuspublicis Lycaones: ad quos descriptio illa apud Catullum pertinet: Tantum tibi gaudium in omni Culpa est, in quacunq; est aliquid sceleris. Imago Mercenariorum congruit ad eos: qui quasi medio inter Tyrannos & bonos pastores loco sunt: qui principaliter hoc agunt, ut sese pascant: non ut aliquid suo cum periculo vere consulant utilitati publicæ; aut ut necessitatem communē propriæ saluti anteferant. Bonos gubernatores discernit à Tyrannis & Mercenarijs perpetua προαίρεσις recte faciendi; unde fit, ut plerunq; suum faciant officium: & inter ipsa certamina ac pericula, quæ constanter suscipiunt ac sustinent ad suorum defensionem, res utiles ac necessarias gerant: etiamsi non sunt sine aliquibus erratis & lapsibus, præsertim ignorantiæ & omissionis non affectatæ.

*In ministris aulicis, imò etiam in familijs sunt similes gradus.* Vnus & alter consiliarius in aula, qui verè & seriò curat salutem patriæ: qui negotia necessaria expedit: qui est monitor Principis: qui multa salutaria facit, ut Naaman in Syria, est salutaris consiliarius: & quando aulæ sunt benè constitutæ, maximus labor est Curiæ, **der Cantzeley**. Dux Fridericus Elector dicebat: **Die Cantzeley ist eines Fürsten Hertz**: Cancellaria est cor Principis. Postea sunt alij Lupi, incitantes ad lævitiam: item fures & peculatores: sæpe etiam proditores. Deniq; sunt alij, qui pascunt se tantùm in aulis: habent aucupia, quibus diteſcant: vident ubi aliqua præfectura, aut feudum aliquod fiat vacuum: assentantur: fugiunt negotia difficilia: curant tantum, quæ sunt favorabilia: quando benè est ipsis Dominis, fruuntur commodis: quando autem malè, inflectunt se ad latus navis felicius. *Idem Philip. part. ead. pag 652.*

*Idem gradus sunt etiam inter Doctores Ecclesiæ.* Primùm Lupi sunt in regimine Ecclesiastico mali doctores: qui turbant Ecclesiam novis dogmatis: excogitant novos cultus: abducunt homines à simplicitate & puritate Verbi Dei: deducunt ad falsa & commentitia numina: stabiliunt idola, vel apertè, vel per insidias. Deinde sunt Mercenarij: qui quidem non persequuntur veritatem: sed non sunt firmi. Quando venit persecutio: tunc cedunt, & deserunt stationem suam: consulunt suæ incolumitati & securitati. Talis est magna multitudo inter eos: qui in Ecclesia tenent officia & dignitates: non est eis cura de ovibus. Alius aliud quærit: alius quærit gloriam: alius opes: alius voluptates. Aliqui, etiamsi boni aliquid faciant mediocribus temporibus: tamen fugiunt, cùm sunt magna certamina. Boni pastores sunt pij & constantes Doctores: qui habent studium rectè docendi, & consulendi saluti Ecclesiæ. Tales sunt Prophetæ, Apostoli, & qui horum vestigia sequuntur. *Idem pag. 653. Vide etiam de hoc gubernatorum discrimine, Philippi enarrationem cap. 10. in Iohan. Tom. Oper. 3. pag. 742. & 743.*

## *Exempla alia.*

Quis fuit primus Rex Persicus? nonne Cyrus? Filius ejus quomodo est appellatus? Cambyses. Tertius, Darius Hystaspis. Qualis Rex & Gubernator fuit Cyrus? Pater: sicut ipse inquit de paterno suo imperio apud Xenophontē *lib. 8.* παιδείας Cyri: ***Bonus Princeps non differt à bono patre***: id est: ***Imperia debent esse pa-***

*terna, non tyrannica, non quæstoria.* Qualis Gubernator fuit filius Cyri Cambyses? nonne Tyrannus? Ita. Interfecit suum fratrem, suam sororem; & multa alia crudeliter fecit. Qualis fuit tertius Rex, Darius Hystaspis? Quæstor bonus. Hinc dicit Herodotus: *Omnis Gubernator aut est Pater*, ut Cyrus: *aut Tyrannus*, ut Cambyses: *aut Quæstor*, ut Darius Hystaspis. *Strigel. lib. 3. Dialect. pag. 902.*

In Catalogo Regum à Salomone usq; ad exilium Babylonicum considerandа sunt discrimina Gubernatorum, heroicorum, mediocrium & Tyrannorum: ut opera DEI discernantur ab operibus Diaboli; & vasa misericordiæ à vasis iræ: & ut beneficia divina grati celebremus: & furores Tyrannicos detestemur. Et multæ insignes admonitiones sunt in singulorum historijs.

Roboam filius Salomonis fuit negligens in tollendis idolis; in imperio superbus & ignavus. Fuit igitur infelix & calamitosa universa ejus gubernatio.

Abia filius Roboam regnavit tres annos in Iuda.

Asa delevit idola; & fuit initiò Rex pius; sed postea mutatus, Prophetam inclusit in carcerem.

Iosaphat fuit pius & felix.

Ioram fuit dissimilis patri Iosaphat. Ideo infelix fuit ejus gubernatio.

Ochosias regnavit in Iuda annum unum.

Ioas fuit initiò Rex pius & felix. Postea cepit colere idola: & interfecit Zachariam filium Iojadæ summi sacerdotis: à quo ipse servatus erat.

Amazias initiò pius & felix. Postea coluit idola.

Osias, cujus & alterum nomen est Asarias, fuit pius & felix.

Iotham pius & felix.

Ahas impius & infelix, fascinatus idolomania multipliciter.

Ezechias pius & felix.

Manasses impius & infelix.

Amon impius & infelix.

Iosias pius & felix.

Filij Iosiæ impij & infelices.

Ex hac tabella animadverti potest, qui fuerint heroici Reges: qui mediocres: qui item Tyranni. Heroici, id est, divinitus instructi excellentia virtutum & felicitate, sunt tres: Iosaphat, Ezechias, Iosias. Mediocres sunt, Asa, Osias, Iotham. Tyranni sunt, Ioram, Ioas, Ahas, Manasses, filij Iosiæ. Hæc discrimina nos admonent de nostra infirmitate, de modestia; ne ruamus extra metas: & de invocatione DEI: ut ardenter petamus nos à DEO regi & juvari. *Idem 1. Reg. 3.*

Cyri imperium fuit placidum & mite Ecclesiæ. Postea secutus est Cambyses, & Darius: qui fuerunt immites erga Ecclesiam: impediverunt edictum, quod proposuerat Cyrus, de reditu populi. Et monstrat Herodotus in his ipsis Regibus Persicis gradus ferè similes cum ijs, quos CHRISTVS hic nominat: Pastores, Lupos, & Mercenarios. Nam Cyrum vocat Herodotus Patrem regni Persici: Cambysen, Tyrannum: Darium, Quæstorem. *Philip. in Postil. per Pezel, edit. part. 2. pag 652.*

Quando

## CXXXI.

*QVando Deus vult punire peccata: dat Gubernatores temerarios.*

## CXXXII.

*IN Gubernatore necessaria virtus est æquitas, aliquid remittens de acerbitate summi juris, & condonans privatas offensiones publicæ tranquillitati. Speciosiùs enim injuriæ beneficiis vincuntur: quàm mutui odij pertinacia pensantur. Contrà, qui injurias suas persequi volunt: dolori suo, non Reipublicæ commodis serviunt. Strig. 2. Sam. 19.*

*Clementia in Gubernatoribus sæpe salutaris est magnis Imperiis. Idem in orat. de dicto Pauli Philip. 4. recitata Ienæ, die 14. Augusti, Anno 1553.*

*Nihil tam ornat Principatum: quàm clementia & mansuetudo. Iohannes Spinæus lib. 3. pag. 136.*

*Felle & aculeo eum carere decet, instar regis apum: considerantem, nullum esse vallum, nullum munimentum ad stabiliendam dominationem benignitate & æquitate potentius: ut omnium seculorum experientia declaratur. Nunquam enim observatum est, tam florens & diuturnum fuisse regnum: quod austeritate, minis & metu regeretur:*

quàm

*quàm fuit id, quod benignitate administratum est à bono Principe: qui lenitate ac beneficentia sibi amorem & benevolentiam universi populi conciliavit: ita ut totidem essent velut satellites ad ipsius defensionem armati. Vel ipsi Tyranni, quamvis, repugnante sua natura perversâ & crudeli, non ita sese gesserint, eam tamen esse pacatè & tutò regnandi rationem intellexerunt. Idem ibidem.*

*Principes ex nulla virtute aliâ illustriorem gloriã referre possunt: quàm ex clementia. Idem pag. 142.*

*Non est Principis, non dicam optimi, sed ne prudentis quidem, de omnibus pœnas, quas possit, exigere: ne sempiternam suæ existimationi ac famæ, qua nihil Principi carius esse debet, contumeliam inurat: etiamsi hoc salvo Reipublicæ statu, quod tamen difficillimum est, efficere possit. Laudabile est igitur in plectendis civibus suppliciorum acerbitatem lenitate temperare: eoq; temperamento Rempublicam servare. Ioh. Bodinus. Lib. 3. de Repub. cap. 7. pag. 541.*

*Principes boni plerunq; sunt proclives ad ignoscendum. Vide Anti Machiavel. lib. 3. pag. 424. 428. 429. 430. 431. 432.*

Cyrus apud Xenophontem inquit: Quos volumus esse socios, venandos esse benè faciendo & benè dicendo. *Strigel. 2. Sam. 19.*

Prin-

Principes sunt Dei ministri, bono populi, vt D. Paulus ad Rom. 13. ait. Et terrori sunt improbis: non autem quibusvis absq; discrimine: quemadmodū Sultani & Imperatores Barbari: qui nolunt se firmis & fidentibus oculis à subditis respici: quasi sint Basiliſci, aspectu ipsos necaturi. Verum quidem est, Salomonē scripsisse: Regem sapientē solo intuitu ex animis suorum malitiam excutere. Id verò nihil nostræ sententiæ repugnat. De ijs enim tantùm loquor: qui superbia & ira inflati, solo flatu se omnia eversuros credūt: &, Regis Demetrij exemplo, volunt poliorcetæ dici, hoc est, vrbium destructores, potiùs, quàm aut instauratores, aut amplificatores: denique non curant odium, dum metuantur: quamvis *nihil magis Principis timorem mentibus subditorum ingeneret, quàm ipsius modesta gravitas: quæ verecūdiam, ex verecundia timorem delinquendi in animis illorum parit.* Itaq; vel cùm solos se respicerent, & honorari tantùm ac sibi obedientiam præstari curarent, nullo pacto id meliùs consequerentur: quàm se benignos, mansuetos & moderatos præstando: vel in pœnis sontibus irrogandis: in quibus imitari debent Chirurgum: qui venam secturus, aut cauterium membro putrido adhibiturus, quàm leniſſimè potest, id peragit: vt eò minorem dolorem ægrotus mente concipiat, corporeq; sentiat. Ita Princeps justitiæ acrimoniam mitigaturus, eam æquitate & animi moderatione exerceat: tum verbis, tum vultu declarans, se misericordia complecti eum: in quem animadvertere legibus cogatur. Ante omnia fugiat tyrannica illa ingenia: vt Phalaridis & Alexandri Pheræi: qui spectaculis Tragœdiarum relictis abierunt: ne misericordia commoverentur auditis miserijs: quæ fabulosè repræsentarentur. Eos verò abominetur: qui longis & sævis cruciatibus infligendis delectantur: vt C Caligula: qui mucronum acutissimorum crebris fodicationi-

bus Senatores plectebat: vt mortem (aiebat) sentirent. Et Nero, qui Romam incendens voluptatem capiebat: & se vivo omnia confundi & misceri cupiebat. Et Vitellius, qui aliquot diebus post pugnam cum Othone, cadaveribus gravcolentibus, nihil suavius olere, nec magis oderiferum esse dicebat: quàm civis cadaver: arguens se lupo, aut vulturi, aut corvo naturâ similiorem esse: quas feras cadaverum odor delectat: quàm homini: qui ad lenitatem & humanitatem à natura est comparatus. *Spinæus pag. 139.*

Gloria est præclara, fama clementiæ & mansuetudinis: qualis fuit Antonini Imperatoris, & Ludovici Caroli Magni filij. Honorificum est, & ad immortalitatem pertinens, vocari parentem populi: quales fuêre Augustus, & Ludovicus hujus nominis XII. Rex Galliæ: aut liberatorem appellari: qualis Hercules & Tit. Flaminius: aut bonum, qualis Traianus: aut iustum, qualis Aristides, aut pacificum, qualis Salomo. Hi sunt veri tituli, nomina & laudes attributæ Deo: cui nihil gratius, nihil honorificentius assignari potest. *Idem pag. 141.*

Planetæ, inquit Plutarchus, eò tardiùs moventur: quo sunt in sublimiori Sphæra: ita quantò maior Principum autoritas: tantò magis suis affectib. moderari & temperare debent. *Idem pag. 136.*

## EXEMPLA.

I. David non est ἄσπονδος & tenax injuriarum: sed offert ultrò tribulibus suis reconciliationem; nec cum eis expostulat propter defectionem: sed quadam bonitatis abundantia petit ab eis: ut reconciliati exulem in patriam reducant. Tantum verò abest, ut Amasæ rebelli minetur: ut etiam condonationi sceleris beneficium non vulgare adjungat: & interitum illius acerbis lacrymis deploret. Rediens etiam post seditionem, jurat se neminem interfecturum esse.

II. Sic C. Cæsar in literis ad Oppium & Cornelium scriptis, summam humanitatem, singularemq; placabilitatem præ se tulit. Gaudeo, inquit, me Hercule vos significare literis: quàm valde probetis ea: quæ apud Corfinium gesta sunt. Consilio vestro utar libenter: & hoc libentiùs: quod mea sponte facere constitueram: ut quàm lenissimum me præberem: & Pompejum darem operam ut reconciliarem. Tentemus hoc modo si possumus, hominum voluntatē recuperare: & diuturna victoria uti: quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuêre: neq; victoriam diutiùs tenere:

præter unum L. Syllam: quem imitaturus non sum. Hæc nova sit vincendi ratio: ut misericordia & liberalitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri possit: nonnulla mihi in mentem veniunt: & multa reperiri possunt. De his rebus rogo vos, ut cogitationem suscipiatis. *Hæc epistola extat in libro nono epistolarum Ciceronis ad Atticum.*

III. Cæterùm occiso Avidio Cassio, qui res novas in Oriente molitus fuerat, qua mansuetudine atq; placabilitate M. Aurelius Antoninus fuerit usus, scripta docet ad Faustinam uxorem epistola, cùm ea immitiùs consuluisset: Tu quidem, mea Faustina, religiosè pro marito, proq; liberis nostris agis. Relegi enim epistolam tuam in Formiano: qua me hortaris: ut in Avidij conscios vindicem. Ego verò & ejus liberis parcam, & genero & uxori: & ad Senatum scribam: ne aut proscriptio gravior sit: aut pœna crudelior. *Nihil est* enim, *quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quàm clementia.* Hæc Cæsarem Deum fecit. Hæc Augustum consecravit. Hæc patrem tuum præcipuè ornavit. Deniq; si ex animi mei sententia de bello esset judicatum: nec Avidius esset occisus. Esto igitur secura: Dij me tuentur: Dijs pietas mea cordi est. Ad Senatum autem in hanc sententiam scripsit: Deportari redcant: proscripti bona recipiant: atq; utinam possem multos ab inferis excitare. Quare Avidij Cassij liberis, & genero, ut uxori veniam dabitis. Quid dicam veniam, cùm illi nihil fecerint? Vivant igitur securi sub M. Antonino. Vivant in patrimonijs parentum: sint divites: sint securi: sint vagi & liberi: & per ora omnium ubiq; populorum circumferant & meæ & vestræ pietatis exemplum. *Hæ epistolæ M. Antonini extant apud Vulcatium. Strig. 2. Sam. 19.*

IIII. Titus Imperator cùm admoneretur: non decere ipsum tam facilè quibuslvis, quod peterent, concedere: priùs quàm quale & quàm æquum & facile factu, quod peteretur, expendisset: convenienter Principi, & scitè respondit (quod æterna memoria dignum) ut à Deo, sic à Principe, quo nihil illi similius, neminem non contento & amico animo dimitti oportere. *Ioh. Spinam pag. 136.*

V. Refert Seneca, Neronem, in principio sui Imperij, cùm ei, pro more, allata esset obsignanda capitalis sententia in sontem à Senatu lata, bis terve recusasse: tandè victum, ut misericordem simularet, & Principis clementis famam acquireret: optasse se nunquam scribere didicisse. Non ignorabat enim: *clementiam primam esse virtutem ad benevolentiam bonamq; famam apud omnes Principi conciliandam*: ejusq; vicia tegenda ne videantur: aut certè faciliùs ferenda: ut exemplis Davidis & Iulij Cæsaris patet. Nam sub hoc clementiæ pallio illius perfidia, hujus verò pestilens ambitio ita tectæ fuerunt: ut nihilominus maximi & fortissimi Principes post homines natos existimarentur.

VI. Iulianus Apostata illos imitatus videtur. Nam ut ne tyrannus aut crudelis haberetur: aliam prorsus viam à superioribus Imperatoribus in persequenda Ecclesia tenuit. Illi non magis sanguinem Christianum miserabantur: quàm lanij pecudum. Hic verò, etiamsi illos malo animo & tyrannico æquaret: morbum tamen fucata mansuetudine ita dissimulare ac tegere scivit: ut ab historicis & politicis hominibus in numero bonorum & moderatorum Principum sit positus. *Idem pag. 137.*

VII. Philosophus Athenodorus, Augusti Cæsaris præceptor, cùm præ senectute aulicos labores ferre ampliùs non posset: itaq; veniam domum redeundi peteret: in qua pacatè reliquum vitæ tempus traduceret: Imperator priùs, ut quædam sibi relin-

quæret præcepta, petijt: quæ utilissima & perneccssaria crederet ad rectam imperij gubernationem. Ad illa nihil aliud respondit Athenodorus: nisi, ut nihil faceret iratus: & si quando irascerctur: ut, priùs quàm quicquam vel diceret vel faceret: viginti quatuor Græcæ orationis elementa per digitos numeraret: quò interea rationi exurgendi spacium daretur: significans, *inter virtutes, quæ maximè Principem deceant, esse moderationem & temperantiam.*

VIII. Vt & Pericles suo exemplo testatus est. Nam in lecto jacens moriturus, cùm circumstantes ipsum laudarent; & alij victorias & trophæa, alij prudentiam & in regenda pacis tempore Republica dexteritatem, alij eloquentiam & suadendi ac dissuadendi quicquid vellet, facultatem, alij magnificentiam tum in ædificando, tum in œconomia, alij alias virtutes ejus commemorarent; his auditis, Miror, inquit, hæc vos celebrare & in ore habere facta mea: quorum partem sibi fortuna vendicat: & quæ multis jam obtigerunt Ducibus: præterire autem excellentissimum & maximum. Nemo enim ex omnibus civibus mea opera pullam vestem sumpsit: indicans, *primam & præstantissimam Viri Principis virtutem esse clementiã & modestiam.* *Idem pag.* 138.

IX. Magnus Scipio, flos & imago veræ nobilitatis, ex suis Ducibus cuidam dicenti, urbem, quam obsideret, expugnari posse, expositis morti trecentis circiter militibus, respondit: se unum civem servare malle: quàm mille hostes interficere. Ac sanè officium est Principis, defendere, nutrire, juvare, conservare, ferre & solari omnes ærumnosos & calamitosos; & tanquam asylum esse ac perfugium afflictorum. *Idem pag.* 140.

X. Cuidam Philippum laudanti, quòd Olynthum subverterat, Lacedæmonius respondit: At talem civitatem non posset condere: indicans, hoc quàm illud magis ad Principis laudem pertinere. Quis enim non facilè magnificentissimam regiam demoliatur? Quis non omnia regni ædificia incendat? Sed perpauci condere & reædificare possunt. Arbor quæ per centum annos creverit, una aut altera hora secari potest. Ex his Reges & magnates benevolentia & benefactis potiùs, quàm oppressionibus & ruinis publicis quærere famam immortalem discere deberent.

XI. Sylla Dictator se felicem existimabat: quòd Athenarum urbem, quamvis inimicam, captam conservasset: nec vindictæ cupiditate in illam sævijsset.

XII. Pompejus post mortem Sertorij, cùm epistolæ potentissimorum in Vrbe virorum, qui Reipublicæ statum novare cupiebant, ipsi allatæ essent, timens ne majora, quàm restincta erant, excitarent bella, eas ne inspectas quidem concremavit. *Idem pag.* 141.

XIII. Idem fecit Cæsar post victoriam Pharsalicam: cùm literæ inimicorum ipsi essent allatæ.

XIIII. Memoratur etiam Ludovicus duodecimus hujus nominis, Galliæ Rex, nũciata ipsi repentina Caroli octavi morte, qua, ut stirpi regiæ proximus, ad successionem vocabatur, continuò, procumbens in genua, Deo gratias egisse: & duo quædam ab eo precatus esse: unum, ne unquam injuriarum, quas ab inimicis acceperat, meminisset. Vnde tum hic, tum illi, majorem merentur laudem: quàm vel ex ipsis victorijs: quas de hostibus reportarunt gloriosissimas. Nullus enim generosior animus eo; qui perturbationes suas vincit: nec insigniora trophæa ijs: quæ de nobis, à nobis ipsis

superatis,

superatis, erigere possumus; nec magnificentiores triumphi ijs: quos agere licet: cùm carnem nostram & ipsius concupiscentias servas & captivas ducimus, *Idem pag.* 142.

XV. Carolus Ludovici IX. Regis frater, qui postea regnum Neapolitanum adeptus est, accepto imperio à Rege, ut in Monspelianos, qui regios quæstores ac magistratus occiderant, animadverteret: arces quidem urbis ac mœnia solo exæquavit: civitati jura collegiorũ & corporum eripuit: campanas sustulit: cives centum ac viginti aureorum millibus mulctavit. Sunt qui putant, sexcentos sorte ductos, ad supplicia tractos fuisse: quorum tertia pars incendio, totidem suspendio, cæteri aquis perierint. Ita quidem judicatum ac decretum fuerat ad terrorem: sed Princeps optimus innoxios exemit: cùm cædes illa magistratuum nullo suscepto consilio, vel civium concione convocata, temeritate ac licentia plebis contigisset.

XVI. Eadem lenitate Carolus VI. Rex Francorum Parisios rebellantes penitus exarmavit: ac auctoribus supplicio affectis, civium universitatem gravi mulcta coërcuit.

XVII. Sapienter etiam T. Quinctius: cùm legiones seditiosè tumultuantes plectere salva Republica non posset: nec milites in urbem redire tutum arbitraretur: ipse Romam profectus rogationem ad populum tulit: Ne cui militum fraudi esset secessio: id summa Senatus populiq; Romani voluntate obtinuit.

XVIII. Consimili prudentia Scipio Africanus pater seditionem exercitus ad Sucronem triginta militum supplicio compescuit. Hic Livius, Certabatur, inquit, utrum in autores tantùm seditionis triginta animadverteretur: an plurium supplicio vindicanda defectio magis esset quàm seditio: vicit sententia lenior: ut unde culpa orta esset: ibi pœna consisteret: ad multitudinis castigationem satis esse. Scipio verò in oratione ad milites, Se, inquit, non secus, quàm viscera secantem sua, cum gemitu & lacrymis triginta hominum capitibus expiasse octo millium noxam. *Ioh. Bodinus lib. 3. de Repub. cap. 7. pag.* 541.

XIX. Antiochus Magnus Asiæ Rex cùm per Hermeam magistrum militum de Seleuciæ civibus, qui à se defecerant, pœnas sumeret: Hermeas plurimos proscripsit ac deportavit: jura collegiorum ac universitatis, cæteraq; beneficia urbi concessa dempsit: ac mille talentis Atticis urbem mulctavit. Rex Antiochus exules revocavit: civitati beneficia restituit, decima ferè parte mulctæ contentus.

XX. Henricus II. Rex Francorum, Annam Mommorantium magistrum militũ rebellantes Aquitanos propter salarium vectigal, ac præcipuè Burdegalenses castigare jusserat. Ille cum Iudicibus re communicata, publicas ædes, in quibus cives convenerant, solo æquari, beneficia ab antiquis retrò Principibus urbi concessa lacerari, defectionis autores capite plecti, exercitum omnibus stipendijs & commeatu sustentari, ac centum circiter aureorum millia fisco dependi jussit. Rex abolitionem civitati ac beneficia, paucis quibusdam exceptis, restituit; mulctam etiam & exercitus stipendia indulsit.

XXI. At Carolus V. Imperator Gandavorum defectiones & injurias suis majoribus illatas uno ultus est & eodem judicio: non tam crudeliter, quàm prudenter. Cùm enim sua edicta publicè lacerare prætorem urbanum cives coëgissent: & legatos ad Franciscum I. Regem Francorum misissent: ut patrocinium urbis reciperet: eoq; recusante cæteros ad defectionem invitarent: Senatus Hispanorum urbem solo æquari oportere decreverat; civium bona in fiscum cogi. Imperator tamen patriæ ac urbi,

in qua natus & educatus fuerat, pepercit. Triginta defectionis autores capite punijt: jura corporum & collegiorum omnium sustulit: civitatem agri, publici parte ac beneficijs omnibus privavit; arcem deniq; munitissimam pecunia civium construi, ac præsidio militum firmari jussit.

XXII. Non ita multò pòst Franciscus ipse, qui Gandavorum patrocinium repudiârat, Rupellanos ob salarium vectigal rebellantes, orationis majestate perterruit: ac pecunia mulctavit: supplicio tamen affecit neminem; qui etiam integra libertatis & collegiorum jura civitati reliquit: testatus illud, non minorem sui vindicandi occasionem habuisse: quàm Carolum V. suas tamen laudes civium salute, quàm exitio, & clementia, quàm crudelitate, cumulare voluisse.

XXIII. Idem Carolus V. Imperator summa lenitate in omnes ordines Hispanorum usus est: cùm non modò ab se defeciflent: verùm etiam Calabriæ Ducem Regem creavissent; qui beneficium illud tam perniciosum repudiavit. Carolus neminem ex tanta multitudine puniendum putavit. Prudenter ille quidem; quippe universa Reipublicæ membra secare oportuisset. *Idem ibidem.*

XXIIII. Einhardus Archicapellanus Notariusq; Imperatoris Caroli Magni, cùm in aula regia laudabiliter serviens, diligeretur ab omnibus: à filia quoq; ipsius Imperatoris, Imma nomine, Regi Græcorum desponsata, amabatur ardentiùs. Aliquantum temporis fluxerat: & amor alterius quotidie inter ambos per augmenta crescebat. Vtroq; enim timor retardavit & offensio regia: ne tam gravia conveniẽdi irirent conamina. Sed amor improbus omnia vincit. Deniq; cùm idem vir egregius inremediabiliter amando æstuaret: auresq; virginis per internuncium appellare non præsumeret; novissimè sumpta de semetipso fiducia, nocturno tempore latenter ad puellæ tendebat habitaculum. Ibidemq; pulsans clanculum, & intrare permissus, tanquam allocuturus juvenculã de Regali mandato, statim versa vice solus cum sola, secretis usus alloquijs, & datis amplexibus, cupido satisfecit amori. Interea cùm jã appropinquante luce diei, per silentia noctis, unde venerat, regredi vellet, de improviso nivem haud modicam decidisse cognovit: & ne per vestigia pedum virilium agnitus proderetur, foràs exire timuit: amboq; pro conscientia facti, anxietas simul & formido intus remanere compulit. Cumq; nimia sollicitudine fluctuantes, quid facto opus esset, deliberarent; tandé elegantissima juvencula, quam audacẽ faciebat amor, consilium dedit; ut ipsa quidem super se insidentem inclinata exciperet; eumq; usq; ad locum illius hospitio contiguũ ante lucanum deportaret: ibiq; depositio, rursum per eadem vestigia cautiùs observata rediret. Eum noctem Imperator divino (ut creditur) nutu insomnem duxit; diluculoq; consurgens, eminusq; de aula prospiciens, intuitus est filiam suam sub præfato onere nutanti gressu vix incedere: & ad conditũ locum depositia, quam gestabat, sarcina, celeri repedare recursu. Quibus multo intuitu perspectis; Imperator partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen absq; divina dispositione id fieri reputãs, sese continuit; & visa interim silẽtio suppressit. Interea Einhardus sibi conscius, certusq; rem nullo modo Dominũ suum Regẽ diu latere posse, tandem inter angustias reperto consilio Imperatorem aggreditur; flexis genibus missionem postulans, asserẽs tot & tantis servitijs suis condigna non rependi præmia. His auditis, Rex, dissimulato rei & eventu & exitu, diu conticuit: dehinc cum certificans, se postulationi ejus quantociùs responsurum, diem constituit: statimq; consiliarios, primosq; sui regni & cæteros quosq; sibi familiares, passim evocatos convenire jussit. Congregata itaq; ma-

gnifica

gnifica diversarum dignitatum frequentia, ita exorsus est: Imperatoriam, inquiens, majestatem nimis injuriatam esse & despectatam, in indigna filiæ suæ Notarijq; sui copulatione, & exinde non mediocri sese agitari perturbatione. Quibus nimio stupore perculsis, & de rei novitate & magnitudine quibusdam adhuc ambigentibus: Rex innotuit eis evidentiùs, referēs eis à primordio, quid per semetipsum oculata fide cognoverit: consiliumq; eorum atq; sententiam expostulans super hoc. At illi inter se diversi diversa sentientes, in præsumptorem hujus rei duras & varias dedere sententias; alijs sine exemplo puniendum, alijs exilio damnandum, alijs alio modo disperdendum, ut cuiq; impetus erat, adjudicantibus. Porrò quidam ex eis tantò mitiores, quantò sapientiores, habita secum deliberatione, quàm intimè Regem exoravêre, quatenus ipse rem per semet ipsum examinare, & secundum divinitus ei collatam sapientiam diffinire dignaretur. Verùm ubi Rex singulorum circa se affectum ponderavit: & inter diversorum sententias, quid potissimum consilij sequeretur expendit; sic eos alloquutus est: Non ignoratis, inquit, humanum genus varijs subjectum esse casibus, & frequenter evenire, ut res nonnullæ, quæ contrarijs initijs inchoantur, meliorem aliquando sortiantur exitū. Proinde non est desperandū; sed potiùs super hac re, quæ & gravitate & novitate sui nostrum exuperat ingenium, divinæ providentiæ, quæ nunquam in sui dispositione fallitur, quæq; etiam malis bene uti novit, pietas est exspectanda & expetenda. Quapropter tam tristis facti à Notario meo non exigam pœnas: per quas infamia filiæ meæ magis videbitur augeri, quàm minui. Vnde digniùs & laudabiliùs Imperij nostri gloriæ arbitramur congruere; ut, data adolescentiæ venia, legitimo eos matrimonio conjungā; & rei probrosæ honestatis colorē superinducam. Regis igitur audita sententia: fit incomparabile gaudium, magnitudoq; animi ejus ac mansuetudo summis effertur laudibus. Interim Einhardus jullus adesse, ingreditur: quem Rex exopinatò salutans, ita eum placido vultu alloquitur: Iamdudum auribus nostris à vobis delata est querimonia: quòd servitijs vestris regali munificentia hactenus non responderimus dignè. Sed (ut verum fatear) maximè super hoc culpanda est vestra negligentia: quandoquidem licet sustineā tot & tanta negotia solus: tamen si quid voluntatis vestræ conceptum haberem: servitia vestra digno fuissem prosecutus honore. Verùm ne vos diuturno sermone protraham: querimonijs vestris ampliſſima donatione satisfaciam: & ut vos etiam fidelem mihi, ut priùs, & benevolum post hac sentiam: juri vestro nuptui tradam meam filiam, vestram scilicet portatricem: quæ quandoq; altè succincta vestræ subvectioni satis se morigerā exhibuit. Protinus ad Regis edictū cum multo comitatu adducta est ejus filia: quæ roseo vultu perfusa rubore, tradita est per manus patris in manus prædicti Einhardi, cum dote plurima, prędiorū quoq; nonnullorū, cum innumeris auteis argenteisq; donarijs, alijsq; pretiosis supellectilib. Quibus etiam pijssimus Imperator Ludovicus post obitū patris, prædia sua, videlicet Michelenstat & Mulenheim, quæ nunc appellatur Seligenstat, tradidit. *In Appendice Commentarij Originum Palatinarum Marquardi Frehers, pag. 9. 10. 11. 12.*

*Ad hāc regulā, cùm ferè sit eadē cum LXIIII. plura, sitanda prolixitatis ergò, addere noluimus. Si quis de clementia & æquitate, necessaria principib. viris virtute plura desiderat: inter alios legat Franc. Patrit. lib. 5. de regno, tit. 10 p 319. 320. 321. 322. & lib. 6. de Rep. tit. 5. p. 292. Itē Anti Mach. lib. 3 p. 473. 659. 660. 661. usq; ad 671. & 674. 675. 676. & 690 usq; ad 699. Et Pet. Greg. Tol. lib. 8. de Rep. c. 9 p. 582. & lib. 22. c. 8. p. 1396. 1397. Et Iob. Iov. Pontan. lib. de Principe, p. 93. b. Itē Aphor. polit. Danæi. p. 154. Apud hos autores allegatos multa ad Reg. LXIIII. & hāc CXXXII pertinentia invenies.*

# CXXXIII.

*NImia imperantium crudelitas & avaritia facit: ut quæcunq; occasio occurrerit: subditi statim rebellent.* Aphorismi L. Danæi pag. 112.

*Regum in proceres crudelitas, aut insignis injuria, multarum in eum commutationum causa est, ac sæpe etiam regni amittendi.* Idem pag. 185.

*Principum in proceres, populo charos, crudelitas, facilem seditionis occasionem populo præbet.* Idem pag. 189.

*Nulla est tam effœminati animi, ac tam projectæ ac servilis patientiæ natio: quæ non malit centies mortem oppetere: quàm Principis, à civili sanguine principatum inchoantis, jugum imperiumq; subire. Quòd si vis cogat frenũ accipere: diuturniortamen, quàm vis ac necessitas, principatus esse non potest.* Anti Machiavel. lib. 3. pag. 554.

*Quis speret, Principem, qui tam ferali introitu principatus initia consecraverit, deinceps meliùs acturum, utcunq; simulatis & quæsitis blanditiis clementiæ fidem facere studeat? Ubi enim semel tantæ atrocitatis imago occupavit animos: ita pertinaci-*

ter

*ter hæret: ut inde quamlibet longa humanitatis demonstratione elui exserivé nequeat. Idem pag. 556.*

## EXEMPLA.

I. Sic Carthaginensium crudelitas & avaritia Afros ad rebellionem, oblata occasione, impulit. Nam superbè nimiùm atq; avarè Africæ populis imperaverant; universorum fructuum medietatem abstulerant: tributa in civitatibus duplicaverant: nullum etiam ijs, qui per ignorantiam deliquerant, remittere crimen voluerant. Duces eos duntaxat honestaverant: non qui benignè ac clementer se gessissent: sed qui grandem ærario pecuniam cumulassent: quamlibet injustè per eos in populũ sævitum esset: qualis fuit Anno. Quibus rebus factum est: ut populi Africæ non solùm hortatu multorum, verùm etiam unico nuncio facilè ad rebellionem induci posse viderentur. *Polyb. lib. 1. pag. 97.*

II. Sic Harpagus injuriam sibi factam ab Astyage, qui epulandum illi proposuerat proprium filium, defectione & delatione regni ad Cyrum ultus est. *Vide Herodot. lib. 1.*

III. Ab Apryi Rege AEgyptio defecerunt AEgyptij: imputantes ei cladem illam ingentem: quàm à Cyrenæis acceperant: opinati se ab illo in apertam perniciem fuisse dimissos: ut his interneccione deletis, ipse cæteris AEgyptijs imperitaret securiùs. Hæc per quàm graviter ferentes tum ij, qui redierant, tum eorum, qui interierant, amici, ingenuè desciverunt. *Vide eundem lib. 2.*

IIII. Id Olivarij Firmani exemplo doceri potest: qui brevi sublatus est. Ille enim specie amicitiæ propinquos & cives suos, à quibus honorificè exceptus fuerat, per summum scelus interfecit.

V. Neq; multò aliter Cæsar ipse Borgia: qui ijsdem artibus, nempe crudelitate & immanitate, Romandiolæ principatum occupaverat.

VI. Agathocles tyrannidem quidem Siciliæ invasit, Syracusarum Principibus per dolum interemptis: sed dignum sceleribus exitum habuit. Nam quasi angustioribus insulæ terminis clauderetur: spe amplificandi regni, è Sicilia in Italiam trajecit. Sed cùm eorum, quos in partes & consiliorum societatem attraxerat, immutata voluntate, omnia ei in Italia aspera fœdaq; evenissent: irrito incepto regredi coactus, ægritudine animi & morbo consumptus est. *Anti Machiavel. pag. 554. 555.*

## CXXXIIII.

*POtentia magistratuum nimiùm aucta, plerunq; cives ad tyrannidem invitat.* Tutius igitur est magistratuum autoritatem restringere, quàm augere. Nam (ut

Aristoteles ait) *quantò magis reprimitur potestas, tantò magis diuturna erit: tum quòd minùs invidiæ obnoxia est: tũ quòd summissiùs se gerunt, qui imperãt.* *Francisc. Patrit. lib. 6. de Repub. tit. 5. pag. 282. 283.*

*Desperatio aliquando plebis propter magistratuum injurias, populares viros audaces nonnunquã extollit, contra paucorum potentiam: qui aut à potentioribus opprimuntur: aut tyrannidem invadunt.* Nam ubi plebs à paucis oppressa est: alij ultionem affectant: alij servitutem fugiunt: alij catenas ac secures à cervicibus excutere nituntur: alij à perpetua formidine ac timore falsi judicij aliquando liberari cupiunt: quæ quidem res rarò à sapientibus viris tentari possunt: fiunt autem à temerarijs & audacibus: & jus jure pellitur: clavusq; clavo truditur: ut est in veteri proverbio. Nam ultor ille, qui plebem à paucorum potentia liberat, ubi insolentiùs se gerit: & levibus nonnunquam causis ultorem in seipsum armat. *Idem pag. 289.*

## EXEMPLA.

I. Decemviri illi, qui cùm imperio scribendis legibus præerant, jam civili autoritate abutebantur: & pleraq; per vim agere nitebantur: sed tandem non sine seditione ac cæde ex magistratu dejecti sunt.

II. Sic & triginta illi cives, quos Athenienſibus præfecit Lysander Lacedæmonius, postquam veneno & ferro in complures præclaros viros grassati sunt, scelerum pœnas dederunt: quibus exitium Philosophorum sanctissimus Socrates vaticinatus est: antequam eorum jussu mortiferum poculum hauriret: & præcipuè (ut ajebat) Critiæ: qui necis suæ nefario judicio autor fuerat: cùm ait, se id poculum eidem propinare ac præguſtare. Nam paulò pòst Thrasybulus, Lici filius (vel ut dicunt) Thrasonis, vir magnitudine animi & amore in patriam nulli inferior, cùm cerneret tyrannide triginta civium oppressas Athenas teneri: & optimos quosq; viros partim exilio pulsos: partim interfectos: plurimos autem bonis multatos: de vendicanda in libertatem patria cogitavit: accitisq; paucis exulibus: Phylam castellum munitissimum occupavit: bellumq; Tyrannis indixit: & quamvis principiò præ inopia & militum paucitate contemptui irrisioniq; esset: tamen succedente fortuna exercitum

contra se missum, primo impetu armis impedimentisq; exutum, in urbem usq; fugavit. Secundo autem prælio Critiam Tyrannorum ducem fortissimè dimicantem interemit: quo quidem facto, oppressam patriam liberavit, multatis exilio Tyrannis, qui prælio superfuerant; & decem duntaxat civibus; qui sævissimam præturam gesserant.

III. Theopompus apud Lacedæmonios regiam autoritatem ad mediocritatem quandam subegit: Ephorosq; primus instituit. Et cùm aliquando ab uxore quasi per ludibrium carperetur: Nonne erubescis, quòd filijs minorem regiam autoritatem relinquis, quàm a majoribus accepisti? prudenter admodum respondit: Non minorem eis, ô mulier, sed longè magis stabilem ac diuturnam relinquo.

IIII. Iulius Cæsar oblatam sibi regiam potestatem abdicavit: Dictaturæ nomen retinuit; quò magis invidiam fugeret.

V. Clisthenes, qui apud Sicyonios tyrannidem à patre acceptam exercuit, modestè admodum cum civibus suis se gessit: & cùm præstantissimus esset in re militari: oblata præmia pro victoria repudiavit: & judicem quendam, qui judicio victoriæ suæ contradixerat, muneribus affecit: ut populo ostenderet: se mediocritate quadam uti in cives suos; suumq; imperium non esse formidandum. *Idem pag* 282. 283. 284.

VI. Pisistratus populi favore solium conscendit: at ejus filij cùm duriùs violentiusq; se gererent, interempti sunt ab Armodio & Aristogitone: quæ res adeò grata fuit Atheniensibus; ut nomina & statuæ eorum, qui libertatis recuperandæ autores fuerant, ne à servis unquàm conspici possent, publico decreto sancitum sit. Iniquum namq; eis visum est; autorum libertatis imagines servili oculo pollui. *Idem pag.* 289.

# CXXXV.

*SÆpe quod privatum hominem decet: Principem non decet: ne sordidus habeatur: nec seipsum dedecoret, Remq; publicam, ac Principis majestatem.* *Iohan. Iovian. Pontan. lib. 4. de Obed. pag. 34. b.*

*Principibus sordidum visum est, ex mercaturis & negociationibus augere facultates: & privatorum impedire lucra.* *Petr. Gregor. Tolos. lib. 4. de Repub. cap. 7. pag. 206.*

## EXEMPLA.

I. Ipsi novimus regulos quosdam, quos pudeat nominare, tam improbè avaros: ut ne ab alijs, quàm ministris suis, etiam quæ alendis corporibus necessaria sunt, venderentur, publico edicto caverint: quod quidem tyrannorum est.

II. Carolus Malatesta Princeps Ariminensis, dicitur pincernam suum usq; ad excandescentiam objurgasse: quin etiam verberasse: quòd poculum, in qua musca desederat, pavimento effudisset; potuisse eam muscam tum gladiolo, tum frustillo panis vino eximi.

III. Robertum Regem Neapolitanum, à quo multa & pessima avaritiæ exempla in nostram usq; ætatem defluxere, propter aviditatem ingenij, & pecuniæ studium vehementius, hodie quoq; Fiscalem nominant. *Pontanus ut suprà.*

IIII. Cùm aliquando ad Constantinopolitanæ regiæ portum, navis oneraria, pondere sarcinarum gravis, eoq; usq; ad postremum vinculum referta, appulisset: Imperator Theophilus supernè prospectans, navemq; admiratus, per pedisequum, cujus ea esset, percunctatus, ut Augustæ suæ uxoris esse cognovit, recens à mercatura reductam: quam ab Imperatrice missi in Syriæ partibus fecissent; si quid alij sarcinarum in navi haberent, id statim eos efferre jussit: & nihil, quod ad Augustam pertineret, attingere. Quo facto, pulsis inde nautis, igne injecto, navim cũ ipsis sarcinis cremavit, Imperatricem maledictis incusatus: Mercaturam, inquiens, privatis hominib. esse attributã; ut ea tolerandæ vitæ occasionẽ habeant; nec mercaturæ emolumenta à Principibus intercipienda esse; unde tenuioris fortunæ homines victum sibi compararent.

V. Probatur lex Thebanorum, jubens, ut nemo habilis sit ad honores Reipublicæ suscipiendos, nisi decem annis à mercatura destitisset.

VI. Apud Romanos etiam cautum, ne negociatores militarẽt; nisi negociationem relinquant: quemadmodum & militibus negociari interdictum est, nisi velint militia privari.

VII. Ita & de nobilioribus statutum. *Petr. Greg ut suprà.*

## CXXXVI.

*Res ostendit, plurimùm exempla gubernatorum in utramq; partem valere.* Sed maximè valent in his: quorum est domestica familiaritas & assiduitas cum Domino. Vt enim timiditate Ducis, languefieri solet totus exercitus: sic ejusdem fortitudine ad res magno animo gerendas excitatur. Et verum est illud Platonis: Quales in Republica Principes sunt: tales reliqui solent esse cives. Eandem sententiam expressit Claudianus:

*Scilicet in vulgus manant exempla potentum.*
*Regis ad exemplum totus componitur orbis.*
*Vtq; Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.*

Verè igitur quidam dixit: Malò habere exercitũ Cervorum, duce Leone: quàm Leonum exercitum, duce Cervo. *Strigel. 1. Samuel. 17. Et 1. Sam. 3.*

*Cupiditatibus Principum & viciis inficiſolet tota civitas.* Nec verò tantum mali est peccare Principes: quanquam est magnum per se ipsum malum: quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum existunt. Non solùm enim vicia concipiunt ipsi: sed ea infundunt in civitatem: neq; solùm obsunt: quòd illi ipsi corrumpuntur: sed etiam quòd corrumpunt: plusq; exemplo, quàm peccato nocent: ut Cicero in tertio de Legibus præclarè dixit. *Idem 1. Samuel. 15. Et Petr. Greg. Tolos. lib. 6. de Repub. cap. 3. pag. 308.*

*Plerunq; sunt similes Principum & aulicorum mores & opiniones.* Vt Salomon inquit Proverb. 29: Princeps amans mendacia, habet omnes ministros impios. Id his bellis dictis Græci efferunt: Quales Dominæ, tales catellæ. Item: Quales Dominæ, tales ancillæ. *Idem Strigel. 1. Samuel. 18.*

*Magna vis est exemplorum in utramq; partem.* Vt enim à bonis discuntur bona, secundùm Theognidem: ita qui inter malos versantur: ij etiam, si quid fortè bonæ mentis habent, celeriter amittunt. *Idem in orat. de Salomone.*

*Quando mala exempla semel incipiunt vagari: postea nõ facilè tolli possunt. Et magnã inprimis vim habent Regum exempla. Plùs enim his vulgus movetur: quàm ullis aliis doctorum commonefactionibus.* *Peucer. in lect. Chron. die 2. Octob. Anno 1570.*

Consiliariorum culpæ quamvis mediocres fuerint, magnorum solent esse malorum causæ. *Ioh. Iovian. Pontan. lib. 4. de Obed. pag. 35.*

*Non potest Princeps, quantumvis simulator & cautus sit, efficere: quin Respublica suis vitijs inficiatur, vel virtutibus exornetur. Petr. Greg. Tolos. lib. 6. de Rep. cap. 3. pag. 309.*

## EXEMPLA.

I. Saulem parcentem Regi Agag (*1. Sam. 15.*) & melioribus ovibus, atq; armentis pinguioribus, populus reliquus etiam sequitur. Deinde cùm populus videret (*1. Sam. 17.*) Regi Sauli pavorem injectum à Philistæis, & eorum ductore Goliath: etiam populus flagitiosè timidus prorsus abijcit animum: & de victoria desperat.

II. Sic Iesabel filia Regis Sidoniorum nupta Regi Achab, importavit in regnũ Israël cultum Baal: & marito hortatrix fuit ad exercendam sævitiam in Prophetas.

III. Filia Achab impulit Ioram filium Iosaphat, ut coleret idola regnum Israël. *Strig. in orat. de Salomone.*

IIII. Magna & admiranda virtus fuit in Samuele: quòd non imitatus est prava exempla filiorum Eli. Itaq; verè de eo dici potest: quod de Fabricio Pyrrhus dixit, teste Eutropio: Ille est Samuel: qui difficiliùs ab honestate, quàm Sol à suo cursu dimoveri potest. Semper enim similis sibi ipse fuit: nec mutatus est ulla in re unquam. *Idem 1. Sam. 3.*

# CXXXVII.

*SÆpe Deus impiis gubernatoribus benefacit propter officium, & propter pietatem subditorum. Strigel. 2. Paral. 13.*

## EXEMPLVM.

De Rege Abiam scribitur, cor ejus non fuisse perfectum cum Domino: & secutum esse vestigia patris Rehabeã. Quòd igitur victoria contra Israëlitas potitus est: id magis officio & precibus piorum, quàm personæ ipsius tribuendum est. *Id. ibid.*

*Nullus*

# CXXXVIII.

*NVllus unquam Gubernator aut domi ſuam Spartam ornare, aut foris arma gerere potuit, aſpernantibus ſubditis perſcriptas ab eo leges.* *Strigel. in orat. de Legum obedientia, habita Ienæ, d. 13. Iulij, Anno 1550.*

## EXEMPLA.

I. Quàm felix fuit Alexander, cùm magni exercitus hunc juvenem ſequerentur? Non disjunctiſſimæ terræ citiùs cujuſquam paſſibus potuerunt peragrari: quàm hujus, non dico curſibus, ſed victorijs illuſtratæ ſunt. Quemadmodum enim torrens auctus hybernis nivibus, aggeres objectos perrumpit, & pontes labefactat: ita huic Duci prælianti omnia cesserunt; omnia prona fuerunt. Has tantas res nunquam profectò geſſiſſet: niſi milites ſponte ſua obtemperantes in exercitu habuiſſet.

II. Sic Athenæ, Sparta, & aliæ Respublicæ tantiſper floruerunt: donec cives ſummam gloriam duxerunt eſſe, non triumphos, non ullas victorias: ſed vincere alios diligentia obediendi legibus. Poſtquam autem Alcibiades, Hyperides, & horum ſimiles intolerabili petulantia & diuturna impietate leges violarunt: Respublica Athenienſis de ſuo gradu dejecta in exitium ruere cepit. *Idem ibidem.*

# CXXXIX.

*MVlta Heroici Viri faciunt fatali impetu: de quibus ſecus videtur alijs.* *Strigel. in orat. de Samſone.*

*Heroici motus ſunt ſupra regulam.* *Idem ibidem.*

*Heroici motus ſunt excellentes & fauſti impetus: qui ſuperant communes vires humanæ naturæ.* *Idem lib. 1. Eth. pag. 214.*

*Heroica exempla non congruunt ad communes Regulas: & illa velle imitari eſt* κακοζηλία. Sequamur

regulas

regulas generales: Heroibus relinquamus ſpeciales. Nam *illi privilegio ſpeciali ornati ſunt.* Nec omnia facta, quæ DEUS operatur in magnis & excellentibus Viris, imitanda ſunt cuivis: neq; examinanda accuratiſſimè ad communes vitæ humanæ regulas: juxta illud: *privilegia paucorum non faciunt legem communem.* *Multa faciunt Heroës ſpiritu liberiore, & impetu vehementiore: qui communem actionum metam, donorumq; vulgarem menſuram excedit. Eaq; ut ſunt ſingularia: ita univerſalibus regulis comprehendi nequeunt.* Maneamus igitur in communi regula à DEO tradita: & imitemur ea: quæ in genere vocationi noſtræ conveniunt: & ad omnes homines pertinent. Eandem Regulam tradit D. Bernhardus in concione de S. Martino, ubi inquit: Imitemur ſanctos in eo, quod eſt imitabile: non in eo, quod eſt mirabile. Ad menſam divitis hodie ſedes: diligenter conſidera, quæ tibi apponuntur. Diſcerne inter cibos & vaſa ciborum. Illos enim juberis tollere, non illa. Divites ſunt ſancti, meritis, miraculis, virtutibus & ſignis. Conſidera ergo, quænam tibi apponantur ad admirationem: quæ verò ad imitationem. *Bucholc. in Chronolog. pag. 171.*

*DEVS Viros heroicos, ad res arduas gerendas à ſe excitatos, donis vocationi ſuæ convenientibus inſtruere, armare & ornare ſolet.* *Idem ibidem.*

## EXEMPLA.

I. Cùm DEVS puniturus eſſet Palæſtinos: voluit Samſonem habere occaſionem; qua honeſtè cum eis dimicare poſſet. Ideo duxit Virginem natam in familia Palæſtinorum. Etſi enim hæc deſponſatio parentibus conſilij divini ignaris diſplicebit; tamen Samſon quærebat occaſionem inferendi bellum hoſtibus populi DEI. *Idem Strigel. in orat. de Samſone.*

II. Cùm

II. Cùm Alexander esset dimicaturus in Cilicia cum exercitu Darij: somno admodum profundo jacuit consopitus. Ea res cùm offenderet consiliarios Senes Parmenionem, Clytum & reliquos: accesserunt ad Dominum suum: & eum è somno excitarunt. Cumq; eum interrogarent, cur in tanto periculo dormiret? respondit Alexander: An non vicimus jam? significans se certum esse de obtinenda victoria. Ita ***dormientibus virís heroicis vigilat fortuna ipsorum.*** *Idem lib. 1. Eth. pag. 215.*

III. Moses occidit AEgyptium, vim inferentem viro Israëlitico. Facta est autem hæc cædes à Mose, non sola carnis ira, aut vindictæ cupiditate: sed heroica animi magnitudine, & peculiari quodam motu: cujus causæ nec reddi a nobis possunt: nec anxiè inquiri debent. Sensit Moses peculiari quod im motu ac zelo se accendi & rapi ad hanc vindictam exercendam, injuriamq; à sua gente depellendam. Fuit hoc illius factum tyrocinium vel specimen ejus liberationis: ad quam post annos 40. vocandus & mittendus erat. Nam quod tunc faciebat in uno: postea fecit toti AEgyptiorum populo. Innuunt hoc verba Stephani *Act. 7*: Existimabant intelligere fratres suos: quòd DEVS per manum ipsius daret illis salutem. At illi non intellexerunt. *Bucholc. ut suprà.*

# CXL.

*PVblica consilia regi nunquam tanta cura aut fide possunt: quin aliquid afferant: quod noceat conscientiæ. Nil enim flagitiosius est pleriſq; : qui corrumpunt aliorum sana consilia ——. Philippus lib. 2. epist. per Peucer. ed. pag. 474.*

*Nulla consilia magnarum rerum vacant periculis: quæ cùm ingens aliqua utilitas petitur, non semper recusanda sunt. Et pleraq; ratione regi ac mitigari possunt. Idem lib. 1. Epist. pag. 137.*

# CXLI.

*DVæ res* (ut inquit Thucydides in lib. 3.) *maximè obstant bonis consiliis, Ira & Festinatio.* Impedit

ira animum, ne possit cernere verum, inquit Horatius. Festinatio verò cœca & præceps est. Ad pœnitendum properat, citò qui judicat. Item, Præcipitis consilij comes pœnitentia. *Strigel. lib. 2. Ethic. pag. 287.*

Homines assefaciendi sunt ad sapientem contationem: qua se cohibere possint: donec re deliberata, cum quadam suavitae & elegantia faciant id: quod est rectissimum. Ideo Augustus Imperator dicere solebat: sat celeriter fieri: quicquid fiat satis benè: crebroq; illud jactabat: σπεῦδε βραδέως. Nam *duæ res bonis consiliis potissimùm adversantur, Ira & Festinatio.* Propter has causas retinuit Ioab aliquantisper filium sacerdotis Zadoc. Vtilissimum est enim sumpto spacio ad cogitandum paratiùs atq; accuratiùs dicere. *Idem 2. Samuel. 18.*

*Præcipitantia consiliis est inimica, & prudentiæ adversa. Præcipitantia parit errores: quos magnæ pœnæ, magnæ calamitates comitantur. In cunctatione autem multa insunt bona: quæ etiamsi non prima fronte apparent: tamen progressu tẽporis percipiũtur.* *Peucer. in lect. Chron. d. 8. Mart. An. 1572.*

Pindarus inquit: *Ira etiam sapientes turbat, ut peccent.*
Et Iuvenalis: *At vindictæ bonum vita iucundius ipsa.*
In Proverbijs dicitur: *Ira viri malum operatur.*

## EXEMPLA.

I. Theodosius Imperator cùm esset natura ὀξύχολος, jussit Thessalonicæ promiscuam multitudinem indicta causa trucidari, propter paucos milites in seditione interfectos.

II. Hieronymus scriptor Ecclesiasticus propter futiles contentiones de Origene, ita omnes irarum effudit habenas: ut amicum Ruffinum, cum quo annos triginta conjunctissimè vixerat, omnibus probris oneraret: & libros plenos atri salis, qui adhuc extant, adversus hominem rectè sentientem de summa controversiæ ederet. *Strigel. Psal. 4. pag. 34.*

III. Legi-

III. Legimus Imperatorem Cajum quosdam jussu interfici: quos postea desideraverit.

IIII. Audivimus Nicolaum V. P. P. cùm accusaretur Angelus Ronconius Tribunus militum: quòd aversо fugienti atq; undiq; clauso, liberum iter per Tyberim permisisset: in cubiculo quiescentem jussisse vesperi lege in illum agi: manè verò ubi experrectus fuisset, dixisse ijs qui aderant: velle se Angeli causam consultiùs cognoscere: cui cùm responderetur, fuisse jam in illũ intempesta nocte securi animadversum: incredibili esse dolore permotum. *Ioh. Iov. Pontan. lib. 4. de Obed. pag. 38.*

# CXLII.

*NON semper quæ imperata sunt, statim rectè fiunt: ab ijs præsertim, qui arcibus præfecti sunt: potißimumq; belli tempore: ne, dum parere student domino, arcem per imprudentiam hosti prodant. Iohan. Iov. Pontan. lib. 4. de Obed. pag. 138.*

Quamobrem & quibusdum jussis statim parendum non est: & belli ac pacis tempora consideranda sunt. Potest enim rerum commutatione fieri: ut nisi per inobedientiam manere subjectus in officio nequeat. *Idem pag. 138. b.*

## EXEMPLVM.

Fridericus Comes Vrbinas cautissimus Dux & bellicis rebus abundè clarus, victo fugatoq; Sigismundo Malatesta, qui plurimis oppidis in AEmilia, Piceno, Vmbriaq; imperitabat, cùm Verruculi arcem obsideret, natura & manu munitissimam: nec expugnandæ illius spes esset aliqua: arte præfectum aggressus, noctu clàm per idoneum hominem, Sigismundi nomine, adulterinas illi literas reddi jubet: in quibus diē statuit: qui missurus auxilia ad eum esset: interim bonum habere animum jubet. Itaq; ubi haberi fidem literis à præfecto videt: milites ad diem dictam mittit: quibus intra muros acceptis, confestim arce potitus est. Hoc facto Sigismundi res protrivit, atq; afflixit adeò: ut de illo actum fuerit. *Idem ibidem.*

## CXLIII.

*Consilia quò secretiora : eò securiora.*

Incredibile est, quantum eum, cui administratio rerum maximarum commissa est, juvet, ut omnia secreta habeat. Consilia enim ejus, si nota sunt, non solùm præveniri possunt atq; impediri : verùm etiam cùm animus ejus ignoratur, homines attoniti animoq; suspensi redduntur : ac timidi omnes illius actiones observant. Vnde porrò fit, ut cùm vel minimum movet moliturve : sexcenta sint aliorum commenta, varia judicia, variæ conjecturæ: qua re existimatio ejus atq; dignitas plurimùm augetur. Quapropter qui tali loco graduq; est : ministros suos ita instruat oportet, ut nõ solùm ea, quæ prorsus scire non licet, verùm etiam omnia illa, quæ nulla insigni utilitate evulgantur, taceant, secumq; habeant. *In Hypomnes. polit. Francisci Guicciardin. pag. 23. 24.*

### EXEMPLVM.

Quo tempore ad Alphonsum, Aragonum Regem, Principem prudentem & glorioſum, in Hispania legatione fungebar: cum non prùs publicare seu proponere, quàm approbare alijs consilia sua solitum fuisse observavi : sive bellum gerere, sive nova moliri, sive deniq; aliud aliquid maximi momenti aggrediendum putaret : quin econtrario ea usum prudentia scio : ut priusquam deliberationes animiq; sui cogitata intelligerentur : tacitè rumorem spargeret : & quasi per emissitios suos dissemi-naret : Regem his alijsve de causis meritò talia moliri debere : adeò ut credi vix possit : quanto cum omnium applausu atq; laude deliberationes ejus postmodum probatæ sint : cùm publicè proponerentur ea : quæ jam omnium calculis & quasi præjudicijs justa aut necessaria habebantur. *Ibid.*

## CXLIIII.

*Salutaria consilia sæpe sunt ingrata.* Strigel. part. 1. Chron. pag. 59.

Quando

*Quando Principes redeunt eò: ut ferre veras sententias non possint: sed expetant gratas tantùm: tunc propè adest interitus. Peucer. in lect. Chron. die 15. Martij, Anno 1572.*

*Præsagium Principum ruinæ nullum certius: quàm ubi DEVS mentem illis ita imminuit: ut, sapientum consiliis repudiatis, provehant homines novos, stolidos, vecordes & assentatores: qui omnia ad ipsorum gratiam faciant & loquantur. Nam simul atq; hæc eveniunt Principi: ipsi à DEO ruinam & perniciē imminere, certò statuere possumus. Anti Machiavellus lib. 3. pag. 583.*

Livius lib. 36: Sæpe audivi, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quod in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui neq; ipse consulere, neq; alteri parere sciat, eum extremi esse ingenij. Nobis quia prima animi ingenijque sors negata est: secundam & mediam teneamus: & dum imperare discimus: parere prudenti, in animum inducamus.

## EXEMPLA.

I. Curriculum Ieremiæ fuit dissimile aliorum Prophetarum gubernationi. Esaias non suasit deditionem urbis Ierosolymæ: cùm eam oppugnaret Rex Assyriorum Sennacherib: sed jussit eam defendi: & promisit Ezechiæ Regi divinum auxilium & defensionem. Sed Ieremias contra exempla priorum Prophetarum suasit deditionem & migrationem in exilium spontaneum. Ea cùm videretur esse pernicios, funesta & exitialis patriæ: displicuit aulæ. *Strigel. ut suprà.*

II. Rehabeamo magis placuit temerarium consilium juniorum: quàm moderatum & salutare seniorum.

III. Xerxes nullis potest persuaderi consilijs: ut expeditionem contra Græcos omittat.

IIII. Ptolemæus Aegypti Rex, ex quadam cum civibus suis offensa, Alexandria relicta, Romam venerat: ut a Pompejo & Cæsare reduceretur. Consultus hac de re

Cato, eum liberè reprehendit: quòd, relicta tanta felicitate, ingentibus se obijceret indignitatibus, laboribus, largitionibus, & avaritiæ Principum Romanorum. Consuluit autem, ut cum civibus suis rediret in gratiam. Sed spretum hoc fuit consilium. Vt primùm autem ad fores unius accessit, in magistratu positi: deflevit inconsulta sua cepta: quòd non tam boni viri, quàm ipsius Dei fastidisset oraculum.

V. Annibal cùm ad Antiochum in Asiam profugisset: eum de bello in Italiam transferendo sollicitare cepit, Italiam, subdens, & militem & commeatum externo militi præbituram. Cujus consilium si Rex secutus fuisset: Romanis de Italia retinenda denuo timendum fuerat: quod non multò pòst, cùm Rex, bello Thessalis illato, à Romanis victus esset, serò tandem unum Annibalem, quid facto opus fuerit, prævidisse, fassus est. *Hippolytus à Collib, in Consiliario suo, pag. 230. 231.*

# CXLV.

*AVdacia, temeraria, callida & ambitiosa consilia prima specie læta, tractatu dura, eventu tristia esse consueverunt. Strigel. part. 2. Chron. pag. 377. Et 1. Reg. 12. 1. Paral. 20. Et lib. 1. Eth. pag. 48. Regula hæc sumpta est ex Livio, lib. 5. Decad. 4.*

*Præcocia consilia sunt pernicioſa—. Phil. Camerar. in Op. succis. Centur. 1. cap. 55. pag. 241.*

*Etsi callida & audacia consilia & facta initiò sunt speciosa & plausibilia—; tamen inter tractandum fiunt dura: & tandem tragicum habent exitũ.* **Böse Tück lassen sich wol anfangen / Aber sie lassen sich nicht wol außführen.** *Strig. lib. 1. Eth. pag. 48.*

*Consilia ambitiosa & audacia, etsi prima specie læta sunt: tamen tractatu dura, & exitu tristia esse solent. Idem 2. Samuel. 2.*

*Prava & temerè susceptа consilia, duri & in-*

*fausti*

*fausti rerum exitus, plerunq; è vestigio consequũtur.*
*Philip. Camer. in Op. succis. Centur. 1. cap. 55. pag. 243.*

Laudatur non immeritò Ludovici XI Regis Galliarum dictum: Dedecus & detrimentum esse comites ac veluti pedissequas superbiæ & temeritatis. Experientia enim nos docet: Ambitionis exitum esse ignominiam: modestæ autem subjectionis gloriam. *Idem cap. eod. pag. 247.*

## EXEMPLA.

I. Primum prælium Hannibalis fuit cum Scipione patre Africani; in quo diu anceps pugna fuit: donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumvecti paululùm à tergo se ostendêre. Is pavor perculit Romanos: auxitq; pavorem Consulis vulnus, periculumq;, intercursu tum primùm pubescentis filij propulsatũ. Hic erat juvenis: penes quem perfecti hujus belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Hannibale & de Pœnis appellatus. Hoc primum cum Hannibale prælium fuit: quo facilè apparuit: & equitatu meliorem Pœnum esse: & ob id campos patentes, quales sunt inter Padum Alpesque, bello gerendo aptos non esse Romanis. Itaq; Scipio quamvis gravis adhuc vulnere erat: tamen proxima nocte tacito agmine profectus ad Trebiam fluvium, per Placentinos agros in Padum influentem, in loca altiora, collesq; impediriores equiti castra movit. Hujus Collega Sempronius ex Sicilia revocatus, temerè atq; improvidè parari ad certamen milites jubet. Sed culpa huius inquieti & ambitiosi Consulis, qui ponebat rumores ante salutem, ingens clades ad Trebiam accepta est. *Sturg. part. 2. Chron. pag. 376.*

II. Asahel frater Ioab & Abisai, fretus pedum celeritate, voluit hanc gloriam aufferre: quòd summum Ducem in populo DEI sustulisset. Sed interfectus à Duce veterano, pœnas graves stultæ ambitionis persolvit.

III. Sic Pindarus *Oda septima Isthmiorum* narrat, Bellerophontem elatum jam prioribus successibus, & parta gloria, cùm videret se à Pegaso per totum aërem vehi supra terras & maria, conatum esse etiam intra cœlum ad Iovem penetrare: sed ibi excussum à Pegaso, delapsum in terram, extinctum esse. *Strigel. 2. Samuel. 2.*

IIII. Consilium, quod Ionadab Ammoni filio Davidis dabat, de vi comprimenda sorore Thamar, etsi prima specie blandiebatur stultis affectibus: tamen exitu erat tristissimum. *2. Samuel. 13.*

V. Mardonius Xerxem, cupidum gloriæ, & elatùm fiducia humanæ potentiæ, incitavit ad movendum bellum non necessarium. Sed hoc consilium exitu triste fuit. Nam Xerxes post pugnam ad Salaminem in parva cymba fugit. Mardonium vir Spartanus interfecit, conjecto lapide in caput eius. Hic fuit exitus eius viri: qui præcipuè hortatõr fuerat eius belli.

VI. Sic mali consiliarij Rehabeam, adulantes injustis cupiditatibus Domini, occasionem præbent non modò distractioni duodecim tribuum: sed etiam novis idolis, & perpetuis bellis civilibus. *Strigel. 1. Reg. 12.*

VII. Ludovicus hujus nominis II. Hungariæ Bohemiæq; Rex, in flore ætatis suæ (agebat enim vigesimum primum ætatis annum) dignus certè longiori vita, infelix juvenis, cùm nescio imprudentiore an inauspicatiore consilio, cum exigua militum tumultuariorum, & magna ex parte rusticorum inermium manu, contra exercitatissimas copias Solimanni, stare non dubitaret, prope Mohacium in rivulo, Anno 1526. 29. Sextilis, miserè extinctus est. *Philip. Camer. in Oper. succis. cap. 55. pag. 241.*

VIII. Botherichæ, tum temporis apud Illyrios militum præfecti, auriga, pincernam Domini impudicè intuitus, de stupro interpellârat: eaq; de causa comprehensus, in vinculis erat. Instante autem solenni equestri certamine, populus Thessalonicensis illum, velut ad eam concertationem necessarium, dimitti postulabat. Quod quoniam non impetrabat: in gravem seditionem efferbuit: ac tandem etiam Botherichum ipsum interfecit. Qua renunciata, Theodosius Imperator præter modum excanduit: & certum eorum numerum, qui adfuerant, interfici præcepit: ex quo civitas multis injustis cædibus impleta fuit. Siquidem peregrini, qui modò vel adnavigaverant, vel de via advenerant, ex improviso apprehendebantur: fiebantq; miserabiles clades: in quibus & hæc quoq;. Mercator pro filijs suis duobus captis, seipsum offerens, orabat, vt filijs servatis, ipse interficeretur: & in eius facti mercedem, auri quicquid habebat, militibus pollicebatur. Illi calamitatem hominis miserati, pro uno ex filijs, quocunq; vellet, supplicationem admittunt: duos verò dimittere, tutum sibi non esse dicunt: ob id, quòd numerus deficeret. Pater itaq; vtrumq; lamentabundus ac plorans intuitus, neutrius electionem facere sustinuit: sed in continua hæsitatione, donec interficerentur ambo, suspensus mansit, æquali uti iusq; amore victus. Quin etiam frugi quēdam servum, accepi, pro Domino suo, qui ad lanienam raptabatur, alacriter tunc oppetiisse mortem. Talium igitur, ac talibus consequentium malorum, ut consentaneum est, Ambrosius Imperatorem insimulans, ab Ecclesia arcuit: & à communione secluſit. Imperator verò publicè coram Ecclesia peccatum confessus est: ac tanto tempore, quod illi ad pœnitentiam præfinitum erat, ut qui lugeret, Imperiali ornatu usus non est. Quin & legem quoq; illis irrogavit: qui imperialibus mandatis famulantur: ut in tricesimum usque diem supplicia differant eorum: qui ad mortem condemnati sunt: ut intermedio tempore Imperatoris ira mitigari, & placato ejus animo, misericordiæ locus esse possit. *Sozomenus in hist. Eccl. lib. 7. cap. 24.*

IX. Iacobus IIII. Rex Scotorum, præcoce & juvenili stoliditate & torpore, licet & divinitus (uti putabatur) & à suis proceribus admoneretur, seipsum atque potiorem partem nobilitatis Scoticę perdidit. Hoc sanè luculenter describitur à Buchanano *de reb. Scotic. lib.* 13. Dum Rex, inquit, ad exercitum proficiscens, Limnuchi vespertinas in æde sacra conciones audit: senex quidam ingressus est, capillo in rufo flavescente, ac in humeros promisso, fronte in calviciem glabra, capite nudo, veste longiuscula cyanei coloris amictus, ac linteo cinctus, cætero aspectu venerabilis: is Regem quærens, per turbam obstantium penetrat. Vbi ad eum accessit: rustica quadam simplicitate, super solium, in quo sedebat Rex, innixus, Rex, inquit, ego ad te sum missus: ut te admoneam: ne, quò instituisti, progrediaris: quam admonitionem si neglexeris: non erit è re tua: nec eorum, qui te comitabuntur. Præterea præmonere sum jussus: ne mulierum familiaritate, consuetudine aut consilio utaris: secus verò si facies: damno & ignominiæ tibi res erit. Hæc locutus turbæ sese immiscuit: nec, cùm precibus finitis Rex eum requireret, usquam comparuit. Quod eò magis mirum visum est:

quòd

quòd eorum, qui propiùs astiterant, atq; cum observarant, avidi multa ex eo sciscitandi, nemo ejus discessum senserat. Hæc Buchananus, sicut ex oculatis testibus cognovit, historiæ suæ inseruit. Verùm cùm Rex ista monita, nec non & suorum procerum, dissuadentium prælium cum Anglis, consilia salutaria contemneret: & amori nobilis fœminæ captivæ, omissa re militari, nimis indulgeret: ocioso; exercitui in agro sterili commeatus deficeret: & ideo extenuarentur ejus copiæ: paulò pòst memorabili prælio ad Fluidonem victus, & unà cum sua nobilitate fere è universa, cæsus est. *Camerar. cap. 55. pag. 244.*

X. Cùm quidam Princeps, nostra memoria, rerum successu momentaneo ferox, arcem quandam nobilis cujusdam in vicinia aliquantisper obsedisset; certis conditionibus (inter quas præcipua fuit: ut præsidiarijs potestas discedendi libera & tuta concederetur) in potestatem ejus tradita est. Evenit autem, cùm ipse cum exercitu eam intrare vellet: ut unus inter præsidiarios ex quadam summa arcis turri, nescius adhuc, quòd cum hoste pactum & transactum esset, emisso tormento majusculo, quendam non procul à Principe equitem interficeret. Quo facto, is ita exanduit, ut non habito respectu reliquorum præsidiariorum, quibus insciis cædes ista facta, & libere abitus permissus fuerat, eos omnes, unà cum Parocho, proximæ arbori, in qua hunc tanquam honoris causa, supremum locum tribuit, planè contra leges militares, & inter Germanos antea inaudito exemplo, suspendi jusserit. Etsi autem plerisq; ex consiliarijs Principis & militaribus Viris, hoc tam præceps & crudele factum displiceret; & secum tacitè id detestarentur: tamen veriti Principis iram, cujus alioquin usq; adeò potens non erat, non ausi sunt palàm contradicere. Verùm accidit, ut paulò pòst mitigato in Principe fervore animi, ipse & alij, non sine indignatione tam triste spectaculum, optantes facta infecta reddi posse, abominati sint. Et mox experientia demonstravit: omnia ejus & suorum consilia & actiones deinceps infaustas, cum sua & multorum pernicie fuisse: donec obæratus & extorris, non usitato morbi genere, inter acerrimos cruciatus extinctus fuerit. Eandem fortunam assecle ejus & suasores scelerum plerique experti sunt. Etenim Nemesis & interfectorum sanguis eos tam diu persecuti sunt: donec & ipsi miserè perierunt. *Idem Camer. pag. 246.*

XI. Cùm Athenienses nulla legitima causa, sed superba ostentatione potentiæ, Syracusinos debellare constituissent, & Thraces mercenarij milites tardiùs advenissent: quàm ut cum classe Athenienšium in Siciliam transportari possent: eos propter præsentem pecuniæ inopiam statim dimiserunt, nolentes tantis sumptibus civitatem onerare. Is in reditu Mycalessum civitatem mediterraneæ Bœotiæ, ex improviso occuparunt: domos privatas pariter & loca sacra diripuerunt: & homines obtruncarunt, nulli ætati parcentes, verùm omnes obvios pariter occidentes, etiam pueros & mulieres; insuper jumenta quoque, & quicquid vivum videbant, interficiebant. Thracum enim genus simile est his: qui maximè sunt barbarici: præsertim quando sunt securi: tunc avidissimi sunt cædis. Fuit igitur tunc in illa civitate magna perturbatio, tumultus, & omnis species exitij. Nam etiam in ludū literarium irruperunt: ubi pueri docebantur: quorum in ea civitate maximus numerus erat & jam primùm ibi convenerant: illos omnes jugularunt. Hæc calamitas Bœotiorum, quæ illis præcoci Atheniensium consilio eorumque pessimo auspicio accidit, fuit sanè atrocissima: neq; posthac ullum successum habuerunt Athenienses: sed amisso exercitu, & classe instructissi-

ma, ipsi tandem ex summâ felicitate in miserrimam servitutem inciderunt. *Idem pag.* 248.

XII. Crœsus audaci & temerario suo consilio sibiipsi fuit exitio, juxta oraculi versum: Crœsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

# CXLVI.

*IN re militari, & in omnibus penè aliis humanis actionibus, nihil cautione melius, nihilq; temeritate deterius. Francisc. Patrit. lib. 6. de regno, tit. 14. pag. 386.*

*Longè clariora sunt ea, quæ ratione ac prudentia fiunt: quàm quæ vi & audacia—. Idem lib. 7. de regno, tit. 7. pag. 452.*

## EXEMPLA.

I. C. Curio in Africa relictus à Cæsare contra Accium Varum legatum Pompeij Uticam obsidebat: in quam Varus profugerat. Iam cives præ inopia de deditione agebant; interea nuncij a Iuba Rege illum cum maximis copiis adesse nunciant. Curio certior rei factus, relicta obsidione in castra se recipit: illic à profugis quibusdam, per dolum missis, audivit, Iubam finitimo bello revocatum, in regnum rediisse: missisq; Saburam parvâ manu stipatum. Curio verò cùm id temerè crederet: educto exercita Saburæ occurrit: quem Rex cum ingenti multitudine sequebatur: & prælio inito undique ab hostibus circumventus, cum magna parte exercitus interficitur: dum juvenili furore concitus temerè credit.

II. Othoni Cæsari amici omnes dicebant, prælium protrahi oportere: quando & fame & angustiis locorum hostis urgeretur. Ille autem nemini auscultavit; sed temerè conflixit: & exercitum simul cum Imperio amisit: & sibiipsi mortem conscivit: Brixilliq; sepultus, omni exequiarum pompa, omniq; sepulchri honore caruit. Nihilque æquè in eo laudatur; quàm quòd post tantam temeritatem sibiipsi vim attulit. *Idem pag.* 386. 387.

III. Propter bellicas virtutes inprimis laudatur Viriatus: qui à Lusitanis (qui semper alios omnes Imperatores contempserant) ex pastore ac venatore, nulla majorum commendatione, Dux constitutus est, ob id solùm: quia cavendi peritia plurimùm præstitit.

IIII. Philippus quoq; Macedo, Magni Alexandri pater, hac etiam cavendi arte insignis habitus est. Gaudebat enim longè magis, decepto per dolum hoste: quàm aperto Marte superato: ut qui diceret victoriam, per dolum ac calliditatem sine suorum

cæde

cæde semper esse: illam autem, quæ collatis signis accideret, nunquam sine cruore ac strage. *Idem pag. 452.*

# CXLVII.

*TEmeritas Reges ac Duces odio invidiaq; obnoxios reddit. Francisc. Patrit. lib. 6. de regno, tit. 14. pag. 385.*

## EXEMPLVM.

Pompeius ex hoc etiam habitus est incautior: quòd inituru Pharsalicum prælium, classem, quam máximam omnium habebat, & per quam omnem commeatum hostibus arcere præcludereq; poterat, Corcyræ in anchoris oeiosam neglexerit: & qui equestribus pedestribusq; copiis certare poterat: & classem ad omnem oportunitatem paratam haberet: satis putaverit, terrestri manu decernere contra Imperatorem tot tantisq; victoriis elatum, & exercitum longis laboribus assuetum: & præcipuè cùm de summa rei ageretur: nec uter eorum vinceret, certamen esset: sed uter eorum imperaret. *Idem ibid.*

# CXLVIII.

*PErniciosa consilia plerunq; in autores redundant: à quibus profecta sunt.*

*Struens aliis insidias, sæpe ijsdem perit.*

*Nemo adeò ingeniosus fallendi artifex est: quin sæpius etiam ipse fallatur. Anti Machiav. lib. 3. pag. 587.*

*Constat dolos astusq; nunquam prosperè suis autoribus cedere; imò eos in casses, quos tendunt, sæpius incidere. Idem pag. 532.*

*Fraudes quæ perfidiam redolent, haud satis ferè feliciter eveniunt.* Nam (ut præclarè Athenienses dixe-

runt; cùm monerent AEtolos: ne temerè Romanorum societatem celeritate nimia consiliorum exuerent) *consilia callida & audacia, prima specie lata, tractatu dura, eventu tristia ferè sunt.* Idem pag. 533.

Gellius in Noctib. Atticis lib 3. cap. 5. narrat historiam de perfidia Aruspicum Hetruscorum: quodq; ob eam rem à pueris Romæ urbe tota cantatum sit: Malum consilium consultori pessimum est. Huc respicere videtur Ausonius: ubi in Trochaicis suis Terentiano proverbio, Tute hoc intristi, &c. confine quoddam subnectit: & Poëtæ Metaphoram altera quadam metaphora interpretatur:

*Tu molestus flagitator lege molesta carmina.*
*Tibi, quod intristi, exedendum est: sic vetus verbum iubet:*
*Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.*

Vera est itaq; Hesiodi sententia: cùm ait in opere, cui titulus est: Ἔργα καὶ Ἡμέραι·

εἰ δὲ σὺ τῷ κακὰ πύχῃ ἀνήρ, ἄλλῳ κακὰ πύχωρ·
καὶ κακὴ βέλη τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
*Ipse sibi nocet is, alium qui ladere quarit.*
*Consulti malè, consultori pessima res est.* Cam. in op. luc. c. 9. p. 35.

Item: πύχωρ ὃς ἑτέρῳ τί, ἑῷ κακὸν ἅπαλα πύχει.
*Qui alteri aliquid struit, suo epati malum struit.*
*Alterius capiti quod quis struit, id sibi quisq;.*

Item: ταῖς ἀυταῖς τέχναις τις ἁλώσεται, οἵσπερ ὑπῆρξεν.
*Arte alium qua quis capiet, capietur eadem.*

Item: οἷα τ' ἀνὴρ ἔρξῃ, τοῖον τέλος αὖτερ ἱκάνει.
*Qualia vir patrat, talis manet exitus illum.*

Versus Rhadamanti:

*Iusta malis hæc admisso pro crimine pœna est:*
*Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi.*

Seneca:

*Quod quisq; fecit, patitur: autorem scelus*
*Repetit: suoq; premitur exemplo nocens.*

Lucretius lib. 5.

*Circumretit enim vis atq; iniuria quemq;:*
*Atq; unde exorta est, ad eum plerunq; revertit.*

Vulgò dicitur:

*In magistrum scelera redierunt sua.* Seneca.

Lib. Sap. cap. 11:

δι' ὧν τις ἁμαρτάνει: δι' αὐτῶν καὶ κολάζεται.

*Per quod quis peccat: per idem punitur & ipse.*

Proverb. 26:

*Fodiens foveam incidet in eam: & voluens saxum, in ipsum impinget.*

*Ab altero expectes, alteri quod feceris, dixerunt Ethnici.*

Proverb. 14:

*Conatus meditantium perniciem, erunt irriti: Qui verò bona consilia agitant, experientur beneficentiam & fidelitatem.*

# EXEMPLA.

I. Haman, *Esther 7.* patefactis calumniis, quibus impetraverat edictum de tota gente Iudæorum delenda, pœnas meritas debitasq; persolvit. Nam de ea ipsa furca, quam Mardochæo erexerat, ipse suspensus est. *Strig. Proverb. 26. pag. 130. Vide infrà exempl. 24.*

II. Etsi consilium Achitophelis callidè excogitatum erat in perniciem Davidis: tamen divinitus impeditum est: & in caput autoris redundavit. *Idem 2. Sam. 17. Vide Chronolog. Buchol. pag. 328. Et Anti Machiav. lib. 3 pag. 391.*

III. Apelles Arato insidias struens apud Philippum Regem Macedonum, deprehensa calumnia, ipso eo supplicio afficitur: quòd Arato destinaverat.

IIII. Fridericum cum admorsa gena (ut nominatur) florentem, & nihil hostile metuentem, cepit Marchio VVoldemarus. Nec satis constat, qua de causa, quibusvè factum id sit occasionibus. Sed λύτρα poposcit Marchio oppida aliquot; de quib. cùm literas adferret ad nobilitatem Misnicam: negant Nobiles, se literis credituros esse: ac jubent certo die ipsum Principem adduci in locum certum: ubi coràm eius voluntatem cognoscant. Interea ita se parant: ut cùm adduceretur Dominus: eum hostib. eriperent. Hoc consilio Misnica nobilitas & Principem feliciter liberavit; & vicissim VVoldemarum comprehensum abduxit in arcem Aldenburgensem: cui accidit quod dicitur: Ταῖς αὐταῖς τέχναις τις ἁλώσεται, αἷσπερ ὑπῆρξεν. *In Chron. Philip. lib. 5. pag 559.*

V. Cùm Rex Pyrrhus populo Romano bellum ultrò intulisset: cumq; de Imperio certamen esset cum Rege generoso ac potente: perfuga ab eo venit in castra Fabritij: eiq; est pollicitus: si præmium ei proposuisset: se, ut clàm venisset, sic clàm in

Pyrrhi castra rediturum: & eum veneno necaturum. Hunc Fabritius reducendum curavit ad Pyrrhum: idq; eius factum à Senatu laudatum est. *Cicero 3. Officior.*

VI. Archelaus Rex Macedonicus, cùm tres legitimos hæredes interfecisset: & regnum invasisset; tandem interfectus est ab adolescente nobili: qui gladium ipsius epati infixit. Ideo versus de eo factus est: Qui struit alteri malum; struit suo epati malum. *Strig. 2. Sam. 17. Et Proverb. 14. pag. 68.*

VII. Alexander VI. Pontifex Romanus instruxerat convivium, invitatis nonnullis Cardinalibus, quos oderat. Duas igitur lagenas vini poni jusserat, alteram veneno infectam, alteram non. Ex infecta jusserat pocillatorem aliis, ex non infecta sibi & filio infundi ac præberi. Sed pocillator, seu lapsus memoria, seu justo Dei judicio regente eventum ita, permutatis lagenis, de intoxicata patri Pontifici & filio præbuit. Ita pater veneno periit: quod aliis paraverat. Filius post multâ medicorum operam, vix tandem mortem paulisper temporis distulit. Hic est Sextus, de quo versus recitantur:

*Tarquinius Sextus: Nero Sextus: Sextus & iste:*
*Semper sub Sextis Roma cruenta fuit.*

VIII. Notabile est, quod refert Cominæus de Cardinale Balvensi: qui crudelitatis minister Ludovico XI. Regi Galliarum fuit. Excogitaverat enim is Cardinalis carceres horrendos: quos eius instinctu Rex parari jussit (ij hodie quoque Lutetiæ conspiciuntur) caveas nempe aliquot, partim ferreas, partim ligneas ferreis laminis coopertas, latitudine octo pedum, & altitudine paulò majori: quam est statura hominis. Compedes etiam ferreas gravissimas fieri curavit: quibus illigarentur crura. Pedes vinciebantur annulo ferreo: ab eo pendebat immanis quædam catena: ad cujus exitum maximi ponderis globus. In has tetras caveas Cardinalis ipse, & quidem in eam, quæ primùm perfecta fuit, inclusus est: perq; totos quatuor decim annos detentus. Nec absimile Regi ipsi accidit. Etsi enim carceres illos tetros passus non est: tamen ad eundem planè modum ipse quoq; spontaneis vinculis sese induit: inque majori metu versabatur: quam illi, quos aliquando captivos detinuerat. Ita enim sese in arce quadam inclusit, & custodiis circumsepsit: ut, teste Cominæo, veluti oculato teste, nullus arctiori custodia coërceri potuisset: quàm ille seipsum cohibuit. *Camerar. in Oper. succis. Centur. 1. cap. 9. pag. 35. Philip. Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Carol. lib. 10. pag. 309.*

IX. Huc referri potest id: quod Frossard. *lib. 4.* & Bernardus Girardus *lib. 18.* in sua historia Francica, in vita Caroli VI. de pomo veneno tincto, quod regio puero præparatum, & inter ludendum objectum, sed à filio eius veneficij autoris comestum fuerat, scriptum reliquit. *Idem cap eod. pag. 36.*

X. Nec non & memorabilem historiam hac de re habemus: quæ Petro Portio Vincentino, dum Bargesium occupare insidiis nititur, contigit. Hanc Arnoldus Ferronus de rebus gestis Gallorum *lib. 9.* recenset. *Ibid.*

XI. Vix puto, exemplum, quod huic Regulæ magis conveniat, adduci posse: quàm Majonis Amirati magni, Gulielmi Regis Siciliæ. Is enim dum libidine imperandi, licet ex humili ortus genere esset, varia consilia interficiendi Regis tractat: tandem à Matthæo Bonello, juvene nobilissimo, & suo genero designato, interfectus est. Quam historiam præ cæteris memorabilem latè & eleganter describit Hugo Falcãdi

*in histo-*

*in Hist. ea de rebus gestis in Sicilia regno à pag. 20. usque ad pag 53.* ad quam historiam studiosos lectores remitto. *Ibid.*

XII. Eutropius Eunuchus, qui Imperatoris cubiculo præfuit, & primus ex Eunuchis dignitatem Consularem ab Imperatore obtinuerat, sedulò dabat operam: ut lex ab Imperatoribus promulgaretur: ne quisquam ad Ecclesias, tanquam ad asylum profugeret: sed ut hi, qui eò profugerant, inde abriperentur. Qua lege confestim ille ipse pœnas dedit. Nam simulatque promulgata fuit, Eutropius in offensionem apud Imperatorem incurrens, confugit ad Ecclesiam. Ioannes itaq; Chrysostomus Episcopus, cùm Eutropius ad basim altaris procumberet, & præ metu consternatus esset, assidens in suggestu, unde antea, quo facilùs audiretur, concionari solebat, orationem in reprehensionem eius habuit. Qua de causa nonnullorum animos admodum videbatur offendere: quòd hominem acerbè afflictum non modò non commiseratus est; sed contra vehementer redarguit. Eutropium igitur Consulari dignitate exornatum, Imperator ob delicta quædam ab illo admissa, securi percuti mandavit: & propterea eius nomen ex Consulum albo deletum fuit: & dignitatis illius titulus soli Theodoro Collegæ suo adscriptus. *Socrates hist. Eccles. lib. 6. cap. 5.*

XIII. Hoc præterea olim contigit ijs: qui autores malarum artium & suasores scelerum & crudelitatis fuerunt: sicut de Perillo Atheniensi legimus; qui uti existimavit, ex ære æneum taurum artificiosissimum Phalaridi fabricavit: in quo, si homines concremarentur: nimio dolore & cruciatibus boatum, non hominis vocem, viderentur emittere: & hoc supplicium, cùm munus à Tyranno peteret, autor primùm, ipsius jussu, est expertus. Vnde Ovidius:

*Et Phalaris tauro Violenti membra Perilli*
*Torruit: infelix imbuit autor opus.* Camerar. ut suprà.

Et alius: ——— *nec lex justior ulla est:*
*Quàm necis artifices arte perire sua.*

Et Claudian: *Quàm bene dispositum terris: ut dignus iniqui*
*Fructus consilij primis auctoribus instet.*
*Sic opifex tauri, tormentorumq; repertor,*
*Qui funesta novo fabricaverat ære dolori,*
*Primus inexpertum, Siculo cogente Tyranno,*
*Sensit opus: docuitq; suum mugire juvencum.*

XIIII. Eodem modo contigit cuidam Arnutio Paterculo; qui æneum equuleum ad excruciandos homines excogitârat. Non ideo frustrà in proverbio dicitur; Quòd plerunq; aliquis in foveam, quam alij paravit, præceps cadat. *Idem pag. 37.*

XV. Hac de re habemus præterea insigne exemplum apud Livium (*lib. 8.*) de veneficiis Romanis: cujus quoq; Valerius Maximus (*lib. 2. cap. 26. pag. 133.*) meminit: quæ cùm venena præparassent; quib. multi similibus morbis extinguerentur: neq; compertum esset, unde ista venirent. tandem ancilla rei veritatem detexit, mulieres videlicet fraude civitatem premi: matronasq; ea venena coquere. Negantib. autem hoc matronis, & ea medicamenta salubria esse contendentibus: eas bibere sunt jussæ istas decoctiones. Haud abnuentib illis bibere: epoto medicamento suamet ipsæ fraude omnes interierunt: id. oque extemplò reliquæ comprehensæ: ex quibus centum & septuaginta damnatæ sunt. *Camer ibid.*

XVI. Non

VXI. Non absimilis historia à Iustino historico (*lib. 39.*) refertur. Vixetenim Gryphus Rex Aegypti, recuperato patrio regno, externisq; periculis liberatus, matris insidias evasit. Hæc enim cùm cupiditate dominationis prodito marito Demetrio & altero filio interfecto, huius quoq; victoria inferiorem dignitatem suam factam doleret; venienti ab exercitatione veneni poculum obtulit. Sed Gryphus prædictis jam antè insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam jubet: abnuenti instat. Ad postremum prolato indice eam arguit, solam defensionem sceleris superesse affirmans, si bibat, quod filio obtulit. Sic victa Regina scelere in se verso, veneno, quod alij paraverat, extinguitur. *Ibid.*

XVII. Eandem fortunam experta est Laodice soror & uxor Mithridatis Regis potentissimi. Cùm enim commissa adulteria majore scelere tegere vellet: & marito & fratri venenum parasset: admonitus is ab anicilla facinus in autores vindicavit. *Idem pag. 38.*

XVIII. Hoc quoq; Prusiæ Regi Bithyniæ accidisse legimus apud eundem Iustinum *in fine lib. 34.* Dum enim consilium capit, interficiendi Nicomedis filij: isque ab iis, qui hoc facinus susceperant, admonitus esset, ut crudelitatem patris civeret: occupavit non solùm regnum paternum: sed etiam ab eo pater, non minori scelere, quàm quo filium occidi jusserat, interficitur à filio. Verè itaq; Ferron. (*lib. 8. de rebus gestis Gallorum*) dicit, Rectè sapientissimos homines prodidisse: ***DEVM magna exempla in caput inventientium regerere: ut iustissima patiendi vice, quod quisq; excogitarit alieno malo, sæpe excipiat suo. Sic multi ijsdem telis vel armis, quæ ipsimet confecerunt, perierunt.***

XIX. Vt de Mario, Tyrannorum, tempore Galieni Cæsaris, septimo, gladio proprio interfecto, legimus. Cùm enim uno die factus esset Imperator: altero visus est imperare: tertio interemptus est à milite: qui percussurus illum dixit: Hic est gladius, quem ipse fecisti. Nam fuit opifex ferrarius.

XX. Huc referri potest, quod Robertus Gaguinus (*lib. 10. cap. 29 histor. Francor.*) memoriæ tradidit. Per eos dies, *inquit*, anno salutis 1478 machina ingens, quam bombardam dicunt, Turoni conflata, & inde Parisium vecta, triste sui spectaculum præbuit. Ad D. Antonij portã extra muros, cùm instructa & composita prorsus à peritis ejus operis esset: dum pila ferrea, pondere quingentarum librarum, in cavum machinæ devoluitur: ignem excutit: quo pila ipsa repentè depulsa, machinæ inprimis autorem, moxq; quatuordecim ibi astantes viros, ita dissipavit: ut per aërem membra provecta ægrè inveniri & colligi potuerint. Longiùs quoq; evolans pila, aucupem avibus insidias ponentem oppressit. Alij præterea sex violentia spiritus & sulphuris fœtore gravem valetudinem incurrerunt. Iohannes Mangueus, qui machinam confl averat, fractatim per agrum receptus, apud S. Medericum sepultus est. *Camer. ibid.*

XXI. **Käyser Günther von Schwartzburg / als er sich zu Franckfurt etwas schwach befunden / hat er einen berhümten Artzt / Meister Freydanck genandt / zu sich fodern lassen / der ihme einen Tranck bereitet / vnd denselben gewaltiglich gelobet / wie er so kräfftig / köstlich vnd gut were Aber Käyser Günther hat gewolt / er solte ihn zuvor selbst kosten / welches der Artzt nicht gerne gethan / aber doch zuletzt hat thun müssen / darauff der Käyser das vbrige alles eingenommen. Der Artzt hat sich darauff bald entfärbet / ist vmbgefallen / vnd den dritten Tag hernach gestorben. Ge-**

schehen im Jahr Christi 1349. *M. Cyriacus* Spangenberg *in Chronico Mansfeldensi, cap. 288. partis prima, pag. 338. b.*

XXII. Anno Christi 1347. war Krieg zwischen dem Bischoff von Halberstadt / vnd dem Graffen von Reinstein. Nun hette der Bischoff einen Hauptmann / dem hette der Graff von Regenstein gedrawet / wo er jn anstreffe / vnd in seine Hände bekäme / so wolte er jhn an den nechsten Baum hencken. Darauff jhme der Hauptmann wider zu entpieten lassen / wer des andern am ersten mächtig würde / möchte jhn hencken / Er hette aber wol ehe gesehen / das einer einem andern eine Wiede gedrehet hette / daran er selbst were behangen blieben. Vnd verschwur sich derselbige Hauptmann auch darauff gegen dem Bischoffe / Er wolte sein Haupt nicht sanfft legen / er hette denn dem Graffen das beweiset / was er jhme gedrawet. Darüber verleufft sich nicht aller dinge ein Jahr / so stossen sie im Felde auffeinander / vnd sprechen einander an / auff gut Hoffrecht / darüber der Graffe gefangen worden / vnd als in der nähe kein Baum gewesen / daran der Hauptmann den Graffen hencken können / vnd er doch je sein Gelübd halten wollen / hat er den Graffen erstochen / darnach einen Spieß in die Erden gesteckt / vnd jhn also daran gebunden. *Idem Spangenberg. cap 286. pag. 336. b.*

XXXII. Darium ultimum Regem Persarum ad regnum vocaverat Bagoas: tamen ut semper in metu sunt Homicidæ, hunc quoq; metuens, veneno tollere Darium conatus est. Sed re indicata, Darius Bagoam venenum, quod in eo convivio Regi daturus erat, bibere coëgit. Ita Bagoas extinctus tandem scelerum suorum pœnas dedit. *Philip. lib. 2. Chron. pag. 92.*

XXIIII. Christianus Rex Daniæ magnam in Suecia, quam subegerat, exercuit crudelitatem, & planè nefandam immanitatem. Deinde rebus pro arbitrio constitutis, & tormentis hominum innocentum libidine animi expleta, in Daniam terrestri itinere redire contendit. Ad quamcunq; verò urbem devenisset: furcam erigi curavit: procurante Nicolao Holstenio: qui regio ex mandato Sudercopiæ in crucem à scipso erectam sublatus est. *Chytræus in Chronico Saxoniæ, lib. 9. pag. 264.*

XXV. Cùm Annibal Marcellum Imperatorem Romanum insidijs intercepisset: & ejus anulo cũ corpore esset potitus: nomine Marcelli ejus signo obsignatas literas mittere ad Salapianos (& proximè erat Salapia) statuit: se nocte, quæ diem illum secutura esset, Salapiam venturum: parati milites essent, qui in præsidio erant: si quò opera eorum opus esset. Crispinus alter Consul, metuens, ejus signi errore ne qui dolus necteretur à Pœno, circa civitates proximas nuncios miserat: occisum Collegam esse, annuloq; ejus hostem potitum: ne quibus literis, nomine Marcelli compositis crederent. Paulò antè hic nuncius Consulis Salapiâ venerat: quàm literæ ab Annibale allatæ sunt. Itaq; circa portam, qui venturum hostem rebantur, quod roboris in præsidio erat opponunt: oppidanos per muros ubisq; opportuna loca in stationibus disponunt. Annibal cùm ad urbem accessisset, perfugas Romanorum, qui & Latinè loquebantur, & arma Romana habebant, in primo agmine ire jubet. Ii, ubi ad portam est ventum, excitant vigiles: aperiri portam jubent, Consulem adesse. Vigiles cataractam in tantum altitudinis subducunt: ut recti subire possent. Cùm sexcenti fermè intrassent: remisso fune, quo suspensa erat, cataracta magno sonitu cecidit. Salapiani per-

fugas invadunt & trucidant. Ita inde Annibal suamet ipse fraude captus abijt. Quippe omnes illius vulpis ingenium norant. Itaq; suis eum artibus sæpe eludebant: sicuti à venatoribus capiuntur vulpes; cùm retia in contrarium tenduntur. *Ant. Machiavellus lib. 3. pag. 532.*

XXVI. Anno 1383. Dux Andium, Caroli Sapientis frater, expeditionem in Italiam suscepit: ut regnum Neapolitanum subigeret. Inter cæteros Principes, qui se se expeditionis comites ultrò adjunxerant, Comes Sabaudiæ erat cum instructo equitatu. Iam pervenerant in Apuliam & Calabriam, nullo obvio armato: tum sermone inter eos fortè orto de locis munitionibus, quæ transitum morari aut prohibere possent; renunciat aliquis Andium Duci, validissimum totius regni locum esse arcem Ovi: quæ Neapoli in mari ædificata est: quam Carolus Paceus, qui de regni Neapolitani jure contendebat, præsidio insedisset. Ac cùm Dux de rationibus arcis tam munitæ potiundæ consultaret: intervenit Magus quidam; qui polliceretur, se tam facilè arcem in manus ejus traditurum: quam tradidisset Carolo Paceo; qui tum eam obtinebat. Qua via? inquit Dux. Ego (inquit Magus) densam nubem e mari sublimè attollam, quæ pontis speciem referat: ita rei tantæ miraculo attoniti hostes, ultrò metu in deditionem venient. Dux, Verò, inquit, poterunt ne per hunc pontem armati superstantes ad arcem accederet? Haud equidem hoc affirmem (inquit Magus) nam simul atq; subeuntes crucis signo se munient: aut alioqui manus vel crura decussatim compositerint; evanescent omnia. Subrisit Dux: & Comitem Sabaudiæ accire jussit. Is ubi venit: ei Dux omnia refert: ejusq; ea de re judicium & consilium exquirit. Tum Comes, Rogo te, inquit, ut hominem ad me mittas: libet enim per otium ex eo, quæ dicis, scisciari. Postera die Magum ad Comitem mittit. Ibi Comes ita infit: Heus tu, polliceris te nobis traditurum Ovi arcem? Polliceor (inquit) quippe eam Carolo Paceo tradidi: qui nunc ea potitur: & me plùs, quàm ullas vires metuit. Comes: At ego illum ea cura metuq; libero: neq; patiar dici: à tot & tam strenuis equitibus Paceum, tam imbecillum hostem, debellari non potuisse: nisi unius Magi opera. Hem carnifex, ades, & huic impostori cervicem incidito. Ita jussu Comitis carnifex eum arripuit, & securi percussit: cùm is præstigijs & arte magica vincere nollet: sed vera virtute. *Idem pag. 535.*

XXVII. **Zur Zeit da B. Seyfried von Feuchtwangen Hohmeister war/ waren etliche Gäste (so jhme zu Hülffe kommen waren) von den Samaythen verlähmet worden/ derhalben sie sich jrer grossen Thaten rühmeten/ wolten groß verhalten sein/ das dem Orden beschwerlich war/ Sie namen auch den Preussen was jhnen gefiel. Das klagten etliche Preussen. Herman von Marttangen/ Pfleger zu Barthē/ der erläubet den Preussen/ Gewalt mit Gewalt zuwehren. Diß schmirzte die verlähmete Gäste/ gedachtē solches zu rechen. Mittler Zeit schicket der Pfleger seinen Packmor in etliche Dörffer/ die Pawren/ so nicht pflug vnd Getreyde (welches an vielen Orthen diß Jahr versessen war/ vnd nicht gerathen) gegeben/ außzupfenden. Der Packmor helt sich was vnbarmhertzig/ schlägt die Pawren vbel/ Sie aber auch nicht faul/ setzen sich zur Wehre/ vñ erschlagen den Packmor. Diß erfehret der Pfleger/ kömpt mit Funffzig gutten Mannen/ vnd erschläget alle die jenigen/ so den Packmor hatten angerühret. Diß Spiel gefiel den verlähmeten Gästen/ Ist bald einer vnter jhnen auff/ vnd reitet in etliche**

Dörffer

Dörffer/sager/ wie sie der pfleger alle erschlagen wolle. Diese Preussische Pawren zu hauff/ vnd erschlagen dem pfleger all sein Volck/ den pfleger aber selbest braten sie zwischen zween Rolhauffen. Die verlahmeten Gäste kamen gerandt/ zu sehen/ wie es die Preussen außgerichtet hetten/ Aber die Preussen namen solche alle/ vnd hengeten sie an die Bäwme/ Verboten jhnen also das Nemen. Also ward Vntrew mit Vntrew bezahlet. *Caspar Hennenberg. in Chronico Prussiæ, pag. 27.*

# CXLIX.

*VSitatum est, Leges plerunq; recidere in autores: ut suo exemplo leges sanciant. Peucer. in lect. Chron. d. 10. Septemb. Anno 1569.*

## EXEMPLA.

I. Lycurgus, cùm agri tenerentur à divitibus, condita lege, eos partitus est in cives. Removit usum monetæ aureæ & argenteæ, & introduxit ferream. Instituit publicas commessationes. Ad ædificandas ædes nullum voluit adhiberi instrumentum aliud, præter securim & serram. His legibus conciliat sibi odium & invidiam divitum; quam declinaturus, cùm auffugeret in templum quoddam ad asylum; ab Alexandro illi oculus inter respiciendum exculpitur. Quidam dicunt, ex insidijs jactu lapidis, ab Alexandro ipsi esse erutum oculum: alij dicunt ictu baculi, ut refert Aelianus *de varia historia lib.* 13 Tandem spontaneum elegit exilium, civibus priùs obstrictis juramento: ne quid in legibus suis mutarent. In eo exilio inedia spontanea mortuus est, secundum Euphorum. Nonnulli scribunt, eum sibijpsi manus violentas intulisse.

II. Idem Lycurgus legem scripsit: ne mulieres in festo mysteriorum curru vehérentur: quæ verò id fecisset, mulctam lueret: quam ipse idoneam putans constituerat. Prima verò ipsius uxor adversus hoc psephisma deliquit: atq; damnata pœnam subivit. *Aelian. lib.* 13.

III. Zaleucus Locris Occidentalibus leges dedit: ut adultero bini oculi effoderentur. Filio Zaleuci paulò pòst in adulterio deprehenso, ne autoritas legum imminueretur, curat filio unum, sibi alterum erui oculum.

IIII. Charondas Tyrius prohibuerat in frequentem Senatum inferre telum seu gladium. Cùm aliquando properaret in curiam: & oblitus fuisset deponere gladium: propterea q; suam ipsius legem violasse diceretur: seipsum suo gladio transfodit.

V. Solon fecit legem de ἀμνησίᾳ: ut divites pauperum agros retinerent: & pauperes solvere debitum non cogerentur: auxit & valorem monetæ. Amici Solonis ante promulgationem legis contrahunt magnum debitum: & multos agros emunt. Hic statim oriuntur contentiones: quasi in commodum suorum amicorum hanc legem fecisset. Illam ignominiam abolituros Solon, ipse primus coactus est remittere debitoribus æs alienum: tandem exulat.

VI. Filius Dei in monte Sinai promulgat Decalogum; & concludit hoc modo: Maledictus omnis, qui non servaverit, quæ scripta sunt in lege. Hanc legem inviolatam & integram retenturus, cogitur ipse fieri maledictum, assumere humanam naturam, & in cruce mori.

VII. Pericles legem posuit: ne quis in Athenienſium Republica haberetur: qui non utroq; parente cive natus esset: qui deinde, amissis genuinis filijs, nothum superstitem habebat. Duo enim filij, quos habuit, Patroclus & Xantippus, communi morbo pestilentiæ confecti, mortem obierunt. Superstites autem Pericli fuêre nothi; quibus potestas administrādi Rempublicam per legem patris erat erepta. Patet autem, quòd alia voluerit Pericles; alium verò sit eventum sortitus. *Aelian. lib. 13. & 6.*

VIII. Clisthenes Athenienſis primus exilij supplicium introduxit: atq; ipse primus eo damnatus est. *Idem lib. 13.*

IX. Legem quandam posuisse rex Tennes fertur (alijs dicitur Tenedus) si quis adulterium deprehendisset: ut eum securi trucidaret. Deprehenso verò filio ipsius, cùm is, qui deprehenderat, Regem, quid faciendum, rogasset, respondit, lege uteretur. Et ob hanc causam in altera parte nomismatum suorum securim insculpsit: in altera viri atq; mulieris faciem ex uno collo dependentem. Inde factum est, ut de præcipitijs diceretur; Tenedia securi percussum esse. *Heraclides de Politiis.*

X. Eutropius Eunuchus, cujus summa fuit potentia apud Imperatorem Theodosium, scribitur suasor fuisse legis: ut liceret fontes ex templis vi abducere: qua lege postea & ipse ex templo extractus est. *Philip. lib. 3. Chronic. pag. 225.*

XI. Licinius Stolo legem tulerat patritijs maximè infestam: qua statuebatur, ne quis amplius quingentis jugeribus agri possideret. Atq; is quidem Licinius cùm sibi magnum nomen ea lege prolata paravisset; paulò pòst ipse deprehensus tantum agri possidere, quanto alijs interdixisset, sua ipsius lege damnatus pœnas dedit. *Plutarch. in Camillo, pag. 139. Valer. Max. aliter recenset in Catalogo illustrium Virorum: pag. 12.*

# CL.

## *Leges novæ, datæ novis Regibus aut Principibus, rarò servantur.*

Atq; hic monebo, leges novas à populo Regi dictas, non valde tutas esse: quando post fundatum & stabilitum regnū, nempe si antiquum sit, innovantur: etiamsi in eas ab initio nuper in locum demortui subrogatum Regem jurare cogāt: idq; duplici ratione: tum quia status Monarchiæ repugnet: quæ non patitur sibi leges dari: alioquin enim summa ei non

est potestas: tum etiam, quòd illud sit Axioma regnantium: quòd apud eos est potestas: penes quos est armorum jus. *Petr. Greg. Tolos. lib. 7. de Repub. cap. 19. pag. 308.*

## EXEMPLVM.

Subit hac de re exemplum Margaritæ, Danorum & Norvegiorum Reginæ: quæ, capto Alberto Sveonum Rege septimo, dehinc à Svecis quoq; & Gothis in regnũ recepta est Anno 1395. his conditionibus: ne publica regni officia, sive arces vel castella, alijs, quàm in regno natis, committerentur: neq; Danos in causis Sveonum judicandis præficere vellet: sed Sveonum controversias Sveciorum procerum judicio examinandas & terminandas esset. Præterea nulla insolita tributa aut onera incolis imponenda: nisi regni Sveciæ Senatu consentiente. Margarita verò se talem Sveonibus exhibuit: ut putent eam apud inferos sempiterno supplicio excruciari. Dani contrà ipsam in numerum Deorum efferunt. Tributis autem subditos exhausit: Sueonum causas neglexit. Proceribus autem jus jurandum illi objicientibus; haberentné diplomata conventionum, interrogavit: illis autem, se habere, respondentibus, & quidem probè servare, ait: Suadeo ego vobis, ut literas datas diligenti custodia observetis; nos autem castra, civitates, & omnes regnorum nostrorum partes, diligentiùs observari faciemus. *Idem pag. 509.*

# CLI.

*TAnta est sævitia hominum: ut etiam contra suas politicas leges faciant. Philippus die 26. Decemb. Anno 1554.*

## EXEMPLA.

I. **Ich hab** quòd Stephanus sit interfectus injustè per seditionem: non per ordinarium magistratum. Nam non est traditus Romanis. **Ist etwan** in vacante sede **geschehen.**

II. **Wie auch** Iacobus Episcopus Hierosolymitanus interfectus est, non ab ordinario magistratu: sed per rabiem pontificum & seditiosorum. Habuerunt αὐτονομίαν in cultibus: sed habuerunt mixtum imperium. *Idem ut suprà.*

# CLII.

*MAgni Domini plerunq; habent aliquos: ad quorum nutum faciunt pleraq;. Si sint illi boni: felicia sunt imperia: si in malos incidant: magnorum malorum causæ fiunt.*

*Non rarò accidit: ut Reges* (contra præceptum Aristotelis: qui vult communem in dominatu custodiendo legem esse: ne Princeps ulli homini, vel dignissimo, totam suam autoritatem committat: sed ita in multos dividat: ut alter supra alterum nihil tentare audeat) *tantùm uni ex suis familiaribus, repulsis cæteris fidant: eiq; veluti liberas habenas imperij concedant. Quod rarò felicem solet habere eventum.* *Philip. Camerar. in Oper. succis. Centur. 1. cap. 90. pag. 450.*

Regulam hanc *Ioh. Bodin. lib. 2. de Repub. cap. 5. pag. 344.* ita effert;

*Ferè semper Tyranni quosdam habent in delitiis: quibus quasi spongiis, ad exhauriendum sanguinem abutuntur: quos populus, cùm furere cepit, comprehendere, lacerare ac distrahere solet.* Vt Tiberius Sejanum: Nero Tigillinum: Dionysius Philistum: nec ita pridem Henricus Rex Suecorum Georgium Preschonem: quos à furente plebe correptos ac discerptos legimus.

Ego Principem non laudo: qui unius tantùm amici consilio utetur: & qui hoc fecêre olim: malè sibi & rebus suis consuluerunt. Neq; verò fieri potest: ut unus tam accuratè Reipublicæ causas vel negotia inspiciat atq; expediat: neq;

difficul-

difficultatibus ac periculis ita maturè obviam eat: quàm plures consociatis consilijs & curis. Itaq; non immeritò sapientissimus Rex Salomon consilium ex plurib. conflatum comprobat. *Anti Machiavellus lib. 1. pag. 98.*

Ita concludo: Principem, qui consilio virorum, probitate, usu rerum & prudentia insignium, morem gesserit, feliciter Rempublicam administraturum: eum verò, qui suis unius consilijs fretus, temerè rerum fluctibus se commiserit, mersurum se ac spes suas. Quemadmodum ab Horatio elegantissimè scriptum est:

*Vis consilij expers mole ruit sua:*
*Vim temperatam Dij quoq; provehunt*
*In maius: idem odêre vires*
*Omne nefas animo moventes. Idem pag. 98.*

Proverb. Germ: **Ein jeglicher Herr hat einen Narren / den Er plaget / vnd einen Narren / von dem Er geplaget wird.**

Huc referri potest ex vita & literis M. Aurelij Imp. salutaris doctrina: quam Lucullum in expeditione contra Mithridatē in ænea tabula reperisse Chaldaicis literis, & in triumpho suo unà cum gaza regia Romā attulisse Papirius Massonus scribit: Non est sapientis Principis: si sibimet accersit periculū: ut alterius, quē evexit, autoritas conservetur: neq; vult securè vivere amabilis omnibus. Non est prudētis Principis: qui in unum omnia congerit: ut cæteri egeant. Nō est justi Principis: si magis unius cupiditatib. inservire, quàm omnib. gratificari cupit. Fatui est Principis: si obnoxius uni, contemptis reliquorum consilijs. Audax est nimiùm Princeps: qui, ut amet unū, sese omnibus reliquis invisum facit. *Idem Camer. ut supr.*

Rectè & prudenter Franciscus Guicciardinus historicus insignis ita (*lib. 1.*) monet: Nihil profectò magis necessarium in rebus arduis: nihil rursum periculosius: quàm ex alterius pendere consilio. Nec cuiquam est dubium: alieno consilio minùs egere prudentes, quàm imprudentes, & tamē fructum majorem ex consilio capiendo sapientes percipiunt. Quis

enim

enim tanta prędditus est sapientia, qui per se omnia perspiciat, & cognoscat, atque in contrarijs sententijs, quæ sit potior, dijudicare valeat? Verùm quis alium consulens, certò scit, se fidele consilium auditurum? Nam qui dat consilium: ni valde sit fidelis: aut benè erga eum, qui petat, affectus: non modò insigni utilitate impulsus, verùm exiguo quovis proposito commodo, quavis levi cupiditate, sæpe consilium in eum dirigit finem: qui maximè sibi accommodatus esse videatur. Cumque hi fines non rarò ab eo, qui consilium capit, ignorentur: consilij infidelitatem, nisi prudens sit, non animadvertit. *Idem pag. 452.*

De hac porrò re, studiosus lector prolixam disputationem cum multis alijs memorabilibus exemplis inveniet, in commentarijs de regno, aut quovis principatu rectè & tranquillè administrando: qui scripti sunt Gallico idiomate adversus Machiavellum. *Vide hæc illic lib. 1. pag. 148. & seqq.*

## EXEMPLA.

I. Ea de re extat insigne exemplum apud Papirium Massonum *lib. 2. Annal. Franc.* Igitur, inquit, apud Suessionem Carolus, anno 919. à proceribus regni derelictus est propter Haganonem Laudunensem. Hic modicæ originis, solus omnium consiliorum particeps erat: ac sine illo neq; domi, neq; foris quicquam ardui gerebatur. Tanta obscuri hominis gratia Regi ipsi exitio fuit: cùm proceres molestè ferrent: unum omnibus, eumq; ignobili proximum, nobilissimis viris anteponi. Hoc morbo Regem laborare, & turpe & periculosum est, semperq; fuit. Nam qui unum amat, videtur cæteros odisse: eiq; mera servitus regnantis, impotens amor paucorum.

II. Illustratur id etiam exemplo memorabili: quod extat apud Hugonem Falcandi *in historia de Siciliæ calamitatibus, pag.* 21. Cùm Rex Gulielmus Majonem Barensem, humili ortum genere, ex Notario magnum Admiratum constituisset: eique totius regni cura & administratione commissa, plenam verbis fidem adhibens, nihil alij cuipiam credere, nihil prorsus ab alio audire vellet; cæteros omnes excludens, cum illo singulis diebus habebat colloquium: solus is regni tractabat negocia: regisq; animum, quocunq; libuerat, inclinabat, cùm falsa pro veris ingerens: tum adulationibus illius temeritatem demulcens.

III. Sic Massonus (*lib* 3.) in Philippo Rege Francorum, qui cognomen Pulchri è re nactus est (omnium enim mortalium suæ ætatis formosissimus fuit, procera admodum statura, membris decenter compositis, venationis, belliq; avidus) maximè reprehendit: quòd, ut ipsius verbis utar, Reipublicæ administrationem totam, quod

minimè

minimè decuit, alieno arbitrio commiserit; præsertim aulicorum, quod genus hominum privatis studijs regna evertere consuevit. *Camerar. ut suprà.*

IIII. Apud Zenonem Imperatorem potens fuit quidam Sebastianus: qui, quòd voluit, potuit Imperatorem impellere. Huic omnia venalia erant: ita ut nihil in aula fieri posset sine pecunia.

V. Apud Alexandrum M. fuit Ephestio. De hoc inquit Diodorus: Ephestionem tanto affectu dilexit Alexander: ut eorum, quos amicitia junctissimos fuisse fama prædicat, animi propensioni nihil cesserit. Post obitum autem nullo modo servato honoravit. Donec vixit Ephestio: ante amicos omnes semper à Rege æstimatus est.

VI. Apud Xerxeu Persarum Regem fuit Mardonius: de cujus consilio expeditionem suscepit contra Græcos.

VII. Agrippam dilexit præ reliquis Augustus Cæsar: tantisque eum honoribus affecit: ut dixerit aliquando Mecœnas ad Augustum; Tantis honoribus auxisti Agrippam, ô Cæsar: ut eum aut generum tuum esse, aut interire sit necesse. Dedit ei filiam suam Iuliam uxorem.

VIII. Apud Tyberium fuit Sejanus. *Vide Dionem in Vita Tyberij.*

IX. Apud Arcadium summam potentiam habuit Eutropius Eunuchus. Hunc talem fuisse præstigiatorem scribunt: ut Gorgoni comparatus sit. Hic Eutropius cùm venderet magistratus; & sententias daret; ac eriperet provincias quibus vellet; & tandem Consul factus esset: transferre in se Imperium conatus est. Sed in ipso Consulatu Arcadius illi caput præcidi jussit.

X. Commodus Imperator ex Clearcho servo fecit cubicularium. Hunc post ea in summo honore habuit. Abusus est autem gratia Commodi, & felicitate illa, qua fruebatur. Venalia enim fecit omnia, dignitatem Senatoriam, officia militaria, procurationes, imperia; ac denique res omnes. Designavit Consules in annos viginti quinq; : quod nunquam antea factum erat. Hunc ob exactiones nimias, quibus onerabat populum, Romanus populus postea interfecit. *Vide Dionem in Vita Commodi.*

XI. Severus Imperator dilexit Plausianum Afrum: quem ex tenui loco evexit ad summam potentiam Severus, & ad maximas opes: adeoque carus illi fuit: ut filiam ejus dederit Severus Bassiano. De hoc scribit Dion: Plausianus omnia concupiscebat: omnia petebat: omnia accipiebat. nec gentem, nec urbem ullam relinquebat non spoliatam: sed omnia & undecunq; rapiebat. Hic à Severo in palatio interfectus est: cùm insidiaretur vitæ Severi & Bassiani. *Vide Dionem in Vita Severi.*

XII. Constantius Cæsar, Constantini Magni filius, in precio habuit Eusebium Eunuchum cubicularium suum: cui in omnibus obtemperavit. Ab eo persuasus, amplexus est Arrianos furores, instituta contra Orthodoxos persecutione. *Vide Marcellinum.*

# CLIII.

HOc maximè omnium Principi fugiendum: ne alterum odio, alterum gratia prosequatur. Ea-

*res enim multis Principib. ac civitatib. exitiosa fuit.*
*Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 7. pag. 741.*

## EXEMPLA.

I. Pausinias Philippum Macedoniæ Regẽ occidit; quòd Antipatro, à quo fuerat contumeliosissimè constupratus, nõ modò apertè faveret; sed etiã jus petẽti denegaret.

II. Nec aliam ob causam Henrichus VI. Anglorum Rex diuturnum illud ac funestissimum bellum excitavit: quo annis triginta universa Anglia deflagravit: & octoginta circiter Principes, si Cominio credimus, hausit: quàm quòd Rex Lancastriæ factionis ducem se ferre non dubitaret adversus Hyorchos: qui fusis ac prostratis adversarijs, Regem ipsum, & quidẽ in carcere, cum propinquis omnib. interemerũt.

III. Quòd item Marchio Pesquerensis adversus Carolum V. Imperatorem conjuravit: in causa positum erat: quòd Carolus Proregis Neapolitani partes tueri, eiq; nimis favere videretur.

IIII. Infinitum sit, Burgundionum & Aurelionum nostrorum factiones, bella civilia, Principum cædes, ac totius Galliæ miserandum statum oratione persequi: quæ omnia ob id contigerunt: quòd ij, qui propinquos æquo jure & eadem amicitia ac fide tueri debuissent: regiæ majestatis obliti, quasi Advocatorum & Oratorum officia susceperunt: ut viderentur partium duces: & cùm alteri alteram factionem prætulissent; aliorum quidem se socios, aliorum hostes quàm Reges esse maluerunt. *Id. ibid.*

# CLIIII.

*PRinceps inconsulto Senatu nihil benè gerit.*

*Optimis consiliis non solùm in rebus gravissimis, sed etiam in mediocribus ac minimis, Principem uti oportet. Quia nihil tanti ponderis est ac momenti ad res agendas, in omni Rerumpublicarũ genere: quàm Senatus auctoritate & consilio decerni: eoq; magis, si dubitetur, utile sit nec ne id, quod Princeps fieri velit. Deinde cùm subditi vel sine consilio, vel contra Senatus decreta res geri perspiciunt: tunc ea aspernãtur ac pro nihilo ducunt: aut timidè ac molliter imperatorũ ac magistratuũ jussa exequuntur. Legum autẽ ac ma-*

*gistratuũ contemptum sequuntur populi seditiosæ voces: et adversus Principes ipsos conjurationes ac defectiones. Senatus igitur in omni Republica tã est necessarius: quàm in corpore ipso mens ac ratio: sine qua corpus ipsum non modò sese regere, sed ne momento quidem subsistere potest.* Ioh. Bod. lib. 3. de Rep. c. 1. p. 381.

*Experientia docet, prudentiora & tutiora ea esse consilia: quæ tractantur à pluribus: quàm quæ unius mente agitantur.* Antimachiavellus lib. 1. pag. 33.

*Optimum quemq; Principem Consiliariis stipatum fuisse legimus.* Rarò, inquit Vellejus, eminentes viros non magnis adjutoribus ad gubernandum fortunam suã usos invenies. Imò *sapientiæ argumentum in Principe nullum majus: quàm sapientum virorum consilio uti.* Bene enim, inquiunt Impp. cognoscimus: quod cum vestro consilio, Patres Conscripti, fuerit ordinatũ: id ad beatitudinẽ nostri Imperij, & ad vestrã gloriã redundare. Non viribus, ait Cicero, aut velocitatibus, aut celeritate corporũ res magnæ geruntur: sed consilio & autoritate. Atq; ego, inquit Salustius, multa legendo atque audiendo ita comperi, *omnia regna, civitates, nationes, eò usq; prosperum imperiũ habuisse: dũ apud eos vera consilia valuerũt:* ubi gratia, timor, voluptas ea corrupêre: statim imminutæ opes: deinde ademptum imperium: postremò servitus imposita est. Hippolyt. à Collib. in Consiliario pag. 138. 139.

*Vix unquã reperire licuit Rempub. aut Principatũ florentẽ sine consilio.* Pet. Greg. Tolos. l. 23. de Rep. c. 4. p. 1460.

Vulgare est, plus videre oculos, quàm oculum. Quod non de oculo corporis tantùm debet intelligi: sed de oculo mentis: qui verè est oculus humanæ conversationis: ut feliciùs ea contineatur; quò plures habuerit videntes & perspicientes oculos: nempe magistratus providos, æquos & justos, vigiles & solicitos. Anchora unica non ita navim servat, ut plures demissæ. *Idem lib. 4. cap. 5. pag. 189.*

# EXEMPLA.

I. Id quidem omnium optimè Carolus V. Rex Francorum, is qui Sapientis cognomentum adeptus est, facere solebat. Cùm enim Anglos, qui Aquitaniæ arces & oppida omnia fiduciæ titulo tenebant, regni finibus expellere vellet: rebus omnibus ad ea, quæ geri cupiebat, antè comparatis, suscepit Aquitanorum querelas adversus prætores Anglorum; qui provocantes ad Regem, ut Britiniato fœdere exceptum erat, malè mulctâ verant. Rex sive consultò quæsitam, sive temerè oblatam arripuit occasionẽ: sed optimatum ac populi, quorum opibus utendum erat, auctoritate & consilio bellum geri placuit. Itaq; Princeps universos in curiam Parisiorum convocari jussit, testatus se eorum consilijs ac sapientia opus habere: ut quæ à se minùs sapienter gesta fuissent: eorum animadversione castigarentur. Bellum illud eo consilio decretum, felici exitu confectum est.

II. Contrà Hieronymus Siciliæ Rex unà cum proximis amicis omnibus crudelissimè interfectus est; tum quòd, impotenter ac superbè dominaretur; tum etiam quòd Senatum nulla de re consuleret. Sic enim Livius, Regnante, inquit, Hierone, manserat publicum consilium; post mortem ejus, nulla de re neq; convocati, neque consulti fuerunt.

III. Eodem errore gravitèr peccavit Cæsar: quòd non modò in Consulatu, sed etiam in Dictatura Senatus consilio nunquam uteretur: at ne Senatui quidem universo (constabat autem mille circiter Senatoribus) ad se venienti assurrexerit. Nimis arroganter ac stultè id quidem: non quòd Cæsar moribus aut natura superbus fuerit: sed cùm assurgere Senatui vellet: à Cornelio Balbo adulatore, consiliorumq; omnium participe, quò minùs id faceret, prohibitus est.

IIII. At meminisse debuerat Romulum creatorem Urbis ac primum Romanorũ Regem ab ipsis Senatoribus, ut quidem fertur, occisum:

V. Ac Tarquinium Regem ejectum: cùm uterq; Senatum contempsisset; ac suo arbitratu omnia gereret:

VI. Quæ res etiam Ludovico XI. Regi Francorum, qui nulla de re Senatum consulebat, exitiosa fuit. Quod cùm hic noster, quanquam serò intellexisset; Carolum filium ita institui voluit: ut literas nesciret; modò tria verba teneret, Latina illa quidem: sed ejusmodi, quæ de historia jure detracta sint: ut alienis consilijs potiùs, quàm suis, sapere, ac res gerere consuesceret. *Idem Bodinus ibid.*

VII. Ad hunc modum M. Antoninus Philosophus, sapientissimus Imperator, semper cum optimatibus non solùm bellicis de rebus, verùm etiam civilibus, priusquã

aliquid

aliquid ageret, consultabat. Ac si fortè inter deliberandum (ut fit) diversum aliquid ab illis sentiret (illi autem erant, Scævola, Volusius, Metianus, Vlpius Marcellus, alijq; graves & consulti viri) tum, Aequius est, inquiebat, ut ego tot & talium amicorum consilium sequar: quàm ut tot & tales amici meam unius voluntatem sequantur. Huic præclaro Antonini dicto suffragatur vulgatum proverbium: Plures oculos clariùs videre, quàm unum.

VIII. Atq; is fuit mos Romanæ Reipublicæ, hodieq;, ut quondam, idem institutum usurpatur in civitatibus bene constitutis: uti plures de summa rerum communi consilio deliberent: ac demum perrogatis percensitisq; sententijs id ratum sit, quod majori parti placuerit. *Antimachiavellus ut suprà.*

IX. Cùm Pericles, ut plebis gratiam captaret, Areopagitarum autoritatem sustulisset: & ea, quæ priùs in Areopago tractabantur, ad populum transtulisset: haud multò pòst Respublica tum externis, tum intestinis bellis concussa ruere cepit.

X. Atque hanc fuisse causam unicam existimant, cur Roma tam diu floruerit: quòd, qui ei præfuerunt, non sua, sed Senatus consilia secuti sunt. *Hippolyt. à Collib. ut suprà.*

XI. Trajani Adrianiq; Imperatorum temporibus antiquis mos fuit: ut cùm Romani Principes causas cognoscerent: Senatores Equitesq; Romanos in consilium adhiberent: & sententias omnium opinione ferrent.

XII. Alexandro Cæsari erat numerosissimum consilium: in quo Iurisconsulti non pauciores erant viginti: inter quos Fabius Sabinus, Cato dictus sui temporis: Domitius Vlpianus, Iulius Paulus: qui vertices legum dicti: Pomponius legum peritissimus: Alphenus Florentinus, Africanus, Martianus: aliiq; permulti Iuris professores, discipuli Papiniani: qui Iuris asylum dictus est: sine quibus nec legem ullam sancivit: nec de ulla re graviore statuit: sed ita, ut iretur per sententias singulorum: ac scriberetur, quid quisq; dixisset: datoq; spacio ad inquirendum & cogitandum, priusquam dicerent: ne immediatè de rebus gravioribus dicere cogerentur.

XIII. Theodosius & Valentinianus Cæsares ad Senatum scribentes, Humanum, inquiunt, probamus, si quid de cætero, in publica privatiq; causa emerserit necessariũ, quod formam generalem & antiquis legibus non insertam exposcat: id ab omnibus jam antea proceribus nostri palatij, quam gloriosissimo cætu vestro, Patres Conscripti, tractari: & si universis, tam indicibus, quàm vobis, placuerit, tum legem dictari: & sic ea denuo, collectis omnibus, recenseri: & cùm omnes consenserint: tunc demum in sacro nostri numinis consistorio recitari: ut universorum consensus nostræ serenitatis autoritate firmetur. Scitote igitur, Patres conscripti, non aliter in posterum legem à nostra clementia promulgandam: nisi suprà dicta forma fuerit observata. Bene enim cognoscimus: quod cum vestro consilio fuerit ordinatum: id ad beatitudinem nostri Imperij, & ad nostram gloriam redundare.

XIIII. Ante illos Octavius quoq; Cæsar negotia omnia Reipublicæ cum Senatu communicabat: atq; ita Monarchiam cum Republica communicando, sibi peperit Imperium perpetuum. Postulabat ultrà, sibi singulis annis à Senatu dari viginti electos Senatores: qui sibi à consilijs etiam in alijs essent.

XV. Idipsum etiam observasse Tiberium narrat Xiphilinus in ejus vita: quanquam hic, vitijs potiùs, quàm virtutibus, abundaret.

XVI. Consalutatus Imperator Alexander Mammeæ filius, adhibuit in consilium

delectos sedecim ordinis Senatorij viros, ætatis gravitate, vitæq; sanctimonia præcellentes: atq; res cunctas & administrationes, civiles quidē & forenses, insignib. doctrina viris, legumq; peritissimis, militares autē, claris bellica virtute hominibus, expediebat.

XVII. Refertur de Asvero Rege Assyriorum: quòd quamvis valde iratus fuisset in Vasthi Reginam uxorem: quòd noluisset, ab eo vocata, venire; tamen ea de re consuluerit & interrogaverit sapientes: qui ex more regio semper ei adhærebant: & illorum faciebat cuncta consilio: scientes leges ac jura majorum; quorum sententiæ Regina Vasthi subjaceret. *Pet. Greg. Tolos. lib. 23. de Rep. cap. 4. pag.* 1461. 1462.

# CLV.

*TYrannis omnes boni invisi & suspecti sunt. Qui enim non habet conscientiam propriæ virtutis: invidet alienæ: & metuit insidias sine probabili ratione. Proinde Tyranni, virtute præstantes ministros è medio tollere conantur. Ac si aliquantisper sævitiam occultant, metu infamiæ aut seditionis: removent tamen ab aula tales: & eis munus aliquod assignant.* Sic David ablegatur: & mille viris præficitur. *Strigel. 1. Sam. 18.*

*Tyrannus, nisi utilitatis aut voluptatis causa, diligit neminem: cui optimi potiùs, quàm deterrimi, odio sunt. Infensus siquidem est omnibus, qui virtuti studeant: nec patitur quempiam ultra alios sapere: aut in præclarum virum evadere: aut opibus augeri: aut amicis, clientibus, hospitibus vé frui.* *Francis. Patrit. lib. 2. de regno, tit. 1. pag. 74.*

*Soli sapientes & probi viri Tyrannis suspecti & invisi: stulti, fatui, luxuriosi, perditi, adulatores, le-*

*nones,*

*nones, ſicarij, novarũ prædandi ex publico & privato artium inventores, & ejusdem notæ homines, illis acceptißimi ſunt. Anti Machiavel. lib. 3. pag. 565.*

## CLVI.

*ODit Tyrannus honeſtos cives: non ſolùm vivos: ſed etiam mortuos: & gaudet improborũ conſuetudine: quodq; indigniſſimum eſt, avidè arripit calumnias: quibus faſcinatus, omnia in deteriorem partem flectit. Si quis enim modeſtè eum colit: ab hoc ſe contemni atq; extenuari putat. Si qui verò plures honoris ſignificationes dant: hos tanquam aſſentatores reijcit ac repudiat. Otanes apud Herodot. lib. 3. referente Strigel. lib. 2. Chronic. pag. 38.*

Narrabo vobis Apologum Aeſopicum, de hac ſententia: quam proponit Otanes in ſua oratione apud Herodotum de Tyrannis. Leo, qui repræſentat imaginem Tyranni apud Aeſopum, ægrotabat quodam tempore, & propter ſenectam, & congeriẽ cadaverum. Habitabat enim in ſpelunca admodum fœtida: cujus fœtor omnium prætereuntium nares offendebat. Cùm igitur inter reliquas beſtias, primus ad inviſendum Leonem ægrotũ acceſſiſſet Vrſus: qui parùm ad civilitatem aſſuefactus erat: interrogavit eum Leo, offenderetur ne fœtore ſpeluncæ & reliquiarum ex cadaveribus? Reſpondit ille ingenuè & apertè ſuo more: Profectò ego vix poſſum tolerare hunc fœtorem: malim procul hinc abeſſe: quàm diu hîc commorari & ſubſiſtere. Hunc propter nimiam

παῤῥησίαν malè multavit: sed ita tamen, ut ejus vitæ parceret. Post hunc venit Lupus: qui territus exemplo Vrsi, non voluit dicere id quod sentiebat: sed voluit assentari Tyranno: & interrogatus à Leone, quid naribus perciperet? respondit, se ita delectari odore Leonis, & domicilij: ut non posset ei anteferre fragrantiam aromatum. Hunc mox concerpsit in frusta Leo, propter impudentissimam assentationem. *Ita etiam in Aulis sæpe assentatio est periculosa, præsertim nimis aperta & impudens.* Postea venit & Vulpecula, salutans Regem & Dominum: & interrogata de eadem quæstione, respondit: se non posse discernere bonum odorem à fœtido: quia hodie ambulasset in nebulis: & laboret pituita: Ego, inquit, nihil possum odorari. Ich habe den Schnuppen/ Ich kan nicht Riechen. Videtis quid sit versari cum Leonibus. *Si es nimis liber: offendis libertate: si es assentator: sæpè non plus efficies: quia suspecta est simulatio sententiæ.* *Strigel. ibid.*

## CLVII.

HOC *Axioma pro certo veteres tenuêre: longè præstare ad Reipublicæ salutem, mali Principis bonos Consiliarios, quàm boni malos, existere.* *Antimachiavellus lib. 1. Theorem 1. pag. 35.*

Lampridius in Alexandro Severo: Notum est illud, meliorem esse Rempublicam & propè tutiorem: in qua Princeps malus est: ea, in qua sunt amici Principis mali: siquidem unus malus potest à plurimis bonis corrigi: multi autem mali non possunt ab uno, quamvis bono, ulla ratione superari. Et id quidem ab Homulo ipsi Trajano dictum est: cùm ille

dicceret,

diceret, Domitianum peſſimum fuiſſe: amicos autem bonos habuiſſe: atq; adeò illum magis odio fuiſſe: qui Rempublicam pejoris vitæ hominibus commendaverat: quia melius eſt unum malum pati, quàm multos.

## EXEMPLA.

I. Id planius fieri poteſt eorum Principum exemplo; qui virtutis ingeniiſque modici, prudentium tamen virorum cõſilio uſi, Rempublicã egregiè adminiſtrarunt. Cùm Gordianus junior, undecim annos natus, Cæſar appellatus eſſet; pleriq; puerile imperium, ut imbecille, aſpernabantur. Sed cùm Miſitheo, ſapientiſſimi Viri, filiam duxiſſet uxorem; ſocerique conſiliis adjuvaretur; multa præclara domi, multa militiæ geſſit. Apud eum certè aliquando conqueſtus eſt, Miſerum eſſe Imperatorem, apud quem vera reticeantur; qui cùm ipſe publicè ambulare non poſſit; neceſſe eſſe ut audiat; & vel audita, vel à plurimis relata, confirmet. Rès quidem Romana tam diu ſub Gordiono incolumis & valida ſtetit; dum vixit Miſitheus.

II. Ioas regnum Iehuda ſeptem annos tantùm natus iniit: ſed ipſius puèritiæ rector educatorq; avunculus Iehoiada, vir ſapientiſſimus, erat. Ergo quamdiu is vixit; tamdiu regnum præclarè adminiſtratum eſt.

III. Carolus VI. tredecim annorum puer, inſuper imbecillæ mentis, regni Galliæ hæreditatem adiit; Reipublicæ tamen procuratio à tribus ipſius avunculis, Andium, Biturigum, & Burgundiæ Ducibus, ad puberem Regis ætatem benè & ſapienter eſt geſta; neque, hoc uno excepto, quòd pecuniam avidiùs de publico ſumerent, quicquam in eis deſideratum eſt. At equidem paulò pòſt, cùm idem Rex jam regni potens repentino errore mentis affectus eſſet; & ad eosdem delata eſſet regni adminiſtratio: non ſimili modeſtia egêre: ſed æmulatione, ambitu, avaritia, ulciſcendi libidine, vecordes, interregnum illud ſuum infeſtum fecerunt; ſed, uti dixi, dum Regis impuberis regniq; tutelam gererent, neminem temporis illius pœnituit.

IIII. Clotarius IIII. & Chilpericus II. Galliæ Reges, animo ingenioq; ſecordes, per imprudentiam inertiamq; regni muneribus per ſe obeundis impares erant; ſed regimen rerum penes Carolum Martellum, fortiſſimum virum, erat; qui regnum illud non modò incolume præſtitit; ſed etiam ornavit inſignibus victoriis.

V. Memoria noſtra Carolus V. puer admodum à patre Philippo & avo, non magis regnorum, quàm ſummarum difficultatum hæres, relictus eſt: neque ſpes erat, à puero tantam & tam confuſam rerum molem poſſe ſuſtineri. Ergo proſpiciens animo pater, Curatoris ſapientis & fidi egere filium, illius educationem ac curam Ludovici XII. Galliarum Regis fidei commiſit: cujus integritatem pridem expertus erat. Ille, etſi hæc procuratio proferendæ ditionis materiam non difficilem præbebat: cùm tamen ei tanta utilitate fides antiquior eſſet; eam ſincerè adminiſtravit. Carolo enim pueritiæ rectorem appoſuit Caprenſem, Virum nobilem, egregium virtute ac fide: cujus conſiliis præceptisq; inſtitutus Carolus, tantam de ſe hominum opinionem expectationemq; commovit: ut ei vigeſimum agenti annum Imperij dignitas deferretur.

VI. Domitianus Imperator non modò demens, verùm etiam crudelis fuit. Sed fortè contigit, ut eo imperante, magiſtratus & provinciarum præſides integrè & ab-

stinenter sese gererent. Ergo tum Romanum Imperium non infeliciter administratum est: privati tantùm aliquot sævitiam & cætera vitia eius senserunt.

VII. Carolus VIII. puer, tredecim annos natum, Galliæ Regem reliquit; cætera egregium Principem; sed neq; vivido ingenio, inq; prudentia insignem. Regni tamen ordinib. Turones convocatis, Reipublicæ procuratio certis viris in eo Concilio lectis & probatis mandata est; eaq; sapienter administrata ad justam Regis ætatem: etsi tum quoq; vexabatur Gallia discidijs intestinis, per eos concitatis: quos publici Status rerum cura demoverant.

VIII. Alexander Severus prudentium amicorum fideli opera & consilio usus, bene acti principatus decus perpetuum tulit.

IX. Possem plura Galliæ Regum exempla, possem Romanorum Imperatorum proferre: quorum alij cùm bonarum artium planè rudes essent: nonnulli in luxum & delitias resoluti: aliqui sævitia tantùm aut bello insignes (cujusmodi fuêre, Philippus, Licinius, Diocletianus, Maximinianus, Carus, Carinus, Gallus, Constantius, Aurelianus, Galienus, Leo, Macrinus, Zeno, Iustinianus, &c) leges tamen ipsi quoq; & Iuri civili condendo, & Imperio componendo, salubberrimas scripserunt: quod ex Codice Iustinianeo cuivis colligere promptum est. Earum porrò legum autores fuisse non dubitavet im sapientes & doctos viros: quos illi in consilio habebant. Nam eorum quidem, quorum nomina edidi, quotusquisq; literas nôrat (excepto Macrino) ut præclaras leges tam accuratè conderet? Quamobrem adversus Machiavelli dogma concludo: ***Rempublicam à Principe minùs per se sapiente, cæterùm obtemperante fidelium & non insipientium amicorum consiliis, commodè ac salubriter administrari posse.*** *Idem pag. 39. &c.*

# CLVIII.

*Dissensio sententiarum, in eundem scopum spectantium, non est periculosa.*

*Multis experimentis quotidie probatur: bonos ac prudentes viros in Senatu alios ab aliis dissidere verbis & argumentis: rebus verò ipsis & sententijs consentire. Neq; verò hæc, si fortè inciderit, opinionũ dissensio Reipublicæ noxia est: modò omnes rectà in eundem scopum, Reipublicæ videlicet dignitatẽ & salutem, tendant.* *Anti Machiavell. lib. 1. pag. 95.*

EXEM-

# EXEMPLVM.

Ejusmodi fortè fuit nobilis illa C. Cæsaris & M. Catonis in Senatu dissensio. Nam patefacta conjuratione Catilinæ, cùm Senatus propè universus in facinoris socios ultimam statueret pœnam; Cæsar, per municipia in custodijs habendos, publicatis pecuniis, censuit. Quin & tantum metum injecit asperiora suadentibus: ut D. Syllanum non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire: obtinuisseq; adeò, traductis jam ad sepluribus: nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio. Longè (inquit ille) mihi alia mens est, Patres conscripti: cùm res & pericula nostra considero: & cùm sententias nonnullorum ipse mecum reputo. Hic mihi quisquam mansuetudinem & misericordiam nominat? Iamquidem equidem nos vera rerum vocabula amisimus: quia bona aliena largiri nunc est liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo vocatur: sontes è manibus magistratuum eripere, misericordia habetur. Adeóne leve crimen est, in Reipublicæ eversionem, & sanguinis nostri profusionem conjurasse? Cætera maleficia tunc persequare, cùm facta sunt: hoc, nisi provideris, ne accidat; ubi evenerit, judicia frustra implores: capta enim Vrbe à Catilina & conjuratis, nihil sit reliqui à victis. Qui antè sententiam dixerunt: sanguinis nostri valde liberales esse videntur: ut dum paucis scelestis parcunt, bonos omnes perditum eant. Si in tanto omnium metu Cæsar solus non timet; eò magis refert, me mihi atq; vobis timere. Majores enim nostros magnos secêre, domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neq; delicto neque libidini obnoxius. Conjuratio illa res est quidem aspera: & eam timetis: sed inertia & mollitia animi, alius alium expectantes, cunctamini; videlicet Dijs immortalibus confisi: qui hanc Rempublicam sæpe in maximis periculis servavêre. Atqui non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, benè consulendo prosperè omnia cedunt: ubi socordiæ te atq; ignaviæ tradideris; nequicquam Deos implores: irati infensiq; sunt. Quare ego censeo: cùm conjurati alij indicijs convicti sint: alij confessi, cædem, incendia, aliaq; sæda atq; crudelia facinora in cives patriamq; paravisse: de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum, supplicium sumendum. Igitur Cato Cæsari reluctans forti & vehementi oratione habita, magna cum laude Senatum in suam sententiam traxit: ac de conjuratis supplicium sumptum est: sicut ille censuerat. *Idem ibidem.*

# CLIX.

*SÆpe in contentionibus accidere solet: ut qui se, vel eum, cui ipse studet, excludi videt, omni ratione posthabita, potiùs ad aliquem externum assu-*

*mendum, præceps ruat: quàm ut ei, qui sententiæ [illegible] est adversatus, cedat.* Guicciard. in Hypomn. polit. par. 2. pag. 82.

*Reperiuntur in sententiis dicendis nonnulli: consilij, quamvis egregij, quod non ipsi adfe[illegible] inimici, cùm id, quod dicturi erant, videant [illegible] qui priores dixerunt, quasi præoccupatũ, eos[illegible] at, vel idem repetere, vel palàm in sententiam p[illegible]rum ire, cavillos excogitant: correctiunculas addunt: & nodum, quod ajunt, in scirpo quærunt: aut præstigiis sophisticis aliorum sententias eludunt: & veritatem tenebris involvunt: ne cuiquam succubuisse, aut quicquam cuiquam concessisse videantur.* Hos observet Princeps: viri enim boni non sunt: quorum est, aliorum rectas sententias candidè approbare: licet cæteroqui autores exosi sint. *Hippolyt. à Collib. in Consiliario, pag. 190.*

## CLX.

*ARduis in rebus, & gravioribus deliberationibus, media via non semper est tutissima.*

*Ea in re gubernatores sæpe peccant: quòd media incedunt via: ne videlicet alterutrum offendãt: quæ tamen res sæpe ingentiũ est causa malorum: id quod*

exem-

*exempla testantur. Ideo medio non semper tutissimus ibis.*

## EXEMPLA.

I. Cum exercitus Romanus ad Furculas Caudinas inter duos saltus ita esset à Samnitibus conclusus: ut aut moriendum sibi, aut ignominiosæ servitutis jugum subeundum esset: ne Samnitibus quidem consilium in tam lætis supperebat rebus. Itaque universi Herennium Pontium patrem Caij Pontij Imperatoris per literas consulendum censent. Iam is gravior annis non militaribus solùm, sed civilibus quoq; abscesserat muneribus: in corpore tamen affecto vigebat vis animi consilijq;. Is consultus ab nuncio filij, censuit omnes inde quàm primùm violatos dimittendos. Quæ ubi spreta sententia est: iterumq; eodem remeante nuncio consulebatur: censuit ad unum omnes interficiendos. Quæ ubi tam discordia inter se velut ex ancipiti oraculo responsa data sunt: quanquam filius ipse inprimis jam animum quoq; patris consenuisse in affecto corpore rebatur: tamen consensu omnium victus est: ut ipsum in consilium accirct. Nec gravatus senex, plaustro in castra dicitur advectus: vocatusque in consilium, ita ferme locutus esse; ut nihil sententiæ suæ mutaret: causas tantùm adijceret. Priore se consilio, quod optimum duceret, cum potentissimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamq;: altero consilio, in multas ætates, quibus amissis duobus exercitibus, haud facilè receptura vires Romana res esset, bellum differre: tertium nullum consilium esse. Cùm filius aliiq; principes percunctando exquirerent: quid si media via consilium caperetur? ut & dimitterentur incolumes, & leges ijs, jure belli victis, imponerentur? Ita quidem sententia, inquit, ea est; quæ neq; amicos parat, neq; inimicos tollit: servate modò, quos ignominia irritaveritis. Ea est Romana gens, quæ victa quiescere nesciat; vivet semper in pectoribus illorum, quicquid istuc præsens necessitas inusserit; neq; eos ante multiplices pœnas expetitas à vobis quiescere sinet. Neutra sententia accepta: Herennius domum è castris est avectus. Samnites igitur Romanos extrema ignominia affecerunt: inermes & seminudos cum singulis vestimentis sub jugum missos dimiserunt. Quæ ignominia & injuria Romanos animos adeò offendit: ut priùs nõ quiescerent; quàm insigne hoc dedecus gravissimè vindicarent. Nec multò pòst Samnitibus pro superba pace infestissimum renatum est bellum: omniaq; ijs, quæ deinde venerunt, non in animis solùm, sed propè in oculis esse: & seriò ac nequicquam laudare senis Pontij utraq; consilia; inter quæ se media lapsos, victoriæ possessionem pace incerta mutasse: & beneficij & maleficij occasione amissa, pugnaturos cum eis: quos potuerint in perpetuum vel inimicos tollere: vel amicos facere. Senserunt tandem acerrimam vindictã Samnites: cæduntque Romani illorum exercitum, inermes atq; armatos, servos, liberos, puberes, impuberes, homines, jumentaque; nec ullum superfuisset ãnimal: ni Coss. receptui signum dedissent: avidosq; cædis milites è castris hostium imperio ac minis expulissent. *Vide Livium Decad. 1. lib. 9.*

II. Käyser Carl hat mit seinem Gefangenen/ dem Könige Francisco, den mittlern Weg gebraucht / denn er ihn Königlich tractiren lassen / vnd doch vbers Jahr gefangen behalten. Aber gleichwol in seiner Gefängnuß

jhn nicht heimsuchen wollen / biß das er aus Bekümernuß so kranck worden / das man sich seines Todes befürchtet. Zu letzt hat er jhme seine Schwester zur Ehe gegeben / vnd jhn mit harten conditionen ledig gelassen. Nun halten es die Weltweysen dafür / das Käyser Carln viel rathsamer gewesen / den König Franciscum entweder stattlich zu empfangen / vnd auch als bald auff freyen Fuß zu stellen / Also / das er durch diese hohe Wolthat jhm einen solchen König zum Freunde gemacht / vnd viel mehr aus jhm gebracht haben würde / als den andern Weg / oder aber jhn biß zu seinem Tode gefenglich zubehalten / So were er des Schadens / so er von jhme hernach empfangen / vberhaben geblieben. Also ist König Franciscus ledig worden / vnd deßwegen doch keine Vrsache gehabt / dem Käyser einigen Danck zuwissen. In diesen Irrthumb fallen gemeiniglich alle Fürsten / die aus Furcht eine solche neutralitet halten wollen / wenn grosse benachbarte Potentaten wider einander zu Felde ziehen / wie auch die Jenigen / so in partheyschen Rathschlägen sich nicht erklären / sondern beyde zu Freund halten wollen. *Iohan. VVerner Gebhard* in Fürstlichen Tischreden / *lib. 1. cap. 7. pag.* 18. 19.

# CLXI.

*SVmmum in aulis Tyrannorum locum hi obtinẽt; Assentator: Delator seu susurro: & Obtrectator. Hi Tyrãnos regunt: & insidiosè meliores opprimũt.*

Hæc regula sumpta est ex versibus Menandri his:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἡδύς.
πρόπας δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων ἐστίν.
ὁ συκοφάντης ὁ δ' κακοήθης εὐτυχεῖ.

*Hæc vita gaudet improbis potissimùm:*
*Sed assentator omnium primas tenet,*
*Vivitq; longè iucundissimè omnium.*
*Deinde Sycophantæ proximus est honos:*
*Audire enim calumnias, dulce admodum.*
*At vertius conceditur locus invido:*
*Artes nocendi qui scit astutissimè.*

Zu lösen Leuten hat man lust /
Wie ein Verstendigen wol bewust.
Wer heucheln kan / sitzt oben an /

Vnd

Vnd bleibt ein vnverdorbner Man.
Darnach sind man Verräther viel/
Die sind die nechsten in dem Spiel.
Wer neydig ist/ vnd listig schadt/
Der wird mit Ehren wol begabt.

*Principes hoc tempore pluris faciunt suas voluptates & commoda: quàm Reipublicæ bonum: nec discernunt inter amicos & hostes: imò fidelium hominum consilia oderunt: & illis Gnathonum blanditias præferunt.* Abrah. Bucholcerus.

*Sæpe Principes inter amicos & inimicos non discernunt: & sinceros monitores habent pro inimicis: rursumq; illos evehunt: qui postea eos excoriant & devorant.* Idem in Chronolog. pag. 444.

*In aulis benè merentes personæ negliguntur: sed Sycophantæ crescunt: & donantur prædiis amplissimis ac fundis: omnia obtinent assentando.* Philippus obiter An. Chr. 1549.

*In Principum aulis primas tenent Gnatones & Calumniatores.* Vnde dicam vobis Regulã certissimam. *Quicunq; vult citò crescere in aulis: tantùm videat, quò se Domini voluntas inclinet: & cuinam sit offensus: hunc observet: & quicquid is agit: id ad Dominum deferat: ac in peiorem partem interpretetur: licet nonnunquam etiam aliquid mendacij de*

*suo*

*ſuo addere: modò prætexat aliquam gravitatis & ſanctitatis ſpeciem ſine affectibus.* *Idem in Locis Manl. pag. 393.*

*Plerunq; in aulis pluris fiunt adulatores & ſycophantæ: quàm Viri fortes, & benè de Republica meriti. Principes magis amant Placentinos, quàm Veronenſes.* *Strigel. 1. Samuel. 17.*

*Triplex eſt genus hominum: à quibus Reges ac Principes miſerè vexantur. Primi generis ſunt adulatores ſeu aſſentatores: qui blandiendo & mentiendo illorum animos occupant, & quaſi excœcant. Secundi ſunt, delatores ſeu calumniatores: quorum tanta eſt improbitas: ut fidiſſimos quosq;, & de Republica optimè merentes, illis inviſos reddant. Tertij verò generis ſunt, fœneratores: qui oppida, vectigalia & portoria illorum tenent oppignorata.* Hoc triplex hominum genus per tres illas Harpyas intelligitur: quos Poëtæ fingunt inſidere menſæ Phinei oculis capti, & coinquinare omnia: ipſasq; dapes præripere miſero & calamitoſo Regi. Tales enim homines inquinant Reges ac Principes oculis animi captos: earumque facultates & alimenta ad ſe rapiunt. *Sabinus in VII. Metamorph. Ovid. ſtatim in principio.*

*Verè grati ſunt in aulis, qui adulantur Principibus: & accommodant ſe ad affectus Principum: reliqui, qui ſalutaria monent, negliguntur: aut tanti non*

*fiunt:*

*fiunt: quanti debebant. Peucer. in lect. Chron. die 26. Ianuarij, Anno 1572.*

*Mendacij & adulationis gymnasium est aula Principum. Francisc. Patrit. lib. 1. de Regno tit. 7. pag. 33.*

*Hoc est vicium aularum communissimum: quòd in ijs omnia sunt plena assentationibus: ubi primates quoq; & consiliarij huc præcipuè ingenium intendunt suum: ut afferant, quod Regibus arrideat: non servilib. tantùm blāditiis, sed lenociniis quoq; dediti. Pezel. in Genes. cap. 12. pag. 217.*

*Pestes aularū sunt, invidia, calumniæ, obtrectationes, præsertim erga peregrinos, ignobiles, fortunatos. Idem cap. 45. pag. 845.*

*Rarò in aulis simplex sermo invenitur*, Galba cum Pisone loquente teste: Ego & tu, dicebat, simplicissimè hodie loquimur: cæteri libentiùs cum fortuna nostra, quàm nobiscum. *In Aulico Politico Duri de Pasc. pag. 141.*

*Maxima aularum pestis est: quòd aut veritas rarò dicitur: aut ita occultatur atq; obtegitur: ut difficilima sit cognitu.* Proinde bene & argutè Carneades dixit: à Regibus nullam artem rectè disci, præter artē equitandi: propterea quòd solus equus, quoniam nō sentit Principis ac plebeij discrimen, nescit adulari Regi: sed excutit, quicunq; is fuerit: qui non aptè norit insidere tergo. Præclarè ostendens, quàm non Principibus per adulatores veritatem intelligere liceat. *Assentatio* igitur *adulatorum* (ut Plutarchus inquit in vita Annibalis) *perpetuū malum*

*Regum: qui dum ea, quæ volunt, libenter audiunt, se adulari sinunt, & falli æquo animo patiuntur.* *In Idea Consiliarij Frider. Furij Ceriolani pag. 78.*

*Adulatorum assentatorumq; consuetudo perniciosissima est, & præcipuè Regibus Principibusq;: quorum opes sæpius assentatores adulatoresq; evertunt, quàm hostes:* ut sapienter ait Q. Curtius. *Francisc. Patrit. de lib. 4. de regno, tit. 1. pag. 220.*

*Tyranni, qui ad sævitiam ac libidinem omnia dimetiuntur, adulatorib. assentatoribusq; delectantur.* *Idem lib. 5. de Repub. tit. 5 pag. 229.*

Quæritur, qui fiat, ut cùm fideles amici tam necessarij sint Principi, assentatores tam pestiferi, Principes tamen magnam assentatorum vim circa se habeant: bonos consiliarios, paucos. Ejus rei causam Cominæus satis solerter exequitur: quippe Principes eos ferè sibi solere adjungere: qui suo animo maximè allubescant: cæteros, quamvis egregios ac utiles, aspernari. Itaque, inquit, qui cum Principe à pueritia educati sunt, quibus diu assuevit, qui societate vitiorum illum sibi obstringere, qui voluptatibus ejus obsequi norunt: primum ferè locum ac vim in ipsius amicitia obtinent: eos præcipuè extollit, honoribus ornat. Neq; scit Princeps viros probitate & prudentia spectatos legere: donec vix tandem serò didicerit, quantum illis egeat. Ita fit, ut illis sæpe uti cogatur: quos antea spernebat. Quæri autem hic rursum potest, quibus artibus assentatores ad gratiam amicitiamque Principum validiores sint, quàm prudentes viri. Plutarchus mihi videtur hunc nodum dextrè solvere: cùm dicit id ex eo oriri: quòd naturâ homines, ac potissimùm Principes, seipsos immodicè amant. Quippe cœcus nostri amor facilem adi-

tum

tum aperit assentatori: efficitque, ut eorum, quæ appetimus & amamus, judices æqui & incorrupti esse nequeamus. Itaque si adulator Principem laudibus, quanquam falsis, aspergat: facilè is dulcedine laudum capitur: cùm multa in se commendatione digna esse sibi persuaserit. Etenim callidè aulicus Gnatho, vicina virtutibus vicia pro veris animi bonis prædicans, Principi sævo magnanimi, prodigo liberalis, libidinoso hilaris & humani, nomen affingit. Sic vitia virtutum vocabulis incrustans, detracto peccatis pudore, Principem in omne decus & flagitium corrumpit. Idemq; cujuslibet rei simulator & dissimulator, vicia sua vicinarum virtutum adumbrata similitudine, quantum potest, velat: atq; affectus suos in altum recondens, ne ambitionem nudet, simulat se studio Reipublicæ duci: auri cupido immensa obtentum habet, quasi Principis famæ consulat: quippe id minimè honorificũ Principi, habere servos inopes. Odio atq; ultionis cupidine incensus, fingit se sui anxium non esse: sed quo animo graves pro Principe inimicitias susceperit, eodẽ exercere. Ad hunc modum cætera. Quæ adeò apud potentes valent: ut si se adulator per omne obsequium in quàm maximè familiarem usum Principis insinuaverit: fallacibus ejuscemodi blanditiis tantum caliginis menti ejus offundat: ut quibus maximè laborat vitiis; ea diligat pro virtutibus. At si vir gravis & sapiens Principem errantem admonitione libera in viam reduxerit: non perinde illi jucundus erit: ut qui omnia ad gratiam loquitur. Quare vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit: Obsequium amicos, veritatem odium parere. *AntiMachiavell. l. 1. pag. 104. 105. 106.*

Quantæ levitatis sit adulari, ipsum nomen indicat: siquidem Græci οὐρὰν caudã vocant: unde adulari dicitur, quasi adurari: quod à canibus trahitur: nam canes motu caudæ abblandiuntur, cùm cibum expectant. *Franciſc. Patrit. lib. 5. de Rep. tit. 5. pag. 229.*

Facetè Diogenes interrogatus, quæ nam belua sæviùs morderet? Ex feris, inquit, obtrectator: ex cicuribus autem adulator. *Idem pag. 230.*

Isocrates, vir sapientia & eloquētia peritissimus, affirmat, *nullā Principibus pestem adulatore perniciorem esse:* Regemq; suum monet: ut omnes illos evitet ac caveat: qui, quæcunq; fecit aut dixit, laudat: illis autem auscultet atque obtemperet: qui eum monere audent: & errata placidè ac sine contumelia castigare. Hi enim amici sunt, vereq; diligunt: illi autem assentatores atq; adulatores: qui mendacij præmium expectant. *Idem lib. 4. de regno, tit. 2. pag. 222.*

Plato appellat adulatorem bestiam omni humano generi pestilentem: & similem affirmat impuro dæmoni, incautos animos, sub noxiæ voluptatis esca, continuè corporis sordibus inquinanti. Præterea adulatorem præstigiatoribus veneficisque, tam privatum, quàm publicum, persimilem: fure & homicida deteriorem & iniquiorem: qui nō pecunias, non ipsam corporis uitam duntaxat auferat. imò, tanquam sacrilegus, rem sacram, judicium nempe rationis, sub boni specie subripiat & subducat. Peiorem & crudeliorem ipsa Circe: quantò gravius inferat detrimentum. Illa enim suis poculis exteriora hominis fertur in bestias transformasse: hic verò lenocinijs suis interiora transformat. *Petr. Greg. Tolos. lib. 8. de Rep. cap. 7. pag. 572.*

De adulatione optimè ait Diogenes: multò magis ad corvos ire præstaret, quàm ad adulatores: qui vel optimos etiam vivos quosq; ex hominibus devorant. Et nonnulli adulatores, ut ait Anaxilas, veluti tineæ divitibus adhærent. Nam simplices mores invadentes, ijsq; insidentes, vescuntur: donec veluti frumentum vacuum reliquerint. *Idem pag. 573.*

Adulatori idem omnino accidit quod Chamæleonti. Siquidem ut ille colorum omnium similitudinem exprimit,

præterquam albi: sic assentator cùm se similem præstare non possit in his, quæ digna sunt studio: turpia quæq; imitatur, quantum potest. Et in hoc generatur majus & pernicioſius malum. Quemadmodum enim qui malè pinxerat gallos gallinaceos, jussit puero, ut veros gallinaceos procul arceret à tabula, ne collatione reprehenderetur: sic adulator veros amicos pro viribus abigit: ne ex illorum comparatione deprehendatur fictus amicus. Quod facilè licet comprobare in curiis Principum. Si enim ibi adulatores primatum obtinent: vix reperies integrum Principis officiarium aut aulicum. Vincente enim malorum numero, & jam Principe dementato: boni exulare coguntur: vel odioſi, tanquam adversarij Principis, vel calumniis habentur ſuſpecti. *Idem pag. 575.*

Reperit in aula Crœsi Solon Aesopum Phrygem, autorem fabularum. Ei, cùm moneret, versandum cum Regibus ἢ ὡς κάκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα, respondit Solon, Nequaquam: ſed ὡς κάριστα, ἢ ὡς ἄριστα. Aesopus alludit ad hoc, quod usitatum est in aulis: alter docet quid fieri debeat, & rectum est. *Peucerus in lect. Chron. d. 26. Ianuar. An. 1572.*

Plutarchus ait in vita Solonis: Ad aulas accedendum, sicut ad ignem: neq; propiùs, ne uraris: neq; remotiùs, ne affligaris: ut expressi olim hoc Epigrammate:

*Aula ſuis rapidos imitatur moribus ignes:*
*Errat, ad hanc facilem qui putat eſſe viam.*
*Vreris, propiùs ſi paulò acceſſeris: at mox*
*Horridus algebis, ſi procul abfueris.*
*Si medium teneas calidi, ſplendoris & aulæ:*
*Quæ ſatis eſt nunquam copia deſtituet.*
*Ergo frequens aulæ cave ne ſis hoſpes: eandem*
*Nec fugias: felix ſi cupis eſſe diu.* Ibid.

*Hinc illa est admonitio in aulico politico pag. 55.* Aulici prudentes cum Principe tanquam cum igne agant: à quo non

adeò aberunt; ut illius calore foveri non possint: nec sic illi appropinquabunt: ut illius incendio ipsi conflagrent.

Mementote versum:

*Non mihi sit servus medicus, propheta, sacerdos.*

**Das ist ein Vers**: in quo pinguntur mores Regum & Principum. *Non mihi sit servus Medicus:* id est: non volo habere inter ministros meos Medicum: qui moneat, quę sunt cavenda & vitanda in consiliis, in gubernatione valetudinis, in reliquis deliberationibus & negotiis, pertinentibus ad statum regni. Reges non libenter audiūnt commonefactiones salutares rectè & benè sentientium, & suadentium bona: sed magis assentatorum assentationibus & blandis vocibus cupidiùs capiuntur: & *plerunque pluris fiunt assentatores in aulis: quàm boni & salutares consiliarij.* Non enim Medicum tantùm intelligit: sed de bonis & salutaribus consiliariis. Principes nec Medicos libenter audiunt, adversantes appetitionibus inordinatis, reprehendentes luxuriam, & alia inordinata in usu cibi & potus, sed non majore patientia tolerant consiliarios: si adversentur cupiditatibus ipsorum: aut si conentur impedire, quæ Regibus allubescunt. 2. *Propheta.* Cùm Medicus non auditur: succedit Propheta: qui prædicit eventus secuturos: si non obtemperent rectè monentibus: prædicit morbos, calamitates, bella, clades publicas, seditiones, si Reges injustè imperent: injustis exactionibus expilent & deglubant subditos: si indulgeant genio: si libidinibus affligant corpora. Illos igitur non libenter audiunt. 3. *Sacerdos.* **Die hören sie zumal nicht gerne.** Quando oppressi morbis, calamitatibus, jubentur resipiscere, agere pœnitentiam, converti ad Deum, præstare moderationem: illa vox inprimis est ingrata & acerba. *Idem Peucer. die 29. Julij, Anno 1570.*

Seneca: Adulatores non tantùm sunt suorum Dominorum arrisores: sed etiam arrosores.

Ludo-

Ludovicus Vives: Assentatio deforme vicium: turpe illi, qui dicit: pernicioſum ei, qui audit.

Memini Ducem Saxoniæ Mauricium de quodam assentatore dixiſſe: Stercus Domini ſui comedit, ut canis. Dux Saxoniæ Fridericus acutè ſolitus eſt dicere: eos maximè eſſe retuendos: qui proximi eſſent pedibus: ne calces conculcent: alios non ita poſſe nocere. *Philip. in Locis Manl. pag. 404.*

Demoſthenes: Difficilis eſt assentatio: quando hoc proponitur: quod eſt ingratum cupiditati.

## EXEMPLA.

I. Talis Gnato fuit Ephæſtion in aula Alexandri Magni: quem φιλαλέξανδρον magis amavit Alexander; quàm Craterum φιλοβασιλέα. *Philip. in Locis Manl. pag. 393. & Strigel. 1. Samuel. 17.*

II. Ibidem quoq; calumniator nominatus eſt Midias; qui (ut refert Plutarchus) ſemper dicere ſolitus eſt: Calumniare audacter: quia ſemper aliquid hæret. *Philip. ibidem.*

III. Dionyſius habuit colacem: qui lingebat ejus ſputum. Tales omnibus temporibus reperiuntur. *Idem pag. 404.*

IIII. Cùm Dionyſius ſcripſiſſet Tragœdias: exhibuit eas legendas Philoxeno Poëtæ: cui cùm non placerent; libero animo id Tyranno indicavit; oſtenditq; ipſi errata. Ille iratus juſſit eum abducere in Latomias: & poſt aliquot menſes inde exemit eum; juſſitq; iterum indicare: ut ſuum judicium de poëmate diceret. Cùm & tunc indicare nollet; niſi priùs oſtenſis erratis: iterum eum abduxit in carcerem. Ille non fuit assentator: ſed fortiter contemptis periculis, Tyrannum coràm de vicijs admonuit. *Idem pag. 405. Et Franciſc. Patrit. lib. 5. de Repub. tit. 5. pag. 229.*

V. Crœſus Lydorum Rex nullam aliam ob cauſam Solonem regno pepulit: niſi quòd blandiri vir ille ſapiens neſciebat. *Idem Patrit. ibid.*

VI. Aſa non manſit ſui ſimilis; non retinuit fidem & integritatem: cultum excelſorum extra templum non ſuſtulit: poſtea diffidentia facit fœdus cum impio Rege Syriæ: & propterea reprehenſus à Propheta, Prophetam comprehenſum includit carceri. Ibi accidit quod uſitatum eſt juxta verſum: *Non mihi ſit ſervus medicus, Propheta, Sacerdos.* Ita accidit Prophetæ apud Regem Aſa; qui non ſolùm eum à ſeſe repellit; ſed inſuper injuria & contumelia affecit. *Peucer. in lect. Chron. die 29. Julij, Anno 1570.*

VII. Caligula ex bono Principe, qualis erat ab initio, per adulatores factus eſt monſtrum: tantumq; adulationibus intumuit: ut Deum ſe haberi, & ſuas in templis imagines apponi voluerit. Sicut enim qui faſcino utuntur, laudando necant arbores, ſata, pueros: ita adulator laudando perdit. *Petr. Gregor. Toloſ. lib. 8. de Rep. cap. 7. pag. 572.*

VIII. Sub Tiberio Augusto adulatores muneribus & honoribus tantùm affecti, alij non.

IX. Et Constantinus II. Silvano, qui occupaverat in Gallijs Imperium, occiso, ut jam cœlo contiguus, casibusq; imperaturus humanis, magniloquentia fastuq; sufflabatur adulatorum: quos augebat ipse: spernendo proijciendoq; id genus parùm callentes. *Idem pag. 574.*

# CLXII.

*Tyranni blandientes fallunt.*

*Tyranni comica facie agunt tragœdias: & tunc maximè metuendi sunt: cùm vulpinam pellem induunt:* hoc est: *cùm blandiuntur: & honores ac præmia pollicentur. Etsi enim ore suo benedicunt: tamen corde suo maledicunt, aliud videlicet sentientes, & aliud loquentes.* Strigel. 2. Sam. 18.

*Quando Tyranni maximè abblandiuntur: tunc plurimum ab eis est periculi: imò ars quædam aulica habetur, bona dicere, & mala struere in mente.* Philip. in Postilla per Pezel. ed. part. 2. pag. 558.

*Mundus iste periculosior est blandus, quàm molestus: & magis metuendus, cùm se illicit diligi: quàm cùm admonet, cogitq; contemni.* Augustin. epist. 144. Sicut enim feles insidiantur muribus, non cum strepitu, sed molli & suspenso gradu: ita filij hujus seculi Comica facie agunt Tragœdias. *Strigel. 2. Samuel. 20.*

*Tuta frequensq; via est, per amici fallere nomen:*
*Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.*

EXEM-

## EXEMPLA.

I. David specioſa promiſſione affinitatis objicitur Palæſtinis, *Ibid.*

II. Magi blandiſſimis verbis ab Herode ad prodendum Chriſtum invitantur.

III. Ioab ſub ſimulatione amicitiæ & oſculi, apprehenſum Amaſam gladio ſternit.

IIII. Cl. Tiberius Nero, mortuo Auguſto, Romam reverſus, Senatum convocat jure Tribunitiæ poteſtatis: perlectoq; teſtamento Auguſti maximos gemitus ac dolores ſimulavit: principatum pluribus recuſans, multis precantibus Senatoribus, pleriſque ad genua procumbentibus, oneroſam ſibi injungi ſervitutem conquerens. Quod quidem (ut Aurelius Sextus ſcribit) aſtu fecerat: ut diſceret, quid ſinguli ſentirent: atrociter explorans animos omnium: quæ res bonos multos peſſumdedit. Exiſtimantes enim ex animo eum longa oratione imperialis moleſtiæ magnitudinem declinare: dum ſententias ad ejus voluntatem promunt: incidêre in exitia poſtrema. *Cuſpinian. in vita Tiberij, pag.* 13.

## CLXIII.

*TYrannorum perpetuum inſtitutum eſt: ut ſpecioſo aliquo prætextu ſævitiam & ultionẽ expleant.* *Anti Machiavellus lib. 3. pag. 525.*

*Tyrannis hic mos eſt, calumniis & criminibus falſis circumvenire, quos capite plectunt: nonnunquam ante, interdum ſecundum ſupplicium illatum.* *Idem pag. 524.*

*Tyrannorum ars hæc maxima eſt: nempe potentiſſimum & optimum quemq; è Republica tollere, priùs falſis criminibus accuſatum: vel alijs de cauſis, aliove modo necare.* *Danæus in Aphoriſ. Polit. pag. 209.*

## EXEMPLA.

I. Domitianus multos Senatores & Principes civitatis Romanæ, leviſſima quemq; de cauſa ſuſtulit: quippe ſibi ſuſpectos: quemadmodum *Tyranni illuſtres & præſtantes viri ferè ſuſpecti eſſe ſolent.*

II. Talis fuit Tiberius; qui initiò principatus (ut inquit Tacitus) neq; eminentes virtutes sectabatur, & rursum vicia oderat; cùm ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metueret. Sed postea in omnia scelera simul ac dedecora prorupit; postquam remoto pudore & metu, suo tantùm ingenio utebatur. Itaq; cùm viros virtute insignes odisset; multos cruenta Machiavelli arte & doctrina sustulit. Cremurius Cordus nobilis historicus ab ipso mori adactus est; quòd editis annalibus M. Brutum & Cassium laudasset. Aemilius Scaurus; quòd in tragœdia Agamemnonem, ut tyrannum, probris lacessivisset. Multi item alij damnati ab eo, quæsita juris specie; quo tyrannidem velaret.

III. Simili impudentia Nero, matre interfecta, literas ad Senatum scripsit: in quibus præter cætera commemorabat: ab ea insidias sibi esse factas: atq; in eo deprehensam, mortem sibi conscivisse.

IIII. Haud dispari arte Caracalla, Geta fratre interfecto, progressus ad milites, exclamare cepit: contra se factam esse conjurationem: & se maximum periculum effugisse. *Anti Machiavellus ut suprà.*

V. Periander Corinthiorum Tyrannus, inter initia gubernationis mitiùs agebat, quàm pater Cypselus. Sed ubi per nuncios consuetudinem habuit cum Thrasybulo, Mileti Tyranno: multò magis, quam pater, cruentus effectus est. Misso enim præcone, Thrasybulum interrogavit: qua ratione ipse, rebus tutiùs constitutis, civitatem pulcherrimè gubernaret. Thrasybulus eo, qui à Periandro missus erat, extra oppidum educto, ingressus est rus quoddam satum: & unà cum nuncio segetem inter ambulans, sciscitabatur hominem de suo adventu è Corintho, detruncans atq; abijciens, ut quamq; videbat, spicam inter alias extantem: donec segetem formosissimam atq; densissimam hunc in modum corrupit: prædiumq; illud pervagatus, nullo verbo reddito, præconem remisit. Reversus Corinthum præco, avido præceptionis audiendæ Periandro, negavit sibi quippiam respondisse Thrasybulum: mirari, quòd se ad virum vesanum Periander misisset, & sua ipsius destruentem: exponitq; quæ ex Thrasybulo vidisset. Periander, id quod à Thrasybulo actum erat, intelligens, atq; interpretans sibi ab illo præceptum, ut eminentissimos quosq; popularium interimeret, tunc verò omnem in cives sævitiam exercuit: interficiendo ac persequendo consumans id: quod à Cypselo fuerat omissum: adeò quidem, ut uno die universas mulieres Corinthias exuerit, propter Melissam uxorem suam, &c. *Vide Herod. lib. 5. pag. 154. 155.*

# CLXIIII.

*Tyrannorum dona non sunt dona.* Vt enim pueri astragalis, sic Tyranni pactis & fœderibus ludunt: sive, ut Paulus ait, sunt ἀσώθετοι. *Strigel. 1. Samuel. 18.*

## EXEMPLVM.

Merob filia Saulis, quæ Davidi à patre Rege Saule desponsata fuerat, traditur alteri, contra fidem pacti. *Ibid.*

Tyran-

# CLXV.

*Tyranni non sunt contenti vulgaribus suppliciis: sed excogitant nova genera suppliciorum: quasi non satis sit, hominem semel mori. Tyranni non sunt contenti simplici morte: sed amant inusitatam & inauditam. Strigel. lib. 2 Chron. pag. 87.*

Seneca: *Rudis Tyrannus, morte qui pœnam exigit.*

## EXEMPLA.

I. Cambyses præsidem Sisimnem, qui, pecunia corruptus, injustam sententiam tulerat, interfecit: & toti corpori cutem detraxit: eamque instravit tribunali. Postea filium Sisamnis Otanem in eam sedem collocavit: ac jussit eum, intuentem patris exuvias, rectè judicare: ne simili supplicio afficeretur. *Philip. lib. 2. Chronic. pag. 63.*

II. In bello duorum fratrum Cyri & Artaxerxis, Cyrus à quodam Persico adolescente Mithridate est interfectus. Hunc Mithridatem, gloriantem in convivio, se sua manu concidisse Cyrum, Parysatis crudelissima fœmina, scaphismo necari jussit. Is, qui hoc genere supplicij è medio tollendus erat, imponebatur scaphis: & ungebatur melle, lacte, & alijs dulcibus liquoribus: quorum dulcedo invitat & allicit magnã copiam muscarum & culicum: & quotidie præbebatur ei cibus: ut posset diu tolerare dolores & cruciatus. Ac dicitur hic Mithridates usq; ad decimum sextum diem vixisse, inter acerbissimos & exquisitissimos cruciatus. Legite ipsi descriptionem hujus supplicij apud Plutarchum: est valde tragica. *Strig. lib. 2. Chron. pag. 232.*

III. Selymus Imperator Turcicus, Bajazetis filius, Mustapham Bassam, cujus subnixu ad Imperium conscenderat, quòd videretur ad Achomaten inclinare, metu immanitatis Selymi: hunc ergo strangulatum priùs, deinceps canibus dilaniandum objecit. *In Chron. Philippi lib. 5. pag. 664.*

IIII. Iohannes Veidanus, Stephani filius, qui postea regnum invasit, in Duces seditiosorum, sævijt exemplis: quæ vix cadere poterant in sensum humani pectoris. Georgium enim, imperatorem Rusticorum, in equuleo extendit: caput ipsi corona ex ferro candenti cingit: venas aliquot aperit: & sanguinem profluentem Lucatio fratri Georgij potandum præbet: deinde præcipuos ex Rusticis, quos inedia triduj excruciaverat, cogit, ut dentibus artus Georgij adhuc spirantis lacerent & vorent. Inter illos cruciatus nullum edebat gemitum: tantùm precabatur: ut Lucatio fratri, quem ipse invitus ad hoc bellum traxisset, parcerent. Laniatis membris ipsius, cùm jam

expirasset: viscera ipsi extrahunt, dissecant, eaq; aheno cocta verúq; assata militibus voranda proponunt: eosq; demum illis Thyesteis epulis satiatos, una cum Lucatio, longis & diris supplicijs interficiunt. Non extat simile exemplum sævitiæ planè inhumanæ in historia mundi: ideo non mirum est, si DEVS hanc tantam rabiem in Domino & gente sua ultus est, immissis latronibus Scythicis, &c. *Cuspin. in Annalib. Silesiæ, pag. 233.*

# CLXVI.

*TYrannicæ naturæ sunt regnandi cupidæ, suspicaces & timidæ: nulli fidunt: quia perpetuò & vitæ suæ & regno metuunt.*

*Familiare est omnibus Tyrannis: ut propter injustã dominatus cupiditatem, in carcerem quodammodo ipsi se includant: nulli fidant, non liberis, non uxoribus. Petr. Greg. Tolos. lib. 6. de Rep. cap. 19. pag. 380.*

*Tyranni cùm sint suspicaces: malè sentiunt de aliis sine probabili ratione: & multa falsa sibiipsi fingunt. Vt enim sunt malevoli, occultatores, fucati, pleonectici: ita ex suis moribus fingunt alios: metuunt ubiq; insidias: putant alios sibi potentiam quærere: depravant aliorum rectè facta & ambigua. Strigel. 1. Sam. 20.*

*Declarant Tyranni, quantos impulsus habeat etiam ad crudelitatem metus: & quàm malè diuturnus sit imperij custos. Itaq; quotus inventus est Tyrannus, qui non fuerit crudelis atq; grassator? Iohan. Iovian. Pontanus lib. 1. de Fortitud. pag. 60. b.*

Præter

*Prætertragicos & luctuosos exitus, quos Tyranni justo* DEI *judicio sortiuntur, quàm diu etiam vivunt, furiæ diræq; ultrices impurum eorum animum,* DEO *hominibusq; infestum, ita excarnificant: ut neque vigiliis nec quietibus sedari possit. Anti Machiavel. lib. 3. pag. 560.*

*Ambitio in Tyrannicis naturis plus valet: quàm omnia jura divina & humana necessitudinũ.* **Ein gemeine** jus & regula Tyrannorum est: Si violandum est jus: regni causa violandum est: in cæteris pietatem cole. *Philippus in Cordiali Abrah. Bucholceri, pag. 72. b.*

Apud Euripidem in Phœnissis Eteocles Tyrannus inquit: Velim ire ad ortum Solis & astrorum, & sub terram: si possem efficere: ut haberem Tyrannidem Deorum maximã. Item: Veniant mihi enses: veniant ignes: jungite equos cruribus: non enim tradam huic regnum meum.

Nero apud Senecam in Tragœdia inquit: Pro regno velim conjugem, liberos, amicos, flammis dare.

Plutarchus in vita Demetrij: Sicut Geometræ postulant sibi ἀιτήματα: ita Tyrannorum αἴτημα est: ut ponant, licere sibi interficere fratres & amicos: ut soli regnent. De ingenijs & natura Tyrannorum idem inquit: quòd animam habeant conflatam ἐξ ἀσελγείας καὶ ὠμότητος. De affectibus eorundem erga Respub. Demosthenes ait: ὅτι τύραννος ἅπας ἔχθρος ἐλευθερίας καὶ νόμοις ἐναντίος. *In Chron. Philippi lib. 5. pag. 587.*

Iosephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 24: Timor etiam Tyrannos necessitate major invadit.

Phrygium olet hic sermo: est enim Phrygis Aesopi: Suem, si quis eam comprehendat, vociferari: idq; non temerè. Etenim cùm neq; lanam portet: neq; quicquam aliud ejus generis: statim conjectura mortem augurari, scientem, se ipsam

usui esse utentibus. Similes autem mihi videri solent suibus Tyranni: qui semper in suspicionibus & metu versantur: cùm sciant sicut sues, suam vitam solam omnibus deberi. *Aelianus lib. 10.*

Quàm miserum est, quod scribit Aeschylus:

ἔνεσι γάρ πως τοῦτο τῇ τυραννίδι
Νόσημα, τοῖς φίλοισι μὴ πεποιθέναι. Id est:
*Inest enim hic quodammodo tyrannidi*
*Morbus, ut amicis fidem non habeant.*

Et Claudianus:

*Qui terret, plus iste timet, sors ista Tyrannis*
*Convenit: invideant claris: fortesq; trucident:*
*Muniti gladiis vivant: septiq; venenis*
*Ancipites habeant artes: trepidiq; minentur*

# EXEMPLA.

I. Cambyses fratrem Smerdin curat interfici per Prexaspem: cùm vidisset eum in somno, sedentem in regio solio, & capite attingentem cœlum: interpretatus, hoc eum, occupato regno per seditionem, fore. *Herodot. lib. 3.*

II. Astyages curat Cyrum exponi: cùm moneretur somnio de futura ipsius potentia. *Herodot. lib. 4. & Iustinus lib. 1.*

III. Layus Thebanorum Rex exponit Oedipum filium: à quo postea interfectus est: edoctus ab oraculo: futurum, ut à filio, adulto jam, interficeretur. *Diodorus Siculus lib. 4. rerum antiquarum cap. 6.*

IIII. Amulus Albanorum Rex, pulso fratre Numitore ex regno, quò tutior esset, tollit stirpem masculam ex fratre natam. Filiam verò, ne ei spes nepotis esset, qui factum hoc ulciscereturr, Vestæ consecrat. Vitiatæ postea gemellos, Romulum & Remũ, exponi curat. *Livius lib. 1.*

V. Emanuel Palæologus, Imperator Orientis, fratre ijsdem artibus excusso, quibus patrem ille summoverat, regnum obtinuit à Bajazete certis conditionibus. Sed non fuit infidi Tyranni diuturna erga Emanuelem benevolentia: & animum, ut in Tyrannis omnibus, calumnijs patentem, atq; ad suspiciones pronum, & jam antè rumusculis quibusdam nonnihil alienatum, magis incendebat Iohannes Andronici filius, odio patrui. Itaq; Byzantium obsedit Bajazetes: cumq; vi capere non posset: fame exhaurire constituit: quod perfecisset: nisi improvisa irruptione Tamberlanis Scythæ fuisset abstractus. *In Chronico Philippi, lib. 5. pag. 578.*

VI. Orchanes filiorum Ottomanni natu minimus Tyrannidem cæsis fratribus adeptus est. *Lib. ebd. pag. 588.*

VII. Tyrannus quidam Tryzus, volens omnes conjurationũ & insidiarum con-

tra se

tra se vias intercludere, legem suæ regionis incolis posuit: ut nemo cum altero, neque privatim, neq; publicè sermones misceret: quod fuit gravissimum, minimeq; ferendũ. Itaq; dolo Tyranni mandatum eluserunt: & oculorum manuumq; gestibus & nutu, animi sensa mutuò significabant & accipiebant. Item acerbo vultu sese invicem intuebantur: & rursus placato, facieq; læta. Atq; ex uniuscujusq; superciliorũ agitatione perspicuum erat: eum tristem & intolerandũ rerum statum indignè ferre, animi affectione per vultum ei, cum quo erat, declarata & ostensa. Etiam illa Tyrañum commovebant: quòd existimaret, silentium vocis, varietate & commutatione vultus, prorsus mali quid sibi moliturum esse. Proinde etiam illud lege justa sustulit. Quidam itaq; desolationem illam ægrè molestèq; patiens, & cupiditate dissolvendæ Tyrannidis permotus, in forum progressus est. Ibi stans, multùm & profusè lacrymatus est. Quem circumstetit confluens omnis multitudo. Quibus etiam ipsis in fletum ac luctum erumpentibus, nuntium ad Tyrannum allatum est: neminem quidem nutibus uti: at lacrymas frequentes emittere. Qui festinans, ut & illud prohiberet: neq; solùm linguam, nutusq; servitute constringeret: sed etiam oculis à natura tributam libertatem eriperet: quanta potuit celeritate, pedes cum stipatoribus & satellitibus accurrit: ut lacrymas sedaret. At illi, cùm à longè, vix eum vidissent, eripientes arma satellitibus, Tyrannum interfecerunt. *Aelian. de Var. hist. lib.* 14.

VIII. Narrat exemplum Cicero, quod imaginem veram omnium Tyrannorum refert & miseriam, Dionysij Tyranni Syracusiorum: qui cùm esset bonis parentibus atq; honesto loco natus: abundaretq; & æqualium familiaritatibus, & consuetudine propinquorum, & amicis: credebat se tamen nemini; sed servis manumissis, & quibusdam convenis: & feris barbaris custodiam sui corporis committebat. Quin etiam ne tonsori collum suum committeret: docuit tondere filias suas: & tamen ab his, cùm essent adultæ, ferrum removit, instituitq;: ut candentibus carbonibus barbam sibi & capillum adurerent. Cumq; duas uxores haberet, Aristomeden civem suam, Doridem autem Locrensem: sic noctu ad eas ventitabat: ut omnia specularetur & præscutaretur antè: & vestes etiam earum excuteret. Et cùm fossam latam cubiculari lecto circumdedisset: ejusq; fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisset: ejus disjectos asseres & axiculos secum in stratum ábiens transferebat: cùm forem cubiculi extrinsecus à custodibus opertã, interiore claustro ipse diligenter obseraret. Idemq; cùm in communibus suggestis consistere non auderet: concionari ex turri alta solebat. In summa, omni cultu & vita humana carebat: vivebat cum fugitivis, cum facinorosis, cum barbaris: neminem, qui aut libertate dignus esset, aut vellet omnino liber esse, sibi amicum arbitrabatur. Quod tamen nec prohibuit: quin tandem sede pelleretur. *Petr. Greg. Tolos. lib. 6. de Rep. cap.* 19. *pag.* 380. *Et Anti Machiavellus lib.* 3. *pag.* 519.

IX. Sed Commodus multò etiam solertior: qui tonsorum metu, candentibus juglandium putaminibus, comam & barbam sibi ipse adurebat. *Anti Mach. ibid.*

X. Aristippus, cæso Aristomacho, tyrannidem Argis occupans, socius Antigono Regi, vivum in urbe ex inimicis neminem reliquit. Satellites ejus foris in peristylio excubabant: ipse servos, cùm cœnasset, omnes exigebat: & interiorem domum occludens, cum amica in parvum se abdebat cubiculum editum: quod cataracta claudebatur: scalis amicæ mater auferebat: easq; alio in conclavi occludebat: rursusque orta luce evocabat Tyrannum, serpentis modo ex lustro irrepentem. *Petr. Gregor. Tolos. pag.* 381.

XI. Dio-

XI. Dionysius junior Tyrannus Siciliæ, cùm iterata conspiratione Syracusis obsideretur: depositò imperio, arcem Syracusanis cum exercitu tradidit: receptoque privato instrumento, Corinthum in exilium profectus est: ibi humillima quæq; tutissima existimans, in sordidissimum vitæ genus descendit: & novissimè se ludimagistrũ professus est. *Idem pag.* 1498.

XII. Alexander Phæreus, cùm uxorem Theben admodum diligeret: tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens barbarum, & eum quidem (ut scriptum est) compunctum notis Threicijs, stricto gladio jubebat anteire: præmittebatq; de stipatoribus suis: qui perscrutarentur arculas muliebres; &, ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirerent. Nec eum fefellit opinio. Ab ea est enim ipse propter pellicatus suspicionem interfectus. *Pontanus lib. de Principe, pag.* 91.

XIII. Saul malè suspicatur de Davide absente: & tantùm propter futilem suspicionem eum è medio tollere conatur. *Strigel.* 1. *Samuel.* 20.

XIIII. Sic Tiberius multos interfecit: quia erat in eo natura suspicax. M. Aemylius Scaurus, ut narrat Dion in vita Tiberij, qui nullam provinciam imperio rexerat: neque repetundarum accusatus erat: condemnatus est propter tragœdiam: in acerbioremq; casum incidit: quàm ille erat, quem scripserat. Atreus erat poëma: suadebatq; cuipiam eorum, quibus imperabat, secundùm Euripidem: ut Regum stultitiam æquo animo ferret. Cùm hoc audisset Tiberius: in se versum illum pronunciatum esse dixit, existimans se Atreum, quia multos crudeliter necasset, esse appellatum, subjungensq;: Ego verò ipsum, Ajacem faciam: necessitatem illi attulit; ut se ipse suis manibus conficeret. Non tamen hoc nomine in judicium vocatus est: sed quòd cum Livilla adulterium commisisset. *Idem ibidem.*

XV. Masinissa Rex Numidarum, & pop. Rom. amicissimus, parum fidei in pectoribus hominum reponens, & nec ipsis filijs suis fidens, salutem suam custodia canum vallavit. Quò tam latè patens Imperium? quò tantus liberorum numerus? quò denique; tam arcta benevolentia constricta Romana amicitia, si ad hæc tuenda nihil canino latratu ac morsu valentius duxit? *Valer. Max. lib.* 9. *cap.* 14.

XVI. Ludovicus XI. Rex Galliæ, filio, quòd eum metueret, magnas posuit custodias: nec erat ulli integrum colloqui cum eo, nisi ipsius concessu & mandato. Sed & filiæ tandem cepit diffidere, & genero suo: & indicari sibi voluit eos, qui castellum ingrederentur. Instituerat antea Senatum in eo castello: cui Borbonius gener præerat. Nec hunc quidem tulit: & in ijs suspicionibus totum abolevit. Borbonius & Comes Dunensis, legatos Flandriæ, qui nuptijs Delphini interfuerant Amboisæ, honoris causa, quod fieri solet, deduxerant. Ubi Plessium revertissent magno cum comitatu: è stipatorum & satellitum suorum præfectis quendam accersit: & explorare jubet, an essent armati sub veste: sed ut dissimulanter faceret, mandat, interea dum familiariter cum ijs loquitur. Multos ipse, per omnem vitam, perpetuo metu & solicitudine excruciaverat: & nunc ecce videmus eum ad consimilem planè modum affligi. Cui enim se committat, qui liberis etiam suis, & genero fidem non habet? Hæc autem non ad ipsum modò pertinent: verùm etiam ad omnes eos principes, qui metui volunt. *Philip. Comineus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib.* 10. *pag.* 308.

XVII. Quid? quo cruciatu timoris angi solitum Neronem censemus? Qui perfecta matris cæde, sæpe confessus est, se materna specie exagitari, verberibusq; furiarum ac tædis ardentibus.

XVIII.

XVIII. XIX. Quàm jucundam vitam egisse Caligulam & Caracallam putamus? Qui arcas variorum venenorum plenas secum circumferebant: tum ut alios, tum ut seipsos veneno tollerent: si forte esset opus: ne in manus inimicorum vivi inciderent.

XX. Quid Heliogabalum? Qui funes serico & cocco intortos paraverat: quibus, si necesse esset, gulam sibi frangeret. Paraverat & gladios aureos: quibus se occideret: si aliqua vis urgeret. Neque profectò inter artes tyrannicas ulla solertior videtur: quàm ut maturè provideant Tyranni: ut mortem in potestate habeant: si quid immineat gravius. Sæpè enim illis supremum illud auxilium ereptum est, cùm maximè eo egent: sicut Neroni contigit: qui nec amicum, nec inimicum habuit: cujus manu periret. *Ant. Machiavellus lib. 3. pag. 562. 563.*

# CLXVII.

*OMnis ferè Tyrannus tragicum habet exitum. Deus non parcit summis Regibus & Principibus: quando exercent Tyrannidem adversus homines innocentes. Strigel. lib. 1. Dialect. pag. 495.*

*Regulare est hoc: ut atrocia delicta puniantur atrocibus pœnis, etiam in hac vita: ac de Tyrannis adeò vera est hæc Regula: ut Iuvenalis dicat:*

*Ad generum Cereris, sine cæde & sanguine pauci*
*Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.*

Strig. part. 1. Locor. Th. p. 28.

Sævos ac sanguinarios Principes Dijs odio fuisse, etiam superstitiosi veteres putaverunt. Scribunt siquidem, Domitianum Cæsarem per quietem vidisse Minervam (quam religiosè colebat) sacrario, quod ei augustè ac sanctè dicaverat, excedentem, dicentemq; se non posse eum ampliùs tueri: ut quæ exarmata à Iove esset: qui ei graviter succensèret, propter nimiam sævitiam atq; atrocitatem: quam in homines quotidie exerceret. *Francis. Patrit. lib. 8. de regno, tit. 6. p. 508.*

*Exceptio Regulæ.*

Ex Tyrannis tres possunt nominari: quorum mors fuit

placida. 1. Dionysius Major: sed postea filius Dionysius Minor debita à patre contracta persolvit. Is enim à Dione Principe Syracusano pulsus fuit in exilium: & ad tantam inopiã redactus: ut in urbe Corintho ludum literarium aperuerit. 2. Sylla, qui cùm crudelissimè gubernasset: placidè fuit mortuus 3 Tiberius, sub quo Christus passus est. Hic etiam placidè expiravit. Dignum est autem memoria dictum Isocratis: qui in oratione περὶ εἰρήνης inquit: Tutius est sequi regulam: quàm sperare impunitatem propter pauca exempla, quæ sunt contraria. Non enim exemplis, sed legibus judicandum est. *Strigel. ibid.*

## EXEMPLA.

I. Cain propter necem fratris Abeli, fugitivus desperat & miserè perit.

II. Absilon propter tyrannidem, incestum & impietatem, aliaq; scelera, quæ in fratrem Ammon, sororem, ipsumq; parentem exercuerat, justo DEI judicio in fuga è quercu pendens capillitio, miserè transfoditur

III. Achab propter injustè lapidatum Naboth, in prælio sagitta ictus occumbit: eoque in loco, quo canes sanguinem Naboth linxerant, lambunt etiam ipsius sanguinem canes.

IIII. Alexander Magnus multos suorum inter pocula interfecit, ut Clytum & alios. Tandem ex instinctu Antipatri, ipsi in convivio apud Thessalum medicum, venenum propinatur: ex quo sexto die post, ætatis anno 32. inter sævissimos cruciatus expiravit, Anno ante N. Ch. 323. die Iunij 28.

V. Herodes Ascalonita Infanticida
VI. Herodes Agrippa, qui Iacobum occidit
} miserè interierunt.

VII. Nero primus autor persecutionis in Christianos, interfecit Octaviam uxorem: matrem præterea Agrippinam: cujus dissecuit uterum: ut videret, quo in loco ipse antequam nasceretur delituisset: etiam præceptorem Senecam, Apostolos item Petrum & Paulum sustulit. Is cùm audivisset, propè esse equites à Senatu missos ad eum interficiendum, fugiens, facto sibi tamen priùs hoc epitaphio: Dedecorosè vixi: turpiùs peream: ipse gladio se transfixit.

VIII. Pompilius II. Princeps Polonorum, Popiel Polonica lingua dictus, tantam exercuit in quosvis sine discrimine tyrannidem: ita ut etiam ipsum nomen omnibus esset formidabile: & vulgò flentibus liberis minitando occineretur: **Der Popel kompt/ der Popel kompt.** Hic ex instinctu Vxoris morbum fingens, ex cognatis suis præcipuos viginti numero, ad se evocavit: ijsq; quasi ultimum vale dicturus, pro vino venenum propinavit: ut ipsis sublatis, liberi ipsius eò faciliùs & commodiùs regnum soli obtinerent. Sed vindicta divina ad pœnam ipsum abripuit: & memorabili DEI judicio à muribus & gliribus scribitur esse discerptus cum conjuge & liberis.

IX. Hatto Episcopus pauperes ad se venientes, & eleemosynam petentes, con-

cludebat

cludebat in unam domunculam: quam deinde incendebat. Cumq; illi miseri homines alta voce clamarent, dixit: Audire vocem murium. Verùm, divina vindicta miraculosè sic ordinante, Episcopus deinde à muribus est arrosus. Cùm autem non posset ingruentem ad se murium copiam arcere: curavit sibi ædificari turrim in medio Rheni. Facta hac turri, in eam immigravit: sed ne sic quidem pœnam divinam effugere potuit: nam mures trãsnatarunt Rhenum; & eum interfecerunt. Vestigia illius turris hodie, iter in illis locis facientibus, ostenduntur.

X. Boleslaus II. Princeps Poloniæ dictus Audax, qui Episcopum Stanislaum Cracoviæ in templo ad D. Michaëlem, ad ipsam aram jugulavit, d. 8. Maij, ejusque cadaver dissectum in partes canib. objecit, exul in Hungaria paulò pòst miser & egens miserè extinctus est. Scribitur enim, postquam in venatione dejectus esset equo, à canibus suis, quos secum duxerat, dilaniatus devoratusq; esse.

XI. Herodes, qui Iohannem occidit, unà cum uxore adultera & filia in exilio miserè mortuus est. Puellam Nicephorus & Iosephus scribunt sub glacie miserè periisse.

XII. Tyrannus Phocas interfectus est ita: ut detruncata sint ei brachia & pedes; & sic jacuit diu; ut duriter excruciaretur; nec citò mori posset. Ita DEUS servat talionem.

XIII. Seneca scribit de Pisone Tyranno Hispanico: quòd interfecerit trecentos subditos: posteaque incesserit per cadavera, dicens, hoc regium esse. Sed Piso postea sibi conscivit mortem. Cùm enim esset accusatus coram Tiberio, dixit, se, quæ fecisset, fecisse jussu Tiberij: quem ad hoc libellum scripsisse finxit: cui libello incumbens, mortem sibi conscivit.

XIIII. Alexander Phæreus insuit homines in pellibus luporum: & adegit canes, ut ipsos lacerarent. Idem vivos homines solitus est defodere. Ille postea a fratribus conjugis est interfectus.

XV. Dux quidam etiam talia faciens, est confossus. *Philippus in Locis Manlij pag. 631. & 630.*

XVI. Narratur simile aliquid in Italorum historiis de Francisco Vicecomite Paduano Carrariense: qui similiter homines insutos ferarum pellibus, canibus dilacerandos objecit: sed hoc addidit: quòd canes aliquot dierum inedia reddidit asperiores & immaniores: ut majore crudelitate discerperent istos miseros homines. Dedit & ille pœnas captus à Venetis, & strangulatus in carcere. *Pencer. in lect. Chron. d. 9. Iul. An. 1573.*

XVII. Boëtius fuit gener Symmachi Consulis Romani. Vteréque, socer & gener, fuit doctissimus. Extant scripta Boëtij: quæ declarant, quanta fuerit eruditio, & quantum acumen ingenij in hoc Viro. Interfectus est uterq; a Theodorico Veronensi, Rege Gothico, qui vulgò vocatur Dittrich von Bern: quem DEUS graviter punivit propter interfectos Symmachum & Boëtium. Nam quo die jusserat interfici summos viros propter futiles suspiciones affectati regni: eodem die ministri regij apposuerunt in cœna inter alia fercula caput cujusdam magni piscis. Theodoricus verò specie hujus piscis ita est perterrefactus: ut existimaret, se videre caput interfecti Symmachi, minitantis tristia & dira. Hoc igitur spectro territus, mox secessit in vicinum conclave: & intra triduum est mœstitia extinctus *Strigel lib. 1. Dialect. pag. 495.*

XVIII. Testantur historici, Romulum, fratre occiso, & Tatij, quem in regni so-

cietatem acceperat, morte curatâ, his editis facinoribus intolescentem, multa superbè & in Senatus contumeliam egisse. Itaque in templo Vulcani, seu ad Cipræ paludem, Patrum manibus discerptum esse: & dilecto interfecti corpore, partem quemq; in sinu extulisse. Mox sollicita civitate desiderio Regis, subornasse quendam, qui diceret: eum sublimem raptum abiisse in cœlum. Quamobrem illi injustâ Remi & Tatij cædem Romuli cæde ulti sunt. *Anti Machiavell. lib. 3. pag. 546.*

# CLXVIII.

*LEves nonnunquam injuriæ vindicem in Tyrannum inveniunt. Francisc. Patrit. lib. 6. de Rep. tit. 5. pag. 289.*

## EXEMPLA.

I. Pisistratus populi favore solium conscendit: at ejus filij, cùm duriùs violentiusq; se gererent: intererempti sunt ab Harmodio & Aristogitone: quæ res adeò grata fuit Athenienſibus: ut nomina & statuæ eorum, qui libertatis recuperandæ autores fuerant, ne à servis unquam conspici possent, publico decreto sancitum sit. Iniquum namq; eis visum est, autorum libertatis imagines servili oculo pollui. Atqui si causam quærimus, cur juvenes illi in tyrannidem se armarint: inveniemus, nõ libertatis studium extitisse: sed privata injuria ac contumelia eos ad iram accendit. Hippias namq; Harmodij sororem formâ peregregiam ad stuprum compulit: Harmodiumq; adolescentulum compellavit. Proinde is ut sororis contumeliam ulcisceretur: facinoris socium Aristogitonem, qui eum impatienter amabat, sibi adscivit: & uno eodemq; tempore uterq; injuriam ultus est.

II. Periander in Ambracia tyrannidem exercebat: consuetudinemq; stupri cum puero quodam habebat: quem aliquando inter potandum per jocum pluribus audientibus rogavit: an aliquando ex se prægnans fieret. Exarsit in iram puer: & quæ turpia facta passus fuerat: verbo recensere atque exprobrari neutiquam pertulit: exitiumq; Tyranno paravit.

III. Pausanias Macedo, adolescens forma & genere præstantissimus, stuprum per injuriam ab Attalo pertulit: à quo etiam mero ingurgitatus, & in convivium productus, convivarum libidini, tanquam vulgare scortum expositus est. Hanc indignitatem cùm iniquo animo ferret Pausanias, Philippo detulit. Rex verò varijs frustrationibus eum ludibrio habuit: & Attalum digniore militia honestavit. Qua injuria percitus Pausanias, iram in Regem convertit: & ultionem, quam ab adversario non poterat, ab iniquo judice exegit. Nam cùm in nuptiis Cleopatræ, Attali filiæ, medius inter duos Alexandros, filium & generum, federet: nihil ejusmodi timentem interemit: & diem lætitiæ regio funere polluit: planeq; edocuit, ***querelas subditorũ neutiquam contemptui habendas esse.*** *Idem ibidem.*

*Terri-*

# CLXIX.

*TErribilium Tyrannorum impetum sæpe DEVS frangit. Strigel. in orat. de Iacobo: item de Elia.*

*Non est vis Tyrannorum valentior: quàm consilium Dei. Idem in orat. de Moysè.*

*Non plùs valet vis Tyrannorum: quàm consilium seu decretum Dei. Idem 1. Paralip. 12.*

*Sciat Ecclesia: Deum potentiorem esse omnibus Tyrannis: & posse eorum impetus reprimere, ac conatus impedire:* ut *Psal. 76.* scriptum est: Illustrior tu & admirabilior quàm montes prædantes. Tu terribilis es: & quis consistet coram te in ira tua? De cœlo auditum fecisti judicium: terra tremuit & siluit. Et *Psal. 31.* Fortis sonitus aquarum multarum & fluctuum maris. At fortior in excelso Dominus. *Idem 2. Reg. 7.*

*Deus habet in manu omnium hominum corda: ne possint ultra terminum præfixum progredi.* Sicut dicitur *Hiob. 38.* de terminis circundatis mari divinitus: Vsque huc venies: & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos. Aspicientibus mare turbatũ fluctibus & procellis, videtur minitari littori, tanquam rupturum margines: quibus inclusum tenetur: & undiquaq; exundaturum. Et tamen impetus illi aquarum & fluctuum reprimuntur, & cohibentur suis limitibus. Sic corda hominum accensa ira, fremunt horribiliter: sed DEVS constituit metas furoris & irarum: quas non licet transilire. *Lutherus in Genesin cap. 33. pag. 504. b.*

*Historiæ testantur, nunquam ultra præscriptum terminum à Deo potuisse progredi sapientiam & potentiam humanam.* *Lutherus ibidem.*

*Esa. 10.* Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat eâ? aut exaltabitur serra contra eum, à quo agitatur?

# EXEMPLA.

I. Iacob cùm socero Laban, hypocritæ avaro & crudeli, totos annos viginti fidelem officij operam præstitisset; & in patriam rediturus esset: Laban generum persequitur: ut eum vel interficiat; vel in servitutem tanquam mancipium retrahat. Sed reprimitur divinitus: ut non modò nihil hostile faciat: sed etiam fœdus cum genero jungat. Idem defensus est etiam contra Esau; qui fraternam benevolentiã & fraterna officia deinceps ei præstitit: juxta dictum Salomonis: Cùm placuerint DEO viæ hominis: inimicos quoque ejus convertet ad pacem. *Cùm* enim *DEVS sit liberrimum agens: sæpissimè consilia & voluntates hominum flectit quò vult sine causis secundis.* *Vide Pezel. in Gen. cap. 31. pag. 585.*

II. Sic Alexander Magnus, ut narrat Iosephus lib. 11. Τῆς ἀρχαιολογίας *cap. 9it.* cùm hostilem exercitum urbi Ierosolymæ admoturus esset: conspecto summo sacerdote Iaddo, non modò nihil hostile facit: sed eidem etiam fit supplex.

III. Cùm Simeon & Levi, interfectis civibus Sichem, & direpta urbe, patris & totius familiæ, vel potiùs domesticæ Ecclesiæ vitam in extremum discrimen adduxissent: DEUS expresso mandato jubet eum discedere ex loco; in quo periclitabatur: & terrorem vicinis incutit: ne hanc discessionem impediant.

IIII. Cùm Attila Romam accessurus esset: missi obviam Leo Romanus Episcopus, & pars Senatus, petiverunt pacem: & supplices oraverunt: ut parceret urbi Romæ: quę tot Viros excellentes olim genuisset; quorum virtus in toto orbe clara sit. Hac oratione flectitur Tyrannus: quem nulli exercitus antea reprimere potuerant: & exercitum in Pannoniam reducit. Interrogatus causam, cur subitò oratione supplicũ motus esset, & urbi Romæ pepercisset, dixit: se vidisse senem astantem Leoni Romano Episcopo, specie supra humanam terribili, minitantem ei mortem: nisi supplicibus parceret. *Strigel. in erat. de Iacobo: & 2. Reg. 1.*

V. Cùm filius Achabi Ahasias, imitator paternæ impietatis, in gravem & mortiferum morbum incidisset; & legatos misisset ad Baalzebub, DEUM Accaron: Elias legatis obviam processit: & hac oratione eos objurgavit: An nõ est DEUS in Israël, ut consulatis idolum Accaron? Ideo dicit Dominus: Non descendes è lecto: quem inscendisti; sed morte morieris. Hac concione Eliæ audita, qui verius erat Orator tonans & fulgurans, & in mentib. auditorum aculeos relinquens, quàm Pericles: legati in aulam rè infecta redierunt: & Regi exposuerunt summam orationis ab Elia pronũciatæ. Rex verò iratus misit centum milites ad prehendendum Prophetam: quos Elias flammis cœlestibus punivit. Fuit enim in Elia zelus acerrimus: quem sæpè in punien-

dis

dis hostibus exercuit. Tandem verò non dubitavit Elias venire in aulam Regis impij: & coràm ei denunciare immaturã mortem. Etsi autem Rex adversus absentem ignem & fulmina spiraverat; tamen nunc in aula versantem, & tristia nunciantem, ne quidem extremo digito attingere audet: DEO haud dubiè conscientiã ægrotantis perterrefaciente, & reprimente tyrannicos conatus. Sic enim cogitavit: si uno verbo potuit Elias ignem è cœlo deducere: non erit ei arduum & difficile, non modò regiam domum, sed etiam totam civitatem Samariam funditùs evertere. Ita *sæpè terribilium Tyrannorum impetum DEVS frangit*: ut *Psal. 76.* dicitur: Qui aufert Spiritum principibus: & terribilis est regibus terræ. *Idem in orat. de Elia: & 2. Reg. 1.*

VI. Annibal ad mœnia Romana accesserat, tanto terrore & trepidatione, cùm urbis, tum totius Italiæ; ut utriusq; potiundæ certissima spes & facultas esset: si modò eum animum habuisset: quem antea in prælijs ostenderat. Sed regrediebatur, DEO reprimente impetus ejus. Ideo clamabant amici ejus: Vincere scis Hannibal; victoria nescis uti. Sed ignorabant illi, subesse occultam & divinam vim: quæ ipsum cohibebat. Sic Turci non transilient metas divinitus constitutas. Quin Diaboli furores & conatus tam diu durabunt; quàm diu visum fuerit DEO, expedire ad gloriam suam, & nostri mortificationem ac salutem.

VII. Ad eundem modum de Rege Assyriorum loquitur Dominus *Esaiæ 37.* Dixisti; in multitudine quadrigarum mearum, ego ascendi in altitudinem montium Libani: & succidam excelsa Cedrorum ejus, &c. Sed respondet Dominus: Cùm fureres adversus me: superbia tua ascendit in aures meas: Ponam ergo circulum in naribus tuis: & frenum in labijs tuis: & reducam te in viam; per quam venisti. Illi nec voluntas, nec vires deerant; sed potentia DEI obsistebat. *Lutherus in Genesin cap. 33. pag 504 b.*

# CLXX.

*TYrannus non habet tertium hæredem.*

*Tyrannicus status non est durabilis: quia nullum regnum scelere partum est durabile:* ut dicit noster Demosthenes in quadam Philippica. *Strigel. lib. 2. Chron. pag. 55.*

*Est propemodum regulare, Tyrannos excussos esse ex terra. Videtis in omnibus historiis, expulsos esse plerosq;*, oder das sie scheuzlich dahin gerichtet sein. *Philip. in Post. Pezel. part. 4. pag. 551.*

Sed

*Sed moderati, boni, benefici Principes, habent diuturniorem & tranquilliorem gubernationem. Idem pag. 553.*

Sehet an die *historiam totius mundi. Est universale; Crudeles Tyrãni, cupidi vindictæ, non diu floruerunt. Idem pag. 577.*

Mementote versiculos Oraculi de potestate Tyrannica: αὐτὸς, ἠδὲ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες: id est: Ipse pater, & filij ejus, sed non nepotes. Id est, ut vulgò dicere solemus: De malè quæsitis non gaudet tertius hæres. Quod non tantùm intelligatur de privatorum hominũ facultatibus: sed etiam de Tyrannorum potestate. *Strig. lib. 2. Chron. pag. 54.*

## EXEMPLA.

I. Dionysius Major, Tyrannus Syracusanus, fuit potentissimus Princeps: reliquit hæredem Dionysium filium: sed is pulsus est regno à Dione Syracusano Principe: & postea factus est apud Corinthios ex Principe Ludimagister. Ita quam antea Tyrannidem exercuerat in patria, eandem exercuit inter pueros in ludo triviali magister. Iste Iunior Dionysius non reliquit nepotes, hæredes regni Siculi.

II. Idem accidit Pisistrato. Qui fuit quidem moderatus: sed tamen tertium hæredem non habuit. Mox enim ejus filij Hippias & Hipparchus partim interfecti, partim in exilium acti sunt. *Idem pag. 55.*

III. Iulius egregius ille princeps, **der treffliche feine Mann**/ tamen interfectus est in Senatu, in quo sedit ut Rex. Augustus manet; quia etsi initiò fuit asperitamen postea fuit lenis: correxit asperitatem novi regiminis.

IIII. Post Augustum fuerunt bestiæ, Tyberius, Caligula, Claudius, Nero, **die sind alle auffgeraumbt**/ non possiderunt terram. Sed Augustus retinuit principatum longo tempore: *Philip. in Post. per Pezel. ed. part. 4. pag. 551.*

V. Fredericus Dux Saxoniæ, & frater, optimus Vir, habuerunt tranquillum cursum. *Idem pag. 553.*

VI. **Sehet vnsern Käyser an**/ loquor de eo, ut homine, in quo sunt multæ virtutes. Nullus Cæsar vixit, adversus quem tam mirabiles conspirationes factæ sunt; tamen qualis est, non est crudelis, non potest ei tribui crudelitas: non audivimus, eum peccasse iracundia.

VII. **Der löbliche fromme Fürst Hertzog Hanß von Sachsen**/ fuit mitissimus & beneficus. Si quid esset motum, DEUS proculdubio eum texisset: quia *mites florebunt, non delebuntur à suis adversariis, invidis, Sycophantis, lividis, Tyrannis. Idem pag. 577.*

*Imperia,*

# CLXXI.

*IMperia, quæ à stirpe quæruntur, rarissimè converti videmus: si patrem optimum filius etiam sceleratus exceperit. Quia ejus imperium consimile est arbori amplissimæ: quæ tam altè radices agit: quàm rami sursum latè repandi explicantur. Qui autèm novus ad imperium accedit: nulla majorum virtute ac potentia commendatus: arbori excelsæ quidem similis est: sed quia non satis firmis radicibus hæret: rapido ventorum turbine convellitur. Ergo Tyrannum, Tyranni filium, in summo discrimine versari necesse est: nisi maximis opibus ac finitimorum Principum potentia aut majorum diuturna successione regnum adeptus sit. Neq; enim novi Principis virtutes, filium flagitiosum à suorum conjuratione vindicare possunt. Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 1. pag. 592.*

*Constat novos Principes, sine summa virtute, imperium difficilimè tueri. Idem pag. 593.*

## EXEMPLA.

I. Vt Hieronymo Siciliæ Tyranno contigit: qui Hieronis avi imperium excepit. Avus autem nullo jure imperium Siciliæ arripuerat: sed tot ac tantis virtutibus claruit: ut, cùm privatus esset, imperio dignus videretur. Itaq; imperium annos ferè sexaginta sine armis ac sine præsidijs summa omnium voluntate moderatus est. Nec modò suis carus: sed etiam finitimis omnibus: ac inprimis populo Romano charissimus. Hujus nepos, ut avum magnificentia superare videretur: præsidijs impe-

rium firmare se posse putavit: tum omni luxu diffluens, arroganter in omnes se gessit: ac omnium in se odia excitavit: Senatum, in quo imperij aviti firmissimum fundamentum extiterat, omnino sprevit. Illud etiam suæ calamitatis extremum fuit: quòd à societate Romanorum, nulla offensione accepta, discessit. Quamobrem cùm & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ amisisset: conjuratione civium crudelissimè cum amicis ac proximis omnibus, imperio ad plebem redeunte, cæsus est.

II. Consimilem ferè exitum habuit Dionysius Iunior: cujus pater in Rempublicam fraude invaserat; firmissimisq; præsidijs ac propugnaculis potentiam confirmatam diu tenuerat. Eo mortuo, filius rerum gerendarum imperitus ac luxu perditus, Dionem avunculum in exilium egit: deinde bona illius proscripsit. Itaq; rebus desperatis, ab exilio in patriam cum exercitu rediens, Dionysium imperio spoliavit: ac tyrannidis arces funditus evertit: nec multò post, Dione occiso, populus summam Reipublicæ potestatem accepit.

III. Id planum quoq; fit Herodis exemplo: ad quem Cæsar, propter Antipatri parentis militarem virtutem, imperium Iudæorum ex Senatusconsulto detulerat. Ac tametsi apud Marcum Antonium & Octavianum Augustum gratia plurimùm valeret: nihilominus tamen, ut imperium confirmaret; arces validissimas extruxerat: ac magnam vim pecuniarum in tenues effuderat; tributorum etiam tertia parte populum sublevârat: cùm tamen populi gratiam talibus illecebris sibi comparare nullo modo potuisset: jurejurando potentissimos quosq; ac optimates sibi obligavit: plerosq; etiã maximis beneficijs cumulavit. Cùm tamen adversa valetudine affectus esset; intellexit populum lætitia exultare; quæ res illum penè ad insaniam adegit. Eo mortuo, populus Iudæorum quinquaginta legatos Romam misit: ut regia potestate soluti, Romanorum imperijs parerent. Quod certè obtinuissent: nisi apud Augustum, cui Herodes auri talenta 1500. testamento reliquerat, summa gratia filius valuisset. Omnes tamen Herodis posteri, qui permulti fuerunt, annis sexaginta sublati sunt: quia *novus homo imperium nulla sua virtute partum, invitis civibus acceperat. Idem ibidem.*

IIII. Alexander Medices Pontificis Maximi propinquus, & Caroli V. Cæsaris gener, Florentiæ dominatum armis soceri adeptus, ferocissimos quosq; ac potentissimos exegit: præsidio militari urbem firmavit: custodibus cinctus & armatus semper incessit. Laurentij tamen Medices non tamùm proximi, sed etiam familiaris ac domestici conjuratione interfectus est; cùm suam ipsius sororem ei subornasset Laurentius: ut hominem exarmatum inter amplexus & oscula sororis, cui stuprum inferre cogitabat, sicario necandum exhiberet. At ne milites quidem, quos ad corporis custodiam per vigiles conquisierat, cùm in cœnaculo sese oblectarent, cædem Principis senserunt.

V. Cosmas verò Medices, qui post Alexandri cædem præsidio militari, & amicorum opibus, ipsiusq; Romani Pontificis gratia, dominatum adeptus erat: tametsi justissimè ac prudentissimè imperaret; & arces munitissimas in ipsa urbe haberet: vix tamen conjuratorum, qui sæpe caput illius ac vitam petierunt, manus evasit.

VI. Et qui nunc dominatur, propè fuit ut Puccini conjuratione non ita pridem interficeretur. *Idem pag. 597.*

Quan-

# CLXXII.

*Quando semel se polluerũt sanguine innocenti gubernatores: postea non fecerunt finem cædium.*

Plato: *Homines semel gustata carne humana, fiunt lupi.*
Plutarchus: τὸν ἀνθρωπον ἥμερον ζῶον ἀνθρωποφαγον.
Lucanus: —*Nullus semel ore receptus*
*Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.*

## EXEMPLA.

I. Cambyses cùm interfeciſſet magnam multitudinem Aegyptiorum in urbe Memphi, obſervantium feſtum Deæ Apis; & ipſam Bovem, Deam Aegyptiorum, lethaliter vulneraſſet; cepit poſteà promiſcuè ſine diſcrimine in quoſvis ſævire. Curavit interfici fratrem Smerdin: ſuſtulit ſororem, quam in uxorem duxerat, Prexaſpis filiũ, & alios innumerabiles. *Herodot. lib. 3.*

II. Herodes Magnus inſimulatos apud ſe filios affectati regni ab uno ex filijs Antipatro, curavit omnes ſtrangulari. Poſt hæc factus eſt immanis prorſus; quadraginta ſcholaſticos cum præceptoribus, qui auream aquilam de templo deturbárent, cremavit vivos: filium Antipatrum, cujus calumnijs reliqui interfecti fuerunt, inſidiantem ejus regno, in carcerem conjecit; eumq; ſtrangulari juſſit. *Vide Ioſephum in hiſtoria Iudaica.*

III. Triginta Tyranni à ſontibus paulatim ad inſontes, à malis ad bonos & præcipuos cives in urbe Attica progreſſi conſuetudine cædium & aſſidua laniena, non parcebant cuiquam: ſed quos norant aut gratia, aut opibus prævalere: & quos ſuſpicabantur ſuis conatib. adverſaturos eſſe: hos condemnatos calculis & ſuffragijs plebis, vel expellebant in exilium: vel ſtatim interficiebant; & eò uſq; invaluit Tyrannis illa triginta Tyrannorum & ſævitia: ut affirmet Xenophon: intra menſes octo interfectos eſſe Athenis plures cives: quàm ſuperiori toto decennio in bello Peloponneſiaco, à renovato bello, uſq; ad finem poſtremum. *Peucer. in lect. Chron. 5 Decemb. An. 1572.*

IIII. Selymus Bajazetis filius, inſitam ingenio diram rabiem, & cæde paterna exaſperatam (*nam ex humana carne guſtata homines lupinam naturam induere, inquit Plato, & res oſtendit: multoq; magis: ſi hauriatur cognatus ſanguis; è quo in corde naſcuntur Erinnyes ultrices parricidiorum*) rabiem ergo ingenij conſuetudine Ottomannica mox etiam in fratres, horumq; filios exprompſit, necatis quinq; egregiæ indolis adoleſcentibus, fratrum, qui jam deceſſerant, filijs, fratribus ipſis Achomate & Corchuto ſtrangulatis: quorum illum acie victum in poteſtatem ſuam

redegit ad Elatam flumen ex Orminio monte rectà decurrentem in Pontum: hunc nihil metuentem, sed studijs in Magnesia se oblectantem, & cùm per indices de insidijs edoctus esset, ad littus fugientem, ut in Rhodum traijceret, sex improvisò subornatis satellitibus comprehendi curavérat. Mustapham Bassam, cujus subnixu ad Imperium conscenderat, quòd videretur ad Achomaten inclinare, metu immanitatis Selymi: hunc ergo strangulatum primùs, deinceps canibus dilaniandum objecit. *Idem in Chronico Philippi lib. 5. pag. 663.*

V. Cajus Cæsar curiam ingredientem Senatorem graphijs primò confossum, pèst etiam dilaceratum, inde in membra & artus ac viscera discerptum, per urbis vicos trahi jussit: deniq; ante seipsum collecta ea congeri: quò & animus cum primis & oculi exsatiarentur aspectu tam fœdo, ac voluptate tam nefaria & perdita. Idem & Papinium, Consularis viri filium, alios q; item tum Senatores, tum equites Romanos, eodem simul die & flagellis cæcidit: & torsit, non quæstionis, sed animi tantùm ac voluptatis gratia. Quin etiam sanguinariæ hujus voluptatis differendæ, moræq; ejus impatiens, cùm inambularet in Xysto materno tum hortorum: lucemq; insequentem sumendis supplicijs expectare neutiq; posset: Senatores quosdam cum matronis quoque decollari ad lucernam jussit. Ne verò sævitiam suam non ex omni occasione notam faceret: votum exegit ab eo, qui pro salute sua gladiatoriam promiserat operam: utq; Suetonius meminit, spectavit ipse ferro dimicantem: nec dimisit nisi victorem: ac post multas preces. Alterum, qui se periturum eadem causa voverat, cunctantem pueris tradidit verberatum: insulatumq; votum reposcentes per vicos ut agerent: quoad præcipitarent ex aggere. Idem prætorio viro, qui in Anticyram secessisset insulam, valetudinis gratia atq; nativi ellebori, necem cùm machinaretur: jussisseq; illum interimi: jocabundus inquit: quando tam diu nihil profecissent ellebori: sanguinem ei mittendum esse. Cumq; eodem quoq; tempore è Gallia quosdam, quosdam è Græcia condemnari imperasset: gloriabundus, bene habet, inquit, quando Gallogræciam jam subegimus.

VI. Tiberius Cæsar in omni sævitiæ genere ita volutatus est: uti nullus à pœna hominum cessaverit dies, ne religiosus quidem ac sacer: nullum non crimen fuerit pro capitali receptum. *Ioh. Ioa. Pontanus lib. de Immanit. pag. 317. b. 318.*

VII. VIII. IX. Nobis pueris rebus in bellicis Duces tres eminuêre: insigni tamen crudelitate seu immanitate potiùs nobiles: Nicolaus Fortibrachius, Antonius Pontadera, & Riccius Monteclarius. E quibus Nicolaus penè lateri suo conjunctum ubiq; mutum quendam hominem secum ducebat, oneratum funibus ac capistris. Itaq; ut quem suspendio destinasset, sive meritum sive immeritum, pro odio ac libidine: factum illum obviam nutu indicabat: conversusq; ipse pòst ad mutum, proclinato in uncum digito nasum sibi contingebat. Quo signo accepto: confestim mutus injecto in illum capistro, proximo cuiq; vel trunco cum, vel arbusculæ examinandum suspendebat: Iudicabaturq; ignavus dies: qui sine suspendio præterijsset. Antonius, quòd in Pannonia, hoc est, Hungaria, diutiùs exercuisset militiam, Pannonio incinctus gladio, ubi quem vel ira, vel odio perditurus erat: illum ex improviso, eodem stricto adoriebatur. Eratq; illi ludus hic quasi quidam: in quo sese penè quotidianus exercebat. At Riccius in eodem crudelitatis genere adhibebat etiam comitatem. Quem enim decrevisset enecare: blandè admodum salutatum invitabat eum ad pocula: percontaturq;, quot secum aut placentulæ buccellas, aut sorbillationes assumptu-

rus esset: repenteq; in ijs nugis, totidem illum vulneribus ad terram dabat. Erat igitur tribus his sanguinolentia nimirum lusus quidam, exercitatioq; voluptaria. *Idem pag. 326.*

# CLXXIII.

*ORatoriæ naturæ in Rebuspublicis semper fuerunt pertinaces, rixatrices & pugnatrices: ideoque exitiosæ Rebuspublicis.*

*Plerunque oratoria ingenia sunt pugnacia—, ambitiosa, contentiosa—: & talibus rixis, plerunq; involvunt Respublicas periculosis bellis civilibus:* ut & in urbe Attica & Romæ accidit. *Peucer. in lect. Chron. die 24. Martij, Anno 1571.*

*Oratoria ingenia naturâ sunt inquieta, turbulenta, pugnacia & ambitiosa. Idem d. 10. Maij, An. 72.*

*Oratoriæ naturæ sunt ambitiosæ: sunt æmulatrices: sunt rixatrices, pugnaces: sunt audaces in—lacessendo: timidæ in sustinendo: sunt inconstantes: sunt* φιλότιμοι, ἐριστικοί, θρασύδηλοι, πολυφώνιοι: *sunt inquieti, turbulenti, ambitiosi, pugnaces, rixatores inter se: & multa faciunt stulta æmulatione,* κακοζηλίᾳ. *Idem 20. Februar. An. 74.*

*Oratoriæ naturæ sunt tales: in irritando, lacessendo, ante pericula, sunt acerrimæ: in periculis ipsis, aut cùm imminent pericula, sunt timidæ. In rebus*

*secundis sunt elatæ: in rebus adversis fractæ.* So sein die *naturæ Oratoriæ: & plerunq; digladiantur inter se flabello eloquentiæ, cum detrimentis publicis: & cùm ita rixantur: ipsi sese mutuò devorant.* Sicut de Oratoribus dictum est: ὄφις ἄρ μὴ φάγῃ ὄφιν, μήποτε γένηται δράκων: Serpens nisi devoret serpentem, nunquam fiet Draco. In Rebuspub. nisi Orator conficiat Oratorem æmulum: nunquam crescet autoritate & potentia. *Idem ibid.*

*Dicendi vi ac potestate paucissimi Oratorum ad laudem, pleriq; verò ad Rerumpublicarum eversionem abutuntur: atq; ij potissimùm: qui sic loquuntur, ut vicio, sic vivunt, ut virtuti bellum indixisse videantur. Itaq; ab iis, qui Oratorum clarissimorum laudem ab omni ævo adepti dicuntur, populorum motus, legum abrogationes, mutationes religionum, Rerum deniq; publicarum conversiones & interitus cepisse, & eosdem calamitosos exitus habuisse, videmus. Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 7. pag. 764. 765.*

*Oratoriæ naturæ non possunt quiescere*, propter ♂ ♄ & ☿: *plerumque sunt inquietæ: sunt naturæ Martiales & Mercuriales: interdum etiam Saturninæ*, ut Demosthenes. *Philippus in Cordiali Abrahami Bucholceri.*

*Ad rebelliones, seditiones & tumultus plerunque concitarunt plebem & populum, Oratores seu Rhetores, & qui se Philosophos dixerunt. Movent*

*enim*

*enim animos publicè & privatim, sæpiùs rationibus fictis, fuco orationis, doloſè tectis compoſitiſq́, ad finem, quem ſtatuunt, inductionibus: & arte veritatem obſcurantes: ſcrupulos inijcientes: magna extenuantes: difficilia & impoſſibilia poſſibilibus lingua æquantes: prava & impia ad virtutem traducentes: affectus moventes: & animos à ſua ratione veluti faſcinis moventes: ut eò quò velint impellant, ad bellum vel pacem: ad nutum vel ſuæ vel alienæ ambitionis. Et certè nihil deterius poteſt eſſe in Republica ſeditioſis impoſtoribus, Rhetoribus et concionatoribus: qui linguam venalem habent vel ambitioſam: nihili plerunq́, homines: quorũq́, nihil intereſt tranquillam eſſe Rempublicam: faces, quæ ignem ſubijciunt: cotibus ſimiles, quæ ferrum acuũt: ipſæ autem ſcindere nequeunt: timidiſſimi, inanes: nihil aliud, quàm verba, verùm illa ſeditioſa, effundentes. Dum enim ad manus ventum eſt: in angulos vel longinquas regiones periculis ſe ſubtrahunt.* Sic pernicioſiſſimi, non ſecus ac venti validi: qui impetu tempeſtates in mari commovent: & parvam ignis & iræ populi ſcintillam in voraciſſimum convertunt incendium: aut ſub cineribus ignes ſopitos cum univerſorum damno excitant. Sicut ſunt tuba & tympana in bellis: quæ quidem non pugnant: ſed acriùs animos, quàm ipſa pugnæ cauſa, commovent. Vt & nolæ & campanæ: quæ quodam interiori

motu

motu cerebrum turbant: & furore implent subitis & repetitis ictibus: & aliquando magnis seditionibus concitandis, & populis armandis, occasionem dederunt. *Petr. Greg. Tolos. lib. 23. de Repub. cap. 8. pag. 1445.*

*Plerunq; Oratores turbulenti, & Demagogi seditiosi, tumultus, bella & dissensiones, inter optimates & plebem excitant: nec non & Principes ac populum ad vim & cædem, atq; arma civilia multis modis inflammant.* *Philip. Camerar. Centur. 2. Operar. succisiv. cap. 51. pag. 309.*

De Oratoribus verus est versus Aristophanis de Cleone: πρᾶξις βουλεύει, πολεμίζει, &c. πρᾶξις id est, macht Practiken, factiones. βουλεύει init consilia: quibus turbat Rempub. & pugnat lingua. *Philip. in lect. Chron. d. 19. April. An. 1558.*

Ab eloquentia improborum civium multò magis est metuendum: quàm à peste: quàm à gladio furentis. *Ioh. Bodinus de Repub. cap. 7. pag. 766.*

Pernicioſi valde Reipublicæ sunt eloquentes, malæ conscientiæ & infidi, ambitioſi, avari & cupidi: & quò artis peritiores: eò pernicioſiores: non minùs, quàm incantatores & aucupes. Etenim

*Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*

Vbi enim mentem sermonibus suis populi demulserint, & ita fascinaverint, jam voluntatis illorum magistri facti: ijsdem ex arbitrio ad consentiendum abutuntur: & obcœcatos, ne utiliora melioravé videant, efficiunt. *Petr. Greg. Tolos. lib. 17. de Repub. cap. 2. pag. 1147.*

Demades, qui proposuit decretum de Demosthene, dixit: Oratores alijs hominibus esse sicut serpentes: sibijpsis verò sicut viperas: quia semper una devorat aliam.

Proverb. οὐδεὶς κόρυδος μὴ ἔχων λόφον: id est: nulla est cassita, quæ non habeat cristam. Id est: *nulla est tam humilis*

natura

*natura inter Oratores: quæ non habeat aliquid veneni vel æmulationis.*

Quidam olim Athenis, Manthius, ut opinor, dixisse fertur: Stare & conservari Rempublicam Athenienſem dissensione Oratorum: quòd adversationes illorum inter se tanquam pondera in trutinis oppositæ non paterentur alteram veluti lanceam civitatis deprimi. *Camer. in Epistolis suis p. 69.*

Fabius non contemnendus autor, in Rhetorica sic definit Oratorem, & rectè: Orator est vir bonus, dicendi peritus. Quare dicit Fabius in definitione, Vir bonus? Quia malus homo abutitur eloquentia non aliter: quàm furiosus gladio vel igne. Nam Respublicas everterunt summi Oratores, qui non fuerunt viri boni: ut Pericles, & alij innumerabiles. *Strigel. lib. 3. Dialect. pag. 871.*

Versus extat apud Plutarchum in vita Luculli: θοῦνος βολαῖος πέλαγος ὡς διεξόδῳ: Thynnus velut perturbat impetu fretum. Est Iambicus Senarius. Thynnus piscis dictus est παρὰ τὸ θώω, τὸ θύω, ὅ ἐστὶν ὁρμῶ, à dando impetu, & motus vehementia. Nam sub ortum canis æstro agitatur. βολαῖος, non irretitum, sed incitatum sive impetuosum. παρὰ δὲ βολὴν ἐρεθῆν satisnotum est vocabulum. Sensus itaque est: quemadmodum thynnus æstro suo incitatus, per mare se cum impetu fert, idq; conturbat: ita consuevisse suis orationibus forum Romanum Oratores cæteros concitare. *Hæc Xylander in annotationibus in Luculum Plutarchi.*

## EXEMPLA.

I. Demades Orator sæpè dicitur in ore habuisse hoc: cùm interrogaretur, quid faceret? respondit, se πολιτεύεσθαι ναυάγια τῇ πατρίδι: se cudere naufragia urbi: & hoc præstitit. Idem sæpè solitus est dicere: se sibipsi contraria dixisse sæpè, patriæ nunquam. Quod idem est, ac si dixisset: se consilia sua direxisse & inflexisse ad affectus populi: se non spectasse quid sit rectum, justum & honestum: sed populi cupiditatibus se blanditum esse.

II. Et de Demosthene Theopompus affirmat: quòd fuerit inconstans ingenio & moribus: neq; diu in consiliis & proposito certo perseveraverit: quòd mutârit cum

tempore & occasionibus fidum, consilia, amicitiam, studia, voluntatem. *Peucer. in lect. Chr. d* 20. *Febr. An.* 1574. In prælio ad Cheronem Demosthenes, qui consilii belli omnia gubernabat, & Ducibus imperabat, & quid faciendum esset præscribebat, turpiter prodita fide, & dejectis armis, statione fugit, nihil veritus inscriptionem clypei: cui fuit hoc insculptum aureis literis: σὺν ἀγαθῇ τύχῃ: cum bona fortuna: quod felix sit & faustum. Hoc insculptum habuit in clypeo. Sed Demosthenes clypeo abjecto fugit: quod erat apud Athenienses turpissimum. Lege Attica non puniebantur ij, qui gladium amiserant: sed qui clypeum abjecerunt: quia prior debet esse cura tuendi semetipsum; quàm feriendi hostem. Aber Demosthenes hat alles vergessen. *Idem d.* 12. *Mart. An* 74

III. Pericles fuit tantus Orator: ut dictum sit, eum tonare & fulminare: & relinquere aculeos in animis auditorum. Magna profectò laus eloquentiæ. Et ipsemet Pericles gloriatur apud Thucydidem *lib.* 2. in quadam oratione: se nemini esse inferiorem: se nemini cedere: sive spectes eloquentiam, sive sapientiam. Verùm quia non fuit vir bonus, sed πολυπράγμων, id est, inquietus & turbulentus: accendit bellum Peloponnesiacum, exitiale suæ patriæ, urbi Atticæ, & toti Græciæ. *Strigel. lib.* 3. *Dialect. pag.* 871. Quæ habent conjunctionem Martis & Mercurij & Saturni, sunt pugnaces, inquieti & turbulenti. Talis etiam fuit Pericles. *Philip. in Postil. per Pez. ed. part.* 4. *pag.* 394. *Vide Petr. Greg. Tolos. lib.* 17. *de Rep. cap.* 2. *pag.* 1147.

IIII. Erasmus habuit ♂ ☿ & ♂ in septima, Ist sehr pugnax gewesen. Quàm multos irritavit? quos tamen non potuit sustinere. Ad extremum tamen etiam fuit mitior & quietior. *Philip. in Cordiali Bucholceri.*

V. Pisistratus dicendo tantum valuisse creditur: ut ei Athenienses regium imperium, oratione capti permitterent: cùm præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius salubriores erant conciones: alterius diseitiores: quò evenit: ut alioquin prudentissima civitas, libertati servitutem præferret. Ita idem Pisistratus eloquentia sua Athenienſi populo persuasit: ut præsidium militum contra inimicorum insidias sibi concederet: quo accepto, tyrannidem invasit.

VI. C. Gracchus eloquentiæ nervis, cùm posset ingenio Rempublicam optimè tueri, perturbare eam maluit.

VII. Alcibiades potens concionator, ingenio excellenti, ad res multas novas aperuit fenestram. *Petr. Greg. Tolos. lib.* 17. *de Rep. cap.* 2. *pag.* 1147.

VIII. Norunt Germani & Galli, quantum jacturæ passi sint ex concionibus seditiosis: quot fuerint hinc clades & strages populi secutæ: quot urbes rebellarint: aut proditionem inierint: quot vastatæ, Principes invasi, Rerumpublicarum sacrosancti status violati, mutati, aboliti fuerint. *Idem lib.* 23. *cap.* 8. *pag.* 1445.

IX. Nestorius coram Imperatore, & tunc in clarissima Cõstantinopoli luce, ausus est ita dicere: Da mihi, Cæsar, da, inquit, terrã hæreticis vacuam: ego tibi cœlum: exscinde mecum hæreticos: ego te victoriam de Persis spondeo relaturum. Hunc propterea πυρόφορον appellarunt. *Camer. Centur.* 2. *Op succil. cap.* 51. *pag.* 309.

Magno

# CLXXIIII.

*MAgno ſæpenumerò acumine ingenij magnáq; calliditate ac verſatia Oratoribus opus eſt.* *Franciſc. Patric. lib. 1. de Regno, tit. 6. pag. 28.*

## EXEMPLA.

I. Vt Mutio Scævolæ contigit: cui legato à Senatu ad Carthaginenſes miſſo, duæ teſſeræ Punico ingenio oblatæ ſunt: in quarum una pacis ſignum inſcriptum erat: in altera belli: ejuſq; arbitrio permiſſum eſt: ut utram vellet referret. Ille autem utramq; ſuſtulit: & ait, Carthaginenſes petere debere, utram mallent accipere. Et ſic aſtuto conſilio calumniam evaſit: declaravitq;, Romanos potentiores dignioresq; Carthiginenſibus eſſe.

II. Cn. quoq; Pompilius ad Antiochum Syriæ Regem orator à Senatu populoq; Romano miſſus: ut bello ſe, quo Ptolomæum lacceſſebat, abſtineret (infeſtabat enim Alexandrinum Regis Ptolomæi regnum) cùm ad eum veniſſet, atq; is prompto animo & amiciſſimo vultu dexteram ei porrexiſſet: invicem ei ſuam porrigere noluit: ſed tabellas Senatusconſultum continentes tradidit: quas ut legit Antiochus: dixit, ſe cum amicis collocuturum. Indignatus Pompilius, virga, quam manu gerebat, circulum fecit: quo incluſum Regem non priùs inde exire permiſit: quàm Senatui reſponſum daret: poſcerne an bellum cum Romanis vellit. Hæc quidem aſperitas adeò Regis animum fregit: ut ſe obſecutum Senatui reſponderet.

III. Magnum inſuper laudem allecutus eſt Xenocrates Chalcedonius: qui ab Athenienſibus legatus miſſus ad Antipatrum, captivos omnes, quos in bello Lamiaco ceperat, dono impetravit: quos nec precio redemptos, ut redderet, exorari potuerat. *Idem ibidem.*

# CLXXV.

*MAlè agitur in ea Republica: in qua precario vivendum eſt: nec poſſunt cives liberè loqui: quæ ex ejus utilitate eſſe arbitrantur.* *Franciſc. Patrit. lib. 6. de Rep. tit. 5. pag. 291.*

*Actum eſt de ea civitate: in qua non*

*licet fari ea ... : quæ è Republica ... esse ... possunt : & ubi illud Virgilianum præfari oportet :*

Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minentur. *Idem pag. 292.*

Patienter Princeps sententiam, quamvis liberam, audiet : neminem interrumpet : memor, jus olim Senatori apud Romanos fuisse, quàm diu vellet, orationem trahere : adeò ut nonnullos horis septem, alios verò dies totos concionem in Senatu habuisse tradant. Finemq; sermonis, suus cuiq; pudor, non tua superbia facit: ait ad Trajanum Plinius. *Hippolyt. à Collib. in Consiliario suo, pag. 198.*

## EXEMPLA.

I. Octavio Augusto, ob immodicas altercationes disceptantium, aliquando è curia per iram se proripienti, quidam ingesserunt : licere oportere Senatorib. de Republica loqui. Eidemq; Antistius Labeo in Senatu aliquando dixit : suum quemque judicium habere.

II. Et notum est illud Prisci Helvidij : ad quem cùm Vespasianus misisset, ne in Senatum veniret : Penes te, inquit, est, ne me Senatorem esse patiaris : quàm diu autem me loco non moves : est in curiam mihi veniendum. Age, at ingressus, taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandum. Et mihi dicendum, quod rectum putavero. Verùm si dixeris, occidam te. Quando ego tibi dixi, me immortalem esse? tu tuum facies, ego meum : tuum est occidere : meum, mori non tremeatem.

III. Cùm de frumento ex Sicilia Romam advecto in Senatu aliquando ageretur : an gratis, vili aut magno precio plebi divenderetur : inter alios M. Coriolanus extitit : qui adversus plebem gravem diceret sententiam : nihil per largitionem populo tribuendum : his artibus petulantiorem ac lasciviorem effici : satiùs hunc esse vel cariore annona domari ac reprimi : quò fieret modestior ex necessitate, & ad civilia munera obeunda paratior : agros hac injuria, non seditiones, colat : desidia, ocio ac luxuria maximè, quæ ex copia & inerti abundãtia nascitur, jura, leges, instituta negligi. Patricia & aristocratica sententia : sed parùm popularis. Ideo Tribuni plebis, qui in Senatu eam audiverant, ad populum referunt : à quo sine mora dies Coriolano dicitur. Verùm quantum ad hanc accusationem attinet : licet populo infenso uteretur : eam facilimè diluit. Agnovit plebs, Coriolanum nihil præter officium fecisse. Ubi enim loquendi ulla licentia, si non in deliberando & dando consilio? Nemo igitur consilij sui post Senatum rationem reddere cogebatur. Rectè : etsi enim aliud consiliũ alio melius interdum sit : omnium tamen Consiliariorum eadem mens præsumitur : ut pro salute Reipublicæ dicant : quemadmodum in navi, alij sæpe velificatione, alij remigatione utendum censent : sed omnium idem scopus. Fuit nihilominus Coriola-

nus.

nus postmodum, sed alius de causis, quòd à Tribuno vocatus venire recusasset, lictores pulsasset, condemnatus.

IIII. Philippidem Atheniensem Comicum summa benevolentia complexus est Lysimachus Rex, nulla alia de causa: nisi quòd liberè loqueretur, & ex animi sententia: procul q; ab adulatione vitam probam & modestam ageret.

V. Dicere solebat Hiero, Gelonis in tyrannide successor: neminem, qui liberè loqueretur, sibi importunum esse.

VI. Moderationis tantæ fuit Alexander Severus: ut non solùm nemo unquam ab ejus latere submoveretur: omnibusq; se blandum affabilemq; præberet: sed etiam, ut sibi ab omnibus, quæ sentiebant, liberè dici cuperet: & quod dictum esset, audiret: & cùm audisset, ita uti res poscebat emendaret: si minùs bene factũ esset aliquid: etiã ipse convinceret: idq; sine fastu & sine amaritudine animi.

VII. Interrogatus à Tiberio Messala Valerius, num se mandante sententiam suam promsisset, sponte dixisse, respondit: neq; in ijs, quæ ad Rempublicam pertinerent, consilio, nisi sua, usurum. *Idem pag.* 193. 194. 196. 197. 198. 199. 200.

VIII. Philippus Macedo sub prætextu quodam libertatis cùm magnam Græciæ partem invasisset: Athenas obsidebat: excusabatq; literis atque Oratoribus Senatui populoq; Athenienſi: se non ea facere, quò libertatem eis præripere vellet, urbemvé in servitutem redigere: sed quòd decem eorum cives infensos haberet: qui in eum semper in Senatu oblatrarent: & maledictis eum incessere non desinerent. Proinde si pauculi illi sibi dederentur: fore, ut ab obsidione discederet: populumq; à bello ac fame liberaret. Poscebatq; inprimis Demosthenem Oratorem excellentissimum: in quem tum omnis Græcia ora obvertebat sua: & novem item alios cives disertissimos & autoritate præclaros. Anceps erat Senatus: multiq́ue acclamabant, multitudini potiùs, quàm paucis, esse consulendum. Formidabant pauci illi, qui ad supplicium poscebãtur: vixq́ue fari audebant: cùm eorum interitu reliqui omnes pacem ac libertatem sperarent: ventumq́ fuisset in sententiam, ut dederentur: nisi Demosthenes ejusmodi fabella Regis dolum atque insidias aperuisset. Lupus aliquando (inquit) pastoribus, quorum diligentiam decipere cupiebat, persuasit: ut secum in amicitiam convenirent: ea conditione: ut canes, qui sibi infensi erant, & causas inimicitiarum præbebant, sibi obsides traderentur. Audiunt pastores: canesque, ob fidem servandæ pacis, traduntur: qui ovium diligentissimi custodes erant. Tunc lupus, adempta omni formidine, omne pecus, non pro satietate tantùm, verùm etiam pro libidine, lacerat: & pastores ipsos trucidat. Sic in præsentia, viri Athenienses, Philippus efficit: qui omnes illos, qui in ejus conatus concionantur, quiq; ejus insidias pandunt, deposcit: quò faciliùs urbem custodibus spoliatam invadere ac diripere possit. Hæc fabella doceat Senatores, omnes insidias eorum vitare: qui calumniis in illos nituntur: quibus virtute pares esse non possunt. *Francis. Patrit. ut suprà.*

# CLXXVI.

*Sæpè oratione & sapientia maximi motus sedati sunt. Strig. 2. Samuel. 20.*

# EXEMPLA.

I. Sapientia mulieris in Abel laudanda est: quæ sua oratione flectit Ioab ad moderata consilia: & cives hortatur: ut de seditionis autore supplicium sumant. *Ibid*

II. Memini summa cum gravitate narrare optimum Principem Iohannem Saxoniæ Ducem Electorem: cùm duo Reges Matthias Hungaricus, & Casimirus Polonicus, adduxissent exercitus ad urbem Vratislaviam: & uterque suo regno Silesiam adjicere conaretur: tantam fuisse virtutem, & tantam concordiam duarum familiarum, Saxoniæ & Marchicæ: ut ipse ad Germaniæ defensionem conjunxerint: & ad societatem honestissimi consilij adjunxerint vicinos Principes: apud quos plurimùm & autoritate & benevolentia valebant. Duxerunt igitur Electores duo, Ernestus Saxonicus, & Iohannes Marchio, sex millia equitum ad Regum castra: & ostenderunt, se utriq; regno amicos esse, Hungarico & Polonico: nec velle se, ut bellum inter se gerant exitiale Europæ, & utile Turcis, Hungari, Poloni & Germani. Quare honestas conditiones pacis utriq; Regi proposituros se esse dixerunt: quas uter ex Regibus acceptarus sit: se ei suas copias adjuncturos esse: ut alter vi reprimatur, & cedere cogatur: nec hos vicinos Principes passuros esse vastari Germaniam. Rex Casimirus & justitiæ amans erat: & amicus Germanis Principibus: quare minùs à pace abhorrebat. Matthias etsi ægrè ferebat sibi ferri leges: & cedebat invitus: tamen cùm videret: se Polonis & Germanis, si conjungerentur, non fore parem: conditiones proponi passus est. Reutriq; dicbus aliquot disputata: Elector Marchio totam causam complexus, consilia Germanicorum Principum omnibus exercitibus, & pacis conditiones, & Regum voluntates & pacta, exposuit longa oratione horis quatuor. Duxerunt secum Electores in castra & adolescentes filios: credo ut pulcherrimæ conjunctionis memoriam eis magis commendarent. Narrabat igitur Dux Iohannes Saxoniæ Elector: se tunc adolescentem audivisse hoc dici à Principibus & sapientibus Viris: etsi multi in tantis exercitibus præstantes sapientia & eloquentia adfuissent: tamen existimari: tantam causam, tanta perspicuitate, & tanto splendore à nemine potuisse exponi: ut ab Electore Marchione Iohanne exposita fuerat. Tanta fuit laus sapientiæ & eloquentiæ Electoris Marchionis. Hanc narrationem libenter repeto, acceptam à Principe fide digno: ut cùm non extet scripta harum rerum historia: posteris tamen nota sint hæc honestissima exempla sapientiæ & virtutis Principum Germaniæ. *Philipp in quadam epistola scripta ad Ioachimum II. Marchionem Brandeburgensem Electorem, d. 12. Augusti. An. 1557. Extat ea lib. 1 Epist. Iohannis Schosseri Aemiliani, Epist. 6. Vide præterea Chronicon Philippi lib. 5 pag. 629. Item Strigel. 2 Samuel. 20.*

III. Pacuvius Calvinus Campanus, cùm popularem statum tueri, & ab optimatibus dissidere videretur: nihilominus tamen cùm intelligeret, plebem Senatores urbis Capuæ necare proposuisse: ac parricidium vehementer execraretur: simulavit ore ac vultu, se populi voluntates & consilia probare. Is igitur Senatores eodem in loco conclusos admonuit: se populi concionem habiturum: proq; eorum salute propugnaturum: ac bono animo esse jussit. In concionem progressus, hilari vultu sic populum alloquitur: Quod sæpe, inquit, optastis Campani: ut supplicij sumendi vobis ex improbo ac detestabili Senatu potestas esset: eam nunc non per tumultum expugnātes domos singulorum, quas præsidiis clientium servorumq; tuentur, cum summo vestro periculo, sed tutam habebitis ac liberam. Clausos omnes in curiam accipite:

de

de singulorum capite vobis jus sententiæ dicendæ faciam. Sed ante omnia ita vos iræ indulgere oportet; ut potiorem ira salutem atq; utilitatem vestram habeatis. Nam Senatum omnino non habere non vultis. Quippe aut Rex, quod abominandum, aut, quod unum liberæ civitatis consilium, Senatus habendus est. Itaque duæ res agendæ vobis sunt; ut & veterem Senatum tollatis; & novum cooptetis. Inde consedit, & nominibus in urnam conjectis, citari quod primum nomen ex urna excidit, ipsumque è curia produci jussit. Ubi auditum est nomen malum & improbum: pro se quisq; clamare, esse supplicio dignum. Tum Pacuvius: Video quæ sententia de hoc sit data; ejicitor: pro malo & improbo bonum Senatorem & justum eligite. Primò silentium erat inopia potiores subijciendi. Cùm tamen aliquis omissa verecundia nominaret; multò major extemplò clamor oriebatur: cùm alij negarent velle; alij probra, humilitatem sordidamq; inopiam, & pudendæ artis aut quæstus genus objicerēt. Hoc multò magis in secundo & tertio Senatore est factum: ut ipsius pœnitere hominem appareret. Ita dilapsi homines, notissimum quodq; malum maximè tolerabile dicentes esse; jubentesq; Senatum ex custodia dimitti. Ergo prudenti unius hominis consilio non tantùm ab interitu servata civitas est; verùm etiàm relevata atq; recreata. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 7. pag. 749.*

Sed Satanæ, qui mendax est & latro, non semper placet, motus bellicos sermone & oratione tantùm componi; sed avidissimè humanum sitit sanguinem. Qua de re memorabilem huc libet ascribere historiam ex Operis succisivis Philippi Camerarij, *cap. 69. pag* 321. ubi ita scribit: Huc adijcere visum fuit historiam sanè memorabilem quam inter Anglos & Gallos accidisse, in Annalib. se reperisse quidam ex amicis mihi recitavit. Cùm uterque Rex in Normandia magnum & instructum exercitum in aciem produxissent, jam jam prælium initurí: nonnulli ex Ducibus Gallorū, timentes Anglorum fortitudinem & felicitatem (quam cum magna clade sæpiùs experti fuerant) nec non & dubiam incertamque aleam belli perpendentes, eò rem deduxerunt; ut ambo Reges priùs ad colloquium, singuli cum paucis familiaribus, venirent; & fortasse absque prælio transigi inter ipsos posset. Ita enim sperabant: quod olim oraculum Dodonæum Lacedæmoniis adversus Arcadas pugnaturis respondit, ἄδακρυν πόλεμον ἔσεσθαι: bellum sine lacrymis futurum. Conventum itaque est: ut in eadem planicie, in qua acies instructæ erant, locus idoneus, & ab insidiis tutus eligeretur ad congressum familiarem duorum Regum. Explorata re, sacellum quoddam desertum, & propemodum dirutum, medium inter acies placuit. In quo cùm Reges armati, remotis arbitris, placidè colloquerentur: & ipsorum familiares, quos pari numero secum armatos assumpserant, ante ostium interea excubias agerent: non difficulter inter eos mitigatis animis convenit: ut utriusque exercitus in castra reducerentur: & induciis factis, de conditionibus pacis altero die frequentiori consilio deliberaretur. Dum his aliisq; familiaribus sermonibus duo illi Reges essent occupati; & ex hostibus amici facti esse viderentur: seq; ad suos recipere vellent: ecce tibi anguis immanis, vel tumultu hominum, vel Diabolicis artibus, permittente Deo, huc ibi velut altera erinnys excitata, ex angulo quodam sacelli præter opinionem emergit, & quasi petitura Reges, sibilis suis eos perterrefacit. Illi videntes hanc minacem & venenosam bestiam, ad se tortuosis flexibus accelerantem, colloquium mox abrumpunt; & ut se ab ea defenderent, gladios stringunt: repentèque mutatis animis neuter alteri gladium exertum habenti fidens, se foràs raptim proripiunt. Familiares ipsorum insci

quid

quid accidisset, & ipsi inopinata re confusi, rati simultatem inter Reges jam dudum hostes in sacello ex colloquio ortam, itidem faciunt: & unusquisq; suo Regi expeditis armis assistit, veluti conflicturi. Hoc cùm uterq; exercitus, qui in acie non procul stabat, conspiceret: nulla mora, quasi signo dato prælium ineunt: & nequicquam prohibentibus Regibus, erroremque demonstrantibus, tanto furore manus conferunt: ut multa millia cæsa sint: duravitque prælium: donec nox eos segregaret.

# CLXXVII.

*VNicum rectum consilium sæpe magnam militum manum vincit:* ut ab Euripide sapientissimè dictum fertur. *Polyb. lib. 1. pag. 53. Et Petr. Greg. Tolos. lib. 11. de Repub. cap. 2. pag. 653.*

## EXEMPLA.

I. Sic Xantippus Lacedæmonius, vir rei militaris peritus, jam excisas vires Carthaginensium, & civitatem & patriam reparavit: & M. Attilium & Romanorum exercitum penè contrivit & interemit. *Idem ibid.*

II. Cecilius cum suo quodam consilio exercitum Carthaginensium feliciter vicisset & profligasset: confessione omnium solus fuisse causa videbatur: ut hostium vires, captis elephantis, longè jam inferiores essent. *Vide Polyb. lib. 1. pag. 60. 61.*

# CLXXVIII.

*AVlæ, spes potentiæ, & ambitio, sæpè mutant homines.* *Philip. lib. 3. Chron. pag. 232.*

*Gloria, opulentia, & fortunæ indulgentia, rarò nos reddunt meliores: adeò illis est cognata insolẽtia.* *Bucholc. in Chronol. pag. 305.*

## EXEMPLVM.

Habuerat apud se Chrysostomus Hypocritam astutum & facundum Severianum: cujus auxit existimationem, quia sæpè jubebat eum publicè concionari. Hunc Severianum Eudoxia contra Chrysostomum incitat: qui nactus cùm alias causas, tum

verò

verò & hanc, quòd inter Ephiphanium & Chrysostomum magna dissensio de libris Origenis orta esset. Adjungit igitur se factioni Episcoporum: qui alioqui Chrysostomum oderant. Cùm adjuvaretur ab Eudoxia: perficit, ut Chrysostomus ejiceretur: qui in concione Eudoxiam comparaverat Herodiadi, inchoans concionem: jam iterum insanit Herodias. Etsi convicium fortassis asperius fuit: tamen reprehensio statuæ & ludorum justa fuit: sed accesserant odia aliorum ex alijs causis. *Philip. ut suprà.*

# CLXXIX.

*EXperientia cognitum est: ob nimium studium provehendi amicos ad dignitates & officia, quosdam aulicos res proprias turbasse & evertisse.* Fugiant itaq; tales promotiones. *Aulicus Politicus, pag. 68.*

# CLXXX.

*NIhil est mutabilius benevolentia aularum. Aulica beatitudo mutabilis.*

*Etsi Aula initiò blanda est, & melleum gustum aulicis præbet: tamen paulò pòst hanc dulcedinem, infuso aceto corrumpit.* Strigel. *1. Sam. 16.*

*Aulæ sunt ingratæ erga benè meritos. Aliis enim carcer, aliis exilium redditur.* Idem *2. Paral. 24.*

*Multorum exempla ad omnem posteritatem memorabilia sunt: qui à Regibus & Principibus unicè adamati, in crucem tandem acti sunt: aut aliis suppliciis affecti.* Sicut proverbio Germanico Principum benevolentia comparatur tempestati Aprilis: quæ & non ex-

purgatur: & inconstantissima est. Ita enim in fallacibus & mutabilibus hominibus admodum grata est etiam benevolentia simulata & fallax. *Lutherus in Genes. cap. 17. pag. 216. b.*

*Etsi omnium hominum voluntates sunt mutabiles: tamen Aulicæ benevolentiæ exempla sunt illustriora.* Hinc dicitur Psal. 146: Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum: in quibus non est salus. *Strigel. Psal. 146. pag. 619.*

*In Aulis lenta sunt beneficia: præcipites injuriæ. Bucholc. in Chronologia, pag. 305.*

*Gratiæ magnorum Dominorum non sunt diurnæ & durabiles.* *Philippus in Cordiali Abrah. Bucholc. pag. 6.*

*Animi Principum sunt mutabiles.* *Idem ibidem pag. 155.*

*In aulis Domini sunt aut valde grati: aut valde ingrati.* *Idem in Postill. per Pez. ed. part. 3. pag. 810.*

*Aulicæ benevolentiæ rarò durabiles*, juxta versum Ovidij: *Omnia vertuntur: certè vertuntur amores.*
Huic respondent Germanica Proverbia:

Lieber Kittel reiß nicht /
Herren Gunst erbet nicht.

Quidam bonus Vir, amicus noster, ex aula scripsit ad nos:
*O me caula prius, quàm nutriet aula, Poëtam.*
*Philip. in Loc. Manl. pag. 610.*

Polybius: *Brevia momenta plerunq; extollunt homines & deprimunt, inprimis eos: qui in familiis Regum sunt.* Revera enim hi similes sunt calculis

men-

mensularum: super quibus rationes computantur. Illi enim pro eo atq; computatori libet, modò assem, modò talentum valent. Et *Aulici jam beati pro nutu Regis, è vestigio miseri sunt. Strigel. 1. Sam. 16.*

*Aulicus vir bonus, etiam optimè de Principe meritus, vix potest invidiam & eversionem effugere, carceres & alias calamitates, tum ad minimum vicissitudines aulicas.* Non desunt exempla & documenta in aulis Principum Germanorum, vetera & recentia. *In Aulico politico pag 2.*

*Aulici sapiunt, qui, accepto beneficio aliquo, aulæ valedicunt. Ostendunt enim animum expletum esse, & se periculo subtrahunt. Quia in Curiales frequenter accidit* (AEnea Silvio monente) *ut veluti sues, ubi saginati sunt, in cœnam domini mactentur. In eod. pag. 154.*

Mihi quidem vita aulica usquequaq; cordi non est. Notæ mihi ejus ærumnæ. Falso splendore multæ ejus miseriæ obtenduntur. Fuci in ea multum, candoris parum est. *Nulla est aula, quæ vacat invidia: in qua non desideretur amicitiæ fides: ubi voluntatum mutatio & subita ruina metuenda non sit. Nam Principes & ipsi homines sunt.* Vidi, qui centum amicis stipatus regiam adierat: irato Rege, vix cum uno comite domum redire. Aula vera bona non novit, nisi serò. Vmbris, fama, specie, fallacijs, errore populari ducitur: ut eos fortunatos dicere non dubitem: quibus illa citò, & cum parvo incommodo,

defungi datum sit. Optabile est sibi posse vivere, & Musis: & cum paucis, & non fallacibus amicis, in agelli angulo consenescere. Aut nulla est in hoc terrestri exilio, aut ea demum vera vita est. *Augerius Busbequius epist. 4. pag. 298. 299.*

Casum, occasum patiens, repetat consolationis loco illud Macrobij:

*Non possunt primi esse omnes omni tempore,*
*Summum ad gradum claritatis cùm veneris:*
*Consistes ægrè, & citiùs, quàm descendas, decides.*
*Cecidi ego: cadet qui sequitur: laus est publica.*

*In Aulico politico, pag. 59.*

Miserum est, quod fratres illi scriptum reliquerunt Anglicani:

*Vitam, animas, operam, sumptus impendimus aulis:*
*Præmia pro meritis quæ retributa putas?*
*Aula dedit nobis rescripta, notata papyro,*
*Et sine mente sonos, & sine corde manus. In eod. p. 172.*

Cum potentibus conversans, eorum blanditijs alijsve externis humanitatis officijs ne capitor: ne vel ijs nimiùm elatus confidito: quia periculosæ. Quibus illi plerunq; homines, quò volunt, impellunt: eosq; favore suo quasi suffocant ac præcipites agunt. Hoc quò difficiliùs caveri potest: eò magis sollicitum te habebit: ut libertate retenta non facilè te circumveniri patiaris. *In Hypomn. polit. Guicciard. pag. 78.*

Duabus de causis facilè fit in aulis, ut impingant ministri. Primùm propter rerum earum, in quibus versantur, varietatem ac lubricitatem: quæ levi momento lapsus alicujus materia seu occasio est. Deinde propter Regum ac Principum vel indulgentiam nimiam: quæ materia est licentiæ: vel nimis vehementem iracundiam: qua delicta pleraq;, etsi non gravissima, pro ingenti piaculo & crimine læsæ majestatis habentur & æstimantur. Suntq; ferè Reges ac Principes admodum proclives ad irascendum: atq; hæc ipsorum ira

tantò

tantò plus periculi habet: quò major illorũ est potentia. Fremitus leonis, inquit Salomon, ira Regis est. Et rursus: Ira Regis nũcius mortis est. Vt igitur difficile est tõdere leonẽ: sic *discriminis ac periculi plenum est vitæ genus aulicũ:* utcunq; id, propter pompam splendoris externi, imperiti fortunatissimum esse judicent. *Pezel. in Genes. cap. 40. pag. 750. 751.*

Seneca: *Aularum lenta sunt beneficia: præcipites iniuriæ.*

Cùm Psalmus inquit: *Nolite confidere in Principibus:* non prohibet candorem approbantem seu Principum seu amicorum voluntates propter probabilem rationem: sed damnat stultam credulitatem, & impiam fiduciam: quæ confidit humanis voluntatibus, tanquam immotis anchoris. Aliud est enim probabiles opiniones habere de homine: cujus natura mutabilis & mortalis est: aliud hominem transformare in idolum, atq; in eo spẽ salutis reponere. *Omnes* enim *spes, quæ hominum benevolentia & conjunctione nituntur, non modò ab exiguo, sed etiam à putri filo pendent: & in stateris appensæ,* ut Psalmus ait, *plùs quàm nihilum valent.* *Strigel. Psal. 146. pag. 620.*

Kyrie, qui senuêre, canunt, ἐλέησον, in aula.

Pindarus: παλαία γὰρ εὖσθ' χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοὶ. Id est: Antiqua gratia dormit, & homines sunt ingrati.

*Omnia sunt ingrata: nihil, fecisse benignè, est.*
*Post donationem, celeriter senescit gratia.*

Proverb. Græcorum: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος: **Das liebe Hauß/ das beste Hauß. Eigen mein/ wo kan mir baß gesein. Eigen Herd/ ist Goldes werth.**

*Vive tibi, quantumq; potes, præclustria vita:*
*Sævum præclustri fulmen ab arce venit.*

Proverbia Germanorum: **Hofeleben ist ein herrlich vnd elende Leben/ oder ist ein herrlich Elend vñ Mühseligkeit.**

In grossen Wassern fenget man grosse Fische / man ersewfft aber auch gerne. Mit Jungen Herren ist vmbzugehen / wie mit jungen Löwen / Wenn jhnen die kralen wachsen / mag man sich wol fürsehen vnd hüten. Mit grossen Herren ist nicht gut Kirschen essen. *Mathesius in Syracide cap. 9. conc. 3.*

Der ist selig / sagt man / der seinen Herren nicht kennet / vnd welchen sein Herr auch nicht kennet. *Ibidem.*

Gunst zu Hofe / verkeret sich offte. *Ibidem.*

Verlasse sich keiner auff Hofegunst / vnd das er einen gnädigen Herren hat. Mache sich keiner mit den Herren zu gemein / Schertze einer mit grossen Herren nicht / Lege nicht die Hand auff sie / wie jener Edelman / denn es ist schlipfferich zu Hofe. Herren Gunst vnd Lägelwein / reucht vber Nacht aus. *Idem cap. 13. conc. 2.*

Wolthat zu Hofe ist zech / Hofe Zorn ist jech. *Ibidem.*

Herren Gunst / Aprillen Wetter /
Frawen Lieb vnd Rosenbletter /
Würffel vnd Kartenspiel /
Verkert sich offt / wers glauben wil.

In aula solt man einem jedern lohnen / wie ers verdienet. Sed hoc non fit: sæpè aliquis optimè meritus negligitur: & alius nihil meritus, donatur magnis opibus: sicut dixit Dominus Fridericus Khün, ad Dominum Cancellarium, cùm videret ejus assiduitatem & diligentiam: Domine Cancellarie, non est opus tanta diligentia in aula: eadem est gratia cacanti in medium conclave, quanta everrenti: **Man dancket einem eben wie dem andern / der in die Stuben hofiret / vnd der sie außkeret.** Ita sanè fit in aulis: imò & in vita communi homines sunt ingrati. *Philip. in Postil. per Pezel. edita, part. 2. pag. 987.*

## EXEMPLA.

I. David initiò diligitur à Saule: sed aliquantò pòst fit invisus Sauli. *Strigel. 1. Samuel. 16.*

II. Im-

II. Imperator Iustinianus habuit Ducem, magnitudine animi, alijsq; virtutibus præstantem, nomine Bellisarium. Hic Vir excellens, sua fortitudine totum fere orbem terrarum in ordinem redegit, & imperio Iustiniani subjecit. Iustinianus hujus opera vicit Persas & Vandalos in Africa. Horum Regem cepit Bellisarius, Gilimerũ nomine; eumq; in triumpho vivum duxit Constantinopolin: & Africam rursus adjecit Imperio Romano; quæ postea ad tempora usque Saracenica in fide Romanorum perstitit. Hanc ob causam Iustinianus Imp. monetam cudit argenteam: in cujus altero latere fuit imago ipsius Iustiniani; in altero Bellisarij; cum hac inscriptione: *B. Iisarius decus Romanorum.* Iustus fuit præterea erga socios; ac severe cavit: ne frumentum aut aliæ res civium & sociorum raperentur. Sæpè militibus pauperibus de suo pecuniam largitus est; &, ut medici vulneratis aut alioqui ægrotantibus opem ferrent, diligenter curavit. Fuit itaq; propter moderationem, clementiam, & beneficentiam erga milites populo charus. Sed habuit conjugem formosam; quæ ut fit, propter virtutem & præclara facta mariti nonnihil insolens est facta. Hanc insolentiam & istũ fastum non potuit ferre Imperatoris Iustiniani conjunx Sophia, nescio quibus calumnijs ipsius irritata. Igitur calumnijs & dolis effecit; ut propter Vxoris insolentiam optimè merito Viro Bellisario oculi effoderentur. Sic tantus Vir, tanta fortitudine præditus, & optime de Imperatore meritus, postea redactus est ad summam paupertatem: ut coactus sit sedere ad templa; & colligere stipem, unde victum haberet. Scribitur quòd stipem mendicârit a prætereuntibus his verbis: Hospes da elecmosynam Bellisario. *Philip. in Loc. Manl. pag.* 234. *& lib.* 3. *Chronic. pag.* 253. *& Peucer. in lect. Chron.* 1. *Mart. An.* 1572.

III. Fridericus II. Imperator Petrum de Vineis, patria Capuanum, Iurisperitissimum, qui Imperatoris causam unus omnium, cùm exagitaretur à suis hostib. crudeliter, fidelissimè ac diligentissimè, summo suo cum discrimine egerat, quod Epistolæ ostendunt, quæ extant: hunc ergo calumniosè ab æmulis adductum in suspicionem de structis ipsi insidijs, conjecit in carcerem, oculis captum; in quo ille tandem seu desperatione, seu impatientia injuriæ, seu supplicij atrocioris metu, capite parieti illiso sibimet ipsi mortem conscivit. Adeò stabile nihil est & firmum in rebus humanis. *Peucer. in lect. Chron.* 1. *Mart. An.* 72. *& in Chronico Philippi lib* 5. *pag.* 518.

IIII. Cornelius Gallus fuit Aegypti præfectus; fuit excellenti ingenio, præstans in carmine, in artibus belli & pacis, in eloquentia, in gubernatione civili: & propter commendationem ingenij venit in singularem gratiam Augusti. Deinde ex illa magna benevolentia, sicut fit, extitit vehemens & implacabile odium. *Philippus in Cordiali Abrah. Bucholc. pag.* 155. *Vide etiam Locos Manlij, pag.* 136.

V. Nihil fuit præstantius Constantino. Non pepercit filio suspecto de consuetudine cum noverca. Maximis bellis oppressit Licinium: delevit Maximianum. Tamen idem, cùm interfuisset Synodo Nicenæ & damnationi Arrij, & proscripsisset eum, postea practicis aulicis dementatus est: ut revocaret ab exilio, & rursus audiret eum. Est insigne exemplum mutationis aulicarum voluntatum. *Idem ibid. pag.* 34.

VI. Etsi Iojada maxima beneficia in Regem Ioas & subditos contulerat: tamen omnia sunt ingrata, nihil, fecisse benignè, est. Nam Rex & populus cuculi mercedem reddunt filio Iojadæ. *Strigel.* 2. *Paralip.* 24.

VII. VIII. Plutarchus in vita Alexandri narrat, hanc postremam fuisse vocem Clyti: qui servaverat Alexandrum in pugna ad Granicum (fluvium Asiæ minoris)

hæc

hæc sunt præmia laborum. Ταῦτα τέλη τῶν πόνων. Congruit autem hæc vox, quæ est descriptio aulicæ ingratitudinis, cum tristissima querela Arati Sicyonij: Hæc sunt præmia regiæ amicitiæ. Ταῦτα ὄξιν ἐπίχαρα τῆς βασιλικῆς φιλίας. Hoc dictũ describit, qualis sit aulica benevolentia & gratitudo. Clytus servaverat Alexandrum in pugna ad Granicum: cùm jam Persicus Satrapa decussisset ei galeam de capite, & eum esset stricto gladio interfecturus. Quam mercedem accepit? Interficitur ab Alexandro ebrio & furente in convivio. Aratus Sicyonius diu fuit amicus Regum Macedonicorum: sed tandem curarunt ei dari venenum lentum, quo contabuit. Tandem cùm ejiceret cruorem: dixit ad amicos astantes: Hæc sunt præmia regiæ amicitiæ. *Idem lib. 1. Ethic. pag. 247.*

IX. Miltiades post multas præclarè res gestas venit in odium apud populum Athenienſem; accusatus fuit tanquam de re non benè gesta. Causa cecidit defensus à fratre; cùm ipse propter luxationem femoris prodire non potuisset. Et quamvis capitalis pœna ei remissa fuit: tamen mulctatus est quinquaginta talentis, hoc est, triginta millibus coronatorum: quam pecuniam cùm non posset solvere: ductus est in carcerem: & squalore carceris necatus. Hunc finem habuit hic summus Vir. Vsitatum redditur ei præmium, tale scilicet, quale benè meritis reddi solet. Et fuit usitatum Vrbi Atticæ, hoc modo remunerari benè meritos, vel carcere, vel exilijs, vel morte; ut ostendit exemplum Thucydidis, Miltiadis, Themistoclis, Socratis & aliorum. *Talia usitata sunt in mundo: sed præcipuè in Rebuspublicis: in quibus potestas summa est penes populum: qui regitur affectib. eorum: à quorum pendet consilijs & autoritate:* Wie man in Repub. Attica gesehen hat. Et in Romana Repub. ostendunt idem exempla Tribunorũ. Athenis ideo fuit usitatius: quia semper fuit eis crescentium civium potentia & autoritas suspecta: & fuerunt memores exempli Pisistrati & filiorum. In summa, est exemplum usitatæ ingratitudinis. *Peucer. in lect. Chron. l. Mart. An. 1572.*

X. In historia Severi Imperatoris exemplum est insigne aulicæ benevolentiæ Plaucianus: qui ex tenui loco evectus est ad summam potentiam & maximas opes à Severo: adeoq; carus ei fuit: ut filiam ejus dederit Severus Bassiano. Sed tandem hic Plaucianus à Severo in palatium vocatus, ibi interfectus est: & cadaver monstratum Iuliæ, ut lætaretur: & filiæ Plauciani, ut dolore afficeretur. Hic fuit exitus aulici; qui fiducia suæ potentiæ nimiam licentiam sibi sumpserat. *Vide Petr. Greg. Tolos. lib. 6. de Repub. cap. 12. pag. 342.*

XI. Omissis autem exemplis, quæ ab nostra memoria propter vetustatem remota sunt, recentem historiam ex Pauli Iovij historiarum *libro 33. pag. 267. 278.* repetã de Habraymo: qui cùm in ignobili pago Epiri natus esset; singulari prudentia virtuteq; militiæ munia implens, Vesiris inter purpuratos Solymanni dignitatem, qua nulla major dari potest, adeptus est. Nam Solymannus Turcarum Imperator regij secrinij sigillum ei tribuit: & omnis arcani consilij participem fecit. Narrant hunc Habraymum, cùm summa Solymani gratia potiretur, familiari sermone aliquando postulasse: ne se tantis honoribus onerare contenderet: ne demum amplitudine odiosa supra æquum florentem, è gradu, tanquam è fastigio summæ fortunę, præcipitem dare atq; occidere necesse haberet. Fidem verò in ea verba ita Principem dedisse: ut nunquam ei vivo vitam erepturum polliceretur: sic ut ea inanis juramenti religione ob-

strictum,

strictum, ne datam falleret fidem, non aliter quàm altè stertenti necem intulisse: quoniam Talismanes sacerdos divini interpres juris, dormientē nequāquam censeri inter vivos, cùm una vigilia totius vitæ actus constaret. Hunc vitæ potentiæq; suæ exitum tulit Habraymus: quo nemo eorum unquam antea, qui maximorum Regum gratia potentes evaserunt, ad exemplum illudentis fortunæ ante obitum, fortunatior atq; felicior fuit. *Hæc Iovius lib. 33. pag. 267. & 278. Strigel. Psal. 146. pag. 619.*

XII. Henricus Rex Angliæ, clandestinis Eboracensis molitionibus perspectis, concepta indignatione, ex summo dignitatis & opum fastigio illum dejectum, Eboraci vivere, ac postea inde captivum duci Londinum jubet: ubi in itinere, animi mœrore, & supplicij imminentis metu, vel hausto sponte veneno, extinctus est: exemplo illustri confirmans: *Aulicos Regum ministros calculis Arithmeticis similes esse: qui pro collocantis Principis arbitrio, aliàs centum millia, aliàs vix teruncium valeant. Chytraus in Chron. Saxoniæ, lib. 12. pag. 363.*

XIII. Procopius scribit de Iohanne Duce, cujus præcipua fuit potentia post Belisarium: Iustinianum ei dignitatem & opes eripuisse: eumq; diu mendicando victum quæsivisse. Annumeretur autem exemplis inconstantiæ fortunæ aulicæ: ut Sejanus apud Tiberium: Severianus apud Severum; Eutropius apud Theodosium Secundum. *Philip. lib. 3. Chron. pag. 258.*

XIIII. Phocas ducem Narsetem, quòd infeliciter bellum gessisset contra Persas, vivum curavit cremari.

XV. Corbulo præstantissimus vir cùm Armeniam occupasset: & pro Nerone multas præclaras res gessisset: quibus auxerat Imperium Romanum eidemq; oblatum fuisset à militibus Imperium: ut Neronē dejiceret: quod tamen accipere noluerat: ut in fide Neronis perstaret: sine causa, post tantas res gestas, à Nerone interfectus est: neque dignum laboribus & fide sua præmium à Tyranno accepit. Moriens nihil aliud dixit, quàm, ἄξιος, dignus. Qua voce se reprehendit: & quòd tantis occasionib. oblatis à Nerone non defecerit: & quòd inermis ad Tyrannū accessisset. *Dion in Nerone.*

XVI. Sejanus cùm in maxima fuisset auctoritate apud Tiberium Cæsarem: & ab omnibus non minùs quàm Cæsar, coleretur: tandem ab hoc ipso Tiberio, cùm mutaretur ejus erga eum benevolentia, dejectus & occisus est. De hujus calamitate ita loquitur Dion: Ex casu Sejani intelligi potest imbecillitas rerum humanarum & inconstantia: nec nos unquam ullo pacto extolli oportere. Nam quem omnes manè, ut potiorem se, comitati fuerant in Senatum; eum paulò pòst in carcerem trahebant, ut abjectum & nefarium hominem: & cui coronam paulò antè dederant: eundem postea vinculis constringebant: quemq; antea satellites stipabant ut Dominum: eum deinde ut fugitivum custodiebant.

# CLXXXI.

*AVlæ non ferunt liberas monitiones.*
*Libertas monendi ab aulis plerunque exulat.*
*Philip. Camer. in Oper. succisivis, cap. 90. pag. 444.*

*Principes ut plurimum libertatem dicendi ferre non possunt: & vindicta libera vota colligunt.* *In Aulico politico pag. 15.*

*In aula periculosum est dicere veritatem:* maximè in ijs rebus: quas Princeps prudens, discernensq; fideles ab infidelibus Consiliarijs, & dijudicans, quæ sit in contrarijs sententijs potior, cõstituit aggredi: & quas tanquã utiles & honestas probat. Nam si feliciter successerint: amittit aulicus autoritatem & gratiam: si tacuerit, & consilia finem non sortiantur optatum: tandem perfidiæ accusatur. Consultius itaq; semper, viriliter dicere sententiam: quàm tacere. *In eod. pag. 17.*

Prudens & pia fuit admonitio Ludovici Regis Galliæ, qui Sanctus appellatur, ad filium successorem in regno: quæ inter alias multas recensetur à Tilio lib. 2. de reb. Galliæ, talis videlicet: Ita te gerito: ut confessarij, necessarijq; & familiares tui possint te liberè admonere mali, quod feceris, & docere facta tua. Siquidem natura humana in his rebus, quæ ad voluptatem pertinent, ad id sæpiùs inclinatur: quod sibi detrimento esse solet: atq; id unum profuturum putat: quod ipsa cupit perficere: hincq; revera in fraudem inducta, neque quid conducat solertia prospicere, neq; periculis admonita, vel modestiam animi discere, vel ad id, quod decet, redire potest. *Camer. in Oper. succis. Centur. 1. cap. 90. pag. 450.*

## EXEMPLA.

I. Cambyses Rex, præstantissimi Regis Cyri filius degener, cùm nimis esset vino deditus, ex carissimis ejus unus, fretus familiaritate regia, illum admonuit: ut parciùs vino & moderatiùs uteretur: quòd Regi turpe foret, in quem omnes conjectos oculos haberent, ebrietate agi. Hac libera & fideli admonitione adeò Cambyses exanduit: ut non modò non abstinuerit: sed liberaliùs, capacioribusq;, quàm alias, scyphis cùm bibisset: adduci sibi jusserit ab ipso monente amico filium: in quem Rex arcum intendens, ejus pueri cor sagitta transfixit. Vide, inquit, an Regis ebrij certa sit manus & oculus?

II. Harpagus quoq; cùm liberior in admonendo suo Rege fuisset: ea libertate ita commotus est Rex: ut epulandos illi liberos apposuerit.

III. So-

III. Sotades quoq; ob libertatem monendi jussu Philadelphi Regis Aegypti miserè perijt. Cùm enim Arsinoën sororem suam Philadelphus duxisset uxorem: Sotadem fretum familiaritate Regis dixisse ferunt: εἰς οὐχ ὅσίλω ξυμαλίαν τὸ κέντρον ὠθεῖς: Ne in sanctam rimam trudas aculeum. Hanc liberam vocem Rex adeò indignè tulit: ut planè immemor familiaritatis pristinæ, Sotadem carceri mancipaverit: ubi miserè contabuit.

IIII. Cautè sanè Demaratus apud Herodotum (*lib. 7.*) ob hanc causam respondit Xerxi, in expeditione contra Græcos, cùm sententiam suam dicere jussus esset: Vtra, inquit, apud te, Rex, utar, Veritate ne an Iucunditate? Quòd si Apollodorus architectus celeberrimus, qui Traiani forum, & Odæum, & Gymnasium Romæ fabricavit, hac cautione erga Adrianum Cæsarem usus fuisset: non ejus jussu sublatus esset. Cùm enim descriptionem & formam templi Veneris, ut à Dione Cassio in vita Adriani refertur, Adrianus ad eum exulem misisset: quippe significans, sine illius opera & ministerio etiam ingentia ædificia extrui posse: & quæreret, num id templum benè & ratione ædificatum esse videretur: rescripsit Apollodorus: altius ampliusq; multò fieri oportuisse: quò magis & propter altitudinem ipsius in viam sacram emineret: & propter amplitudinem machinas reciperet: quæ clam in eo compactæ, de improviso in theatrum perducerentur. Porrò simulacra majora facta esse dicebat: quàm ratio altitudinis amplitudinisque templi pateretur. Etenim, inquit, si Deæ surgere, atque inde exire voluerint, non poterunt. Quæ cùm Apollodorus apertè rescripsisset: Adrianus ira incitatus, magnum animo dolorem cepit: propterea quòd inciderat in eum errorem: quem jam corrigere non poterat. Itaque hæc res tantum ei cruciatum dolorem q; attulit: ut illum ob eam causam interfici jusserit. *Idem Camer. c. eod. p.* 449.

V. Cùm victo Dario Persicam salutationem nimis ambitiosè affectaret Alexander: maximam civium suorum contraxit invidiam. Dicebant namq; Macedones: pessimè cum eo Principe agi: qui se Deum, quàm Regem haberi mallet: quiq; mortali patre abdicato, se Dei filium existimari cuperet. Hæc quidem res multis exitio fuit: & Callisthenis Philosopho inprimis: ut nonnulli scribunt: qui hanc barbaram assentationem magna verborum licentia execrabatur. Quod cùm accepisset Rex: gravi ira exarsit: & eum insidiarum in se conscium accusari passus est: exegitq; ab eo immanissimas crudelissimasq; pœnas. Nam truncatis manibus, abscisisq; auriculis, & naso, labrisq; mutilatis, deforme ac miserum spectaculum omnibus illum visendum præbuit: ac deinde eum in caveam cum cane quodam conjectum, ad metū exemplūq; cæterorum, palàm circumferri jussit. At Lysimachus Macedo vir illustris, & virtute virium q; gloria præstantissimus, qui Callisthenis doctrina summoperè delectabatur, miseratus tanti viri fortunam, pœnam potiùs libertatis loquendi, quàm perfidiæ, aut alicujus gravioris durioriśve culpæ pendentis, venenum ei in remedium miserandæ calamitatis detulit. Quod adeò iniquo animo Rex tulit: ut Lysimachum ferocissimo leoni exponi jusserit. Sed cùm in eum leo impetum aperto ore fecisset: manum pallio involutam in os leonis insevit: avulsaq; lingua feram exanimavit. Quod cùm vidisset Alexander: admirationem rei in satisfactionem ultionis accepit: & non modò Lysimacho pepercit: verùm etiam eundem deinceps chariorem habuit, propter mirificam animi constantiam: & eundem honore quoq; ac muneribus affecit: & digniore militia honestavit. *Franciscus Patricius lib. 1. de Regno, tit. 11. pag. 47.*

# CLXXXII.

*SÆpè in Aulis maximorum malorum cauſæ ſunt, Ignorantia & Suſpicio.* Pertinet huc pictura Apellis: qui, ut ſignificaret, *duas eſſe præcipuas peſtes Aularũ*, pinxit Regem Midæ ſimilem, habentem auriculas aſini: & duos Conſiliarios ei adjunxit: quorum alter appellatur *Ignorantia*: alter, *Suſpicio*. *Strig. 2. Reg. 5.*

Magiſtratus non ſit Tyrannus, procedens ſine legitima cognitione: nec ſit Midas, habens aures aſininas: id eſt, vel nihil intelligens: vel ſtultè credens quibuslibet fabellis: vel faſcinatus uſitatis erroribus. *Plerunq;* autem *ſit, ut Midæ præſtò ſint duo peſſimi ac perditiſſimi Conſiliarij: quorum alter* à Luciano *Ignorantia*——, *alter Suſpicio* appellatur. *Idem. 1. Paralip. 20.*

## EXEMPLA.

I. Quòd Rex Syriæ petit à Rege Iſraël opem medicam; & Rex Iſraël ſuſpicatur, hoc poſtulatum eſſe χῆμα πολιᾶλὸν καὶ πρόφασιν novi belli: id congruit ad picturam Apellis. Vt enim Rex Syriacus peccat ignorantia, exiſtimans, Regem Iſraël eſſe medicum: ſic Rex Iſraëlis eſt ſuſpicax: & metuit inſidias: ubi nullæ ſtruuntur. *Strigel. 2. Reg. 5.*

II. Talis Midas eſt Hanon Rex Ammonitarum:

*——quem falſa calumnia verbis*
*Averſum retrò, credere falſa facit.*
*Huic gemina aſſiſtunt dextra lævaque puella:*
*Conſona quæ propriis nomina rebus habent.*
*Prima loco motam tenet Ignoratio mentem:*
*Altera Suſpicio credere falſa docet.*

Ab his igitur conſiliarijs incitatus, violat legatos Davidis: & ſibi ac toti regno peſtem perniciemq; accerſit. *Idem 1. Paralip. 20.*

# CLXXXIII.

*AVlæ sunt fœcundæ crudelibus consultoribus. Non possunt autem architecti pravorum consiliorum efficere quod volunt: nisi animum Principis Calumnia præparârint & occupârint.* Ac sapiens quidem & bonus Princeps pectus habere debet non penetrabile telo Calumniæ: & aures, non admittentes, nec ad animum perferentes calumniosos sermones. Vt enim sagittæ à duro firmoq; scuto resiliunt: ita hujusmodi sermones in pectore virtute roborato non hærent. Stultus verò & malus Princeps Midæ similis est: qui manum porrigit accedenti Calumniæ: & quem circumstant Ignorantia ac Suspicio. *Strigel. 2. Samuel. 20.*

## EXEMPLA.

I. David audita morte Regis Ammonitarum Nahas, qui hospitium præbuerat parentibus Davidis, mittit legatos ad filium successorem Hanon; ut per eos & gratitudinem, & misericordiam erga ipsum testaretur: quæ Virtutes generoso & excelso animo conveniunt. Atq; ita missis legatis significationem communis luctus, propter obitum patris optimè meriti, voluit ostendere. Sed ut ars navium gubernandarum non rarò tempestatum sævitia superatur: ita consilijs Davidis sapienter cogitatis inopinati eventus respondent. Nam degener filius Aulicorum calumnijs fascinatus, in deteriorem partem officium Davidis rapit: & sine probabili ratione malè suspicatur de illo: & avidè sycophantarum calumnias arripit: & legatos non vulgari contumelia afficit. Vt autem mendacij comes est homicidium: sic hujus calumniæ aulicæ effectus fuit funestissimum luctuosissimumq; bellum: in quo Ammonitæ ita fracti sunt: ut pristinum robur nunquam recuperare potuerint. *Idem ibidem.*

II. Tales consiliarij crudeles etiam in Aula Rehabeami erant: qui asperitate & crudelitate consiliorum, dilacerationi regni & sejunctioni decem tribuum à regno Salomonis causam præbuerunt. 1. *Reg.* 12.

III. Dion Dionysium juniorem, cùm assentatorum adulationib. emollitus, totum sese dederet vitæ voluptuariæ, cepit cohortari ad virtutis studium & vitam frugaliorem. Fuit autem Dion naturâ ἀγχιβόλος & ταραχόπρως, asperior & morosior, ad congressus & consuetudinem hominum difficilis: non habuit mores humanitate

nitate ac comitate conditos ac temperato[illegible] congressibus fuit difficilis; propterea illam asperitatem ejus exagitarunt aulici tanquam superbiam: & amorem solitudinis, & fugam sodalitiorum turpium interpretabantur de contemptu æqualium. Si paulò liberiùs moneret Dionysium, & quid in ejus moribus reprehenderet: id interpretati sunt de maledicentia & insidijs. *Peucer. in lect. Chron. d. 15. Aug. An. 1573.*

# CLXXXIIII.

*PLeruncq; aulici injustis Dominorum cupiditatib. adulantur: & naviter faciunt: quod Martialis præcipit: Nempe Cocus Domini debet habere gulam. Strigel. 2. Samuel. 11.*

*Est usitatissima ratio crescendi in aulis, spargere grata Dominis. Libenter audiuntur in aulis fabulæ. Philip. in Postill. per Pezel. ed. part. 3. pag. 414.*

## EXEMPLA.

I. Achilles apud Euripidem in Iphigenia inquit: Ita se obtemperaturum esse Atridis: si honesta jubeant: sin autem turpia præcipiant; se non obtemperaturum esse. Hæc honestissima oratio congruit cum Regula Apostolica: Oportet DEO magis obedire, quàm hominibus; cui si paruisset Ioab; non fuisset administer alienæ crudelitatis. Sed profectò ita est, ut in Tragœdia dicitur: *Malus est minister regij imperij pudor.* Nota erat Ioab integritas sancti Vrii & fidelis ministri Vriæ. Sciebat etiam Davidem in hoc casu injusta imperare. Magis igitur DEO quàm hominibus obedire debebat. Sed ut ille fatuus amator apud Plautum inquit: Malo me ista mulier amet, quàm Dij: sic Ioab maluit Davidi, quàm DEO placere. Ideoq; Vriam morti objicit. *Strigel. ut suprà.*

II. Amnon cùm amore sororis Thamar captus esset: tacitus mœrensq; hinc pudore, illinc amoris conficiebatur impotentiâ. Hoc incendium non erat materia alendum, & motu excitandum: sed potiùs extinguendum respectu iræ divinæ: cognati sanguinis reverentia; atq; infamiæ metu. Sed Ionadab mavult esse Placentinus, quàm Veronensis: & ex stulto insanum facit.

III. Tales multi sunt Consiliarij in Aulis: qui Dominorum injustis cupiditatibus adulantur: & illud Harpagi semper in ore habent: Mihi placet, quicquid Rex facit: & Stratoclis decretum, quod in vita Demetrij apud Plutarchum extat: Quicquid Rex Demetrius jubet: id & erga DEVM sanctum, & erga homines justum est.

IIII. Talis consiliarius vel potiùs impudens adulator in aulâ Alexandri Magni

fuit

fuit Anaxarchus Philosophus, qui dixit: Omne quod à Rege suscipitur, concessum & justum est: πᾶν τὸ πραχθὲν ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος, δεμετὸν ὅσιον καὶ δίκαιον. *Idem 2. Samuel. 13.*

# CLXXXV.

*AVlici aliud sentiunt: & aliud loquuntur. Tandem Deus deducit tales Sophistas in puteum interitus:* sicut dicitur *Psal. 55.* Viri sanguinum & dolosi non attingent dimidium dierum suorum. *Strigel. 2. Samuel. 3.*

*Aulæ plerunq; Comica facie agunt Tragœdias: & ore aliud loquuntur, tacitoq; aliud sub pectore claudunt. Idem 2. Samuel. 11.*

*Etsi tota vita plena est simulationum: tamen Aularum exempla sunt conspectiora. Ibi enim frons, vultus, oculi, persæpe mentiuntur: oratio verò sæpissimè. Nam maxima pars Aulicorum coràm blandiuntur: clàm verò, si occasio est, frigidam suffundunt. Idem Psal. 62. pag. 455.*

Has Aulæ artes Psalmus 62. venustissimè pingit: Veruntamen ne evehatur ipse, consultant: ut impellant, festinant: ore suo benedicunt: sed corde suo maledicunt. Item: Vanitas filij hominum: & mendacium filij magnatum: in stateris appensi minùs valent, quàm nihilum. Et Psalmus 55. Mollius fuit, quàm butyrum os ejus: & prælium cor ejus: leniores sunt sermones ejus, quàm oleum: & tamen sunt gladij.

## EXEMPLA.

1. Abner & Joab sunt imagines Aulicorum: qui aliud sentiunt, & aliud loquuntur. Sicut enim Abner prætextu autoritatis divinæ populum ad defectionem inclinat;

clinat: ita Ioab æmulationi suæ adversus Abnerum transfugam prætexit periculum Regis, & metum proditionis, & justum dolorem ... ex fratris Asahelis interitu acceperat. Cùm autem DEVS sit amans justitiæ & veritatis; & contraria vicia acerrimè oderit: Abner tandem interficitur à Ioab; & senex Ioab Salomonis jussu unà cum Adonia trucidatur. *Idem 2. Samuel. 3.*

II. Etsi David agitat cruenta consilia de interficiendo Vria: tamen mittit ei munera: & invitat eum ad convivium: & omni gestu atq; sermone benevolentiæ significationem erga ministrum ostendit. Sed hujusmodi ***Aularum beneficia, quid sunt, nisi melle litus gladius?*** In melle enim est lingua Davidis sita atque oratio, ut verbis Plautinis utar, lacteq;: cor felle est litum, atq; acerbo aceto: è lingua dicta dulcia dat: corde amarè facit. Veriſſimè igitur ab Augustino *epist.* 144. dictum est: Mundus iste periculosior est blandus, quàm molestus: & magis cavendus, cùm se illicit diligi: quàm cùm admonet cogitq; contemni. *Idem 2. Samuel. 11.*

# CLXXXVI.

***IN Aulis plerisq; plus est*** παρέργων, ***quàm*** ἔργων. Videtis plerasque Aulas esse occupatas venationibus & ædificationibus, aut aliis pompis & sumptibus non necessariis. Si est una atque altera excepta ab hac Regula: sit sanè excepta: loquimur nunc de maxima parte Aularum. *Strigel. part. 1. Chron. pag. 60.*

Tunc Respublica beata est: quando ipsa suum nomen sonat coram DEO & hominibus: hoc est, perficit, ut status congruat cum appellatione. Sic Principes beati sunt & felices: quando faciunt ea: quæ coram Domino bona, recta & vera sunt: & sine simulatione quærunt DEVM suum. Sed his ἔργοις ***omissis Aulæ plerunq; occupatæ sunt*** παρέργοις: ut, verbi causa, non necessariis ædificationibus, pompis, venationibus, ludis equestribus, conviviis sumptuosis: & quæ sunt ejusdem generis.

Quæ debebant esse ἔργα in Aulis? Primùm curare debebant, ut religio rectè constitueretur: & ut homines in Ecclesia piè docerentur. 2. Vt judicia rectè regerentur: & disciplina conservaretur. 3. Vt defenderentur subditi: Das die Leut

bey

bey fried erhalten werden. 4. Vt etiam ipsi collatis à populo moderatè uterentur. Hæc ἔργα debebant esse in aulis. At illi indignum se esse putant, curare ministerium, & inspicere Ecclesias: nisi cùm volunt turbare. Illis verò ἔργα sunt: quomodo parent magnam copiam bonorum ferculorum: quomodo voluptatibus suis perfruantur. *Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 3. pag. 450.*

## EXEMPLA.

I. Olim Pharaoni Saræ formam aulici prædicant: & ut hanc ad se perduci curet, autores sunt: at qui eidem Abrahami fidem commendet, nullus invenitur. *Genes. 12.*

II. Nec dubium est, non defuisse Herodi libidinis & luxus magistros: desunt autem qui illi salutarem CHRISTI cognitionem tradant. *Rodolph. Gualth. Homil. 49 in Marc. pag. 63. b.*

# CLXXXVII.

*SEmper in Aulis sunt factiones. Est unus aliquis præcipuus: cui se cæteri adjungunt, & pendent ex eo. Postea est alius, qui habet oppositam factionem. Istæ factiones inter sese certant malis artibus. Jam una factio dominatur: paulò pòst alia. Strigel. part. 2. Chron. pag. 13.*

*Aulicis nihil est usitatius: quàm quovis modo æmulos premere & exagitare: etsi id fiat cum clade & ruina publica Principum & regnorum: sicut apparet, quando exardescunt odia inter Aulicos, quantis studiis dent operam: ut alter alterum perdat. Peucer. in lect. Chron. d. 15. Septemb. An. Chr. 1571.*

*Factiones conjunctæ sunt omnes cum periculo, inter Nobiles præsertim: qui multùm alioquin in eam partem incumbunt.* Dicat fortasse quispiam: illas partium offensiones Regibus esse non inutiles: patefieri hac ratione omnia consilia: nihil esse, quod non efferatur ad Regem: & in majori ipsum esse observantia. Non negârim equidem, si quis Princeps adolescens ejusmodi simultates ac contentiones in gynæceo suscitet: quin maximam sit habiturus ridendi, suique oblectandi materiam. Nihil enim erit adeò secretum: quod in hac mulierculârum æmulatione & invidia non rescisçat. Verùm ut ea consuetudo recipiatur in cœtu virorum: ingens profectò periculum in eo versatur. Hoc enim verè sit ignem in tuis ædibus accendere: quem deinde non possis, nisi maximo tuo detrimēto, restinguere Nam qui Principem à se vident alienatum esse: ij ferè novas incipiunt tentare amicitias: & illis libenter se conjungunt: quos dissidere putant ab eo: quem sui adversarij partes tueri vident. *Philip. Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 10. pag. 318.*

Princeps si factiones inter suos alet: nunquam poterit tam æquabiliter inter utrosq; mediū sese gerere: ut in suspicionem & invidiam alterutrius partis non incurrat. Cùm enim ancipitem animum inter infensos ita dividat: ut ad hos magis, quàm ad illos, inclinare se videatur: nusquam gratia stabili utriusque factionis odium, & ex eo perniciem, sibi inveniet. Atq; ut alterius tantùm partis malevolentiā in se commoverit: ne sic quidem tamen ipsius securitati satis provisum est. Odia enim ferè mortales ad ea perdenda, quæ oderunt, stimulant: neque tantùm plures, sed vel unus, incepti quovis modo patrandi rationem viamque reperit. Quare hujus consilij (quo jubentur Principes factiones inter suos alere) periculum facere in subditis, valde Principi noxium est. *Anti Machiavellus lib. 3. pag. 761.*

EXEM-

# EXEMPLA.

I. Dionysius Iunior, assentatorum adulationibus emollitus, cùm totum sese dederet vitæ voluptuariæ: ea re offensus Dion, cepit Dionysium illum Iuniorem propter ea objurgare: & ita adigere, & impellere ad genus vitæ magis sobrium, & cum virtute conjunctum, & expetendum & consectandum; cepit eum hortari ad studia virtutum. Et quia ipse cognovisset, ad ea studia sibi plurimùm profuisse Philosophiam: cepit eum hortari ad studium Philosophiæ; quod videlicet his ipsis studiis multa in se ipso esset correcturus, & se assuefacturus ad modestiam, & humanitatem, & justitiam: quibus virtutibus devincirentur & caperentur animi hominum: & futurum esse: ut ex Tyranno evaderet in regem justum. His verbis cùm assiduè personaret aures ejus: tanto eum incendit amore vel desiderio studij Philosophici; ut mutato genere vitæ valedixerit voluptatibus: & ceperit planè à se amovere gnathones & assentatores: qui id agebant: ut voluptatibus emollitum everterent. **Das ist ihr** conatus **gewesen**. Inde nata sunt odia inter Dionem, & illos gnathones aulicos. Dion tamen cùm sæpe in sermonibus faceret mentionem Platonis: & prædicaret ejus diligentiam, fidem & industriam: perfecit, ut expeteret ejus præsentiam Dionysius. Quod cùm innotuisset inimicis Dionis: illi calumniati Dionem, oppposuerunt Platoni alium Philosophum Pythagoricum Philistum; sicut usitatum est in Aulis. Ad hunc modum perfectum est: ut & Plato accerseretur: & adduceretur à contraria factione Philistus; quia cõtraria factio Dionem multis modis calumniabatur apud Dionysium: & virtutes ejus cognatis vitiorum nominibus malè interpretando deformabat. **Das ist** usitatum in Aulis: ut hoc modo & autoritas & opimio de isto Viro elevaretur. **So ist es ihme gegangen dem Dioni.**

II. Simile exemplum legimus in historia Francisci Regis Galliæ. Fuit apud Franciscum homo eruditus Castellanus: qui solebat ad mensam multas Francisco recitare historias; sicut ingeniosis hominibus multùm delectatus esse scribitur Franciscus; solitus est inter prandendum differere nunc de hoc, nunc de alio, præbente occasionem interdum ipso Francisco: & ideo magnificiebat Castellanum Franciscus. Ista ergo benevolentia offendit alios; qui ut labefactarent ejus autoritatem: ceperunt ei commendare Bigotium, hominem in Germania notum; quia diu in Germania vixit, & Tubingæ docuit: fuit origine Gallus, in Gallia natus. Istum commendarunt, & adduxerunt eum ad Regem. Interrogat Rex, qualis sit Bigotius? Castellanus, qui cupiebat ejus autoritatem elevari, respondet: Aristotelicus est. Rex interrogat, quid senserit Aristoteles? subijcit Castellanus, fuisse eum Philosophum, qui disputârit, Aristocratiam præstare statui regio. Respondet Rex: Igitur fatuus est: valeat Aristoteles, & cum eo Bigotius. Ita fuit repudiatus Bigotius, calumnia & sophistica artificiosè elevatus. Talia sunt usitata in Aulis & frequentia. *Peucer. in lect. Chron. d. 15. Ang. An. Chr. 1573.*

III. Angliæ Rex Eduardus, cùm esset parùm prudens: natæ sunt factiones inter proceres; easq; fovebat illius uxor, Renati Siciliæ Regis filia; quando Sombresleti Ducis partes tuebatur, ac Bervicensem oppugnabat. Quòd si diremisset illa dissidium: sibi, suisq; fortunis, & Angliæ rectè consuluisset. Nam exortum ab ea dissensione bellum, viginti novem annos duravit; ac multò maximam partem lectissimorum homi-

num ablumpsit: & illud immoderatum Reginæ studium in causa fuit: ut Bervicensis Comes, Eboracensem domum, odio Lenclastricæ familiæ deinceps propugnaret.

IIII. Certè factiones illæ Aurelianæ & Burgundicæ familiæ, periculi magnitudinem & luctuosos exitus demonstrare nobis possunt. Ex ijs enim ortum est bellum: quod per septuaginta duos annos duravit; cui permixti Angli, magnam Galliæ partem occaparunt. *Philip. Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib 6o. pag.* 318. 319. *De hu duobus exemplis videamus quid lib. 3. pag. 773. 774. 775. Anti-Machiavellus dicat:* Avorum nostrorum memoria Aurelianæ & Burgundiæ familiarum factiones quàm fæda, quàm diuturna incendia excitarunt, quibus Gallia sexaginta annos, & eò amplius, arsit, donec Burgundicæ domus ruina restinguerentur? Ludovicus Dux Aurelianus, Caroli VI. frater unicus, pro Symbolo vocem illâ usurpabat, ex aleæ lusu sumptam, MITTO. Dux Burgundiæ Iohannes suum quoque assumpsit, ACCIPIO: Regis fratrem æmulatus, & ei parem se gerens: cùm divitiis etiam superior esset. Ex tam parvo initio pugnantium Symbolorum, quæ lancearum suarum supparis & versicoloribus sagulis militum inscribebant, velut ex scintilla, tantum incendium ortum est: tantum animorum certamen: ut Dux Burgundiæ Aurelianum Ducem quovis modo interficere decreverit: quod & executus est. Aureliani Ducis filij, cùm, ut in ejus facinoris noxios animadverteretur, obtinere non possent: armis eam injuriam ulcisci statuunt. Altera parte Iohannes copias colligit. Ita propter duarum illustrium familiarum certamina Gallia in duas partes discessit. Aliquantò pòst Iohannes apud Monterellum, ad Sequanæ & Yonæ confluentes, fœdè interemptus est. Hanc patris necem Philippus filius ulciscens, fœdere cum Anglis inito, illos in Galliam adduxit; cujus tertiam propè partem occuparunt. Tandè inter eum & Carolum VII. pax facta est. Sed Philippi filius Carolus Galliæ Regi diffidens ob avita & fraterna odia, Ludovicum XI. adoriri conatus est: sed ille Carolo longè solertior tot adversus eum hostes undique excivit: ut Burgundica domus oppressa mole corruerit. Inter cætera exempla ejus rei, quæ profert Cominæus, Lanclastricæ domus adversus Eboracensem contentiones in Anglia, *quam periculosæ sint factiones*, documento esse testatur. Cùm enim septies aut octies signis collatis certassent; ac variis prælijs cæsi essent octoginta ferme regiæ stirpis Principes, & viliorum capitum magna vis: vix tandem Lanclastricæ domus ruinę discidium illud finitum est. Præterea ijs dissensionibus factum esse scribit: ut multi ex Anglia proceres & Principes in exilium pellerentur. Atqs inter alios vidisse se quendam domus Lanclastricæ Ducem, ejus factionis principem, sororium Edvardi IIII. qui cùm Anglia profugus in Burgundiam venisset; comitatum Caroli Burgundiæ Ducis pedibus discalceatus & sine caligis sequeretur: & ostiatim stipem emendicaret.

V. Cæterùm ab Appio Claudio hujus Axiomatis (factiones scilicet fovendas) exemplum Machiavellus sumpsisse videtur, vehementis ingenij viro, & truci infectatore plebis: cui si multos similes habuisset Senatus: tyrannidem haud dubiè occupasset in civitate; & statum Aristocraticum in Oligarchicum vertisset. Sed pe commodè accidebat: ut ejus sententiæ persæpe nemo assentiretur. Is ergò, cùm Tribuni (plebeij magistratus ad plebem adversus vim & opes potentium tutandam instituti: quibus & novis Senatusconsultis; & legibus, atque oneribus, intercedere licebat; & novas rogationes promulgare: pro ut populo commodum esse conferent) legis Agrariæ autores, rogationem promulgassent: ut ager ex hostibus viritim dividaretur. quo ple-

bisciro ut plebis commoda augebantur: ita magnæ partis nobilium publicabantur fortunæ: cùm ergo Tribuni de plebis commodis sanctiones ferendo Senatum vexarent: Appius viam Patribus ostendit dissolvendæ Tribunitiæ potestatis unam esse; si inter ipsos Tribunos factiones fererent: & ex collegio ipsorum, quoscunque possent, ad intercessionem pellicerent. Ita enim fore: ut suis ipsa viribus dissolveretur: neque tamen plebes ejus rei causam Patribus assignaret. His Appij præceptis sæpenumero cùm paruissent Patres: re ipsa tandem apparuit, haud salutaria esse. Quum enim Tribunitiæ rogationes collegarum intercessione tollerentur, neq; tranquilla comitia habere, aut quidquam suffragiis scisceere, ratumq; facere populus posset: ad arma & secessiones decurrebat. Ac sæpe à Patribus per vim extorquebat: quæ illi suffragiis & usitato more disceptari passi non fuerant: multaq; à quibus obsecundando ratione & levi via deterreri poterat: ea leniendæ plebis causa Senatus concedere cogebatur. Ea enim ingeniis hominum cupiditas insita est: ut in vetitum semper nitantur; & quæ negantur ardentiùs cupiant; & ut præclarè Horatius:

*Audax omnia perpeti*
*Gens humana ruit per vetitum nefas.*

Præterea si quando Patres ad Senatusconsultum aliquod promulgandum, quod utile Reipublicæ judicarent, Tribunorum auxilium implorarent: consequi tamen, quod cupiebant, non poterant. Illi enim Patrum impulsu factionibus affueti, intercessionē multis sæpe certaminibus expertam in ipsius autores vertebant. Itaq; ex turbulentis Tribunorum factionibus tanta inter nobilitatem & plebem certamina exarsere; ut in urbe & foro, velut in acie armis sæpe certaretur: quemadmodum contigit, cùm Gracchi duo, vindicare plebem in libertatem aggressi, ferro necati sunt. His tot ac tantis malis Appij consilium causam materiemq; præbuit: *neq; ulla populis certè ac civitatibus maior labes, aut præsentius ullum venenum discordia intestina reperiri potest.* CHRISTUS ipse, æterna & certa veritas, affirmat, Regnum adversus seipsum dissidens, vastari; & urbem domumvé discidiis laceratam stare non posse. Quæ verba, si Machiavellitæ adeò hardi sunt, ut animo non capiant: credant rebus ipsis.

VI. A Chalcidensibus sapientissimè factum est: qui Aetolorum consilium repudiarunt: quod huic Machiavelli præcepto & Appij consilio compar erat. Exorto enim inter Romanos & Regem Antiochum bello: Aetoli (gens inquieta, vani & infesta Romanis) cùm legatos circa urbes Regesq; vicinos misissent: qui non solùm tentarent animos eorum: sed suis quemque stimulis moverent ad Romanum bellum: id agitabant, quonam modo res in Græcia novarentur. Omnibus igitur in Græcia tumultu completis: Antiochus in Europam transjecit. Ibi cum Aetolis consultare cepit, unde bellum ordiretur: Chalcidem primùm aggredi placuit. Priùs tamen tentandos Chalcidensium animos: si quibus conditionibus in amicitiam Regis perlici possent. Aetolorum principes cum magistratibus Chalcidensium ad colloquiū congressi, magnopere suadere cœperunt: ut, salva Romanorum amicitia, Regem quoque assumerent socium atq; amicum. Neq; enim eum inferendi belli, sed liberandæ Græciæ causa, in Europam transjecisse; & re liberandæ: non verbis & simulatione: quod fecissent Romani. Nihil autem utilius Græciæ civitatibus esse: quàm utramq; complecti amicitiam. Ita enim harum iusq; injuria tutam alterius semper præsidio & fi-

ducia fore. Id consilium Chalcidenses non acceperunt, gnari, duarum simul gentium animis armisq; certatim amicitiam tutò haberi non posse: eosq; qui bello se nihil interponentes utriusq; partis gratiam fovere student, sæpe sine ullius gratia, sine dignitate, nihil aliud, quàm prædam victoris esse. Igitur ad hæc Mictio, unus ex Chalcidensium Principibus, mirari se dixit ad quos liberãdos Antiochus, relicto regno suo, in Europam transjecisset: nullam enim civitatem se in Græcia nosse: quæ aut præsidium habeat: aut stipendium Romanis pendat: aut fœdere iniquo alligata, quas nolit, leges patiatur. Itaque Chalcidenses neque vindice libertatis ullo egere, cùm liberi sint: neque præsidio, cùm pacem ejusdem populi Romani beneficio & libertatem habeant. Amicitiam Regis non aspernari: neq; ipsorum AEtolorum. Id primum eos pro amicis facturos: si insula excedant atq; abeant. Nam ipsis certum esse, non modò non recipere mœnibus: sed ne societatem quidem ullam pacisci: nisi ex autoritate Romanorum. Hoc Chalcidensium sapiens responsum, aspernantium factiones & cõsilia AEtolorum, & responso non dissimilia facta, felicem exitum habuerunt. AEtolorum verò, nunc Romanos, nunc Antiochum foventium, vana & prava consilia, in ipsorum caput reciderunt. Cùm enim neutram partem vellent, altera opprella, pacationem fieri: sed integris utriusque viribus inter Antiochum & Romanos perpetuum bellum alere omni ope tentarent: & horum & illius odium in se moverunt. Itaque devicto & fugato è Græcia Antiocho: AEtoli proprio bello à Romanis fracti, pacem diu æquis conditionibus impetrare non potuerunt. Ergo tribus repulsis fatigati, & complorantes inutili lamentatione fortunam gentis, furorem in semetipsos verterunt: & tam pernicioso dati consilij alij alios incusantes, mutuis cædibus ad internecionem gentem propè adduxerunt. Donec diu jactati, Senatu ægrè ad audiendas eorum preces converso, & vix pace tandem impetrata, Romanam clementiam experti sunt: & in AEtolia res utcunque compositæ.

VII. Ardeæ (vicinum erat Romæ oppidum) similia certamina factionum erant: quæ Genuæ etiam hodie sunt. Genuæ enim Republica in duas partes distracta: plebs cum nobilitate discordias & simultates exercet: neque ullum Ducem ex Patriciorum corpore pati potest. Duces ergo ex plebe creant: & ejusdem sortis ac generis nimiùm multos hodie nobilitatẽ generis venditantes in Gallia esse haud ambiguũ est. Itaque cùm Ardea similibus studiis scissa esset: fortè incidit, ut virginem plebeij generis maximè forma notam, juvenes duo simul peterent: alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui & ipsi ejusdem corporis erant: nobilis alter, nulla re præter quam forma captus. Adjuvabant eum optimatum studia: per quæ in domum quoq; puellæ certamen partium penetravit. Nobilis judicio matris superior esse: quæ quàm splendidissimis nuptiis jungi puellam volebat. Tutores in ea re quoq; partium memores, ad suum tendere. Cùm res peragi intra parietes nequisset: ventum in jus est. Postulatu audito matris tutorumq;: magistratus secundùm parentis arbitrium dant jus nuptiarum. Sed vis potentior fuit. Namq; tutores inter suæ partis homines de injuria decreti palãm in foro concionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt. Adversus quos infestior coorta optimatium acies sequitur accensum injuria juvenem. Fit prælium atrox. Pulsa plebs, armata ex urbe profecta, colle quodam capto, in agros optimatium cum ferro igniq; excursiones facit. Nec ulla species cladesq; belli abest, velut contacta civitate rabie duorum juvenum, funestis nuptias ex occasu patriæ petentium. Parum parti utriq; domi: mortum belliq; est visum: Optimates,

Roma-

Romanos ad auxilium urbis obtestæ, Plebs ad expugnandum secum Ardeam Volscos excivere. Romanus, Volscis profligatis, Ardeæ turbatas seditione res, principibus ejus motus securi percussis, bonisq; eorum in publicum Ardeatium redactis, composuit. Eat nunc Machiavellus: & intestina arma laudet: quorum Ardeæ initium non aliunde, quàm ex certamine factionum ortum est. Quæ (ut insigne T. Livij elogium hac de re non prætermittam) *fuêre eruntq; potentibus populis magis exitio: quàm bella externa: quàm fames morbiq́: quam quæ alia in Deûm iras velut ultima publicorum malorum vertunt.* Nam (ut alio loco T. Quintius Flaminius apud eundem Livium dicit) *discordia & seditio omnia opportuna insidiantib. facit: cùm pars, quæ domestico certamine inferior sit, externo potiùs se applicet: quàm civis sedat.*

VIII. Carthaginensis verò florentissimæ civitatis occasus, quæ res magis causa fuit, quàm civilis dissensio? Erant enim Carthagini duæ factiones; una Barchinorum, cujus Annibal cum omni Barchina familia erat; altera Hannoniorum. Cæterùm occiso Amilcare Annibalis patre, Asdrubal ipsius gener, Barchinæ factionis opibus, quę apud milites plebemque plùs quàm modicæ erant, haud sanè voluntate Principum, imperio potitus est. Is cùm sub Amilcare Imperatore belli artes didicisset: ut parem gratiam ejus filio redderet, eum vix dum puberem, literis ad se arcessivit: & acta res in Senatu est, Barchinis nitentibus, ut assuesceret militiæ Annibal: atque in paternas succederet opes. Hanno alterius factionis princeps sententiam rogatus, ita censuit: Et æquum postulare videbetur (inquit) Asdrubal; & ego tamen no censeo quod petit tribuendum. Cùm admiratione tam ancipitis sententiæ in se omnes cõvertisset: Florem ætatis (inquit) Asdrubal, quem ipse patri Annibalis fruendam præbuit, justo jure eum à filio repeti censet. Nos tamen minimè decet, juventutem nostram pro militari rudimento assuefacere libidini imperatorum. Ego istum juvenem domi tenendũ sub legibus, sub magistratibus docendum vivere æquo jure cum cæteris censeo; ne quandoq; parvus hic ignis incendium ingẽs excitet. Pauci ac fermè optimus quisq; Hannoni assentiebantur; sed, ut plerunq; fit, major pars meliorem vicit. Missus Annibal in Hispaniam, primo statim adventu omnẽ exercitum in se convertit: tum quòd Amilcarem viventem redditum sibi veteres milites credebant: tum propter eximias ejus virtutes. Itaque Asdrubale interempto, summam imperij ad eum exercitus summo omnium consensu detulit. Simul atq; Imperator declaratus est: Hannonis vaticinium eventu affirmavit. Fax enim fuit eorum bellorum: quæ ipsius tandem Carthaginis excidio finita sunt. Neq; aliunde hæc incendia orta sunt: quàm ex potentium factionibus; qui odio magis partium, quàm cura Reipublicæ, perpetuò alij in alios, Hannonij in Barchinos, sententijs & studijs in Senatu certabant: atq; id potiùs agebant: ut numero & suffragijs potiores essent; quàm ut melior sententia vinceret. Neq; unquam aliter evenit: ubicunq; dissidia vigent. Nam *factione & partium respectu, quæ semper officêre officientq; publicis consiliis, præoccupata mentes, contradicendi potiùs, quàm salubris sententiæ expediendæ, cura studioq; ducuntur.* *Idem Anti Machiavellus pag. 763. 764. usq; ad 773.*

IX. Bello secundo Punico cùm simul creati Consules essent M. Livius & C. Claudius Nero: inter quos antè nobiles inimicitiæ erant: Senatus, veritus, ne ex ipso-

rum

rum in magistratu simultatibus Respublica detrimentum acciperet, monant eos: ut misso verè ac finito odio in gratiam rediret. Livius magis implacabilis erat: & nihil opus reconciliatione esse ajebat. Acriùs & intentiùs omnia gesturos: timentes, ne crescendi ex se inimico Collegæ potestas fieret. Vicit tamen autoritas Senatus: ut, positis simultatibus, communi animo consilioq; administrarent Rempublicam. Meminerant enim, cùm Tribuni militum quatuor essent, T. Quintius Pennus, C. Furius, M. Posthumius, A. Cornelius Cossus, ignominiam & cladem acceptam ad Vejos, certaminibus inter se Imperatorum. Tendendo enim ad sua quisq; consilia, cùm aliud alij videretur: hosti ad occasionem victoriæ locum aperuerunt. Idem etiam accidisse postea recordabantur, L. Virginio & M. Sergio Tribunis militum: qui privatim alter alteri invisi & infesti, Rempublicam in discrimen ad Vejos adduxerant. Sed maximè insigne & recens exemplum clades Cannensis in oculis erat: quæ duorum Imperatorum, Pauli AEmylij & Terentij Varronis, altercationibus & discordia accepta fuerat. His ergo exemplis adductus Senatus, Livium & Neronem Consules hortatus est: ut *simultates* finirent, *Respublica, quam ipsis, perniciosiores.* Illi tot Principum civitatis consensu victi, inimicitias deposuerunt. Itaq; cùm uno animo & summa concordia bellum gererent: Asdrubalem sexaginta millibus armatorum in Italiam ingressum, & castra Annibalis castris jungere parantem, cum omni excercitu deleverunt. Dux hostium Asdrubal eo prælio cecidit: & jussu Neronis Consulis ejus caput ante hostium stationes projectum est. Eo viso, Annibal, tanto simul publico familiariq; ictus luctu, agnoscere se fortunam Carthaginis, fertur dixisse. Itaq; M. Livij & C. Neronis reconciliatio ubi atq; imperio saluti fuit: ut, sicuti antea Pauli Aemilij prudentissimi, & Terentij Varronis temerarij Ducis, certaminibus, Respublica propè ad ultimum discrimen adducta, & Imperium prolapsum erat: ita hæc concordia Consulum non tantùm labantem fortunam populi Romani sustinuerit: sed etiam paulò antè stratam humi & afflictam rem Romanam erexerit ac sustulerit, contusa Annibalis & Pœnorum ex prosperis prœliis ad Thrasymenum & Cannas superbia. *Idem pag. 775. 776. 777.*

# CLXXXVIII.

*NOn bonum visum est, exemplo Romanorum, vel aliarum quarundam Rerumpublicarum, solis Nobilibus, aut solis Ecclesiasticis, magistratus & potestatem juris dicendi committere. Fuerunt enim inde plerunq; turbatæ & immutatæ Respublicæ: Nobilibus nimium plebem contemnentibus:*

*bus: & seditionibus ortis: & Nobilibus aliquando ad unum sublatis.* Et proinde sanctissimè & consultissimè factum: ut magistratus, senatores & judices, ex ordinibus omnibus eligerentur à Principe: qui essent muneribus magis idonei. Quod effecit, ut tranquilli sint status sine invidia: cùm omnes participare possint in gerendis honoribus: item, quod egregium est, factum inde: ut omnes nobiliores, jurisdictioni regiæ suppositi, didicerint: regiam majestatem non ex illarum nobilitate, sed nobilitatem illorum ex arbitrio regio pendere: & DEI solius ministrum Regem: qui exemplo ejus, cujus gerit imaginem in terris, nulla habita dignitatis in criminibus ratione, in malos justitiæ aculeos exserit: & in bonos, cujuscunq; ordinis, beneficus esse potest. *Petr. Greg. Tolos. lib. 4. de Repub. cap. 1. pag. 145.*

## EXEMPLVM.

Et ita, quàm diu Gallia hanc mixtionem & autoritatem justitiæ coluit & exercuit; tranquillissima & unita fuit: & superbia eorum, qui nobilitate abutuntur, facilè dejecta: boni etiam plebeij, contra concussiones & tyrannides dominicales dominorũ territoriorum, conservati. Nec aliunde prodijt misera illa Galliæ invasio; quàm quòd Reges & magistratus, dum studerent ijs, qui se nobilitate præstantiores efferebant, nimiùm favere, ne dicam satisfacere voluerunt: &, excusso justitiæ jugo, nimiùm negligenter jurisdictionum & legum vim pessundari permiserunt: nec extollentia se supra modum papaverum capita, cùm apparerent, excusserunt: unde cùm ordo unus extra ordinem se extulit, ordinationem omnem confudit: & confundet aut dissipabit: nisi in ordinem redire cogatur. *Idem ibidem.*

# CLXXXIX.

*AVlæ plerunq; ad tempus inani curiositate probãt doctrinam Euangelij: & paulò pòst satietate & fastidio ab ea abalienantur. Strigel. 2. Reg. 8.*

## EXEMPLA.

I. Herodes CHRISTVM ad se adductum magna gratulatione excipit: non ut melior fiat: sed sperans, se miraculum aliquod visurum esse.

II. Ioram Rex jubens sibi res gestas Elisæi narrari à Gehasi, est exemplum aulicæ curiositatis: quæ gaudet & delectatur miraculorum commemoratione propter novitatem: non propter emendationem. *Ibid.*

## CXC.

*ALiqui quando veniunt in Aulas: urgent principiò: quando adhuc voluntates sunt duriores: illi nihil efficiunt. Sed leniter & contantiùs agendo oportet paulatim inflectere voluntates.* Philippus in Cordiali Abrah. Bucholc. pag. 137.

*Qui vult valere in Aula: det operam, ut habeat benevolentiam Cancellariæ:* Vnd jhn der Stadtschreiber zum Freunde habe. Hastu zu Hofe einen vngenädigen Schreiber / so hastu auch einen vngenädigen Herren. *Idem ibid. pag. 150. b.*

Hippocrates: Cruda non oportet moveri: quia nondum sunt corpora præparata ad recipiendam contrariam qualitatem.

Ein Hofe Vers: *Leniùs instando tædia tolle tui.*

In aulis ita fit, sicut dicitur in versu: *Da, capias, quæras, plurima, pauca, nihil. Qui vult acceptus esse in aulis: eum oportet conciliare favorem muneribus: & pauca petere ab aliis: & interrogare nihil de rebus arcanis.* Philip. in Postilla per Pezel. ed. part. 2. pag. 778.

Wer zu Hofe wil werd sein, der muß viel schencken. *Idem part. 3. pag. 492.*

Ad

Ad beneficia consequenda non est properandum: sed sensim accedendum: ne utilitatis nostræ causa improbi nimis ac petulantes esse videamur. *Importunitas poscentium plerunq; molesta est: & benignitatem liberalitatemq; dantis tardiorem reddit: ne petulantia potiùs coactus, quàm animi magnitudine liberalis fuisse videatur.* Cavendum igitur erit, ne nimia procacitas improbitasq; poscendi, liberalitatem benignitatemq; Principum auferat: & illorum magnificentiam in parsimoniam convertat. Avaritia enim (ut Aristoteles ait) magis à natura hominibus insita est: quàm effusio. Plures enim pecuniarum cupidi sunt: quàm liberales. Senectus verò, inopia & imbecillitas parsimoniam semper suadent. *Francisc. Patrit. lib. 9. de regno, tit. 17. pag. 609. 610.*

Huc pertinent illæ admonitiones in Aulico politico. Non multa uno tempore sunt petenda: ne Princeps ea concedere gravetur Aulico. *pag. 72.* Ars hæc est aliorum, qui maximè aliquid cupiunt: ut speciem recusantium induant: quò enixiùs rogentur, id suscipere: quod flagrantissimè cupiunt, aulico more. *pag. 74.* Aulicus non tam verbis, quàm silentio quærere debet. *pag. 132.* In aulis usitatissimum est, differre in alium diem petitiones oblatas: quod etiam Roboam solenne fuit, dicenti: Ite usq; in tertium diem, & revertimini ad me. Is qui petit, illam dilationem animadvertens, intermittat suadeo. Vel enim nullum, vel gratum accipiet responsum. Licet nullum responsum: sit & habeatur in aula tanquam responsum. *pag. 170. 171.*

## EXEMPLVM.

M. Crassus, vir ille opulentissimus, principio ætatis suæ avaritiæ crimine non laborabat: sed in omnes necessarios suos liberalior habebatur. Is cùm locupletiòr esset: quatuordecim agri jugera singulis amicorum atq; affinium dono dedit. Ex his autem quidam plura etiam petebant, asserentes, eadem illis neutiquam satis esse. Qui-

bus ille, cupiditatem nimium eorum objurgans, respondit: neminem parum possidere: qui ex annuis fructibus se familiam suam honeste alere possit. Quæ tamen improbitas amicorum Crassum deinceps ex parco avarum reddidit. Ejus quidem sententia vera esse cernitur: Cui non satis est, se & familiam suam annuis fructibus honestè alere; ei nihil satis esse potest. Laborat enim cupiditatis vicio, & inexplebilis omnino est. *Francisc. Patrit. loco prius citato.*

# CXCI.

*PLerunq; ministri impotentiùs sæviunt: quàm ipsi Imperatores. Volunt impensiùs coli: quàm Reges ipsi:* **Man muß jhnen mehr hofieren/ denn den Herren selbst.**

*Fit ferè, ut servi, confisi de potentia suorum Dominorum, insolenter vim injustam adversus inferiores exerceant. Pezel. in Genes. cap. 21. pag. 381.*

*Ita in aulis plerunq; comparatum est: ut honor imperij penes Principem, vis & potestas penes ministrum aliquem, quantivis precij sit:* ut in Titiano & Proculo videndum. *In Aulico politico pag. 147.*

**Wenn einer ein Stall Junge zu Hofe ist/ so ist er stoltzer denn ein ander.** *Philip. in Postil. per Pezel. edit. part. 1. pag. 79.*

Iuvenalis: *Maxima quæq; domus servis est plena superbis.*

## EXEMPLVM.

Trajanus jussit liberto suo impingi colaphum: quòd medius incederet inter duos Senatores: & monuit eum, ne contemneret constitutos in gradu superiore propter gratiam: quàm apud se haberet.

# CXCII.

*IN Aulis sæpè assentatio est periculosa, præsertim nimis aperta & impudens. Strig. part. 1. Chron. pag. 39.*

*Etsi Aula plerunq; amat adulatores: tamen impudens adulatio nocet ipsis adulatoribus. Nisi enim Rex aut Princeps sit Midas, habens aures asininas: non potest aliter facere: quin acerrimè oderit maximeq; detestetur scurrilem impudentiam. Id. 2. Sam. 1.*

*Habet assentatio jucundissima principia: sed exitus amarissimos affert. Idem 1. Reg. 22.*

*Usitatum est, assentatores tandem pœnas assentationum suarum, & ad crudelitatem & cædes præstitæ ac navatæ operæ pœnas dare.* Es gehet gemeinig-lich vber dieselben aus. *Peuc. in lect. Chron. 9. Februar. An. 72.*

*Adulatio in aulis, etsi multa procreat commoda: tamen semper est fœdissima & inimicissima existimationi: & tractu temporis infamiam affert. In Aulico politico pag. 83.*

## EXEMPLA.

I. Exemplo est Apologus Æsopicus: *quem vide suprà.*

II. Cùm David esset Rex amans veritatis, & hostis atq; inimicus mendacij: sicut in Psal. 101. inquit: Qui loquitur mendacia, non stabilietur in conspectu oculorum meorum: justam indignationem concepit adversus hunc scurram: qui gloriam interfecti Saulis in se falsò transtulit: & hac fabella se magna præmia à Davide consecuturum esse speravit. *Strigel. 2. Samuel. 1.*

# CXCIII.

*FAcetiæ, quibus intempestivè Principes & magnates petuntur, sæpe ipsis facetiarum autoribus per jugulum redeunt.*

*Mordax dicacitas multis est exitio.*

*Asperæ facetiæ, ubi multum ex vero traxêre, acrem sui memoriam relinquunt. Tacitus lib. 15.*

*Facetiarum acerbarum longa memoria apud prapotentes. Idem lib. 5. Annal.*

## EXEMPLA.

I. Ranimirus ex monasterio evocatus, Aragoniæ Rex eligitur, & Oseæ coronatur Anno 1017. Hic primus fuit Rex Aragoniæ e Gothorum familia. Is cùm aliquando in expeditione adversus Mauros, à suis nobilibus armatus, & equo impositus esset: dedêre ij in dextram clipeum, & lanceam in sinistram manum: sed cùm & habenas postea ei porrigerent: sinite, inquit, ut ore eas apprehendam; cùm utraq; manus sit occupata. Itaq; cùm ob hanc rem, tum ob alia simplicitatis argumenta, cùm à suis Baronibus nimiùm ludibrio haberetur: aliquando depositâ illa sua monastica simplicitate, Oseam accersivit undecim ex primarijs suis Baronibus: jussitq; omnibus capita amputare: causam ejus rei solo hoc Hispanico proverbio demonstrans: Non saben la volpegia, con quien tropeia: Hoc est: ignorat vulpecula, cum quo ludat. *Pandulphus Collenutius lib. 1. histor. Neapolit pag.* 30.

II. Es hatte Matthias Corvinus/ der vortreffliche König in Vngern/ einen Scheerer/ welcher/ weil jhn sein Herr für andern lieb vnd reich gemacht hatte/ Sich auch gegen den Fürnemesten zu Hofe gar zu gemein machen wolte. Als sich auff eine Zeit begab/ das der Cardinal von Arragon/ so ein Bäbstlicher Legat/ vnd derselben Königin Bruder/ in Vngern ankam/ da er von dem König eines Abends vnter andern mit einem stattlichen Bancket/ vnd allerley Kurtzweilen/ so man nach dem Essen vbete/ empfangen ward/ dabey gedachter Scheerer auch war: schneid er den Prælaten allen/ so auff den Cardinal warteten/ heimlich (doch nur zum Bossen) jhre lange Röcke ab. Als man aber folgenden Tages/ wer das gethan/ nicht wissen kondte/ befragte der König Matthias seinen Scheerer

(auff

(auff den er einen Argwohn gefaſt) ob ers nicht gethan hette? Welcher es mit lachendem Munde bekandte. Drauff ward jhm als bald auffs Königes geheiß (andern/ſo mit groſſen Herren ſchertzen wollen/ zum Exempel) Naſen vnd Ohren abgeſchnitten/ damit er biß in Todt zu lachen gedrungen wurde/ auch wenn er weinete.

III. Ich habe für der Zeit von einem Fürſten hören ſagen/ das/ als auff eine Zeit jhm ſein Balbirer mit einem Scheer Meſſer den Bart vnter dem Kinne abſchur/ vnd der Balbirer die Gurgel anrührend/ dem Herrn mit lachendem Munde/ das dadurch manch gutter Biſſen gegangen were/ ſagte/ vnd das doch ſolche Straſſe bald vermacht werden köndte: Ward er als bald nach vollbrachter Arbeit/ aus befehlich des Fürſten/ an einen Baum geknüpfft. *Johann. VVerner* Gebhart in Fürſtlichen Tiſchreden/ *lib.* 3 *cap.* 12 *p.* 210. 211.

IIII. Im Jahr Chriſti 1461. den Tag nach Margarethæ/ iſt König in Böhmen/ Georgius/ mit etlichen ſeinen Hofeleuten/ aus dem Königlichen Hoff zu Prag/ nach ſeinem Brauch/ in das gemeine Bad/ welches hinter der Jüden Gaſſen iſt/ vnd zu der Zeit des Janden Badſtube geheiſſen (wie es deñ auch biß auff den heutigen Tag alſo geneñet wird) gegangen/ Vnd diſer Janda ward dazumal vnter den Badern der vornemeſte. Alſo trieb der König im Bade/ mit ſeinen Hofeleuten/ mancherley Kurtzweil/ So ließ es der Bader Janda/ welcher mit dem Könige Schimpff zu vben gewohnet/ an ſeiner Zumiſchung auch nicht erwinden. Nun begab ſichs/ als er dem Könige den Bart balbirete/ das er ſprach zu jhme: Gnädigſter König/ Ich wil ewer Mayeſtet ein Rätzlein auff geben/ ob jhrs errathen köndtet/ Vnd iſt dieſs. Sagen mir ewer Mayeſtet: Weſſen iſt auff diß mal das Königreich Böhmen? Der König ſprach: Lieber Freund Janda/ wes andern ſolte es ſein dann deine? Sintemal der König ſampt dem Königreiche in deinen Händen ſtehet. Er ſprach/ Es iſt recht/ Gnädigſter König. Vnd als er mit dem Barte fertig worden/ vñ ſein Scheer Meſſer auff gehaben/ ſprach der König zu jhme: Janda/ Wer iſt denn jetzo König in Böhmen? Janda antwortet/ vnd ſprach: Es ſind Ewer Königliche Mayeſtat. Der König ſchlug jhn mit der Fauſt ins Angeſicht/ das er zur Erden fiel/ vnd ſtieß jhn mit dem Fuß in die Seiten. In deme ſprangen die Hofeleute auff/ vnd baten den König/ das er nachlaſſen wolte. Alſo gieng der König aus dem Bade/ mit zornigem Gemüthe/ vnd Janda iſt des achten Tages hernach geſtorben. *VVenceſlaus Hageccius in Chronico Bohemiæ part.* 2 *pag.* 171.

# CXCIIII.

*Boni Reges ac Principes plerunq; ab adulatoribus deteriores fiunt.* Hoc docere videtur Græcus ille Apologus: quo inducuntur aves complures, ut adſolet, Cucu-

lum

lum circumvolare, non ad eum propiùs accedere: quas ille quidem rogabat, cur se fugerent, cùm placidus & imbellis esset? Volucres verò audacter respondebant: se ideo ab eo devolare: quia cernerent, illum ungues & rostrum ejusmodi habere: ut facilè, si vellet, accipiter fieri posset. *Francisc. Patrit. lib. 2. de regno, tit. 1. pag. 82.*

Vt aula est res vetustissima: sic vetus malum aulæ & Reipublicæ inesse rectè Tacitus dicebat *adulationem, perpetuum malum* (Q. Curtio autore) *Principum: quorum opes sæpiùs assentatio, quàm hostis, evertit.* *In Aulico politico, pag. 82.*

## EXEMPLA.

I. Tigranes, Ponti Rex, principiò mitis ac placidus fuit; deindè pessimorum amicorum vanis adulationibus assentationibusq; illectus, & potentia ac superbia, & alijs vicijs non modò acerbus ac durus, verùm insolentissimus quoq; redditus est; adeò ut illius mores Græci omnes execrarentur: nec eum ullo pacto ferre possent. Ministrabant ei Reges aliqui: qui ejus ditioni suberant: ac si pedissequi ejus satellitesvé essent. Quin etiam pedibus per lutum ac pulverem, cùm curru aut equo veheretur, illum sectabantur, sine discrimine ullo ætatis aut dignitatis: sedenti verò, vel jus dicenti, connexis singuli brachijs circumstabant. Hæc erat servitutis confessio quædam, atq; imago manifesta: ut clarè ostenderent, datam Domino sui etiam corporis liberam potestatem. Succensuit is mirum in modum L. Lucullo: quòd eum Regem tantùm, non autem Regem Regum per epistolam salutasset. Hæc ideo agebat Tigranes: quòd nimiùm adulatoribus aures præbuerat: à quibus ficta pro veris plerunque audiebat. Nam grati blandiq; sermones ab illis afferebantur. ***Et Principum opes frequentiùs adulatores, quàm hostes, evertunt***: ut sapienter Quintus Curtius dixit. Idcirco Tigranes ex magno Rege Tyrannus factus, odium fere omnium gentium contraxit: pœnasq; dedit Romanis Ducibus, injurias ulciscentibus. *Franciscus Patritius ut prius.*

II. Quid Neronem, castissimè educatum, crudelem fecit? adulatio.

III. Quid Cæsarem contra patriam rebellare fecit? adulatio.

IIII. Quid Rehoboam Tyrannum fecit? adulatio. *In Aulico politico ut suprà.*

---

*Adu-*

# CXCV.

*Adulatio ad tempus est grata: sed tandem Veritas est gratior. Et in fine Veritas non odium, sed gratiam conciliat.* Oportet autem hominem expectare tempus & occasionem. Non est de nihilo, quod dicit Poëta Comicus: *Obsequium amicos, Veritas odium parit.* Interea tamen manet & hoc verum, quod dixi. *Etsi assentatio ad tempus placet, demulcet aures & animos hominum: tamen Veritas ad extremum est gratior, & plus meretur laudis & benevolentiæ. Strigel. part. 2. Chron. pag. 119.*

*Etsi assentatio exiguo tempore demulcet homines: tamen Veritas tandem gratior est mentibus bonorũ. Idem 1. Reg. 18.*

## EXEMPLA.

I. Xerxes interrogatus à Demarato, malitnè vera, aut jucunda audire, cùm respondisset, se veritatem delectationi anteponere (*Rara res est in Aulâ, amor veritatis*) nec minùs sibi acceptum fore Demaratum pronunciata vera sententia, quàm si aures blando sermone demulceret: Demaratus hac oratione usus est: Dicam igitur vera, & rebus consentanea: ne paulò pòst mendacium, rubores & verecundiam mihi afferat. *Strigel. part. 2. Chron. pag. 119.*

II. Sigismundus Imperator sæpè dixit: Assentatorem se odisse tanquam pestem. Quod cùm quidam ex astantibus aliquando redarguisset: & Imperatorem assentatorum nutu regi ostendisset: subjecit Imperator: *Ita fit in Aulâ: ut quos oderimus maximè, & vitare cupimus: ijs maximè parere cogamur.* Πρόπαλαι γὰρ τὰ πρῶτα ὁ κόλαξ, ὁ συκοφάντης τὰ δεύτερα. Sed cùm à quodam supra modum laudaretur in faciem, & Dijs prædicaretur similis: illi colaphum impegit: dicentiq;, Cur me cædis? respondit, Cur me mordes? *In Chron. Philip. lib. 5 pag. 630.*

III. Attila Hunnorum Rex, Patavio capto, Marulli Calabri Poëtæ carmen de laudibus suis conscriptum, in ignem conijci jussit: quia licentia poëtica originem Attilæ ad Deos retulerat.

IIII. Antigonus etiam Rex, cùm Hermodotus in poemate dixisset Iovis filium, Non hæc, inquit, de me sentit Lasanophorus, qui matulam Domino subjcit: irridens stultitiam adulatoris. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 6. de Rep. cap. 12. pag. 339.*

# CXCVI.

*Aulicæ voluntates instabiles.*

*Valde hoc usitatum est in Aulis: ut in iis plures* (sicut de Pompejo dictum est) *adorent Solem orientem, quàm occidentem. Plerunq; ministri omnibus studiis se inclinant ad efflorescentem fortunam ejus, cujus nomen & gloria crescit: & deserunt eum, cujus gloria minuitur. Et nihil est instabilius voluntatibus in Aulis. Peuc. in lect. Chron. d. 15. Septemb. An. Chr. 1571.*

*Hoc est universale & perpetuum: mutata fortuna Principum mutantur voluntates non tantùm subditorum: sed multò magis ministrorum in Aulis. Ibidem.*

## EXEMPLA.

I. Scribit Xenophon, Cyaxarem offensum gloria Cyri, lachrymantem exposstulasse cum Cyro, & quæstum esse, se contemni à ministris & Medis. Quod est valde usitatum in Aulis.

II. Scribitur de Philippo, patre Caroli Regis Hispaniarum: qui fuit à socero Ferdinando accersitus in Hispaniam: ut mores gentis disceret: & paulatim assuesceret ad gubernationem in eo regno. Cùm venisset in Hispaniam Philippus: scribunt, proceres Hispaniæ paulatim deserto socero Ferdinando omnes se contulisse ad Philippũ, & illi adhæsisse: nec obscurè hac voluntatum alienatione Ferdinandum offensum esse. Cumq; post non longum temporis intervallum subitò Philippus Rex interiret: fuit suspicio, sublatũ eum esse veneno, eo non inscio. Postea fuit fama sparsa: quòd φίλτρῳ conjugis fuerit necatus: ne abalienaretur à se. *Idem ibidem.*

*Miniſte-*

# CXCVII.

*MInisteria, præsertim in Aulis, sunt periculosa. Sæpè enim famulis ac ministris injunguntur: quæ comparant ipsis exitium. Sabinus in Interpretat. lib. 9. Ovid. Metamorph.*

## EXEMPLVM.

Hercules in Oechaliam regnum Eutyti traijciens, Iolen eius filiam secum abduxit. Prior autem conjunx Dejanira falsò suspicata animum Viri à se abalienatum, tunicam Centauri sanguine tinctam, ipsi jam sacrificaturo, per Lycham famulum misit. Eam indutus Hercules, ad aram accedens, flamma vestis citò incaluit: & veneno Lernæo ejus viscera sunt infecta. In summo igitur cruciatu, cùm vitam finire nequiret: Lycham acerbissimi muneris autorem in mare Euboicum projecit. *Ovid. 9. Metamorph.*

# CXCVIII.

*OMnis inferendi belli consultatio, in libera civitate, periculosa est. Cùm enim res ad Senatum refertur: non omnes in unam sententiam veniunt: sed alij veritatem sequuntur* (quæ, ut Plato in Legibus scribit, res præclara est: verùm non facilè persuaderi potest) *alij autem auram popularem captant: & vulgi rumorem hauriunt: in eamq; partem ruunt: in quam populus aspirat. Hi plerunq; falluntur.* Nihil enim rerum mortalium tam instabile ac fluxum est: quàm voluntas sensusq; civium: qui non modò improbati (ut ait Cicero) irascuntur: sed etiam in rite factis sæpe fastidiunt: & ubi ea, quæ fore arbitrati sunt, minùs succedunt: autoribus senten-

tiæ, quam paulò antè probaverant, succenſent: ſeſeq; ab illis illuſos clamitant: quaſi illi fortunam populi in conſilio habere potuerint: vel alius in alium culpam refert: ut in adverſis rebus fieri ſolet. Hinc conſpirationes, ſimultates, invidiæq; oriuntur: quæ nihil aliud, quàm ultionis tempus, expectant. Ideo prudens vir plurimùm cogitabit: antequam inferendi belli manifeſtam ſententiam dicat: ne tale onus cervicibus ſuis imponat: ſub quod decidat. Nam ubi occaſio vindictæ appetit: ut quiſq; acerbiſſimè crudeliſſimeq; in autorem belli oblatrat: ita quàm maximè collaudatur. Atqui ipſe durioris ſententiæ autor neutiquam, ſi aliter acciderit, ſibi indulgeri putat. Idcirco timore percitus, vel novis rebus ſtudet: vel in malo conſilio perſeverat. *Franciſc. Patrit. lib. 9. de Repub. tit. 1. pag. 374.*

## EXEMPLVM.

Solon ſapientiſſimus quidem habitus eſt: is tamen ne liberè quidem ſententiam diceret, bellum adverſus Megarenſes pro repetenda Salamine decernendum eſſe: ſubitam inſaniam ſimulavit: deformiq; habitu, vecordium more, Athenienſes in certamen allexit. Verùm ſuccedente fortuna, cùm Salamine potiti eſſent; omnes conſilium laudaverunt. Solon autem ſimulatæ dementiæ clypeo ſe protexerat; ut, ſi, res minùs ex ſententia ſuccederet, dictorum factorumq; veniam conſequeretur. *Idem pag. 377.*

# CXCIX.

*MAgnam vim habet perſuaſio in re bellica: quæ falſa etiam magni momenti plerunq; in exercitu extitit. Franciſc. Patrit. lib. 9. de Rep. tit. 2. pag. 390.*

## EXEMPLA.

I. Nicias exercitum in Sicilia amiſit, Solis defectione perterrefactum. Non enim ſiderum natura id fieri arbitrabatur; ſed numinis ira in Athenienſes id accidere dicebat.

II. Sunt

II. Sunt qui scribant, Periclem eodem metu perculsum, exercitum suum liberasse, patefacta siderum ratione. Alij scribunt, non Solis defectu confusos Periclis milites: sed quòd fulmen decidisset in ejus castra: & idcirco eum concionem advocasse: & lapidibus in conspectu omnium collisis ignem excussisse: qua re tumultum fuisse sedatum: cùm docuisset, simili ratione nubium attritu fulmen excuti. Hoc exemplo docemur: disciplinas bonarum artium etiam in re militari plurimùm prodesse. Nam (ut Aristoteles ait) sicut acies oculorum à circumfuso aëre lumen accipit: sic animus à doctrina, & liberalium artium studio. Docti enim ab indoctis paulò minùs differunt: quàm vivi à mortuis. *Idem ibidem.*

## CC.

*BEllorum quale est principium: talis solet esse finis. Finis bellorũ plerunq; est consentaneus principio.* *Strigel. part. 2. Chron. pag. 111.*

*Bella suscepta cœca cupiditate & ira, plerunque procedunt & desinunt infeliciter: prudentiâ suscepta, tandem cum multa laude administrantur, & successus habent prosperos & eventus. Cupiditas rarò habet eventus felices: prudentia plerunq; felix est.* *Peucer. in lect. Chron. Cal. Novemb. An. 1572.*

Quotusquisq; ex nostris militibus est, qui (uti nunc bella geruntur) non in infamiam & imperialem animadversionẽ incurrerit? Siquidem pleriq; inter tot millia reperiuntur: qui absq; ullo discrimine, tam amicos quàm hostes, impunè deprædantur: qua in parte Helvetij adhuc, in retinenda disciplina militari, nostratibus militibus mercenarijs longè excellunt. Mirum itaque non est: quòd nostræ expeditiones plerunque tam infelices: è contrà illorum, apud quos adhuc viget disciplina & ordo militaris, faustæ & prosperæ sunt. *Exercitus* enim, ut Nicephorus Gregoras in hist. Roman. lib. 6. ait, *quem injuria & audacia antecedit, plerũq;*

*cladem & interitum ominatur: & priùs quàm hostes irruant, ipsi sua timiditate everteruntur, ipsiq; sibi hostes sunt: divina vindicta eum exitum decernente, quem facta illorum meruerunt. Neq; enim probabile erat, rem benè gesturos esse eos: qui lachrymas & execrationes proviatico secum abstulissent.*
*Phil. Camer. in Operis succisivis, Centur. 1 cap. 5. pag. 19.*

*Causa jubet Superos melior sperare secundos.*

## EXEMPLA.

I. Darius tertius Rex Persarũ initio expeditionis adversus Scythas susceptæ, rogatus ab Iobazo (Baza; Bascha) nobili admodum sene, ut è tribus liberis, quos Rex ipse secum duceret, unum ei in ætatis suæ ingravescentis jam solatium relinqueret, ac tanquã senectutis baculum, respondit: plus se, quàm ille rogasset, præstiturum: confestimq; occidi eos simul jussit (Das heist nicht Fürstlich gehandelt) atq; ante Patris conspectum cruentatos abijci (*Herod. lib. 4.*) Hanc immanitatem non solùm turpis fuga ex Scythia, sed etiam clades Marathonia secuta est. *Strigel. part. 2. Chr. pag. 47.*

II. Xerxes quartus Rex Persarum cùm Sardib. moveret copias: interdiu cœlo sereno Sol lucis diurnæ fons, tetris & horrendis tenebris obscuratus est: quæ subitò noctis imaginem attulerunt: & stellas cœlo hærentes (stellas fixas in firmamento) conspicuas reddiderunt. Hoc portento territus Pythius (fuit vir locupletissimus ex venis metallicis) quinq; filiorum pater, unius vacationem à Rege petijt. Rex, quem vellet eligere, permisit. Deinde quem pater elegerat, in duas partes distractum, ab utroq; viæ latere posuit: & hac victima lustravit exercitum. Habuit itaq; Xerxes, quem meritus est, exitum. Nam victus, & longè lateq; fusus, ac stratam ubiq; ruinam suam cernens, medius inter suorum cadavera incessit. *Idem part. ead. pag. 110.*

III. Bellum Peloponnesiacum inter Græcas civitates, urbem Atticam & urbem Laconicam, ita gestum est: ut tandem exitus fuerit congruens ad normam justitiæ: sicut dicit in oratione de pace noster Isocrates: Ego, inquit, qui jam sum natus annos ferè centum, fui spectator multorum bellorum in Græcia: sed *vidi omnium bellorum exitus tandem congruere cum Justitia. Etsi enim DEVS punit in bello utriusque partis peccata: & sæpe priora scelera punit, etiamsi præsens causa justa est: tamen exitus regulariter conformis est Justitiæ.* Pericles, Dux & Orator Atticus, movit hoc bellum sine necessitate, sola, vel ambitione, vel πολυπραγμοσύνη, vel injusta pertinacia. Fuit igitur *exitus consentaneus principio*: sicut nunquam est felix πολυπραγμοσύνη. Bella non tantùm debent esse justa: sed etiam necessaria. Hoc verò bel-

lum

lum nec justum fuit, neq; necessarium. Ideo catastrophe fuit tragica à parte Atheniensium. Athenæ sunt captæ à Lysandro Lacedæmonio, anno hujus belli vigesimo octavo: & triginta Tyranni sunt collocati in arce Attica, cum firmo præsidio: qui quantam exercuerint octo mensibus tyrannidem & sævitiam in cives Atticos: suo loco audietis. *Idem pag.* 186.

IIII. Athenienses erant domestico bello implicati, cui vix erant pares: & tamen Alcibiadis instinctu susceperunt bellum non necessarium extra Græciam in Sicilia: cujus fuit talis exitus, quale principium: sicut ***plerunq; Catastrophe est consentanea principio. Mali principij malus exitus***, dicũt Græci: κακῆς ἀρχῆς κακὸν τέλος: **Wie man ein ding anfengt, so gehet es auch hienauß.** Nulla erat nec necessaria nec justa causa inferendi belli Siculis: sed πολυπραγμοσύνῃ & ambitione Alcibiadis incitati Athenienses, miserunt robur suum in Siciliam: sed exiguo tempore ille magnus exercitus missus in Siciliam, deletus est: ut vix nuncij cladis acceptæ domum rediret. Alcibiades fugit ad Lacedæmonios: reliqui Duces interfecti sunt post cladem acceptam: vel, ut alij scribunt, sibi ipsis manus attulerunt, fracti desperatione propter rem malè gestam. Hoc robore militari amisso, postea facilè fuerunt superiores Lacedæmonij, Corinthij, Thebani, & reliqui socij hostes Athenienses. Cogitate quid nunc fiat. Relinquo omnia in cogitatione prudentium. *Idem pag.* 217.

V. Hoc modo bellum incepit & gessit Antonius & Augustus.

VI. Item Cyrus junior & frater Artaxerxes. *De quibus vide infrà.*

# CCI.

*SVspiciones & astutiæ, ac virulentæ interpretationes, sæpè sunt causa magnorum bellorum. Philip. lib. 2. Chron. pag. 71.*

*Parva dissensio initiò, crescit tempore: cùm accedunt odia: & partes factionibus armantur.*

*Discordiæ ex rebus leviſsimis sæpe nascuntur: quæ veluti scintillæ flammas excitant: ac postremò bellorum civilium incendia maxima totam civitatem pervadunt. Iohan. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 1. pag. 612.*

Vt maximæ tempestates, quę calamitatem agris inferũt ab exhalationib. ac vaporib. leviſsimis excitantur: ita quoq;

*bella*

*bella civilia, quæ civitatibus exitium afferunt, sæpe ex rebus minimis exoriuntur. Idem lib. eod. cap. 7. p. 738.*

*Seditionis initia sunt periculosissima: quæ, nisi extinguantur, ad alias ejusdem Reipublicæ urbes, atque etiam sæpe ad vicinas emanat. Danæus in Aphorism. polit. pag. 17. 18.*

*In Republica à parvis initis ortæ dissensiones, cùm invaluerunt, nullis remediis sanari possunt. Strigel. part. 2. Chron. pag. 407.*

Pindarus: *Parva scintilla sæpe magnam silvam comburit.*

Salomon Proverb. 17: Litis initium perinde est, ac si alveum ruperit aqua: quæ postea nulla vi cohiberi potest. Observate hoc dictũ: quod est longè venustius, quàm Pindaricũ.

*Parva metu primo mox sese attollit in auras,*
*Ingrediturq́, solo, & caput inter nubila condit,*

inquit Homerus de lite in 9 Iliad. Vitare initia dissensionum est longè optimum. *Strig. part. 2. Chron. pag. 268.*

## EXEMPLA.

I. Belli Peloponnesiaci inter Græcas civitates, quod duravit annis viginti octo, hæc fuit occasio. Erat commune fœdus Græcorum: ne qui alijs bella inferrent: sed ut controversiæ communi judicio dirimerentur. Sed inciderunt inter Megarenses & Athenienses de Luco incenso contentiones: propter quem Attica civitas edictum proposuit in Megarenses: ut à portu Attico abstinerent, ne liceret eis ingredi in terram Atticam: id est, prohibuit eis commercia & omnes contractus, omnes negociationes, quas antea exercuerant in ditione Athenienſium. Est autem profectò grave: vicinos arceri à contractibus vicinorum. De hac injuria cùm Megarenses apud Lacedæmonios questi essent: petunt Lacedæmonij, ut edictum illud tollatur. Pericles fatetur, causam ipsam non magni momenti esse: sed exemplum non tolerandum esse: postea Lacedæmonios majora imperaturos esse: si nũc in re parva cederent. Hac exaggeratione rem deducit ad bellum. Placuit enim Pericli rigor pro constantia, ut multis hominibus. Multi enim homines putant, rigorem esse constantiam: cùm verissimè dictum sit à Terentio: Summum jus, sæpè summa injuria est. Aliud est constantia, id est, perseverantia in justitia & veritate: & aliud est rigor, pertinacia cæca sine mente. Es heist nicht alles constantia & veritas, weñ einer einen seltzamen Kopff hat.

Ita

Ita ab exigua causa bellum diuturnum & exitiale toti Græciæ ortum est. *Philippus ut suprà: & Strigel. part. 2. Chron. pag.* 187.

II. Turcæ in Bosenam, levi & ridicula occasione, ab Hernoja quodam Spalethij duce, circa Concilij Constantiensis tempora, attracti fuerunt. Nam in aula Sigismundi Hernoja ille, vultu moribusq; taurinis, ludibrij causa aliquando per mugitum salutatus erat à Paulo Chupore, provinciæ illius præsule. Id cùm in regia, ut fit, statim sparsum, risibus & jocis materiam in omnibus conviviis & ipsa Sigismundi Regis mensa præbuisset: Hernoja contumeliæ impatiens, cùm Regem ipsum unà ridere & delectari ipsius ignominia intelligeret: vindictæ cupiditate ardens, à Sigismundo ad Mahometem I. deficit; à quo acceptis equitum & peditum Turcicorum copiis, trajecto Savo, cædib. & incendiis in Vngaria grassatur: & proceres, quib. Reipubl. cura, Rege in Concilio absente, commissa erat, ac in his Paulum Chupori, cum exercitu sibi occurrentes, profligat: multos cædit: quosdam vivos in potestatem redigit. In his Paulum Chuporium bovino tergo insuit: ac misero insultans, jubet, ut, qui sub humana specie, bovina quondam voce utebatur, bovinam quoq; nunc cum voce formam induat. His dictis eum in profluentem Savum demergit. Hic primus Turcarum in Bosenam aditus fuit; de quo verè exclamare possis; Eheu quàm levibus pereunt ingentia causis. Nam ea occasione Mahometes primùm in Bosena superiore præfectũ Isaacum constituit: quem ubi auspiciis Sigismundi Nicolaus Macedo interfecit: Rex Stephanus, Lazari Rasciani gener, Bosnam usq; ad Mahometi II. tempora tenuit; à quo blandè evocatus, & dolosè circumventus, & tandem pelle detracta necatus, vitam & regnum amisit. Sic Bosena quoque universa in Turcarum potestatem venit. *Chythræus lib. 1. Chron. Saxoniæ, pag* 33.

III. Florentiæ bellorum inter optimates initia ceperunt ab eo; qui ex Bondelmontorum gente nobilissima novas nuptias sibi quæsierat, divortio facto cum priore sponsa. Hinc nobilium familiarum inter ipsas odia, dissidia, cædes: quæ civitatis statum funditus everterunt.

IIII. Eadem ex causa grave bellum Ardeates inter se exciterunt; quòd mater filiam nobili, tutores autem plebeio collocare vellent: sed cùm nobilitas à plebeijs fusa ac fugata esset; Romanos accivit; plebs Ardeatum ad Volscorum opes aspexit. *Livius lib.* 4.

V. Nec aliam ob causam Delphorum civitas ab optimatibus ad plebem conversa est. *Pausan. lib.* 4.

VI. Status item Milesiorum ab Aristocratia in popularem abiit: dum certaretur nobiles inter ac plebeios; utri duarum pupillarum tutelã consequerentur. *Aristotel. lib. 5. Polit.*

VII. Item Hestiæensibus statum mutandi occasionem dedit lis inter privatos suscepta de petitione hæreditatis.

VIII. Bellum autem Sacrum, quod Phocensium Reipublicæ non conversionem attulit, sed interitum, dicitur originem habuisse ab unius virginis collocandæ controversia.

IX. Quin etiam Aetoli & Arcades mutuis bellis seipsos diutissimè attriverunt, ob unius apri caput.

X. Vt Carthaginenses & Byzancij propter levissimum myoparonem.

XI. Picti verò & Scoti crudelissima bella diutissimè inter se gesserunt: quæ nul-

lis fœderibus placari potuerunt: tametsi pacem annos fere sexcentos antea coluissent. Bellorum causa fuêre canes erepti.

XII. Rursus Helvetij bellum gravissimum susceperunt adversus Carolum Burgundionum Ducem: quod non aliter, quàm ipsius Ducis occasu finem accepit: cùm Helvetiis currus pellium ablatus esset. *Ioh. Bodinus lib 4. de Repub. cap. 1. pag. 613.*

XIII. Argumento sit illud: quòd Iustiniano Imperatore non modò cives singuli, sed etiam universi, ac oppida ipsa factionibus divisa fuêre: ut quem quisq; colorem adamaverat: pro eo quasi pro aris & focis propugnandum putaret: idq; potissimùm ludis Circensibus. Hinc æmulationes, odia, contentiones, primò quidem verborum: pòst etiam verberum. Ac tandem eò delapsa res est: ut cùm magistratus urbis Constantinopoleos aliquot seditionis autores duci juberent: adversa factio lictoribus & magistratibus vi depulsis supplicio addictos eripuerit: ac cæteros carceribus effractis liberaverit. Nec tamen plebs conquievit: sed eodem furore Sophiæ templũ maximum incendit: & ut impunitatem, quam positis armis sperare non poterat, adipiscerentur; Hypatium factionis ducem, trepidante & in latebris abdito Iustiniano, Imperatorem creavit (*ut referunt Procop. lib. 1. de bello Persico, & Zonaras in Iustiniano*) eoque amentiæ processit: ut triginta circiter hominum millia uno die caderent. Ac nisi dux ipse partium, idemq; novus Imperator, cæsus esset: plebs Iustinianum Imperio spoliàrat: qui tamen ex ejusmodi factionibus oblectationem initiò ceperat.

XIIII. Ita quoq; Syracusis cùm duo corrivales de amasio inter se certarent: cæteris initiò risum ciebant: qui tamen cives universos armaverunt; ac tantis odiis & animis pugnatum est: ut ferocissimis quibusq; cæsis, plebs armata, pulsis optimatibus, imperium arripuerit. *Idem lib. eod. cap. 7. pag. 738.*

# CCII.

*EX paucorum certamine interdum magni motus, magnæ dissipationes, & bella civilia oriuntur.*
*Philip. in Postilla Domin. 22. post Trinitat. pag. 231. b.*

*Illud constat, ex paucorum erroribus pervenire ingentia mala ad totas gentes & urbes.*
*Idem in Cordiali Abrahami Bucholceri pag. 100. b.*

## EXEMPLA.

I. Ex Pompeij & Cæsaris æmulatione exarsit bellum civile. *Phil. ut suprà.*

II. Persicum bellum ex Mæandri Samij cum Athenienſibus dissidio, ortum duxisse perhibent.

III. Peloponnesium propter Megarensium tabellam.

IIII. Sa-

IIII. Sacrum quod vocabatur, ab exactione judiciorum Amphictyonum.

V. Cheronense, Athenienſibus cum Philippo contendentibus, neq; cedere volentibus. *Aelian. lib.* 12.

VI. Exæmulationibus fratrum Pontificum in populo Dei nati ſunt maximi motus & bella civilia: item attracti peregrini Reges. Vt Iaſon & Onias certarunt de Pontificatu, & attraxerunt Antiochum Epiphanem, qui magnam vaſtitatem in Iudæa effecit, quæ vix pacata eſt per Aſmonæos, ejectis exercitibus Syriacis. Ante hos Ieſus & Iohannes fratres dimicarunt de Pontificatu, & attractus eſt Bugoſus Satrapa Perſicus, qui ulturus cædem Iohannis à fratre Ieſu in templo interempti, magnam crudelitatem in Iudæa exercuit. Tunc etiam Ochus multas familias Iudæorum in Hircaniam abduxit. Poſtremis temporibus fratres Hircanus & Ariſtobulus, filij Alexandri Iannei, excitatis bellis civilibus dimicarunt de Pontificatu & regno. Ab his attracti ſunt in Iudæam Pompeius & Romani.

VII. Initium tragœdiæ ruſticanæ hoc fuit. Abbas cœnobij cujusdam non procul ab Vlma, habuit ſub ſe ſervos, quales ſunt in VVeſtphalia. Cùm autem eſſet mortuus quidam auriga in pago: accepit Abbas non tantùm equum, qui ipſi jure debebatur, verùm etiam abſtulit contra ipſorum jura vinum, quod ruſticus emerat de ſuo peculio. Hæredes ruſtici de illa injuſtitia Abbatis apud plurimos conqueruntur: unde ingens multitudo, miſeratione ergà hæredes indignè ſpoliatos commota, paulatim concurrit, moveriq; tumultum, in quo monaſterium evertit. Poſtea veluti contagione quadam indies ad malum latiùs ſerpebat: ex quo tandem orta eſt ſeditio illa ruſticana, in qua ultra triginta millia ruſticorum occubuerunt. *Philippus in Locis Manl. pag.* 280.

# CCIII.

*SÆpe unicum mordax verbum, & inconſideratè effuſum, cauſam præbuit mutationibus regnorum & Rerumpublicarum.*

**Wan findet in den Hiſtorien / das offte durch ein einiges vnbeſonnen Schmachwort die aller gröſten Königreiche vnd Regiment gar ſehr ſind zerrüttet vñ geſchwächt worden.**

*Matheſius in Syrac. cap. 28. pag. 21. b.*

## EXEMPLA.

I. Der Oberſt Kriegß Fürſt oder Land Compter des Heraclij heiſſet die Saracener / da er jhnen ſolte Geld oder Beſoldung geben / kunde.

Durch diß einige vnbesonnen Wort werden sie bewegt / das sie vom Römischen Reich abfallen / vnnd richten das grewliche Türckenthumb an. Denn zuvor waren die Saracener des Römischen Reichs Soldaten.

II. Item der Marggräfische Oberste sagte zum Türckischen Kol-Hasen: Meinst du / das wir vns für einem schwartzen Hasen fürchten: Wolan / sagt er / so wil ich ein Roter Fuchß werden / Vnd zündete dem Fürsten viel Dörffer an / thate grewlichen Schaden / welcher sich um die Hundert Tausendt Gülden werth erstreckete. *Idem ibidem.*

# CCIIII.

*CONjuratis initiò quidem animus inest: sed vires teneræ adhuc, donec coaluerint: ideo ab initio tolli facilè possunt:* ut docetur Apologo cucurbitæ & pinus. Sata enim olim fertur cucurbita juxta arborem pinum: quæ ramis magnis & patulis jam constabat. Cucurbita verò cùm multis pluviis atque cœli temperamento creviſſet: lascivire cepit, & ramos latiùs porrigere: jamq; serpebat in pinum: ramosq; ejus involvebat, ampliora folia, candētes flores, prægrandia poma & virescentia ostentans: tantoque fastu intumuit: ut pinum ausa sit aggredi: Vides, inquit, ut te supero: & jam jam ad cacumen consurgo. Sed pinus, quæ senili prudentia & robore pollebat, nihil morata insolentiam, respōdit tantùm: Ego hic multas hyemes, æstus, variasq; calamitates pervici: & adhuc integra persisto: tu verò ad primos rigores minus audaciæ habebis: cùm & folia concident: & viror omnis aberit. *Sicq; contingit, plures esse ambitiosos cucurbitas: qui regna & Respublicas annosas aggredi conantur. Sed tamen habent plus animi, quàm roboris: ideo brevi decidunt & arescunt: si factiosis resistatur.* Sed cunctandum non est, & extinguenda, ut apparet, scintilla: neq; manifestanda priùs volun-

tas

tas ulsciscendi: quàm ultrò fiat: ne præveniatur. Nam ubi se detectos vel suspectos intellexerint conjurati: celeriùs conantur perficere, quæ ceperant meditari: cùm quia eadem ambitione impelluntur vehementiùs: tum etiam quòd de periculo capitis sibi metuentes, ut desperatæ vitæ homines, majora audere coguntur. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 22. de Rep. cap. 10. pag. 1408.*

## EXEMPLA.

I. Quemadmodum Macrinus, qui in mortem conjuraverat Antonini Imperatoris, ut Imperio potiretur, detectus à Materniano, necem ejus per Martialem accelleravit.

II. Armenus Imperator jusserat comprehendi Michaëlem Balbum, Comitem Excubiorum, ob conjurationem. Noctu autem carcerem ingressus, cùm eum somno ferè oppressum invenisset: iram agitatione manus declaravit: quam Papia, carceris præfectus metuens, cum Michaële denuò conspiravit: & ipsa natalis CHRISTI nocte Imperatorem trucidavit. Sic nocuit distulisse vindictam: & eam etiam signo futuram declarasse.

III. Sapientius factum Agesilai: qui cùm adversus Rempublicam Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset: leges Lycurgi continuò abrogavit: quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant: comprehensis autem & interfectis sontibus, easdem è vestigio restituit: & providit utrumque simul: ne salutaris animadversio injusta esset: vel jure impediretur: atq; ut semper esse possent: aliquando non fuerunt. *Idem ibidem.*

# CCV.

*BElla sunt pœnæ utriusq; partis: ideo variæ sunt bellorum vices, nunc his nunc illis vincentibus: tandem verò gravioribus pœnis opprimuntur ij: qui injusta bella moverunt.*

*Plerunq; Deus scelera utriusq; partis variis bellorum vicibus punit. Philip. lib. 3. Chron. pag. 227.*

*Bellorum variæ vices sunt: quia punit Deus scelera in utraq; parte. Tandem verò gravioribus & ultimis pœnis opprimuntur ij: qui injusta bella moverunt, seu odio, seu cupiditate majoris potentiæ.* *Philip. lib. 2. Chron. pag. 76. Strig. 2. Sam. 2.*

*Plerunq; Deus in bellis scelera partis utriusq; variantis sese fortunæ contrariorum eventuum vicibus ulciscitur ac punit.*

*Omnium bellorum exitus congruunt ad normam Iustitiæ.* *Strigel. 2. Samuel. 2. & 2. Paralip. 6.*

*Exitus belli est consentaneus Iustitiæ.* *Idem 2. Paralip. 13.*

*Quanquam bellis horribilibus utrinq; scelera hominum puniuntur: tamen Deus victorias plerunq; illis tribuit: qui justæ defensionis causa repellunt vim injustè illatam*, juxta Regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Et Livius de exitu secundi belli Punici inquit: Exitus velut æquus judex, unde jus stabat, ei victoriam dedit. Et Scipio apud eundem lib. 10. Decad. tertiæ ad Annibalem inquit: Neq; patres nostri priores de Sicilia, neq; nos de Hispania fecimus bellum. Et tunc Mamertinorum sociorum periculum, & nunc Sagunti excidium nobis pia ac justa inducrunt arma: vos lacessisse, & tu ipse fateris, & Dij testes sunt: qui & illius belli exitum secundum jus fasque dederunt: & hujus dant & dabunt. *Philip lib. 2. Chron. pag. 120. Et Strigel. 2. Paralip. 6.*

*Plerunq; bellorũ exitus sunt secundum Iustitiã:*

*etiamsi*

*etiãsi multæ magnæ calamitates interveniunt utrinque: quia bella sunt pœnæ, quibus Deus punit peccata.* *Philip. in Cordiali Abrah. Bucholc. pag. 121.*

*Omnium bellorum fuerunt tales exitus: ut deleti penè & eversi sint ad extremum bellorum autores:* juxta illud: Væ qui spolias: quia spoliaberis. *Peucerus in lect. Chron. die 18. Julij, Anno 1573.*

*Sæpe fit in bellis, quod adagio dicitur: ut victor fleat: & victus intereat: id est, ut bella sint pœnæ tam victori, quàm victo.* *Bucholc. in Chronol. pag. 271.*

Non secus Deus punit per bella, ac pater: qui castigato filio ferulam in ignem proijcit.

## EXEMPLA.

I. Initium belli Peloponnesiaci fuit ortum ab Athenienſibus: qui adjunctis Corcyræis potentiam augere conabantur: & Lacedæmonios contemnebant. Accessit & odium in Pericle adversus Megarenses. Venit igitur in tristem servitutem Attica civitas. Et ut intelligi posset, singulari exemplo superbiam punitam esse: ad cantum tibiarum muri eversi sunt, & naves crematæ. *Philip. lib. 2 Chron. pag. 76. Strig. in Chron. part. 2. pag. 186.*

II. Movit Annibal non necessarium & injustum bellum. Etsi autem utrinque clades acceptæ sunt magnæ; tamen Romani vincunt tandem.

III. Græci ad Trojanos puniendos missi, propter scelera ad Trojam gesta & ipsi puniuntur. Agamemnon ab Aegysthо, Achilles à Paride, Vlysses post longas miserias à filio occiditur. Ajax seipsum gladio suo jugulat.

IIII. Quanquam David gerit justum bellum pro regno sibi divinitus promisso: tamen viginti viros fortes amittit. Isboseth verò fretus prærogativa successionis ordinariæ, movet injustum bellum. Quare non modò trecentum & sexaginta viros in prælio amittit: sed ipse etiam à conjuratis interficitur: & caput interfecti ad Davidem affertur. *Strigel. 2. Samuel. 2.*

V. Thebanum bellum accederunt Spartani: qui ex direptione Græciæ & Asiæ devastatæ, exspoliatæ & expilatæ, comportarant in Laconicam ingentes thesaurcs: qui ingentem stragem ediderant: qui multos Græciæ cives redegerant in servitutem: ad extremum ita pugnarunt: ut istius belli exitus redundârit in ipsorum caputi ut ipsi sint cæsi, & facti præda hostibus: & ab ipsis thesauri repetiti: quos aliis per vim injustis bellis eripuerant.

VI. Soli Thebani sine causa injusto bello lacessebant Macedones. Macedones irritati istis contumeliis, tandem deleverunt, funditus exciderunt & solo æquarunt Thebanam urbem. *Peucer. in lect. Chron. d.* 18. *Iul. An.* 73.

VII. Israëlitæ bis à Benjamitis profligantur: in tertio demum conflictu ferè totam tribum Benjamitarum delent. Iudic. 20. *Strig. in Chron. part.* 1. *pag.* 405.

# CCVI.

*Bella sunt scopæ regionum & civitatum.*

Illa utilitas, quę ex militari disciplina existit, maxima debet videri: quòd nulla tam sancta civitas est: quæ hominum improborum multitudine vacare possit: qui cùm otiosè vivere nequeant: furtis, rapinis, luxu, voluptatibus, alea, stupris, vitam turpiter traducunt: ac bonorum cœtus labefactant: nec tamen legibus ullis, aut imperiis magistratuum aut pœnarum metu coerceri possunt. Leges enim Anacharsis comparare solebat cum aranearum tela subtili: quæ cùm muscas imbecilles irretire possit: ad bestiarum majorum impetus celerrimè frangatur. *Remedium igitur majus esse nullum potest: quàm ejusmodi homines, qui propter desidiam in ocio vivunt, & in sua turpi inertia voluptatibus diffluunt, è civitate ad bellum emittere: ac veluti pravis & corruptis humoribus plenum corpus vacuare.* *Ioh. Bodin. lib.* 5. *de Rep. cap.* 5. *pag.* 883.

*Bella nihil aliud sunt, quàm scopæ asperrimæ: quibus hic mundus sordido excrementorum ac purgamentorum cumulo liberatur.* *Bucholcerus in Chronolog. pag.* 271.

## EXEMPLA.

I. Atque hoc potissimùm spectabat Carolus V. Rex: is qui Sapientis nomen ac laudem adeptus est? cùm auxiliares Gallorum copias Duce Vertranio Gueselino magistro militum in Hispaniam misit.

II. Vt

II. Vt Ludovicus XI. in consimili causa Henrico Ricamundi Comiti exercitum ad recuperandum Angliæ regnum dedit: unde salus huic imperio parta: cùm scleratis omnibus redundaret: & Regibus exactis in sua regna reditus non sine Gallici nominis summa laude patuerunt. *Bodinus ut suprà.*

III. Ferdinandus Hispaniæ & Arragoniæ Rex sæpenumero expeditiones aliquas, non alia de causa, parandas esse ajebat: quàm ut furibus, sicariis, ganeonibus, & perditis hominibus, juventus Hispana expurgaretur: quæ malorum consortio inutilis & vitiosa paulatim reddebatur.

IIII. Hoc consilio jam olim, in Athenienſium Republica, Periclem, clarissimũ Imperatorem, usum esse, ex historiis novimus; qui singulis annis classem adornare solitus erat: ut ignava, turbulenta, & seditiosa plebe, civitatem suam levaret: ac velut sentinam improborum exhauriret ex navi Reipublicæ. *Philip. Camerar. Centur. 2. Operar. succisiv. cap. 22. pag. 128. 129.*

# CCVII.

*BElla non necessaria, odio, vel ambitione, vel fiducia propriarum virium, vel aliis de causis non necessariis suscepta, rarò sunt felicia.*

*Infelicia sunt non necessaria bella, superbia, & fiducia potentiæ mota.* *In Chron. Phil. lib. 5. pag. 676.*

*Bella non necessaria, nec justa, honesta, sine causis gravibus mota & suscepta, quibus non quæritur conservatio ac defensio religionis, legum, judiciorum, disciplinæ, sed injusta oppressio aliorum, ac amplificatio potentiæ privatæ: bella universaliter suscepta ambitione stolida, & injusta cupiditate, desinunt in talem exitum: ut relinquant post se* ἀκρασίαν, *majorem perturbationem, quàm fuit antè.* *Peucer. in lect. Chron. die 12. Sept. An. 1573.*

*Etiam atque etiam cavendum est Christianis Principibus: ne præcipiti aliquo affectu abrepti, aut etiam inconsulto terras suas defendendi studio decepti, bella non necessaria moveant. Solet enim ferè infelix & tristis horum exitus esse, sicut exempla innumera docent.* Rodolph. Gualther. in Comment. in Lucam Homilia 31. pag. 83. b.

*Infelices sunt conatus eorum: qui res non necessarias movent.* Strigel. 2. Reg. 14.

*Injusta bella tristes exitus habent.* Danæus in Aphorism. polit. pag. 182.

*Bella non necessaria, & injusta, infelices successus, & tragicos exitus habent.* Idem pag. 187.

Pindarus: ἔα πόλεμον, ἔα μάχλω, χωρὶς Θεοῦ: *Omitte pugnam, omitte bellum sine DEO.*

Qui amat periculum, peribit in eo.
Deposuit potentes de sede.
Dissipa gentes, quæ bella volunt.

## *Quotuplicia sunt Bella?*

Bella sunt duplicia: alia necessaria, alia non necessaria.

*Necessaria sunt*, quæ propter unam ex his tribus causis suscipiuntur & geruntur. Vel propter defensionem contra manifestam violentiam & injuriam. Vel ut recuperentur amissa & adempta nobis ab hostibus. Vel propter legitimam pœnam, ut turbatores societatis humanæ ad supplicia pertrahantur.

*Non necessaria* sunt, quæ ob nullam causam ex istis

tribus

tribus geruntur: sed vel odio, vel ambitione, vel æmulatione, vel fiducia propriarum virium suscepta sunt: vel etiam augendæ potentiæ causa inchoata. Et hæc sunt infelicia.

## Causæ justæ Bellorum.

Inter belli causas prima censeri debet Religio: quando hanc exteri, quibus nullum in nos jus est, violenter corrumpere, & totum populum ad fidei veræ abnegationem, atque ad illicitos cultus cogere conantur. Si enim Deus in lege jubet urbem, quæ nostræ ditionis est, excindere, si Deos alienos colat, & in impietate contumaciter perseveret: multò justius & magis necessarium fuerit, ijs resistere, qui nobis Deos alienos & nefarias superstitiones obtrudere volunt, & salutiferam verbi divini doctrinam humanarum traditionum toxico inficere. Qui illud licere negant: ij neq; gloriam Dei diligunt: neq; propriæ salutis studio tenentur: imò naturæ legem ignorant, quæ nos omnia nostra Deo debere docet: & per quam olim Athenienses illuminati, cives suos juramento publico obstringebāt, ut pro Dijs suis & sacris & soli & cum alijs pugnarent.

Deinde belli causa justa & necessaria est: quando exteri nullis injurijs provocati alienos fines invadunt, prædantur, rapiunt, ferro & igne omnia miscere volunt, neq; ullas pacis conditiones recipiunt. Si enim hîc cesset magistratus: populi sui ignavus, aut etiam perfidus desertor dici meretur. Et qui tunc legitimo magistratui militant: ij & patriæ, quod debent, officium præstant: & Principibus suis verè fideles sunt.

Præterea non rarò fit, ut ex pacto ijs opem ferre oporteat: qui aut nobis confœderati, aut in præsidijs dispositi, de summa rerum periclitantur. Tales enim sine scelere deseri non possunt: & inexcusabilis est eorum Principum ignavia: qui eos ab hostibus opprimi patiuntur: qui in ejusmodi ne-

ceſſitate communis patriæ ſalutem ſui capitis periculo defendere ſatagunt.

Sunt & aliæ cauſæ bellorum, quæ pro loci & temporis ratione ſe offerunt: ſed hæ præcipuæ ſunt: ad quas aliæ omnes poſſunt referri: in quibus conſiderandis magna circumſpectione opus eſt: ne nobis cœcus aliquis affectus imponat in re, quæ cum publicæ ſalutis periculo conjuncta eſt. Sed facilè error omnis cavebitur: ſi ſola neceſſitas & publica ſalus ſpectetur: finis verò conſiliorum ſit pax & innocentiæ defenſio. *Rodolphus Gualtherus ut ſuprà.*

Auguſtus Cæſar nulli genti ſine juſtis & neceſſarijs cauſis bellum intulit: jactantis ingenij eſſe affirmans, ob triumphalis pompæ ſuperbiam & lauream corollam civium vitas ac ſecuritatem periclitari. *Cuſpinianus in vita Auguſti, p. 8.*

# EXEMPLA

## *Bellorum non neceſſariorum.*

I. Semiramis regina Babylonica bellum intulit Indorum Regi Staurobati, nulla alia de cauſa; quàm ut regnum amplificaret, & nomen immortale ſibi pareret, de devictis Indorum populis, qui habebantur ea ætate pro bellicoſiſſimis. Sed regina ipſa in prælio vulneratur: totusque ipſius exercitus in fœdam fugam vertitur. *Vide Diodorum Siculum lib. 2. rerum antiquarum, cap. 5. pag 52. & 53.*

II. Sennacherib Rex Aſſyrius movit infelix bellum contra Ezechiam Regem Iudæ, καθοζηλίᾳ patris Salmanaſſar; quem viderat ingenti cum ſucceſſu deleviſſe regnum Iſraël in Samaria.

III. Bellum Parthicum movit Craſſus ſine conſenſu Senatus, tantùm impulſus cupiditate gloriæ, avaritia, & fiducia propriarum virium. Regem enim Parthicum contemnebat, tanquam imbellem & infirmum. Exitus hujus belli fuit infelix, cæſis exercitibus Romanis à Parthis.

IIII. Cyrus Maſſagetis bellum quadam πολυπραγμοσύνῃ inferens, ingenti prælio victus, & in acie interfectus eſt; ac poſtea cadaveri, ut Herodotus ſcribit, caput præciſum eſt, & in utrem plenum ſanguine conjectum.

V. Ita & Crœſus. *Herodot. lib. 1. pag. 18.*

VI. Xerxes cupidus gloriæ & inſtructus exercitu, cùm haberet incitatorē Mardonium, bellum Græcis intulit. Sed belli non neceſſarij hic fuit exitus: ut Xerxes poſt pugnam Salaminiam parvo navigio fugiens redierit in Aſiam: ubi propter inceſtas libidines & crudelitatem ab Artabano patruo interfectus eſt.

VII. Sic

VII. Sic Strabo *lib* 7. scribit, Lysimachum, bellum non necessarium gerentem cum vicinis Getis, in acie captum esse, & ductum in Geticam: ubi Rex Geticus cùm ostenderet quotidianâ vitæ & gentis consuetudinem, quæ durissimè victitans, & robore præstans, facilè cæteris nationibus in re militari antecellebat; adhortatus est Lysimachum: ut tales vicinos mallet amicos, quàm hostes habere: & habiturum amicos, si ipsis arma non inferret. Deinde honorificè donatum dimisit, nihil pactus nisi pacem.

VIII. Iosias (2. *Paralip.* 35.) bello non necessario adversus Regem Aegyptium, qui pacem offerebat, moro, cùm in campo Mageddo vulnus accepisset, aliquantò pòst mortuus est. *Strigel.* 2. *Reg.* 14.

IX. De expeditione filiorum Ephraim extat in 1. *Paralip.* 8. ubi narratur, filios Ephraim duxisse exercitum ad occupandam Palæstinam, vivente patre Ephraim, sed interfectos esse. Cõsentaneum autem est, eos, cùm initia Tyrannidis Aegyptiæ viderent, & scirent promissiones divinas Patribus de occupanda & tenenda Palæstina traditas esse, humanis consilijs voluisse excutere servitutem: & confisos esse singulari generis præstantia: quòd essent orti à Ioseph: & amplissima promissione ornatus esset pater Ephraim. Hac fiducia humana, cùm sine vocatione divina bellum movissent, repulsi & interfecti sunt. *Philip. lib.* 2. *Chronic. pag.* 32.

X. Amazias Rex Hierosolymæ, postquam tentâsset fortunam adversus Idumæos, bellum indicit Regi Israëlis: sed exercitus ejus fugatur: Hierosolyma expugnatur: ipse capitur. 2. *Reg.* 14.

XI. Movit Annibal non necessariũm & injustum bellum. Etsi autem utrinq; magnæ clades acceptæ sunt (nam *Bella communes pœnæ sunt utriusq; partis*) tamen Romani vincunt tandem.

XII. Antiochus Magnus, cùm & magnam Græciæ partem sibi adjunxisset, ingens bellum adversus Romanos movit: propter quod & Annibal ad eum profectus est. Sed tandem Romani, cùm vicissent eum multis magnis prælijs, coëgerunt eum pacem petere: & ademerunt ei florentissimam regni partem, ab Ionia usq; ad Taurum montem. Postea hic Antiochus, cùm in Syria spoliaret templum Beli, interfectus est à multitudine: quæ casu ad defensionem templi concurrerat. Hic fuit exitus tanti Regis: qui rursus cum Asia Græciam conjunxisse videbatur: & sperabat, se Romanam potentiam eversurum esse. Sed initia belli fuerunt injusta. Talis igitur fuit exitus, juxta versum: κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν. *Philippus lib.* 2. *Chronic. pag.* 104.

XIII. Tenebat Imperij Romani partem Antonius florentissimam: latè dominabatur: habebat opes majores: quàm quisquam Regum totõ orbe terrarum nunc habet: his frui poterat securus, non impediente Octavio. Sed dum extra metas sui muneris provehitur: ac solus universum Imperium concupiscit: bellum non necessarium Octavio infert: in quo victus, cùm supplex ab irato victore vitam impetrare non posset: ipse sibi mortem conscivit. Hic fuit exitus belli non necessaria causa moti. *Idem Tom.* 1. *Epist. per Peuc. edit. pag.* 248.

XIIII. Albertus Austriacus Imperator in Thuringia amisit exercitus cæsos ad Lucam oppidum prope Pegas, vincente justa causa Marchionum Missniæ: quibus Albertus factus ex amico ac defensore hostis, contra jus & fidem datam bellum fecerat, victus cupiditate opulentæ ac cultæ regionis Mysorum, & ad Boëmiæ regnum cùm acqui-

rendum,tum retinendum oportunæ. Ad hanc cladem vindicandam,& repetendam à Carinthio Bohemiam,dum bellum utroq; in loco reparat: interficitur non procul à Rheno,inter Risum Arulamq; amnes,consilio & opera Baronum quorundam, à fratris filio Iohanne:cui tanquam prodigo administrationem Sueviæ ademerat.Initium cædis fecit Iohannes Dux, sica in jugulum Imperatoris adacta: secuti cæteri caput dissecuerunt medium,& confoderunt pectus. Hunc exitum habuit Albertus Calendis Maij, Anno Christi 1308: Anno Mundi 5270: Imperij 10. Referatur exemplum ad Regulã Iustitiæ divinæ de pœna talionis: εἴγε πάθοι ἃ ἔρεξε δίκη ἰθεῖα γένοιτο. Qui gladium acceperit,gladio peribit. Item,non esse movenda civilia bella rapiendæ dominationis causa,sine ordine legum: & DEVM velle,ut legitimos Magistratus veneremur: simus custodes pacis: non inflati appetamus gradus sublimiores sine vocatione: sed amemus humilia. Nec impellamur ad injustos conatus cupiditate dominationis, aut rei alienæ: μέγα χρῆμα εἰς πολιτείαν ἡ εὐταξία. *In Chronico Philippi lib. 5. pag. 563.*

XV. Lacedæmonij Athenienſib. superatis, dirutis muris Vrbis, & mutato Democratico statu in urbibus Græcis in statum Olygarchicum,translato summo imperio in paucos,& qui dem Tyrannos, existimabant, sepulchrè consuluisse rebus suis: sed erat sibi ipsis exitiosum.

XVI. Idem Thebanis evenit. **So gehetes** universaliter zu. Et benè memento hoc ipsum: ***bella non necessaria, susceptа non iustis de causis, sed stolida ambitione, ac iniusta cupiditate, sequitur talis exitus.*** Omnia fiunt deteriora: etiamsi bella componantur multo sanguine,defatigatis utrisq;. *Peucer. in lect. Chron. die 12. Septemb. Anno 1573.*

XVII. Carolus Burgundus, ambitiosus,fervidus ac præceps, & immodica bellorum, proferendiq; imperij cupiditate nimiùm deflagrans, cujus immensum animum angustia ejus regionis, quam tamen possidebat amplissimam, minimè capiebat, tandem ad Nanseum,in ipsa obsidione, pridie Epiphanias Domini ab Helvetijs circumventus ac trucidatus interijt,cùm vixisset annos 43. mensem 1. dies 25. Anno Christi 1477. Hunc habuit exitum nimis ferox & effrenis inexpletæ superbiæ impetus in Carolo: qui hoc suo casu confirmat præsentem hanc Regulam. *In Chronico Philippi lib. 5. pag. 674. & 676. Vide Annales Curæ pag. 196. 197. ubi narratio extat de hoc bello non necessario ejusq; pœna,lectione non indigna.*

# CCVIII.

*BElla cum desperatis, & redactis ad extremas angustias, plerunq; sunt infelicia.*

*Hostes audaciores facit victoriæ desperatio.*

*Iosephus lib. 1. de bello Iud. cap. 14.*

Contra

*Contra desperatum hostem, & tamen obstinatum, pugna solet esse difficilima ac periculosissima.* *L. Danæus in Aphorisſ. Polit. pag. 226.*

*Constat nullos desperatis civibus in Principem ferociores hostes reperiri: nec ullum bellum justius videri: quàm quòd necessarium sit.* *Ioh. Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 7. pag. 540.*

*Infeliciter cũ bellicosissimis ac desperatis hominibus bellum geritur: qui cùm nullam, si vincantur, salutis aut præsidij ſpem habent: desperatione victoriam sæpissime adipiscuntur.* *Idem lib. 5. cap. 5. pag. 895.*

Non defuêre, qui existimarent, *desperationem aliquando ex timidis fortes viros reddere*: quod & Virgilius sentire videtur, cùm ait: *Vna salus victis nullam sperare salutem.* Nota est etiam sententia illa, qua dicitur: *Necessitas efficacior est omni arte: quæ non modò usitata præsidia, sed etiam nova & inaudita adhibet.* Et Diodorus Siculus inquit: Necessitas naturam instituit: quæ temporibus parens, se ad id, quod usui esse videtur, accommodat *Franciſc. Patrit. lib. 7. de regno, pag. 442.*

Hosti abire volenti iter minimè intercludendum: sed potiùs, ut est in communi proverbio, argenteum ei pontem faciendum esse existimant: alioqui verendum esse: ne in desperationem conversa necessitas, viam sibi cum multo sanguine eorum, qui se parùm prudenter opponerent, aperiret. *In Hypomneſ. Guicciard. part. 2. pag. 25.*

Desperatis, & jam extrema quæq; optantibus & sperantibus, nequaquam certamen aut prælium est offerendum:

sed mora tantùm & impedimenta objicienda: ne amissa recipere, vel denuò sese erigere possint: statim enim diffluent & dilabentur. Artemisiæ consilium dissuadentis Mardonio pugnam Salaminiam, *apud Herodot. lib. 8. pag. 229.*

*Ultima necessitas in rabiem vertit: atq; eos plerunq;, qui penitus de vita desperant, ex timidis longè fortissimos facit. Iovius lib. 2. Histor.*

Desperatio magnum ad honestè moriendum incitamentum est.

## EXEMPLA.

I. Post Leuctricam victoriam, qua devicerant Spartanos Thebani, miserunt ad Iasonem Pheræum: & hortati sunt eum ad societatem belli. Sed ipse dehortatur eos à bello, & respondet: *non esse amicandum cum desperatis & redactis ad extremas angustias: quia DEVS sæpè imbecilliores extollat, & præsentiores deijciat.* Thebani ei obtemperarunt, & fecerunt cum Spartanis pacem.

II. Ad Vincentiam ita erat conclusus exercitus Maximiliani Imperatoris à Venetis: ut aut fame pereundum ei esset, aut armis Venetorum. Pauci erant Hispani; præcipua pars erant Germani. Ibi Fronspergius dixit; nullum aliud consilium superesse: nisi ut arctè claudantur manus, & oculi aperiantur. Vicit tunc cum parvis copijs Maximilianus longè majorem exercitum Venetorum; & desiderata sunt in exercitu Veneto ad novem millia. Factùm est Nonis Octobris, Anno 1513.

III. Regulus ingenti successu expugnat aliquot urbes Carthaginensium, Tunetanam urbem & alias. In isto rerum discrimine Pœni petunt auxilia à Lacedæmonijs: qui miserunt Ducem Xantippum cum instructa classe. Hujus consilio victus est Regulus & captus.

IIII. Artabazus & Megabyzus Duces Artaxerxis, qui missi erant contra Aegyptios, qui defecerant ab Artaxerxe, noluerunt pugnare cum Athenienſibus, quorum classem inutilem reddiderant: cùm vidissent eos desertos esse ab Aegyptijs, & in summo rerum discrimine versari. Addit ibi Diodorus Siculus: Imperatores Persarum Artabazus & Megabyzus, conspecta omnium incredibili audacia, veriti ne cum obstinatis jam salute abjecta ad mortem pugnando viris multa nequicquã suorum millia amitterent, fœdus cum Athenienſibus certa conditione ineunt: permissumq;, uti absq; periculo incolumes Aegypto excedant. *Vide Diodorum lib. XI. Bibliotheca, pag. 264.*

V. Agesilaus in Messaniam exercitum ducens, misit exploratorem. Quo nunciante, non solùm ipsos Messanios ex urbe prodire: sed etiam uxores ipsorum & liberos, atq; servos in libertatem vocatos: discessit, quòd eos de vita desperasse videret, atq; idcirco fortiùs pugnaturos. *Polyan. lib. 7. & Front. lib. 2. cap. 1.*

VI. C. Iulius Cæsar bello civili, cùm exercitum Afranij & Petreij circumvallatum siti angeret: isq; ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis, ad pu-

gnam

gnam descendisset: continuit suos: arbitratus alienum dimicationi tempus; quòd adversarios & ira desperatio incenderat. *Frontin. lib. 2. cap. 1.*

VII. Themistocles, ut animum Aristidis exploraret: simulavit, se statuisse in Hellespontum navigare: & pontem ibi factum à Xerxe demoliri: atq; ita Asiam cum Europa capere. Id improbatum graviter Aristidi, dicenti: nunc quidem pugnatum esse cum Rege luxu soluto: quem si incluserimus, inquit, in Græciam; ac Virum tantas sub se copias habentem, in metum & necessitatem extremam compulerimus: non is præterea ociosus subter aureo umbraculo pugnam spectabit: sed periculo motus omnia tentabit: omnibusq; in rebus aderit: ut ea, quæ neglexit, resarciat; & de tota re meliora consilia inibit. Quapropter non is, qui nunc est, pons, dejiciendus nobis, ô Themistocles; sed si fieri possit, alio insuper constructo, barbarus quàm primùm Europâ nobis expellendus est. *Plutarch. in Themistocle & Aristide.*

VIII. Vespasianus in quadam pugna cum Iudæis, suis imperat, ne cum hominib. mortis avidis manum consererent. Nihil esse fortius desperatis. Restingui autem illorum impetus, si proposito frustrentur, quasi flammam, si materiam non inveniat. *Iosephus de bello Iudaico lib. 3. cap. 8. Vel juxta alios 14.*

IX. Leodienses, cùm obsiderentur à Rege Ludovico & Carolo Burgundo: & carerent omni externo præsidio: & quos habuerant viros fortes, vel occisi essent, vel vulneribus confecti: portis etiam, & castellis, & muro, & fossa, & tormentis essent prorsus denudati: atq. ita res ipsorum ad extremum perducta esset casum: desperata salute, ingenti eruptione facta, extremum auxilium experiuntur: magnamq; edunt hostium stragem: nec multum abfuit: quin interemissent ambos Principes cubantes in lectulis. *Philip. Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 3 pag. 92.*

X. In bello Locrensium cum Crotoniensibus, cùm processissent in aciem Locrenses: & Crotoniensium centum viginti millia armatorum constitissent: Locrenses paucitatem suam circumspicientes (nam sola quindecim millia militum habebant) omissa spe victoriæ, in destinatam mortem conspirant: tantusq; ardor ex desperatione singulos cepit; ut victores se putarent: si non inulti morerentur. Sed dum mori honestè quærunt; feliciùs vicerunt. Nec alia causa victoriæ fuit: quàm quòd desperaverunt. *Iustinus lib. 20. pag. 212.*

XI. Ludovicus Nivernensium & Flandriæ Comes, cùm Gandavos diutissimè obsessos fame ac inopia ad deditionem compulisset: acerbissimas ac libero populo minimè dignas conditiones proposuit: ut scilicet omnes laqueo in collum inserto ex urbe supplices ad se venirent: postea decreturum se quid agendum foret. Quæ conditiones populum in tantam animi desperationem adduxerunt: ut quinq; circiter civium millibus armatis ex urbe prodeuntibus, Comitis exercitus quadraginta millium hominum, fusus sit ac prostratus; parta victoria cæteras Flandriæ urbes, præter Audenardam, sui imperij finibus adjecerunt. Comes ipse fuga dilapsus imperium una cum dignitate turpiter amisit. Tanta clade illata Gandavi multò quam antea arrogantiores, Principum suorum nunquam deinceps imperia sponte pertulerunt. *Ioh Bodinus lib. 3. de Rep. pag. 540.*

XII. Hujus regulæ cùm infinita sint exempla: nullum tamen Francorum nomini calamitosius esse potuit; quàm quòd prælio Pictavensi contigit Ioanne Rege; qui non modò seipsum, vitamq; suam, ac decus nobilitatis, totiusq; imperij fortunas ancipiti prælio commisit; nec hostibus pacem petentibus, modò impune regni finibus ex-

cedere liceret, indulgendum putavit. Quid? decem circiter millia desperatorum hominum quadraginta quinq; millia fugarunt: ac Regem captivum abduxerunt.

XIII. Vatto Fuxæus consimili errore peccavit: cùm ad Ravennam hostium copias fudisset: reliquias Hispanorum in cuneum coactas, quæ fuga sibi salutem quærebant, persecutus: vitam primùm, nec multò pòst cætera, quæ clarissimis victorijs adeptus erat, amisit.

XIIII. Quid antiqua commemorem? Cæsaris exercitus in Pharsalia fame ac inopia premebatur, urbibus undiq; ac legionibus hostium terra mariq; circumsessus, ac brevi, nisi vicisset, fame interiturus: nihilominus tamen Pompejus prælium committere, invictasq; legiones lacessere non dubitavit. *Vide Francisc. Patrit. lib. 1 de Regno, tit. 12. pag. 56.*

XV. In tanta rerum desperatione Imperator Volscorum brevi oratione milites hunc in modum inflammavit: Armati armatis obstant: virtute pares, sed necessitate superiores estis. Hæc autem vis necessitatis tanta est prementibus armis: ut quæ injusta sunt, justissima videantur. Iustum est bellum, inquit ille ad Samnites, quibus necessarium: & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.

XVI. Quamobrem sapienter Fabius Maximus, is qui gentis Fabiæ extremus fuisse dicitur, omnes omnium contumelias ac dicteria patienter ferre maluit: quàm Reipublicæ fortunas ancipiti prælio committere: atq; ita cunctando, ut ait Ennius, restituit rem.

XVII. Annibal verò qui cum Scipione de summa rerum ante mœnia patriæ certavit, imperium ac Rempublicam perdidit. *Idem Bodinus lib. 5. cap. 5. pag. 895.*

XVIII. Ambronum uxores legimus, converso in fugam virorum exercitu à C. Mario, ex desperatione fortissimam præbuisse operam: quippe quæ gladijs & securibus armatæ, obviam fugientibus viris progressæ sunt: & eos magno clamore revocantes, in suos tanquam in proditores, in alios autem tanquam in hostes irruebant: pariterq; utrosq; ulciscebantur: invicto animo vulnera & mortem perferentes: & nudis manibus ac gladijs clypeos Romanis eripientes. *Francisc. Patrit. lib. 7. de regno, tit. 6. pag. 442.*

## CCIX.

*ARmorum tractatio reddit homines audaciores & crudeliores, & ad novanda negocia, & turbandam quietem, promptiores. Petr. Greg. Tolos. lib. 9. de Repub. cap. 1. pag. 593.*

*Non expedit prolongare cum subditis bellum: quia inde exasperantur. Idem lib. 11. cap. 13. pag. 700.*

Semper

# CCX.

*SEmper in bellis, dissimulatis & suppressis veris causis, tantùm prætextus narrãtur, seu ἀφορμαὶ. Ideo diligenter in bellis discernẽdæ sunt causæ à prætextibus: qui loco causarum principalium afferri solent.*

*Universaliter in bellis prætextus anteferuntur veris causis, & exaggerantur magis. Veræ causæ premuntur, aut vix leviter perstringuntur. Peucer. in lect. Chron. 19. Decemb. Anno 1573.*

*Inter populos vicinos crescens nimiùm unius potentia —, primùm parit invidiam —: ac deinde bellorum causas ac semina: quæ variis aliis honestisq; causis tamen prætexuntur. L. Danæus in Aphorism. polit. pag. 1.*

## EXEMPLA.

I. Crœsus bellum infert Cyro, elatus certa spe de evertendo regno Persarum, quod dolebat crescere. Metuebat enim, nẽ si surgeret altiùs, vicina regna opprimeret. Prætextus erat: quòd simulabat, oportere se ulcisci injuriam Astyagi Medo illatam: cui regnum Cyrus ademerat, illumq; in captivitatem abduxerat. Erat enim hic Astyages affinis Crœsi. *Herodot. lib.* 1.

II. Cyrus indicit bellum Massagetis, cupidus Regni Massagetarum, quod cupiebat suo adjectum. Prætextus erat, ultio ignominiæ Cyro illatæ à Regina. Istius enim nuptias Cyrus frustra petiverat. *Herodot. in fine lib.* 1.

III. Causæ belli Peloponnesiaci recensentur: confœderatio Corcyrensium cum Athenien sibus: Megarensium proscriptio: Æginetæ injuria affecti: oppugnatio Potidææ: & non exarsisset bellum, si voluisset tollere Pericles decretum de proscriptione Megarensium. Ita Periclem judicamus fuisse autorem & primam causam belli ac præcipuam. Sed oportet discernere probè hujus belli causas. *Aliud sunt in bello veræ*

*causæ: aliud sunt* πρόφασις *seu prætextus: aliud* ἀφορμαὶ *seu occasiones.* Verissima causa belli Peloponnesiaci sine omni dubio fuit, potentia Athenienſium: quam tamen tunc non licuit dicere: potentiá urbis Atticæ: quam repressam ac fractam cupiebant Spartani. Prætextus fuerunt causæ expositæ: Megarenses proscripti, exclusi à portubus: obsidio Potidææ: Periclis pertinacia. Sed non fuerunt causæ sufficientes ad tantum bellum: quo verè conflagravit tota Græcia, & in summa quicquid fuit alioqui nervorum ad res gerendas: & postea nunquam recuperavit. Ita cepit hoc bellum ex initijs & causis leviſſimis, & exarsit in tantum incendium: ut ea tota Græcia conflagrârit. *Peucer. in lect. Chron. d. 14. Iun. An. 1572.*

IIII. Belli Siculi vera causa fuit, augendæ potentiæ cupiditas in Athenienſibus. Impulsiva fuit insana & furens ambitio adolescentis Alcibiadis: qui cùm videret, se aliter crescere non posse, nisi turbata Republica, & nova bellorum materia acquisita: renovavit bellum Peloponnesiacum: postea fuit autor ad bellum in Siciliam transferendum. Πρόφασις belli fuit: ut cognatis & socijs Egestæis & Leontinis venirent auxilio, & defenderent eos adversus Syracusanos & Selinusios. ἀφορμὴ fuit legatio Egestæorum, implorans auxilium Athenienſium, & offerens belli sumptus, quanquã exiguos, ad instruendam classem: quia attulerunt octoginta talenta, id est 3 6 0 0 0 0. coronatorum. **Das ist nicht viel gewesen:** quia vix potuerunt comparare ea, quæ fuerunt ad classem armandam necessaria. **Sie haben kaum die Pferde gesattelt/ wie man pflegt zusagen:** fuit exigua pecunia. *Idem Cal. Novemb. An. eod.*

V. Memorabilis est historia belli sacri: cujus causæ veræ fuerunt odia adversus Iudices Amphictyonios: quorum autoritatem & potentiam convelli, aut saltem minui, expediebat ijs: quibus opus erat novis tabulis & bello civili: qui irrogatam mulctam solvere non possent. Erant autem Græci turbulenti & inquieti: sicut *universaliter naturis distortis, feris & indomitis, leges sunt inimicæ: oderunt legem velut carcerem, & impatientes sunt.* Tales fuerunt in hoc bello autores & architecti duo præcipui, Philomelus & Onomarchus. Uterq; erat obligatus ex condemnatione judicij Amphictyonum ad solutionem grandis mulctæ: quam cùm non possent pendere: cogitant, quomodo Græcia turbata liberentur. **Das sind die** consilia turbulentorum & seditiosorũ hominum: postea quæruntur prætextus: qui sunt σχήματα λόγου καὶ προκαλύμματα, **wie ers nennet** Thucydides, honestæ externæ species, quibus veræ causæ celantur & occultantur, aut ornantur saltem honesta aliqua specie, quæ in oculos hominum incurrit. Ita fuerunt prætextus, injustè latæ sententiæ adversus Phocenses: quòd esset pœna irrogata major delicto: non respondere pœnam delicto. Deinde repetitio antiqui juris: quòd videlicet Phocenses antiquo jure sibi vendicabant defensionem templi: ac postea excludebantur sententia Amphictyonum, & accersebantur defensores alij, modò Athenienses, modò Spartani, modò Thebani: scilicet semper ij, qui victores rerum potiebantur in Græcia. **Das sein die** prætextus **gewesen.** Et repetebantur antiqua jura ex Homero, & alijs multis scriptoribus. Sed semper in historijs oportet nos discernere occasiones & προφάσεις & veras causas: quia veræ causæ premuntur. *Veræ causæ perrarò producuntur in theatrum: sed quæruntur prætextus,* σχήματα λόγου, **die da specios sein/ vnd** *plausibiles, &*

*splendi-*

*splendidè exaggerantur.* Exitus fuit talis, quales fuerunt causæ: puniuntur scilicet utriq;, & violatores templi & defensores. *Idem die 19. Decemb. Anno. 1573.*

VI. Ludovicus XI. Rex Galliæ, cùm adversus Carolum Burgundum moveret bellum: & tamen vellet videri, se non sine causa bellum suscipere (quod tamen potissimùm ex æmulatione & cupiditate vindictæ oriebatur) conventũ egit apud Turones: quod neq; ante id tempus unquam fecerat, nec postea fecit. In eo exponit, quàm iniquè Carolus multa in detrimentum Galliæ moliretur: simul Nobilem quendam summittit; qui graviter conquestus, injurias ab illo sibi factas esse complures dicebat: inprimis autem, quòd fide illi esset obstrictus: & cogeretur ei ad quodvis etiam bellum auxilia polliceri. Communi tandem consensu omnium decernitur: Carolum evocandum esse Lutetiam in Senatum, ad certam diem. Sciebat enim Rex, futurum; ut ille ad hunc modum citatus, aut superbè responderet; aut aliquid in contemptum Senatus admitteret: quò majorem se videbat habiturum esse faciendi belli occasionem. *Philippus Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 4. pag. 106.*

# CCXI.

*VSitatus est error in consiliis humanis, movere bella non necessaria, ad evitanda pericula, quæ metuimus: & sic se in pericula conijcere, quæ conamur avertere. Hæc cœcitas pœna est magnorum scelerum in Regibus.*

*Metus alienæ potentiæ crescentis causam sæpè præbuit infelicibus bellis.*

## EXEMPLA.

I. Reges Macedonici lacessebant arma Romana metu Romanæ potentiæ: quam cupiebant eversam esse. Verùm in eo conatu oppressi sunt à Romanis.

II. Crœsus movet bellum contra Cyrum; cujus potentiam metuebat: ne opprimeret totam Asiam. Eo in bello capitur, & regnum amittit. *Vide Herod. lib. 1.*

## CCXII.

*BEllorum civilium hi semper exitus sunt: ut non ea solùm fiant: quæ velit victor: sed etiam ut iis mos gerendus sit: quibus adjutorib. parta sit victoria.* *Strigel. 2. Samuel. 20.*

### EXEMPLVM.

Etsi David removerat Ioab ab officio; tamen interfecto Amasa utitur eo tanquam lippo oculo; quem nec libenter habet, nec libenter amittit. Ita *semper in aulis aliqui amantur, metuuntur, & magni fiunt propter perfidiam.* Ibid.

## CCXIII.

*ILlud nonnunquam compertum est inter Francos: plus damni in Rempublicam invehi, dum Sacerdotis consilio res agitur: quàm cùm prudens aliquis ex seculi nobilitate rebus gerendis præficitur. Ille enim nescio qua insatiabili ambitione omnia sibi vendicat: hic populi misertus, & communitatis detrimentum suum esse ratus, Reipub. benè ut potest consulit.* *Robertus Ganguinus in histor. Franc. lib. 9. cap. 3.*

Sacerdoti fas non est, ea consilia capere: è quibus Christianorum sanguis fundendus esse videtur. *In Hypomnes. polit. part. 2. pag. 16.*

Conrad von Jungingen ist Anno 1393. auff S. Andreas Tag zu MarienBurg in Preussen zum 22. HohMeister erwehlet worden. Wird vnter andern gerühmet/ das er ge-

wesen

wesen sey Demütig vnd Friedsam/gegen Freunden vnd Feinden. Ob er wol zu Zeiten was Schadens litte/wolte er sich doch nicht rechnen. So auch seine Brüder vbel darvmb zufrieden waren / sagete er: Es were besser / eine Kuhe oder Pferdt zwey oder drey verlohren / denn ein gantzes Landt. Derhalben sie sagten / Er were besser zu einer Nonnen im Closter / denn zu einem HoheMeister. Er saget aber / Wir wollen vns schelten / vnd an die Wende mahlen lassen / vnd dennoch gerne im Frieden / den Gott meinem Orden verliehen hat/sterben. Etliche lehreten den Krüppel des HoheMeisters / Marsynicken genandt / wie er zum HoheMeister sagen solt. Dieser stellet sich vngezieret/ kömpt in einer Collatz für des HoheMeisters Tisch / saget/ wie die Polen allerley Muthwillen trieben/Er aber thete nichts darzu/were ein gutter ThumHerr zu Margenwerder worden / da hette er gutte Tage. Da antwortet der HoheMeister/Marsynicken/ Du hast das von dir selber nicht / Aber ich sage dir / die dich das geheissen haben zu sagen / Mich darmit zuverhönen / die werden nach meinem Tode so viel Vnfriede haben / das sie nicht wissen werden / wie sie sich daraus sollen wickeln. Diß namen etliche zu Hertzen / etliche verlachten es. Es kam auch zu jhm der Bischoff von der Coya / Iohannes Crapidola, angestifftet/machte eine gantze Predigt/ wie er Kriegen solte. Er antwortet jhm: Sint der Zeit die Geistlichen / zu Fürsten Höfen haben angehaben / vnd sich in die Räthe der Könige vnd Fürsten gemenget / so haben sie stets abgenommen. Vnd die Fürsten/die jhrem Rathe gefolget haben/sind vnter jhrem Rathe verdorben / vnd ist doch der Geistlichen Sinn nur auff den Geitz gerichtet. Vnd jhr gebet Rath / wie man viel armer Leute machen / vnd viel vnschüldiges Blut vergiessen solle. Herr Bischoff/ wisset / das ich ewrem neidischen Hertzen nicht folgen werde / Krieg anzufahen / Aber jhr werdet in kurtzer Zeit Kriegs genug haben mit den Polen. Wie denn hernach Anno 1416. vnter dem folgen-

den

den HohenMeister / des vorigen Brudern / Vllrich von Jungingen / der zu Kriegen lust hatte / geschehen / da die grosse Schlacht / auff die man sich drey gantzer Jahr gerüstet / auff dem Tannenberge ist gehalten worden / da dem Könige von Polen in die 60000. Mañ / dem HohenMeister in die 40000. blieben / Ist auch der HohenMeister selber erschlagen worden / Vnd hat also der Orden das Feldt verlohren. *Caſparus Hennenbergerus in Chronico Pruſſiæ, pag. 298. 299. Vide etiam eund. in eod. pag. 446. 447. 448.*

# CCXIIII.

*OMnium bellorum, quibus vel Gubernatores ex ſuis ſedibus pelluntur, vel provinciæ vexantur, duplex cauſa eſt: Vna ſecretior, de qua nemo, niſi ſpiritu Dei præditus, judicare poteſt: Altera, quam etiam carnales homines cernunt. Strigel. 2. Reg. 18.*

## EXEMPLVM.

Anno quartodecimo Regis Ezechiæ, aſcendit Sennacherib Rex Aſſyrius contra omnes munitas urbes Iuda, & cepit eas. Quærenti verò cur Dominus ſinat tam pium Regem vexari à ſæviſſimo Tyranno, reſponde per ſequentia axiomata. Quorum primum recitatur à Daniele *cap.* 2. & 4. Dominus evehit & deijcit Reges: ipſius eſt potentia & ſapientia. Nam hic totus politicus ordo DEI conſilio conſtitutus eſt: & non tantùm humana vigilantia ac ſedulitate, ſed multò magis ope divina ſervatur. Ideo etiam Cicero dixit *in oratione pro Rabirio*: Deorum ope & auxilio multò magis hæc Reſpublica, quàm ratione hominum & conſilio gubernatur. Secundum extat in *Pſalmo* 127. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem: fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam: id eſt, præſidia humana infirmiora ſunt: quàm ut poſſint cuſtodire politias. Quare DEVS ipſe cuſtos eſt civilis ſtatus: & dat ſalutem Regib. in tam horrendis confuſionibus, & in tantis impedimentis. Quid enim mirabilius eſt, quàm Romam inter aſſidua Tribunitia certamina ſtare poſſe? Sed DEVS ſua potenti dextera politicam ſocietatem tuetur: & reprimit furores Diabolorum & hominum. Tertium ſequitur ex ſuperioribus: quòd videl cet nemo Reges & Principes de gradu deijcere poſſit: niſi divinitus deijciantur. Quartum eſt præſens iſta Regula. Proinde hîc quoq; videndum

eſt,

est, propter quam causam DEUS sinat grassari Assyrium Tyrannum, & quâ προφασει Tyrannus huic bello prætexat. Servit quidem Sennacherib Domino: sed ignorans eum, cui operam officij præstat, & cujus est virga seu flagellum. Quam igitur causam habet Dominus adversus Ezechiam? Quis hic deliquit, populus ne, an Rex? Sæpè enim dum peccant Reges, plectuntur Achivi: & contrà, subditorum delicta nonnunquam redundant in pium Principem. Quis autem non miretur Ezechiæ pietatem cum singulari zelo conjunctam? Hujus verò exemplum imitatus est populus: qui non contentus legitimis festi Paschalis diebus, alios insuper septem adjecit: ut gratitudinem suam erga DEUM pro restituta doctrina declararet: & omnes reliquias idolatriæ funditus delevit. Cur ergo tales DEI cultores objiciuntur tam sævo hosti, qui nulla pecunia placari potest? Verisimile est, zelum illum ardentissimum primo anno gubernationis declaratum, reliquis annis languidiorem factum esse: ut plerunq; principium fervet, medium tepet, ultima frigent. Cùm enim Sennacherib Iudææ bellum inferret: annus erat decimus quartus Ezechiæ. Quare non solùm opus, sed etiam necesse erat, & Regẽ & populum virga paterna excitari, & veternum in pace & tranquillitate contractum utrisq; excuti, atq; in eis fidem, & timorem, & veram invocationem inflammari. Nullius enim hominis tanta pietas est: quæ non in ocio & in rebus secundis languescat, aut omnino extinguatur. Deinde cùm vellet DEUS insigni aliquo miraculo gloriam suam illustrare: permisit sævum & blasphemum hostem in agro atq; finibus veræ Ecclesiæ grassari: ut ejus arrocem blasphemiam clade nova, inaudita & inusitata puniret. Non enim potest DEUS proprium opus facere, nisi priùs faciat alienum, ut inquit Esaias *cap.* 38. Hactenus breviter dixi de causa belli secretiore & abscondita; cur scilicet Dominus hunc aprum vastatorem in hortulos Ecclesiæ immiserit. Sequitur ut eadem brevitate dicam de causa, quam Polybius ἀφορμὴν, id est, occasionem nominat. Pater Ezechiæ Ahas metuens conjunctionẽ duorum Regum Syriæ & Israëlis, mercede invitavit Regem Assyrium, & factus est ei vectigalis, ut *Esa.* 7. scribitur. Hoc jugum cùm filius Ezechias conaretur excutere; Assyriaca arma attraxit. Ideo missis ad Sennacheribum legatis peccatum confitetur, & ad pœnam sese offert, inquiens: Peccavi, discede à me: & quicquid imposueris mihi, feram. Hæ sunt causæ hujus belli, respectu DEI & hominum. *Idem.*

# CCXV.

*BEllorum exitus sunt obscuri.* *Peucer. in lect. Chron. 29. Iulij, Anno 1572.*

*Incerti sunt bellorum exitus: nec facilè possunt arma poni sine sanguine.* Arma possunt capi pro arbitrio, & consilio humano, wie auch Pindarus sagt: Civitatem movere facile est: sed eam motam & turbatam in tran-

quillum restituere, non cujusvis est Bella mota postea autores ipsos cogunt & adigunt ad ea facienda, quæ facturi non fuissent, rebus integris. *Ibidem.*

Iustum est arma capere ad injuriam depellendam, & repressis hostibus arma ponere: sed *non eadem facilitate perficiuntur, qua dicuntur:* Es gehet nicht so aus: cùm non sint sita in potestate nostra. *Eventus bellorum longè alias habent causas,* Es gehet nicht nach Menschen gedancken aus: *& humanis consiliis non reguntur.* Sicut docet Archidamus: *Nunquam bellum ex præscripto procedit.* Ibid.

*Non est sapientia, efferre animos propter adversos casus hostiũ: sed cum ratione attendere ad ea, quæ fiunt. Est magna fatuitas, efferri adversis casibus hostium: cùm nihil sit incertius eventibus bellorum.* *Idem Cal. Novemb. Anno 72.*

*In bellicis rebus, singulis penè momentis, infinitæ variæq; mutationes incidunt.* Quamobrem nec efferendus nimiùm animus in rebus prosperis: nec in adversis abijciendus est: cùm facilè mutari possint. Quod & ipsum, occasiones oblatas, velut parùm duraturas, minimè negligendas, docet. *In Hypomnes. polit. Gvicciard. pag. 4.*

*Bella nec sæpe ijs locis, quibus putantur, geruntur: nec eos exitus habent, qui sperabantur.* Ideo non nisi post longam deliberationem sunt suscipienda, & rebus omnibus in utrumque eventum paratis. *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 127.*

Bellum

*Bellum perrarò eum finem habet, qui sperabatur. Idem pag. 5.*

*Perrarò bellum eò, quò evasurum prædicatur, evadit: multa ipsum per sese præter ea, quæ adsunt, comminiscitur. In orat. 2. Corinthiorum ad Lacedæmonios socios, apud Thucydid. lib. 1. pag. 36.*

## EXEMPLA.

I. Carolus Imperator post bellum Germanicum in Salinis Saxonicis dicitur dixisse, quod ab hominibus sapientissimis audivi: se post hoc bellum in victoria penitus confectum esse eum finem, quem conceperat animo; sed media, quibus ad finem perveniret, longè aliter accidisse, quàm ipse instituerit: imò nihil quicquam evenisse eorum, quæ ipse cogitárit. Ita etiam maximorum Virorum consiliis rarissimè eventus bellorum respondent: & tamen DEUS mirabiliter eventus dirigit, ad quæ ipse vult. *Idem d. 29. Iul. An. 1572.*

II. Audivi puer ex patre meo: quòd Albertus Dux Bavariæ, avus hujus Ducis Alberti, dixerit: Etsi post diutur num bellum mihi mediocrem victoriam DEUS concesserit, cui maximas ago gratias: tamen nihil meorum consiliorum successit, quemadmodum mecum in rebus agendis constitueram. Sic rectè Thucydides inquit: ὕκισα ὁ πόλεμος ἐπὶ ξυτοῖς προχωρεῖ: id est, minimè bellum procedit juxta deliberata. *Philippus in Locis Manlij pag. 261.*

III. Sic Romani in secundo bello Punico sunt decepti. Demetrius enim Illyriorum Rex, oblitus complurium populi Romani erga se officiorum, cùm eos cerneret, hinc Gallorum, illinc Carthaginiensium terrore perculsos: omnemque suam spem in Regibus Macedoniæ haberet: quòd particeps fuerat ejus belli: quod adversus Cleomenem Antigonus gesserat: oppida Illyrij, quæ ditioni Romanorum subjecta erant, vasta: urbes expugna: terminos in fœdere nominatos transgreditur: plerasque insulas e Cycladibus, quinquaginta lembis usus, diripit. Quæ ubi Romani intellexerunt: videntes florentem ea tempestate Macedonum principatum: componere omni studio res Illyricas in præsentia nitebantur: sperantes, id facile factu fore: seq; paucis diebus & Illyriorum insciti am castigaturos esse: & ulturos Demetrij ingratitudinem. Verùm res longè aliter, quàm sperabant, evenit. Nam dum tempus hujusmodi rebus teritur: Annibal omnium spe celeriùs Saguntum capit. Quo factum est: ut bellum jam non in Hispania, sed prope urbem Romam, & per omnem Italiam exardesceret. *Polyb. lib. 3. pag. 312.*

# CCXVI.

*DIssensiones inteſtinæ quovis alio imperio externo ſunt perniciosiores.* *Peucerus in lect. Chron. die 4. Octob. Anno 1572.*

*Seditiones inteſtinæ, diſſensiones & diſſidia ſunt perniciosiora: quàm imperia externa, qualicunq; ſubjecta Tyrannidi.* *Idem ibid.*

*Diſſidia domeſtica armant & confirmant externum hoſtem.* Talibus occaſionibus venit Turca. *Winshemius in Cordiali Abrahami Bucholceri.*

*Fit ſæpiſſimè, ut propter civiles diſcordias Reipublicæ converſio ſequatur: ſi Princeps aliquis finitimus civitatem cædibus civium exhauſtam, vel cives ipſos luctantes, repentè oppreſſerit. Sunt igitur periculoſiſſimæ civitatibus diſcordiæ civiles: ſi nulla cum finitimis Principibus ſocietas intercedit: quia priùs hoſtis cives inter ſe diſſidentes opprimit: quàm ſuccurri poſſit.* *Ioh. Bodin. lib. 4. de Repub. cap. 1. pag. 618.*

*Multi in omnibus civilibus diſcordiis propter* ἀναρχίαν, *ſumunt ſibi licentiam: quæ nulli in Republica tranquilla & conſtituta diſciplina concederetur.* *Philip. in Comment. in Daniel. cap. 11. pag. 163.*

Ariſtoteles narrat, fuiſſe latrunculos, qui aliquãdiu unà exercuerant latrocinium: orta eſt inter eos diſſenſio: ſicut

ſolet

solet fieri: Omne malum destruit seipsum. Illi igitur latrunculi ceperunt dissentire: & unus interfecit alterum: postea reliqui duo dixerunt: quid faciemus? si dimicabimus, perinde erit: ac si sinistra dextram amputet. Ita fit, quando impēdent magnæ pœnæ: sicut inquit Esaias de dissensionibus civilibus: Manasse comedit humeros suos & brachia sua, Das sich eins Jhenseh selber frist; quod est tristissimū spectaculum. Id est, *discordia civilis interfecit propria corpora*. Sicut Germania nunc seipsam devorat, ut videtis: postea nihil roboris erit adversus Turcas: & sic antea accidit in Vngaria & Græcia. *Semper discordia fuit exitiale venenum in imperiis.* *Philip. in Post. per Pezel. ed. part. 2. pag. 365.*

## EXEMPLA.

I. Ita Angli sæpè Gallos diffidentes fregerunt.

II. Item Feilarum Princeps Tellam urbem, civile sanguine exhaustam, facilè subegit.

III. Item majorum nostrorum memoria Philippus II. Burgundionum Princeps, Bovinas ac Dinam civitates, unius tantùm fluminis intervallo sejunctas, cùm se mutuis bellis diu attrivissent, imperij sui finibus adjunxit: quas tamen antea superare nulla vi potuerat.

IIII. Consimili casu præses Thunarum ac Telesinæ provinciæ Regem se tulit: cùm Mauritaniæ Reges inter se de summa rerum decertarent.

V. Et Lachares Athenienſium dominatum occupavit: cùm civili discordia Rempublicam conflictari perspexisset.

VI. Quin etiam Romanis in media urbe pugnantibus, servorum & exulum manus in Capitolium invasit: nec nisi summa vi dejici, nec ulla re facilius Romani ad cōcordiam cogi, quàm ab hoste arcem occupante, potuerunt. *Bodinus ut suprà.*

VII. Græci dum concordes inter se convenerunt: nec intestinis seditionibus laboraverunt, magna cum gloria victores semper extiterunt: & victoriam contra innumerabilem Xerxis exercitum, & contra Mardonium, ac reliquos Persas, gloriosis certaminibus semper assecuti sunt. Verùm victis profligatisque hostibus, tanto odio tantaq; discordia atq; invidia inter se exarserunt: ut victores ipsi etiam victis ludibrio contemptuiq; fuerint. Nam Græcia omnis in duas partes distracta, Lacedæmoniis Athenienſibusq; ducibus, ab externis bellis feriata, ferrum in sua viscera convertit. Et qui duo populi, ex Solonis Lycurgiq; institutis, cunctis aliis præstabant: bello inter se, invido concursu certantes, ad parem usque exitij finem pervenerunt.

VIII. Carthago quoq; opulentissima quondam omnium penè urbium extitit: cujus imperium quotidiè augebatur terra mariq;. Et jam Hispaniam, Siciliam, & maximam Italiæ partem subegerat: compuleratque Romanos: ut jam pro mœnibus

tuendis solliciti essent. Verùm tot rebus secundis confluentibus intestina discordia ac seditio adeò civium animos pervasit: ut parvo tempore non modò spem imperij totius orbis terrarum, & quæcunque tot præliis adepta fuerat, amiserit; sed propriam etiam libertatem: compulsaq; tandem est ei populo servire: cui omnium judicio imperasset: si concordes inter se cives fausta felicitq; fortuna uti scivissent.

IX. Regesq; etiam Orientales dum inter se convenerunt, concordesque extiterunt: victoria semper potiti sunt. Verùm cùm consanguinei Reges mutuo odio flagrarunt: omnes Orientales regiones à Romanis subactæ sunt. *Francisc. Patrit. lib. 8. de regno, tit. 14 pag 537.*

X. Gallia, priusquam à Romanis subacta esset, in Civitates ita distincta erat (sicut ex Cæsaris Commentariis liquet) ut societate inter se omnes junctæ essent: & certo anni tempore publicum gentis Concilium agerent: in quo de summæ Reipublicę causis, & negociis deliberabant. Porrò ante adventum Cæsaris, divisa erat Gallia in duas potissimùm factiones. Harum alterius principes erant Aedui: alterius Arverni; quibus adjuncti erant Sequani. Hi ergo, quasi parum parti utriq; domi armorum belliq; esset, Germanos, ductore Arioviſto, illi Romanos ad auxilium partium excivêre. Cæsar Galliam ingressus, cùm has contentiones, quæ ultrò inter concordes struendæ erant, inter discordes opportunas suis rationibus judicaret: studiosè illas aluit & auxit: donec universam Galliam Romano Imperio adjungeret. Quam in provinciæ formam redactam, ut ditissimam omnium provinciarum, Romani existimabant: ita ex ea ingens vectigal capiebant. Itaq; ex quo in jus Romanorũ concessit: tanta tributorum & fœnoris sævitia à præsidibus Romanis vexata est: ut seditiones execrari & pristinæ libertatis meminisse sæpiùs cogeretur. Sed latrociniis & rapinis honestum titulum Romani prætendebant; nimirum, egestate atque inopia Gallos in obsequio ac fide continendos: ne adversus Romanos, multis bellis expertos, ic sæpe etiam victos, rebellionem meditarentur. En seditionum fructus *Ant. Machiavellus lib. 3. pag. 791.*

# CCXVII.

*Diuturna bella tandem alterutrius partis calamitas finit: etiam quæ priùs neq; ratio, neq; æquitas terminare poterat. L. Danæus in Aphoris. polit. p. 110.*

## EXEMPLVM.

Sic primum bellum Punicum est finitum: in quo semel quinqueremibus ex utraque parte amplius quingentis, iterum non multò minùs quam septingentis invicem pugnatum fuit. Amiserunt in eo bello Romani quinqueremes septingentas, cum illis, quæ diversis naufragiis perierunt; Carthaginienses verò circiter quingentas. *Polyb. lib 1. pag. 87.*

*Bella*

# CCXVIII.

*BElla sine obedientia militari sunt infelicia. Sæpenumero contigit, paucorum militum contumacia, maximas copias fuisse deletas.* Quamobrem parendum est Imperatori à milite: etiamsi in ipsas tormentorum fauces iri sit jussum: quando & Dux ipse ad certa sæpe pericula primus feratur: primusq; , ubi necessitas vocaverit, hostem feriat, & vallum ascendat. *Ioh. Iov. Pontan. lib. 5. de Obed. pag. 45. b. 46.*

*Fortitudo militaris absq; obedientia, temeritas quædam est: & exercitatio ipsa plerunq; periculosa. At contrà re ipsa compertum est: magnas sæpe res, quanquam parùm exercitato milite, tamen quia dicto parens esset, feliciter fuisse gestas. Imò in quo exercitu contumacia non est: in eo vix oriri seditio solet.* *Idem pag. 47.*

*Profectò maximas copias, & è cujusq; modi hominum genere compositas, sola obedientia constare diu facit.* *Idem pag. 48.*

Evagrius Græcus autor, rectissimè & verissimè scripsit: *prudentia Ducum, & obedientia disciplinaq; militum, bona ingentia effici solere. Quòd si unum ab altero destituatur: claudicare utrumq;: & isto præstãtissimo jugo dissoluto, omnia everti atq; cõturbari.* *Philip. Camer. Centur. 2. Operar. succis. cap. 22. pag. 125.*

Corrupta

*Corrupta disciplina inter milites, præsertim errones & tyrones, quàm immensa damna sequantur:* optimè intellexit & perpendit Ferdinandus Hispaniæ & Arragoniæ Rex prudentissimus. Is enim longa experientia bellorum edoctus, dicere solitus fuit, ut Gomezius scribit: delectus, qui ex ignotis & vagis hominibus haberentur, perniciem potiùs, quàm utilitatem, in Rempublicam inducere. Nam obscuros illos, & immodestos, atq; impuros homines, pessimisque exemplis famosos, quocunque accederent, ex rapto vivere, vicos & agros miserè vastare, infimam plebem & rusticos homines affligere, milleque alia scelera patrare. *Idem pag. 128.*

*Militem negligentem, & imperij contemptorem, tum alia multa, tum maximè tria hæc faciunt: nimia Ducis indulgentia: assidua à labore remissio: defraudataq; stipendia.* 1. Cui enim plus æquo indulgetur: is indulgentiam in licentiam vertens, assvescit rapere, violare: cum hoste colloqui: prædari ex pacato: quem ubi continere Imperator voluerit: aut contemnet imperium: aut ad hostem transfugiet. Difficile est enim, ut ad continentiam redeat: qui assvetus diu sit fœda facere. 2. Remissio quoq; multa à laboribus, & nimis delicatum ocium, corporis animique vires emolliunt, atq; imbecillas reddunt: quæ ubi per desidiam consenuêre: quis, nisi invitus, capessèt jussa? Tunc arma gravia videntur: tunc labor ac locus omnis asper atq; arduus: ipseq; hostis, etiam non expectatus, formidolosus est. Quàmobrem assiduè exercendi sunt: ut alacriores sint ad imperata facienda, laboresque suscipiendos: atq; adeundis periculis magis prompti intentiq;. Etenim corpora ipsa exercitata, ubi laborandum fuerit, minùs deseruntur viribus: quin robur majus adest: & vires ipsæ integriores sunt: quæ vel augeri exercitatione

solent.

solent. 3. Et quoniam mercenario nunc milite utimur: ubi defraudatum se stipendio suo senserit, negariq; mercedem viderit: tantas concipere animo turbationes solet: ut licet sæpiùs jussus, antè patiatur in ipsis castris insultare hostem: quàm capere arma velit. *Sæpe ex hac indignatione & ira exorta seditione, Duces ipsi fuêre à suis militibus aut in castris cæsi: aut in acie deserti.* Quod ne accidat: Imperatorem providere oportet atq; adniti: nullaq; ratione committet: ut militib. locus aliquis ad inobedientiam relinquatur. Quocirca prima, ac maxima, & militis & legati virtus, & qua quotidie opus sit, & in rebus quibusq;, terra ac mari gerēdis, obedientia est. *Idem Pontan. pag. 47. b. 48. a. b.*

Præscripta igitur Imperatorum planè servanda sunt: nec committendum: ut, cujus fortitudo non desideratur, desideretur obedientia. *Idem pag. 46. b.*

## EXEMPLA.

I. Carmeniola Franciscus, qui patrum nostrorum memoria militarē disciplinam restituit, militem ab obedientia maximè probabat.

II. Quanta verò severitate à Romanis maximè Imperatoribus animadverti in eos solitum sit, qui imperij contemptores essent: tum alia permulta, tum hoc docere nos inprimis potest; quòd Aulus Manlius Torquatus filium, quanquam victorem, tamen qui in contra imperium suum in hostem pugnasset, securi percuti jussit.

III. Quantum etiam obedientiæ studium in legatis ipsis fuerit, & quàm diligens eorum, quæ imperata essent, observantia, hoc monemur exemplo. Publius Sulla, quem in obsidione Dyrrhachiana discedens Cæsar castris præfecerat, dum cohorti laboranti auxilio venit, & Pompejanos facilè repellit, suos fugientem hostem insequentes revocavit, cohorte liberata contentus. Et quanquam plerique existimarent: si fortunam fuisset secutus: potuisse eo die finiri bellum: à Cæsare tamen consilium ejus reprehensum non est: quòd aliæ essent Legati, atq; Imperatoris partes: cùm hic liberè ad summam consulere rerum deberet: ille agere ad præscriptum omnia. Quòd si prælio decertasset cum Pompejo: Imperatorias sibi partes sumpsisse videri poterat: cùm Legatus fuisset in castris relictus.

IIII. Ferdinandus cùm ad Sarnum fluvium castra haberet: hostis verò partim intra oppidum, partim in suburbio copias suas collocasset: paruméque abesset à circumsesso: consilium cepit adoriundi eos, qui pro statione erant. Itaq; jusso peditatu latera montis de tertia vigilia occupare, & signo dato inde decurrere; ipse albescente

cœlo, effractis portis, quæ ad caput amnis obstructæ erant, aliquot turmas immisit: & quid agi vellet imperavit. Equites peditesque hostem imparatum nacti, ad prædam convertuntur: qua capti, dum nihil ad præscriptum agunt: hosti perterrito, ac desperatis rebus jam de fuga cogitanti, tempus dant ad arma capienda, aciesque instruendas. Quare tanta rerum commutatio facta est: ut nihil Regis præsentia, nihil peritia rei militaris profuerit: quò minùs, urgente hoste, in fugam verterentur omnes: magno accepto detrimento. At ejus prælij, quod biennio pòst in Appulia factum est, cùm Ferdinandus, verso in fugam hoste, in locum iniquum successisset, non magis virtute militum, quam obedientia, victor fuit. Hoc prælio confecto: & Troja capta: cùm ego Tribunum quendam, strenuum virum, & rei militaris peritum, gravius increparem: quòd peditatu superiores, equitatu propè pares, loco nobis iniquo, per ignaviam victi essent: sanè, inquit, obedientia militum, quàm fortitudine, victi sumus: toto enim prælio neminem unum è militibus, Ducibusque vestris, nisi ad præscriptum agentem, animadvertimus: quæ res omnium animos consternavit.

V. Legimus Q. Tullium Ciceronem graviter à Cæsare fuisse increpitum. Hunc ille cum legionibus, Ambiorigem insecuturus, & hostium fines populaturus, castris præfecerat, relicta cum eo legione quartadecima: quæ esset præsidio impedimentis: quæ ad Vatucam contulisset: imperaveratq; ut ad adventum suum omnes castris cõtineret. Cicero sex dies tanta diligentia servavit Cæsaris præceptum: ut ne calonem quidem extra munitiones exire pateretur. Septimo tamen, diffidens Cæsarem, quo dixerat, die, affuturum, quòd longiùs progressum eum audierat, neque ulla de reditu illius fama afferebatur, simul permotus vocibus hanc patientiam inculcantium, & penè obsidionem appellantium, ratusq;, dispersis ac penè deletis hostibus, in millibus passuum tribus, nullum damno locum esse: quinq; cohortes frumentatum in proximas segetes misit. Quibus in frumentatione occupatis: Germani equites, qui cis Rhenum transierant, intervenunt: & quo venerant cursu, in castra irrumpere conati, parùm abfuit, quò minùs illa caperent. Reversus Cæsar, Ciceronem, ut dixi, increpuit: questusq; est, quòd cohortes statione præsidioque emissæ fuissent: acne minimo quidem casu locum relinqui debuisse. Nam dum clamoribus militum commovetur: immemor præcepti factus, penè cum tota legione exsus, castrisq; exutus esset.

VI. Nicolaus Picininus de nimia indulgentia, usus est milite adeò incontinente: ut quamvis edicto id caveret: & multos sæpe supplicio afficeret: nunquam mercatoribus ad castra satis tutus esset accessus. Itaque inopia necessariarum rerum semper laborabat.

VII. At Scytarum Dux Tamorlanus, qui omnium, quas aut legimus, aut audivimus, maximas duxit copias, nulli rei magis, quam obedientiæ militum studuisse dicitur. Itaque exercitum eò usq; continentem habuit: ut castra ejus mercatorum plena semper essent: abundarentq; omnis generis rebus. De quo fertur fama: gregarij cujusdam militis, qui vendenti mulierculæ lac furatus esset, statim gladio per pectus demisso, viscera aperiri jussisse: & è ventriculo lac excuti nondum coctum. Vsq; adeò passus nihil est impunè fieri à militibus adversus ea: quæ ipse præscripserat.

VIII. Cyrum dicere solitum accepimus: præcipuum militis munus esse, parere superioribus.

IX. Virbinitem Fridericum, & virum & Ducem prudentissimum, ipsi scimus, nulla à re alia militem magis probare solitum: quam ab obedientia. Id enim esse bene rem gerere, milite pro imperio bene uti.

X. Teipsum

X. Teipsum dicere, Roberte (Princeps Salernitane) meminì: malle elatum atque incontinentem militem transire ad hostem; quàm in castris tuis morari. Intelligis enim, nihil prius debere Imperatorem ab illo exigere; neq; utilius quicquã posse illum Imperatori præstare; quàm ut se gerat quàm obedientissimum.

XI. Minutius declarare nobis potest; quanti stare soleat: ubi minor Dux superbia elatus, majores, quàm quæ suæ sunt, vindicare sibi partes voluerit. Is ob æquatam cum Dictatore Fabio potestatem elatior factus, dum ferox, insultansq;, manum cum hoste conserit; vix è manibus Annibalis, à Dictatore subsidium ferente, ereptus, atque à cæde liberatus est. *Idem Pontanus locis prius citatis.*

# CCXIX.

*BElla, in quibus non fit una communis deliberatio, sed rem oportet deferri ad multas civitates, non possunt esse diuturna.* *Peuc. in lect. Chron. 4. Cal. Quint. Anno 1572.*

*Usu compertum est, & idipsum ratio docet: ea quæ ex multorum voluntate pendent: nunquam felicem exitum habere.* *In Hypomnes. polit. Gvicciard. part. 2. pag. 98.*

Mea sic est sententia, ut existimem, eum, qui solus in potestate habet decem hominum millia, magis esse metuendum: quàm decem confœderatos: qui singuli senis millibus præsunt. Nam quia nullius hic est præcipua vel singularis autoritas: multa quotidie in disceptationem incidunt: & antequam aliquid constituatur: prætereunt ferè occasiones. *Philippus Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 2. pag. 50.*

## EXEMPLVM.

Hoc ferunt argumento Carolum Imperatorem sibi despondisse victoriam in bello Germanico de confœderatis Smalcaldicis: cùm ad Ingolstadium, postquam primus feruor & ardor animorum defligrasset, stetisse dicitur in colle, & inspectasse exercitum, & interrogasse, an hi omnes essent Germani? Cùm responsum esset, eos o-

mnes esse Germanos, respõdit: paulò pòst deerunt eis sapientia & pecunia. Et illa ipsa de Peloponnesiis inculcavit suis civibus Pericles, defuturam eis sapientiam, cùm diversæ copiæ simul essent. Dicebant enim sententiam non solùm principes: sed etiam legati: & veniebant legati ex civitatibus: qui bellum nunquam antea viderant. Et planè apud nos fiebat hoc, quòd Lacedæmonij inculcabant suis: futurum, ut principia fervent iora essent, postea paulatim segnescerent: sicut mora franguntur & languefiunt animi. **Behalt dieſelbe** deliberati onē: quia planè fuit Caroli tale judicium de Germanis, quod Periclis. *Peucer. ut suprà.* Landgravius etiam ipse dixit: Ego nunquam suadeo hoc bellum: quia non succedet noster conatus: eò quòd non regatur uno capite aut consilio. *Philip. in Loc. Manl. pag. 261.*

## CCXX.

*BElla civilia inter populares nata non deponuntur, nisi patria funditus eversa.*

*Seditione semel irritati, ac mutuis injuriis lacessiti cives, vix, ac ne vix quidem prius conquiescunt: quàm parte una ab altera prorsus extincta.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 21.*

*Semper odia sunt majora in bellis civilibus. Majoribus odiis, majore acerbitate animorũ, suscipiuntur & geruntur bella civilia, quàm alia bella.* *Peucer. in lect. Chron. die 20. Junij, Anno 1573.*

*Sæpè ex æmulatione nascuntur odia intestina: quæ aucta & confirmata restingui, nisi alterius, aut interdum utriusq; partis interitu, non possunt. Sunt enim semper & firmiora & pertinaciora odia intestina inter cognatos genere & familiis, inter Principes generis & familiæ ejusdem: sicut omnia exempla ostendunt: & plerunq; ita inflammantur:*

*ut odia non tollantur: nisi pars alterutra intereat: & extinguuntur odia non nisi morte partis alterutrius:* Wie man sicht die atrocia vetera & recentia exempla ante oculos. *Odia intestina plerunq; sunt implacabilia. Idcirco si in bella civilia erumpunt & exardescunt illa intestina bella: longè majore odiorum varietate, acerbitate & pertinacia geruntur: quàm alia quæcunq;.* *Idem 4. Cal. Quint. Anno 1572.*

*Crudelissima sunt omnium bella civilia: & tantò crudeliora: quantò illi, à quibus geruntur, aut sanguine, aut vinculo cognationis alio se attingunt.* *Idem ibid.*

*Nulla sunt tristiora bella, post bella barbarica, bellis civilibus.*

*Constat nulla bella majori cum animorum contentione & crudeliùs geri: quàm quæ inter fratres & cives exoriuntur. Acutiùs enim feriunt & vulnerant animos injuriæ: quæ ab ijs inferuntur: quos nobis nihil non debere putamus propter summam, quæ nobis cum illis est, conjunctionem. Et ut Aristoteles scribit, qui immensum aut immodicè amant: ijdem immodicè oderunt. Accedit autem aliud multò gravius: quòd odij & iræ vehementia abrepti utrinq; ad externa auxilia confugiunt: &*

*sæpè hostes patriæ veteres adducunt: quorum armis & ipsi utrinq; opprimuntur: & communis patria discerpitur. Fit ergo, ut qui cives & fratres ferre noluerunt, postea exteros Tyrannos & horum satellites, omnis nequitiæ ministros, ferre cogantur. Et impletur tunc illud Christi: Omne regnum in se divisum, destruitur.* Rodolph. Gualth. in Luc. cap. 3. Homil. 31. pag. 82.

Civilia bella hominum mansuetam priùs naturam efferant: & vicia crudelitatemq;, in fortitudinem & virtutum nomina magno errore commutant. *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 18. ex Thucyd. lib. 3. pag. 100.*

Ideo verè dicitur: bella civilia esse πάντων ἀΐσχιστα, & χαλεπώτατα, & ἀνοσιώτατα, ἴχθησα θεῷ & ἀνθρώποις: turpissima, difficilima, & omnium sceleratissimia, ut ita dicam, invisa Deo & hominibus. Et nota est imprecatio adversus eos, qui moverunt bella civilia, apud Homerum lib. 9. Iliad.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀγέσιός ἐστιν ἑκεῖνος,
Ος πολέμου ἔρατ' ἐπιδήμιου, ὀκρυόεντος.

Ille sit bannitus perpetuò, exclusus ab omni cõmunione, ex societate (Das heist ἀφρήτως, quia φρατρία erat vinculum commune, quo qui ad eandem tribum pertinebãt, inter se devinciebantur & consociabantur) à communibus legibus, & sacris, & omni communi jure, ille, qui expetit civilia bella.

*Legibus, & sacris, & iure exclusus ab omni*
*Cognato sit: qui civilia concitat arma.* Peucer. ut suprà.

Vel sic: *Impius in patriamq; suam, legesq;, Deumq;*
*Est: quicunq; cupit civilia bella movere:*
*Immani quæ mox funestant omnia cæde:*
*Et sacra & leges abolent in pace verendas.*

Euripides

Euripides in Phœnissis ad Iocastam matrem: Quàm misera res est odium inter domesticos, & quàm difficilè reconciliantur.

Herodotus in Vrania de Athenienſibus nolentibus certare cum Spartanis de Imperio, ne Græcia periret: σάσιε ἔμφυλ@ πολέμυ ὁμοφρονέυντ@ τοσῦτῳ κακὸν ὄϛι: ὅσῳ πόλεμον εἰρήνης. Inteſtina ſeditio tantò deterior eſt bello, quod concorditer geritur: quantò bellum deterius eſt pace.

*Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur:*
*Sed quò fata vocant, virtus invita ſequetur.*

# EXEMPLA.

I. Bella civilia conſumpſerunt vires Græcorum, & Græciã miſerè vaſtârunt. In bello Peloponneſiaco multæ urbes funditus deletæ ſunt. Multi cives interfecti, & extincta naturali σόργῃ ſævitiam exercuerunt cognati in cognatos. Attica civitas incidit in triſtem ſervitutem: multi diuturſant ad cantum tibiarum: & impoſiti Vrbi triginta Tyranni: qui præcipuæ nobilitatis cives interfecerunt. Poſtea bellum Spartanorum cum Thebanis valdè fregit vires Spartanorum. Demum exortum eſt bellum ſacrum: in quo cùm attraxiſſent Philippum Macedonem civitates: exhauſtæ viribus oppreſſæ ſunt triſti ſervitute.

II. Cùm inter duos fratres, Hircanum & Ariſtobulum, de regno & ſacerdotio lis exorta in bellum civile exarſiſſet: utrinque ad externa auxilia concurſum eſt. Et Hircanus quidem à fratre ejectus, primùm ex Antipatri Idumæi conſilio ad Aretam Arabiæ Regem confugit: qui etiam collectis copiis illum in regnum reducere conatus eſt. Ariſtobulus autem Scaurum Romanum Imperatorem munerib. attraxit: ut ipſius defenſionem ſuſciperet: qui res Aretam terruit: ut dimiſſo exercitu in Arabiam ad ſua rediret. Non multò pòſt, cùm Pompejus Magnus à debellato Tigrane Damaſcum veniſſet: hunc quoque Ariſtobulus magnis muneribus in partes ſuas pertrahere ſatagit. Adeſt & Hircanus: & ipſe etiam Romanorum auxilia implorat. Ariſtobulus, quòd pactis non ſtaret, Pompejum commovit: ut Vrbem irrumperet: & templo ſimul per vim & nõ ſine horribili Iudæorum ſtrage occupato, in Sanctum Sanctorum ingrederetur: & ea ſpectaret: quæ nemini, præterquam ſummo Pontifici, videre licebat. Et Hircano quidem Pontificatum conceſſit: ſed coronã uti prohibuit. Itaque ſceptrum tunc a Iudæis ablatum fuit: & regnum ſibi in illos vendicarunt Romani. Ariſtobulus autem à Pompejo Romam miſſus eſt ad triumphum: ubi ex carceribus elapſus, & in Iudæam reverſus, novos tumultus excitavit: ſed mox iterum captus à Gabinio, & Romam remiſſus, atq; illic veneno occiſus eſt. At hujus filius Antigonus adverſus Hircanum patruum Parthos excitat: qui Vrbem occuparunt & diripuerũt: Hircano autem capto aures abſciderunt: ne unquam ad Sacerdotium redire poſſet: Antigonum verò illi ſubſtituunt. Hunc cùm vix tribus annis regnaſſet, obſidione premunt Soſius & Herodes: & tandem captum Antiochiam transmittunt ad Antonium:

qui

qui eum trucidari curavit: Iudææ autem regnum ex Romano uni beneficio Herodi cessit. Quia verò Parthi prioris victoriæ fiducia & prædæ spe accensi, non cessabant in Syriam crebras excursiones facere: Romani per totam illam provinciam præsidia disposuerunt. *Rodolph. Gualth. ut suprà.*

III. Civile bellum inter Marium & Syllam exortum, urbem & universam Italiam civium sanguine implevit. Nam cùm invicem uterque Roma potitus esset: fœdum in modum alter in alterius amicos victoriam exercuêre. Ita multi innoxij atq; illustres viri proscripti & interempti sunt. Sed inter ea, quæ eo bello contigerunt, maximè memorabile & lugubre fuit: quòd prælio, quo apud Ianiculum adversum Cinnam pugnatum est, ignorantes concurrerunt duo fratres: alter ex Pompeij exercitu: alter ex Cinnæ. Pompejanus victor cùm occisum à se hostem spoliaret: agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei extructo, ipse supra rogum se transfodit; & eodem igni consumptus est. Sed multò etiam plures mortales omni genere calamitatis absumpsit funestum illud inter Pompejum & Cæsarem accensum bellum: mox ab Triumviris, Octavio, Antonio & Lepido, adversus Brutum & Cassium continuatum: demum inter Octavium & Antonium finitum. Triginta duos annos duravit hoc bellum: & tam latè fusum est: ut totum propè orbem, quàm longè patebant Imperij Romani fines, commoverit. Tantam certè cladem inflixit: ut ab initio ejus usq; ad quartum C. Cæsaris Consulatum, centum septuaginta millia civium Romanorum consumpserit. Et quota hæc fuit pars eorum, qui & postea, & per reliquam Italiam, atque omnes provincias, extincti sunt? Ita tum bellis civilibus tantum sanguinis perditum: tot hominum millia perierunt: ut eorum numerus iniri non posset. Sed inprimis atrox & intestabilis societas fuit: quam inijt Octavius cum Antonio & Lepido: qui se Triumviros Reipublicæ constituendæ cum summo imperio in quinquennium renunciarunt. Nam cùm proscriptionem ac cædem inimicorum civium edi vellent: ut inimicos ulciscerentur: amicos quoq; prodebant. Cæsar cùm pro Cicerone servando aliquandiu certasset: eum tamen destituit: ut sævitiæ & odiis Antonij gratificaretur; cùm ei vicissim Antonius L. Cæsarem avunculum suum, quem Octavius oderat, condonaret: Lepidus Paulum fratrem. Qua permutatione quid immanius fuit, cùm non secus occiderent, quos traderent, quam quos accipiebant? Ea igitur proscriptione, Triumvirorum juxtà amici ac inimici, plurimi Equites, 130. Senatores interempti sunt. Sed ne Antonius quidem tantam immanitatem, cujus præcipuè autor erat, inultam tulit. Nam contracto adversus Octavium bello, navali prælio ad Actium victus, seipsum gladio transegit: sævitiam in Ciceronem & alios sæpiùs expertam in semetipsum vertens. His bellis ita sunt fractæ vires Romanæ: ut postea peregrinarum gentium exercitus conducere Romani coacti sint.

IIII. Porrò triginta duos annos intestinis dissidiis laceratum Imperium Romanum nemo mirabitur: qui legerit inter duas in Gallia familias, Aurelianensem & Burgundicam, totos sexaginta annos, duas propè hominum ætates, perpetuis bellis certatũ. In quibus nihil sævitiæ omissum est, præsertim à Parisiẽsibus: qui Burgundi partes fovebãt. Illi Conestabilem, illi Cancellariũ Galliæ obtruncarunt; & utrinsq; corpus plurimis ludibriis vexatum passim per vicos raptarunt. Illi multos præterea, Proceres, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & tria fermè millia illustrium virorũ custodiis extracta, crudeliter mactarunt. Dux sævienti turbæ Capiluchius sese obtulit, Parisiensis carnifex. Sed earum quoq; partium fautores, crudelitate nondum exple-

ta,

ta, Anglos in Galliam vocarunt; qui ea propè potiti sunt: Carolum VI. adversus filium, Gallorum alteros in alteros, armarunt. Imò, ne quid inausum relinquerent: supplicia quoq; in defunctos composuêre. Nam extortis à Papa bullis, Aurelianensis domus clientes excommunicationibus atq; interdictis mortuos juxtà ac vivos persequebantur. Nam si cujus Aureliani, seu is morbo, sive in prælio, seu in vinculis, mortuus esset, corpore potirentur Burgundici: sepultura prohibebant. Itaq; in exquilias insepulta cadavera lupis & feris objiciebantur. En præclaros fructus bellorum civilium: quæ ubi semel efferatis odio animis in morem venêre: in scelera quamvis immania & nefanda prorumpunt. *Anti Machiavellus lib. 3. pag. 366. 367. 368.*

# CCXXI.

*BElla constant celeritate. Laudatur autem non præceps festinatio: sed consulta celeritas:* de qua dicit sapiens historicus Salustius: Postquam consulueris, maturè facto opus est. Ego non laudo cœcam & inconsideratam festinationem: sed laudo celeritatem, postquam de re satis diu multumq; deliberatum est. *Strig. part. 2. Chron. pag. 178.*

*Multùm prodest in bellis celeritas: ne detur spacium perterrefactis hostibus sese rursus colligendi. Philip. lib. 2. Chron. pag. 69.*

*Sæpè plùs in rebus gerendis profuit celeritas: quàm magna potentia. Peucer. in lect. Chron. die 10. Maij, Anno 1572.*

Apud Xenoph. 6. ἑλληνικῶν dicitur: πολλάκις τὸ τάχος μᾶλλον τῆς βίας διαπράττεται τὰ δέοντα: *Sæpe res necessariæ celeritate magis, quàm vi efficiuntur. Idem ibid.*

*In bellis qui priùs instructus & paratus prodit, magnas hosti commoditates eripit: & metū injicit. L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 29.*

*Celeritas Ducis in bellis, & in exequendo, magna commoda affert.* Idem pag. 19.

*Celeritas in exequendo, est causa maxima victoriæ: eademq; terret plurimùm hostes.* Idem pag. 42.

*Celeritas exequendi magnum hostibus terrorem nostri adfert: & nobis victoriam de hoste imparato parit.* Idem pag. 132.

*Celeritas Ducis & iter perfectum, priusquam sperari posset, illi imparatum hostem, & qui facilè vinci posßit, obijcit.* Idem pag. 148.

*In hostico quidpiam occupare cupienti, est festinatione, non procrastinatione opus: ut imparatos hostes opprimat.* Idem pag. 153.

*Celeritas in Duce summa laus.* Idem pag. 154.

Lucanus: *Tolle moras, semper nocuit differre paratis.*

## EXEMPLA.

I. Iulius Cæsar interrogatus, quomodo tantas res perfeciſſet, respondit: μηδὲν ἀναβαλόμενος, nihil procrastinans. Quod Lucanus hoc versu reddidit:

*Nil actum credens, si quid supereſſet agendum.*

II. Et reprehenditur Annibal: quòd post captam Capuam non obsedit urbem Romam.

III. Plurimùm Græcis rebus contra Persas profuit celeritas: quòd hostibus perterrefactis non concesserunt spacium respirandi, recolligendi animum, vires. *Philippus & Pericles ibidem.*

IIII. Belna & Virodunum, oppida Burgundiæ, defectionem à Carolo fecerant. Sed ij, quorum præsidijs oportebat ea teneri, non fuerunt statim ingressi; & spacium dabant nostris contrahendi copias. Et quo die nostri Virodunum petebant: illi quoque se receperunt eò, circiter sexcenti: ut Belnam inde profecti tuerentur. Quod si nulla interposita mora fuissent progressi; recuperassent illam dubio procul: & à nobis facilè defendissent; verùm inopia consilij, per noctem ibi commorati, & circumsessi à

nobis,

nobis, vi capti fuerunt: atq; ita Belnam & quicquid erat reliquum, absq; contentione recepimus. His rebus omnibus tunc interfui. *Philip. Cominaus in Comment. de rebus gestis Lud. & Car. lib. 9. pag. 278.*

V. Thucydides mox in fronte libri quinti, *pag.* 150. commemorat, Athenienses post finitas inducias non diu cessasse: sed Cleone duce mox impressionem in terram hostilem fecisse: & primo mox impetu Scioniam & Toronem expugnasse: atq; ita Lacedæmonios, qui nondum arma induerant, prævenisse.

VI. Ita ijdem Athenienses summa celeritate Cytheram & Thyream occuparunt: ut est apud Thucyd. *lib. 4. pag.* 124.

VII. Pari modo & Syracusanos vicerunt. *Thucyd. lib. 6 pag.* 209.

VIII. Tali usus est celeritate Annibal in trajiciendo Rhodano; quo facto magnum hostibus incussit terrorem. *Vide Polyb. lib. 3. pag.* 238. 239. 240.

IX. Ita Philippus vicit Elienses; idq; Peloponnesijs factum mirabile visum fuit: fama eodem tempore & adventum Regis & victoriam nunciante. Piri celeritate ipsam Psophidiam urbem cepit. *Idem lib. 4 pag.* 388. 489. 390. Tali festinatione Thermum quoq;. *Idem lib. 5. pag* 415.

# CCXXII.

*AD plebem in officio continendam nihil est utilius: quàm externis bellis implicari. Iohan. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 1. pag. 604.*

*Bellum externum contra civilia salutare.*

*Ut pace domi ac tranquillitate fruamur: bellis externis implicari oportet. Idem lib. 5. cap. 5. pag. 880.*

## EXEMPLA

I. Quæ potissima ratio fuit, cur Scipio Africanus junior Carthaginem deleri nollet: ne, si bellum adversus hostes nullum esset, cum civibus esse inciperet.

II. Quam etiam ob causam Onomademus Chiorum Imperator, pacata Republica, ac seditiosissimis quibusq; cæsis, aut exilio pulsis, reliquis parcendum esse decrevit; ne, si domi hostem nullum haberent: amicis bellum inferrent. *Idem pag.* 604.

III. Hoc unum adversus improborum civium conjurationes ac seditiosos cœtus remedium salutare, Romani non modò utile, sed etiam necessarium esse duxerunt; qui, ut minimùm ab externis bellis conquievissent, civilibus premebantur. Cùm enim aliquando in ipsius Vrbis visceribus Patres cum plebe capitalibus odijs inter se contenderent: hostis in Capitolium invasit: repentè cives ad concordiam adducti hostem

repulerunt. Rursus parta pace cùm in civiles discordias relapsos intuerentur Vejentes: Romanos agros vastare ceperunt: repentè civilis motus conquievit: ut hostes propulsarent. Quamobrem cùm Latinorum ac Hetruscorum nationibus perceptum & planè cognitum esset: populum Romanum non nisi à seipso vinci posse: simultates & odia in civitate clàm seri oportere decreverunt. Sic enim Livius *lib.* 2. scribit: Principes Hetruriæ populorum sic metebant æternas esse opes Romanorum: nisi inter semetipsos sæviant: id unum venenum, eam labem civitatibus opulentis repertam: ut magna imperia mortalia essent. Atq; ita planum est, Rempublicam Romanorum nulla re magis floruisse, quàm arte militari: sine qua non modò Imperij fines augeri, sed ne stare quidem potuissent. Pleni sunt Græcorum ac Latinorum libri: quibus perspicitur, Senatui populoq; Romano id unum propositum fuisse: ut perpetuis bellis cum hostibus cives implicarent. Sed quoniam nec injuria bellum inferre cuiquam fas esse putabant: nec subactis finitimis, & auctis opibus quisquam Romanos lacesseret impune: incredibili virtute & animi fortitudine socijs ac fœderatis illatas injurias ulciscì, ac tyrannide oppressos liberare propositum fuisse: ut nec materia belli honesta deesset; nec inertia cives ac desidia diffluerent: aut sibiipsis bellum inferrent.

IIII. Nec verò motus civiles Hispanorum aliter sedari potuerunt: cùm absente Carolo V. Imperatore novum sibi Regem crearent: quàm Gallorum exercitu in Cantabriam & Navarram irruente: quas regiones Galli occupaverant. Sed Hispani repentè conciliatis animis hostiles impetus repressérunt; & amissa recuperârunt.

V. Quid Angli? num portum totius Normaniæ provinciæ munitissimum ac opulentissimum occupaverant, totamq; provinciam crudelissimè populabantur, finitimas provincias ac regnum ipsum appetentes, nisi arma civilia Galli in communem hostem convertissent? Mox enim fusi ac fugati domum se receperunt: nec priùs in Galliam se redituros decreverunt: quam civilibus seditionibus quassata Gallia faciles aditus ad se invadendum aperuisse videretur. *Idem pag.* 880.

VI. Mirum videri debet nemini: si plura bella Romani gesserunt, quàm cæteri legerint; plures provincias confecerunt, quam alij concupierint. Ergo prolatis usq; eò imperij finibus; ut jam nulli hostes, quos contra bellum gererent, superesse viderentur: mutuis armis & animis conflixerunt: ac potissimùm Cæsar & Pompejus, uterutri imperaret: quod bellum Ciceroni pium ac necessarium visum est, civibus tamen exitiabile, nisi Pompejus vicisset: calamitosum, etiamsi vicisset. Crudelior tamen Triumviratus: postremò copijs omnibus & opibus Imperij maximis cùm ad Actium pugnatum esset: Augustus adepta victoria, & cum populis omnibus pace pacta, tametsi exercitu nihil amplius egere videretur; nihilominùs tamen quadraginta legiones in provincijs Imperij, ac potissimùm in fines ferocissimarum gentium dispersit: ut assiduè militari disciplina cives exerceret: belliq; civilis materiam quam longissimè ab Vrbe removeret. Qua disciplina tamdiu stetit Imperium Romanum: quoad Constantinus Christianorum Pontificum oratione persuasus, legiones illas ac robur Imperij planè sustulisset. Mox enim sublata militari disciplina, barbaræ gentes provincias omnes Romanorum populari ac vastare ceperunt. *Idem pag.* 882.

Prin-

# CCXXIII.

*PRinceps minori cum damno extra fines ditionis suæ, quàm intra eos cum hostibus confligit.*

*Feliciùs geruntur bella in hostico, quàm in patrio solo.*

*Præstat hostem prævenire, quàm præstolari & opperiri.*

*Non decet fortem ac magnanimum Principem in imperij sui visceribus prælium committere: si hostes extra fines imperij antevertere possit: aut certè alios exercitus, uno amisso, vel munitissimas ac plurimas arces, quibus sese recipiat, habere oportet: alioqui periculũ imperij ac fortunarum omniũ facturus.* *Ioh. Bodinus lib. 5. de Rep. cap. 8. pag. 894.*

*Præstat in hostili, quàm in tuo solo & regno dimicare cum hoste.* Hoc est consilium Crœsi ad Cyrum apud Herodot. *lib. 1. pag. 41.*

*Bellum in hostile solum transferre, quantum possumus, debemus. Nam ea ratione magis terretur hostis: & ad sua tutanda revocatur.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 102.*

## EXEMPLA.

I. Vt Antiochus; Perseus, Iuba, Ptolemæus Cleopatræ pater, Darius postremus; ac sæpe Reges nostri adversus Anglos.

II. Prudenter Ludovicus Craſſus Rex Francorum: qui cùm Imperatorem Henricum unà cùm imperiali exercitu in Galliam adventare audiſſet, pro ſuſcepto à Rege Pontificis Gelaſij patrocinio; exercitum ipſe militum ducentorum millium conſcripſit: tot enim Suggerius in hiſtoriam retulit: & extra fines imperij ad Rhenum uſq; finitimas Imperij provincias longè latè populatus hoſtes antevertit; qua re perterritus Imperator, pacis conditiones arbitrio Regis accepit.

III. Pari fortitudine ac prudentia Philippus Auguſtus Ludovici nepos, cùm allatum eſſet Othonem Imperatorem una cùm Rege Anglorum & Belgarum regulis magno cum exercitu Galliam appetere: arces & oppida præſidio firmavit: deinde extra fines imperij hoſtes ingenti clade proſtravit.

IIII. Ac ſiquidem Franciſcus I. Rex, cùm exercitu ad Papiam amiſſo in poteſtatem hoſtium venit, tantam cladem in Galliæ viſceribus accepiſſet: imperium hoc in extremum ſui diſcrimen venturum fuiſſe, nemo eſt (ut opinor) qui dubitet. Quæ cùm in Italia contigiſſent: detrimenta multò leviora fuêre: quia civibus interim tempus ad animos colligendos & ad vires recuperandas datum eſt: ut de ſalute deſperandum non eſſet. *Idem ibidem.*

V. Tale erat & Romanorum conſilium navigare ſcilicet in Africam: & eò omnem vim belli transferre: quò Carthaginenſes non de Sicilia ſolùm, verùm etiam de ſeipſis & regione ſua decertare cogerentur. *Polyb. lib. 1. pag. 40.*

# CCXXIIII.

*IN prælio navali potior eſt ejus conditio: qui pelagus tenet: & in pleno mari navigat: quàm qui circa littus pugnat. L. Daneus in Aphoriſ. polit. pag. 108. Eſt enim navalis certaminis ars & commoditas ſumma: ſi per medios hoſtes præterlabi, ac deinceps in pugnātes impetum facere poſſis. Idem ibidem.*

## EXEMPLVM.

Sic Carthaginenſium claſſis Drepani fuit ſuperior: tum quòd naves eorum velociores erant: tum quòd peritiores ad navigandum remigea: tum vel maximè, quòd pelagus tenebant: per quod longè lateq; pro eorum libidine diſcurrere poterant. Sive enim aliqui eorum ab hoſtibus premebantur: confeſtim celeritate navium fieti, in altum evadebant: ac ſi fortè inſequebantur hoſtes: in eos plurimæ ſimul conver ſæ: eadē celeritate circūveniebant: maximasq; inferebāt clades: nonnullas interim naves ſubmergebant. Sive aliqui ex ſocijs periclitabātur: confeſtim ſine labore atq; periculo

præſi-

præsidium ferebant, adversis puppibus in altum navigantes. At Romanis magna proximum littus impedimenta afferebat. Siquidem in arcto, neq; refugere, cùm opus erat, neq; seipsos tutari, neq; laborantibus succurrere poterant: & quod in bello navali præcipuum haberi solet, per medios hostes præterlabi, ac deinceps in pugnantes impetum facere, Romanis impossibile erat: tum quòd naves eorum gravissimæ erant: tum quòd remiges maritimarum rerum rudes, & ad navigandum inepti. Consul igitur cùm rem in deterius labi cerneret; navibus partim in littore confractis; nonnullis etiam submersis; desperatis ad extremum rebus, primus omnium fugam arripuit. Circiter triginta naves ex omni classe, quæ huic fortè propinquæ erant, eum secutæ: reliquæ omnes, tres & nonaginta numero, in Carthaginensium potestatem venêre. Præterea copiæ omnes captæ: exceptis ijs, quæ projectis in terram navibus perierant. Adherbal magnam ijs rebus gestis laudem apud Carthaginenses meruit; ut qui singulari prudentia, ac magnitudine animi, omnia feliciter peregisset. Appius verò Claudius à Romanis jurgijs contumelijsq; vehementer affectus: quòd adeò imprudenter se gessisset; quòd rem Romanam summum in discrimen adduxisset: ipse tandem Consulatu abdicatus, summa cum ignominia, in judicio cecidit. *Polyb. lib. 1. pag. 74. 75.*

# CCXXV.

*OBservatum est, plerunq; ea navigia, quæ non solùm ad vim inferendam, sed etiam propellendam, viris, armis, maximisq; sumptibus, quasi pelago præ cæteris dominatura, & ad terrorem hostibus incutiendum, constructa fuêre, non tantùm nulli usui, sed potiùs etiam insuper oneri & damno fuisse: quasi DEO & in his molibus inusitatis demonstrante: se omnia eminentia & superba ædificia, sicut olim etiam Gigantes, odisse: & facilè deprimere, & in nihilum redigere posse.* Nam ut Herodotus ait: φιλεῖ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν: amat DEUS omnia, quæ modum excedunt, castigare ac circumcidere: cùm pati non possit quenquam se excelsiorem. *Philip. Camerar. Centur. 2. Operar. succis. cap. 27. pag. 159.*

EXEM-

# EXEMPLA.

I. Refert Iovius in suis historijs, *lib.* 11. in conflictu quodam inter Gallos & Anglos, duas naves Britannicas, & Gallicam unam, inusitatæ magnitudinis, quam Cordigeram appellabant, cùm harpagonibus connexæ essent, & diu tormentis & facibus dimicassent, tandem uno tempore miserabili exitu conflagrasse: & supra duo millia hominum, aut discerpta tormentis, aut flammis circumventa, aut demum semiambusta, sponte in Oceanum præcipitata, perijsse: totidemq; ferè omnis generis ænea tormenta Oceano submersa esse. Hujus Cordigeræ & Anglicæ navis unà cum viris militaribus interitus, latè & prolixè quoq; describitur ab Huberto Vellejo.

II. Idem accidit nostro tempore (sicut ex Viro fide digno, qui huic prælio interfuit, audivi) in bello illo diutuno inter cognatos Reges, Danum & Svecum. Nam cùm ab universa ferè Danica classe, una Svecica immensæ magnitudinis, & viris militaribus tormentisq; instructissima navis, quam, si rectè memini, Magalem, à Gigante quodam, appellarunt, indagine cincta esset: eaq; diu fortiter sese defendisset: neq; expugnari aut submergi potuisset: tandem fortè igni missili in pulverem incendiarium conjecto, miserè unà cum viris, & toto apparatu bellico & nautico, qui fuit immensus, ustulatum in mari perijsse. Affirmabit autem ille oculatus testis, hanc navem militarem munitæ arcis instar, tam excelsam, & trabibus intermixta lana alijsq; rebus firmam instructamq; fuisse: ut ab omni vi & injuria hostilium tormentorum tuta fuerit. eamq; judicio maritimarum rerum peritorum potuisse sustinere & eludere quosvis hostiles impetus: donec vel in portum appulisset: vel subsidia à suis habuisset: si non vi illa majori, ut dictum est, devicta & submersa fuisset. *Idem Camerar. Centur.* 1. *Operar. succisiv. cap* 26. *pag.* 116. *Idem de eadem re Centur.* 2. *cap.* 27. *pag.* 158. *latiùs ita scribit:* Pugna illa inter Danos & Svecos accidit Anno 1564. d. 30. Maij, quæ ita describitur à Casparo Ensio: Erat inter cæteras naves una, quæ eximia magnitudine, & apparatus insigni copia, omnium admirationem superabat: sic ut multi nullum majorem, ulla hominum memoria, in Septentrionali Oceano visam esse affirmarent. Svecorum Navarchus, qui magnam spem in Mageleſa sua (id nomen erat navis) collocatam habebat: omnem vim in præcipuam Danorum navem, Fortunam, convertit; eamq; crebro tormentorum grandine impetit; ut subtus aquam, quatuordecim, in malo verò & antennis, plùs quàm centum ictus infixerit. Anceps ejus dici pugna fuit: cùm utrinq; gravissima essent & accepta & illata damna. Postero die prælium redintegratur. Danis ab uno latere Oelandia erat: ab altero hostium classis: qui vehementer eos, ut in continentem propellerent, annitebantur. Sed vento converso, Danicæ naves, quæ jam primò pro se æstum marinum habebant, Svecorum ordines perturbant & disijciunt: Mageleſa fluctibus allisa, & ab hostibus jactata, in brevia tandem & vadosa ejcitur: ibiq; illatis ignibus concrematur. Captus est Navarchus Svecicus, Iacobus Bagge, Aroldus Trolle regni Consiliarius, & Christophorus Andreæ. Sveci cùm primariam suam navem, qua plurimùm confidebant, flammis correptam sumare, & in favillas redigi cernerent: fugam arripiunt: quas Danicæ naves, cùm & ipsæ non levi detrimento affectæ essent, persequi non potuerunt. Tanta enim tormentorum vi concussæ erant: ut undiq; quasi perforatæ viderentur: atq; ad navigandum inutiles essent. Quapropter in portum ductæ & refectæ sunt. Tanta vis

porrò

porrò prætoriæ navis Martis, sive Mageleſæ, erat: ut pleriq; affirment; poſt homines natos majorem mari Balthico non viſam; in eamq; omnem Sveci victoriæ ſpem collocatam habebant. Sed fragilis hæc ſpes fuit: cùm nihil opere aut manu factum ſit: quod non eadem vi, qua conſtructum eſt, rurſus deſtrui poſſit.

III. Scribit Buchananus, Iacobum IIII. hujus nominis, Scotiæ Regem, in ædificationes civitatum & ſubſtructiones, magnos ſumptus feciſſe: ad navium verò fabricationes longè maximos. Tres enim, inquit, eximia magnitudine naves ædificavit, multasq; mediocres; ſed omnium admirationem, & ſumptus, & apparatus una longè ſuperavit; qua nullum hominum memoria in Oceano majorem viderat: cujus ut præteream deſcriptionem, à noſtris hominibus proditas, & menſuram aliquot locis ſervatam: illud ſatis perſpicuè ejus magnitudinem indicat; quòd Franciſcus, Rex Galliarum, & Henricus VIII. Rex Anglorum, æmulatione ſtimulati, cùm uterq; paulò capaciorem navem extruere conati eſſent: & jam utraq; perfecta, & omnibus rebus ad navigationem ornata, ac in mare deducta; magnitudine ſua immobiles, & ad omnem uſum incommodæ eſſent. Eodem modo, ſicut paulò pòſt ibidem Buchananus refert, illa Scotica immanis navis uſui non fuit: ſed Hamiltonius, claſſis præfectus re infecta cum ea in Britanniam minorem appulit; ibi ea tanto ſumptu ac labore ædificata, ſublatis armamentis, in portu Briſtonico computruit. *Idem Centur. 2. pag. 159.*

IIII. Similem navem firmiſſimam deſcribit Hieronymus Oſorius: cùm prælium navale Luſitanorum cum Dienſibus, qui Mamalucos in auxilium accerſiverant, prolixè recenſet. Relinquebatur, inquit, una adhuc navis; quæ adhuc expugnata non fuerat. Erat enim altiſſima & munitiſſima: & corijs crudis, ut ſi noſtri in eam ingredi vellent, eorum veſtigia labarent, obducta: & ſimiliter ſi faces conijcerent: incendium excitari non poſſet. Milites in ea diſpoſiti erant permulti: & ad periculum propulſandum viribus & animis & armorum exercitatione paratiſſimi. Vtrunq; autem latus tanta erat craſſitudine, & firmitate præditum: ut nullis globorum ictibus vulnerari poſſet. Tandem cùm noſtræ naves illam circumſiſterent; & diu atq; vehementer oppugnarent: demerſa eſt: & propugnatores ſe in mare demiſerunt. Noſtri eos nantes celocibus inſecuti in fluctibus occiderunt: ita ut pauci admodũ evaderent.

V. In harum navium numerum recenſeri potuiſſet immenſæ magnitudinis & roboris navigium: quod Galeonum vocant. Id non ita pridem Veneti, maximis ſumptibus, ad arcendas piratarum incurſiones ædificârant. Cùm autem ſex paſſuum millia ab urbe in anchoris ſtaret: ſuborto primis tenebris ingenti violentoq; turbine, navalis magiſtri imperitia, qui illud, ut fertur, parùm exacta ratione fabricârat, abſorptum mari mergitur: nullaq; poſtea arte, vi & ingenio è profundo extrahi unquam potuit: incredibilisq; tormentorum, belliciq; apparatus jactura facta eſt, ut Iuſtinianus refert *in hiſtoria Veneta lib. 14.* ubi paulò pòſt commemorat: quæ ingenioſa & ſumptuoſa machina, ad extrahendum è profundo hoc navigium, inventa ſit: cujus verbu, cùm memorabilia ſint, aſſcribere volui. Ingentem, inquit, poſt hæc, admirandamque ingenioſiſſimus artifex Bartolomæus Campi navalem machinam conſtruxit: ut Galeonum è profundi pelagi extraheret; quod exacto anno, nocturnus turbo, medio mari, demerſerat: moleſq; multis aſſeribus bipedalibus, ſeſquipedalibusq; compacta erat, cùm frequentioribus tubis, ad evocandam maris aquam. Ejusq; longitudo quinquaginta cubitis conſtabat: altitudo triginta: latitudo quindecim; & fibulis claviſq; innumerabilibus, tigna craſſiſſima, ſuprà & infrà, duorum pedum intervallo, mira fir-

mitate revinciebantur. Ingens ad hæc rudentum funiumq; quadruplicibus majoribus spiris intextorum copia parata erat: ferreiq; uncī ac hami: quibus subligacula innecterentur, ad erigendum aliquo modo ex profundo abyssi Galeonum. Deprellaq; est machina altis fluctibus ad perpendiculum circa Galeoni latera. Sed incassum omne studium impensum. Operis tamen eximia structura immortalem claramq; artificis cunctis seculis memoriam reddet: cui non ingenij felicitas defuit: sed occulta quædam fati vis obstitit: quò minùs res memorabilis ad exitum perduceretur. *Idem Camerar. Centur. 1. pag. 117.*

# CCXXVI.

*VIx fieri potest: ut optimè exercitui possit imperare ille: qui doctrinæ Cosmographicæ Geometricæq;, ac regionum, in quibus bellum gerendum est, omnino expers atq; ignarus sit.* *Francisc. Patrit. lib. 3. de regno, tit. 14. pag. 213.*

Cosmographorum scripta Rex perlegat: & orbis terrarum descriptionem non negligat: sed cum Propertij Elegiographorum elegantissimi Arethusa dicat:

*Cogor & è tabula pictos edisscere mundos.*

Quæ quidem res jucundissimam ei præbebit exercitationem: civilem disciplinam ornabit: & rei bellicæ plerisq; in rebus usui erit. *Idem.*

Præclarè Strabo Cretensis ait, eum venatorem optimè venationem instruere: qui planè norit, qualis & quanta sit silva, in qua venatur. Et cum Imperatorem optimè castra disponere, insidias abdere, præsidia locare, iter dirigere, & hostem circumvenire: qui regionem ac locos omnes intelligit: & diverticula cuncta planè callet. Sibiipsi, non hosti, imponit: quicunq; in ignoto divortio insidias locat. Ductores quoq; classium, & navium gubernatores, plerunq; plagarum, orarum, tractuumq; ignoratione decepti periclitantur: vel aliquid perpetram agunt: cujus deinde quamprimùm pœnitentia ducuntur. *Ibidem.*

EXEM-

# EXEMPLA.

I. Cyrus Persarum Rex ille opulentissimus, præ doctrinæ hujus ignorantia, cum universo exercitu suo interijt. Vicerat enim Crœsum Lydorum Regem, & Babylonem: Asiam, Orientalemq; oram omnem in suam potestatem redegerat. Deinde per victoriam majore ambitione elatus, Tomyridi Scytharum Reginæ bellum ultrò inferre instituit. Enimverò cùm illa facilè eum ab Oaxis fluminis transitu prohibere posset: ut transmitteret tamen permisit; quandoquidem arbitraretur, se longè faciliùs posse hostem superare intra regni sui terminos ac fines: quàm extra: & præcipuè cum objectu fluminis nullum effugium ei pateret. Cyrus verò Spargapisem, unicum viduæ Reginæ filium, qui cum tertia parte exercitus sibi obviam venerat, simulata fuga peremit: nactus illum sine custodibus; & epulis, vino, somnoq; indulgentem. Tomyris, hac clade accepta, non tamen præ orbitatis mœrore muliebriter animũ submisit: sed ira in ultionem succensa, exercitum quamprimùm reparavit: & magno impetu, summaq; animi fortitudine, Cyrum cum omnibus ejus copijs in difficiles locorum angustias compulit; deinde illicò dispositis omni ex parte insidijs, improvisa hosti magna cum alacritate è montibus prosiluit: & ducenta circiter Persarum millia cum Rege etiam ipso trucidavit: adeò ut ne nuncius quidem tantæ cladis evaserit: quod quidem vix alias in omni ævo auditum unquam fuit. Sed si locorum peritiam Cyrus habuisset: fluvium neutiquam transmisisset; neq; divortiorum angustijs per errorem exercitum suum circumduci permisisset; cùm aditus omnes occupare potuisset; & effugia scientibus satis tuta paterent.

II. Agamemnonis exercitum Strabo Cretensis dicit turpiter rêtulisse pedem: cùm Mysiam per ignorantiam veluti agrum Trojanum popularetur.

III. Persæ quondam Salgancum gubernatorem suum injuria jugulaverunt: ut qui arbitrarentur, illum malè classis suæ cursum ex Malea ad Euripum direxisse.

IIII. Simili etiam temeritate Aphricani Pelorum necaverunt: & ex illius sepulchro perpetua ignorantiæ suæ monumenta statuerunt: quasi existimantes, angustiores quasdam maritimas trajectiones recurrentia freta esse, vel scopulosas Syrtes, & loca navigijs neutiquam pervia.

V. Omitto Thermopylarum angustias: quæ ex ignorantia Persarum diuturnam Leonidæ gloriam pepererunt.

VI. Omitto etiam Parthorum contra Crassum victoriam: quæ ex inscitia quoque regionis manavit. Et innumerabilia alia exempla. *Idem ibidem.*

# CCXXVII.

*De Effectu annonæ multæ expeditiones irritæ fiunt: & magni exercitus solvuntur. Petr. Gregor. Tolos. lib. 11. de Repub. cap. 3. pag. 663.*

*Qui frumentum neceſſariumq; commeatum non præparat: vincitur ſine ferro. Et reliquis quidem caſibus poteſt in tempore ſubveniri: pabulatio & annona in neceſſitate non habent remedium, niſi antè condita, ad nutriendum exercitum, vel ad præſidium, & obſidionum moras ſuſtinendas. Nec diſciplina militaris ibi ſervari commodè poteſt: ubi eſt victus penuria: & jejunus eſt miles. Quin & contrà, exercitus in illo defectu ad deſperationē ductus, audendi in provinciales, & vexandi proprios, videtur habere impunitam libertatem: & transfugiendi ad hoſtes, proditis Ducibus, occaſionem. Ibidem.*

## EXEMPLA.

I. Vt accidit Cambyſi in expeditione inſtituta contra Aethiopes: in qua nihil invenientes milites quod ederent, & ad ſabulum pervenientes, ubi etiam nullæ herbæ victui commodæ, ſortiti ex ſeipſis decimum quemq; comedebant: donec Cambyſes, veritus ſuorum militum depaſtionem mutuam, inter milia adverſus Aethiopes expeditione, retroceſſit: Thebasq; pervenit, multis de exercitu ſuo amiſſis.

II. Romani ad hunc uſum in plerisq; oppidis in totum annum habebant condita; acetum, frumentum, lardum, ordeum, paleas. *Idem ibidem.*

III. Sic antequam exercitus Perſarum ſe committeret itineri (*ut eſt apud Xenoph. in 4. Cyripædiæ*) ante omnia commeatus parabatur; comparatis omnibus, quæ rei militaris apparatus exigebat: & rei frumentariæ & pecuariæ.

IIII. Quando univerſus Iſraël congregatus eſt, pro vindicanda injuria facta uxori Levitæ, contra Benjamin, cauſa probata ut juſta belli: Decemviri, inquit, eligantur è centum ex omnibus tribubus Iſraël: & centum de mille: & mille de decem millibus: ut comportent exercitui cibaria: ut poſſimus pugnare contra Gabaa Benjamin.

V. Helvetij tempore Iulij Cæſaris, bellandi cupidi, anguſtos ſe fines habere arbitrati pro multitudine hominum, & pro gloria belli atq; fortitudinis, cùm conjuraſſent de occupanda Gallia: priùs conſtituerunt ea: quæ ad proficiſcendum pertinerent: & creverunt jumentorum carrorumq; quàm maximum numerum: ſementes quàm maximas per biennium antè fecerunt: ut in itinere copia frumenti ſuppeteret:

cum vicinis civitatibus pacem & amicitiam confirmarunt: & singulos proficiscentes, trium mensium molita cibaria sibi domo efferre, jusserunt. *Idem pag. 662.*

# CCXXVIII.

*Bellorum nervus pecunia.*
*Pecunia conservat bella.*

*Maximus nodus est in bello inopia rei pecuniariæ. Guilielmus Brussius Scotus in consilio de bello adversus Turcas gerendo.*

*Bellum ferè non magis stat ope armorum: quàm sumptibus. In orat. Archidami apud Thucyd. lib. 1. pag. 26.*

Necessariæ sunt magnis Principibus largitiones ad hostium consilia, copias, opes evertendas. Nec potest ullum magnum imperium speculatoribus carere. Ac sæpiùs hostes corruptis ducibus ac magistratibus, quàm fusis legionibus vincuntur. Nec verò arx ulla tanta est, tantisq; præsidijs ac propugnaculis obfirmata ac munita: quæ non facilè possit expugnari: si jumentum aureis nummis onustum eò penetrarit: ut Philippum I. Macedoniæ Regem dixisse ferunt: qui largitionibus ac donis Græciam penè totam sub imperium subegit. *Ioh. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 2. pag. 1013.*

## EXEMPLA.

I. Interrogavi aliquandò quendam Capitaneum, egregium Virum, qui erat pulsus à Gallo in bello Iuliacensi: an verum esset, quòd Duces bellorum nostro tempore (sicut ferunt) tam gravatim in certamen cum hoste descendant? Ille inquit: profectò verum est: & dicam tibi tres causas, quare sic fiat. Prima & principalis causa est: quia habemus Reges & Principes: qui non intelligunt bella: & quando postea committitur error in bello & pugnando: tunc omnis culpa confertur in unum aliquem. Secunda: quia cùm sit boni Ducis non devitare pericula: sed cohortari milites, & cum illis etiam in maximis periculis vitæ obequitare, & omnia perlustrare: etiam parcimus libenter nostris corporibus. Tertiò ideo libenter differimus bella: ut habea-

mus plus stipendij. Quia *moventes bella, eadem temeritate finiunt bella, cùm non amplius habent pecuniam: qua inceperunt, cùm haberent.*

II. Audivi alium Capitaneum, cùm esset bellum motum inter duos potentes Dominos, idq; valde metueretur, dicentem: Non est res periculosa: quia potentes tantùm movent bellum stulto quodam affectu, quando abundant pecunia: ubi verò ea est exhausta: tunc faciunt fœdera & conditiones pacis: etiamsi nihil earum rerum sit transactum: propter quas priùs bellum moverunt. Et sic accidit in isto bello, quemadmodum Dux ille prædixerat.

III. Landgravius bonus Princeps, ipse ad me dixit: Quàm diu habui pecuniam, & militibus tempestivè persolvi stipendia: tamdiu bonam disciplinam militarem in exercitu conservare potui. Sed si Duces non possunt solvere: tunc nihil est: & disciplina militaris strictè servari non potest. *Philip. in Locis Manlij pag. 262. 263. 264.*

IIII. Sic Enicus Lupides, Comes Tendillanus, Dux insignis, in bello Granatensi, Almæ urbi præfectus, in summa rei pecuniariæ desperatione, dum expectaret pecunias à Rege Ferdinando, & Regina Isabella: ex charta panucea fecit schedulas sua manu propria, atq; subscriptione signatas: quasdam vocans aureos, argenteos numinos, æreos, alios, semisses, trientes, quadrantes: hisq; inter se emptiones, & commercia facta sunt: pollicitus, se daturum pro illis fictitijs, veras pecunias, post receptionem.

V. Idipsum fecisse traditur Dominicus Michaël, Dux Venetorum: cùm procul abesset domo, classe Tyrum obsidens, in expeditione Asiatica. Cùm enim pecuniæ defectu stipendium reddi nequiret remigibus & socijs navalibus: ex loro pecuniam publica forma signavit: quam pro aurea & argentea, certis distinctam characteribus, in stipendium navalibus numeravit turmis: pollicitus fore: ut mox domi pro alutinis, aurei & argentei pari numerò habentibus repræsentarentur nummi: quod & factum est.

VI. Honestum illud exactionis genus, Edvardus IIII, Anglorum Rex excogitavit: quod Benevolentiam appellavit. Egit enim cum amicis: ut sponte ad sumptus belli pecuniam erogarent: quòd ipse ex ea re benevolentiam singulorum mensurus esset: ut scilicet eum, qui plùs daret, plus diligere censeret. Quo postea Henricus VII. usus, magnam pecuniæ vim collegit.

VII. Summa effecit necessitas Anno Domini 1456. ut pro bello Prussico gerendo, tributum in Polonia imperatum sit à Rege Casimiro: ut Rex pariter, & Ecclesiasticus, Equestrisq; ordo universus, dimidium annuorum censuum conferrent: ne honorum quidem & magistratuum fructibus exceptis: oppidani verò, soli juxtà ac mobilium bonorum æstimatione facta, ut binos grossos à marca penderent: agrestes verò, singulos grossos in capita marium & fœminarum: cæterùm equestres homines, qui nullos haberent agricolas & asscriptitios, neq; census vicenos, quaternos grossos. *Petr. Greg. Tolos. lib. 3. de Rep. lib. 3. cap. 6. pag. 99.*

# CCXXIX.

*PRovocator plerunq; à provocato vincitur.*

*Sæpe conditio provocantis est deterior conditione provocati.* Bucholc. *in Chronol. pag. 385.*

*Experientia & exitus singularium certaminum declaravit: plerunq; accidisse: ut provocans succubuerit: & pœnas suæ audaciæ dederit.* Philip. Camerar. *Centur. 2. Oper. succis. cap. 19. pag. 112.*

*Ex historiis constat, plerunq; in duello provocantem victum fuisse.* Idem *cap. 20. pag. 115.*

*Semper provocati, quàm provocantis conditio favorabilior esse solet.* Sebastianus Ambrosius *in defensione sua contra Gregorium Horvath.*

*In provocationibus universale est, quòd provocator interficitur.* Quare? quia, Qui accipit gladium, gladio peribit. *Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 4. pag. 604.*

*Provocator plerunq; succumbit,* juxta dictum: Dissipa gentes, quæ bella volunt. *Strigel. 2. Paralip. 25.*

*Illi, qui respuunt conditiones pacis, & illi, qui provocant alios ad bellum, plerunque vincuntur.* Philippus An. 1551. *in Cordiali Abrahami Bucholceri, pag. 120.*

*Imbecilliores plerunq; vincunt, quando altera pars confidit suis viribus.* Idem *ibid. pag. 93. b.*

Wenn einer ander Leute mutwillig außfodert / sich mit andern balgen / vnd ja seines Nehesten Haar haben wil / So

lest

**leſt es Gott gemeiniglich vber ſolche Balger außgehen / denen der Tolch ſo leichte ſteckt / das ſie gemeiniglich auff dem Platze bleiben.** *Sigfridus Saccus in Poſtilla pag. 376.*

**Wer das Meſſer am erſten zuckt / muß es auch zum erſten einſtecken. Wer zu letzt zuckt / der ſteckt zu letzt ein.** *Lutherus in Colloq. cap. 35. pag. 388.*

Illa Antiphontis Attici Oratoris vox vera eſt, & perpetua memoria digna, congruens cũ dicto Pſalmi: Diſſipa gentes, quæ bella volunt: Τῷ μὲν γὰρ ἄρξαντι παντα χοῦ, μεγάλα ἐπιτίμια ἐπίκειται. Τῷ δὲ ἀμυνομένῳ, οὐδαμοῦ οὐδὲν ἐπιτίμιον γέγραπται. Incipienti ubiq; magnæ pœnæ ſtatutæ ſunt. Defendenti verò nulla pœna denunciatur. *Strigel. 2. Reg. 14.*

ἀμυνόμενοι νικῶσιν: defenſione utentes vincunt. ὑπάρχων μάχης, autor pugnæ: ἀμυνόμενος, defenſor, defenſione utens.

Omittant igitur Principes bella injuſta, & non neceſſaria: & meminerint dictum Artabani apud Herodotum in Polymnia: Nemo propriæ ſapientiæ aut potentiæ fiducia res periculoſas, & non neceſſarias moveat. *Strig. 2. Paral. 25.*

# EXEMPLA.

I. David vincit Goliathum.

II. Manlius Torquatus Gallum.

III. Filius Manlij Torquati Plutinum hoſtem. *Livius lib. 7. Decad. 1.*

IIII. Bohuslaus Altus I. Sileſiæ inferioris Dux, in caſtris Cæſaris ad Mediolanum, vincit ingentis ſtatutæ provocatorem. *Cromerus.*

V. Clodius eſt ὑπάρχων μάχης, Milo ἀμυνόμενος: ideo vincit.

VI. Græci cum Perſis conflicturi, conſulunt oraculum de eventu prælij. Oraculum reſpondet: eos fore victores, ſi vim repellerent: non ipſi priores hoſtem adorirentur: ἀμυνομένοις βέλτιον ἔσεσθαι, ἄρχουσι δὲ μάχης οὔ. *Plutarch. in Ariſtide.*

VII. Ariſtoteles in nono de animalibus ſcribit, Cygnos vincere, quando Aquila pugnam incipit: ipſos verò non ſolere initium facere. Verba ejus ſunt hæc: τὸν ἀετὸν ἐὰν ἄρξηται, ἀμυνόμενοι νικῶσιν: αὐτοὶ δὲ οὐκ ἄρχουσι μάχης. Cycni, ſi Aquila pugnandi initium fecerit, defenſione utentes viucunt: ipſi verò non incoant pugnam. *Strigel. 2. Reg. 14.*

VIII. ἀμυνόμενοι fuerunt Romani: de quibus affirmatur, quòd omni caverint ſtudio: ne priores ipſi aliis arma inferrent. *Vide Tom. 5. Decl. Phil. pag. 745.*

IX. Le-

IX. Lepreas filius Glauconis ira & indignatione commotus, quòd Herculem neq; disco neq; aquarum exhaustatione, neq; taurum vorando, neq; bibendo superare posset: sumptis armis, ad solitariam pugnam Herculem provocat. Sed dedit pœnas eorum Lepreas: quæ cum Augea tractaverat de vincendo Hercule: pugnando enim interfectus est. *Aelian. lib.* 1.

X. Romulus ab Acrone Ceninensium Rege ad dimicandum provocatus, victoria potitus est. *Val. lib.* 3 *cap.* 2.

XI. M. Servilius vicies & ter amplius pugnavit ex provocatione: ac semper victor in castra reversus est, hostilibus spoliis onustus. *Sab. lib.* 4. *cap.* 6.

XII. Sicinius Dentatus centies vicies prælliatus est, octies ex provocatione victor. *Idem.*

XIII. Singulare Heraclij Imperatoris & animi & corporis robur fuit, non occidendis tantùm manu sua ingentib. feris, utpote leonibus atq; elephantib. (id quod persæpe spectante populo egit) verùm etiam adversus hostes ipsos. Quod satis apertè testatur facinus in Persida magna virtute gestum: cùm singulari certamine provocatus, solus Persarum ducem Cosroën interemit. *Fulgos. lib.* 3. *cap.* 2.

XIIII. Q. Cotius, propter fortitudinem Achilles cognominatus, Q. Metello Cos. legatus in Hispaniam profectus, Celtibericum sub eo bellum gerens: postquã cognovit à quodam gentis hujus juvene, se ad dimicandum provocari (erat autem illi fortè prandendi gratia posita mensa) relicta ea, arma sua extra vallum deferri, equumque clàm duci jussit, ne à Metello impediretur. Et illum Celtiberum insolentissimè obequitantem confectatus interemit: detractasque corpori ejus exuvias, ovans lætitia, in castra retulit. Idem Piresum nobilitate ac virtute omnes Celtiberos præstantem, cùm ab eo in certamen pugna provocatus esset, succumbere sibi coëgit: nec erubuit flagrantissimi pectoris juvenis, gladium ei suum, & sagulum, utroque exercitu spectante, reddere. Ille verò etiam petiit: ut hospitij jure inter se juncti essent: quãdo inter Romanos & Celtiberos pax foret restituta. *Sab. lib.* 4. *cap.* 6.

XV. Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine nova celebrante, duo regij filij nuper patre mortuo, in arenam processerunt, pollicitiq; sunt, ibi se de regno præliaturos: quo spectaculum illud illustrius pugna sua facerent. Eos cùm Scipio monuisset, ut verbis contenderent, quàm ferro dimicare mallent, uter regnare deberet: ac jam major natu consilio ejus obtemperaret: minor corporis viribus fretus in amentia perstitit: initoq; certamine pertinacior impietas fortunæ judicio morte mulctata est. *Val. Max. lib.* 9. *cap.* 11.

XVI. Cùm Cardinalis Gebennensis, Gregorij Pontificis Legatus, urbem Bononiam obsideret: atq; in exercitu Britannorum magnum numerum haberet; quo tempore eam urbem populus Florentinus defendebat: duo Britones virtute atque animo ingentes, accepta fide, Bononiam ingressi, quæsierunt, Si illic aliquis esset præstanti virtute vir, qui singulari certamine pugnare vellet? Conditionem acceperunt Bettus Biffolis & Guido Assianus Florentini: dieq; ad prælium cõstituta, cùm Legatus egrediendi Florentinis militibus potestatem faciset: inter castra urbemq; ipsam pugnatum est. Biffolis primus Britonem, quo cum pugnabat, ad terram prostravit: & cùm ad occidendum eum ab equo descendisset: superatum hostem, petenti Legato dono dedit. Guido Britoq; alter, cùm se infestis hastis ambo ad terram ab equo stravissent:

victoria penes Guidonem manſit; qui ſimiliter ſuperatum hoſtem, cùm perire poſſet, Cardinali condonavit. *Fulgoſ. lib. 3. cap. 2. & Egnat. lib. 3. cap. 2.*

XVII. Hyllus Herculis filius, aliquem ex occurrentis Attici exercitu, quicunq; is eſſet, ad certamen provocavit, ea cõditione atq; pacto: ut ſi ipſe vinceret: Mycenarum regnum occuparent Heraclidæ: ſin minùs: intra annos 50. vel, ut alij, 100. in Peloponneſum non reverterentur. Hic prodiit Echemon Tegeata: qui monomachiam ſuſcepit, & Hyllum occidit. Itaq; cedere Peloponneſo ex pacto coacti ſunt Heraclidę, circa annum mundi 2768. *Matth. Dreſſerus in Iſagoges hiſtorica millenario tertio, pag. 220.*

XVIII. Pyrrhum aliquoties ſingulari certamine fortem & magnum animum ſuum demonſtraſſe legimus: inprimis verò vulneratus in prælio cum Mamertinis, hoſtem, magna corporis ſtatura, à quo fuerat provocatus, proſtravit. Generoſus enim Rex hanc provocationem tam ægrè tulit: ut cruore adhuc reſperſus, dolore ſimul & ira percitus, truci & terribili aſpectu, in aciem redierit: gigantemq; repentè adortus, adeo vehementi ictu ejus caput percuſſerit: ut uſque ad infimas partes ferro adacto, frusta fiſſi corporis hinc inde ad terram deciderint.

XIX. Simili felicitate Georgius Caſtriotus, à Turcis dictus Schanderbeg, ſingulari certamine, cùm antea quoque in hoc genere pugnæ cum Perſis, Scythis & aliis ſæpiùs victor extitiſſet, devicit Feribaſſam; a quo provocatus ferociter fuerat. *Philip. Camer. Centur. 2. Operar. ſucciſiv. cap. 19. pag. 108. 109.*

XX. Dioxippus Athenienſis, pugil nobilis, nudus, & oleo nitens, coronatusque, læva tantùm puniceum amiculum, dextra validum nodoſumque ſtipitem præferens, vicit provocatorem, Horratam Macedonem, juſtis armis inſtructum, æreo videlicet clypeo, haſta, quam ſariſſam vocant, læva, dextra lanceam tenentem, gladioque cinctum: cùm in congreſſu exigua declinatione corporis lanceæ jactum vitaſſet: haſtamque, antequam in dextram transferret, ſtipite mediam fregiſſet; mox gladiatoria agilitate occupatum complexu, pedibusque repentè ſub ductis, in terram arietaſſet: ereptoq; gladio, ſtipite interfeciſſet: ni prohibitus fuiſſet à Rege. *Idem pag. 112.*

XXI. Anno poſt natum CHRISTUM 1468. cùm Sigiſmundus Auſtriacus, numeroſo exercitu, & auxiliaribus copiis Electorum, & Principum Imperij, Venetiis bellum inferret; & Rovereto ad Atheſin obſideret: e contrario Venetorum exercitus in ſubſidium oppidi veniret; accidit, dum uteriq; exercitus non procul inter ſe caſtra haberent: ut Antonius Maria, Ruperti Mariæ, Venetorum Ducis, filius, Italus, voce militari provocaret Germanos: ſi unus ex illis, duello ſecum, fortitudinis ergò, utra gens bello præſtantior eſſet, dimicare veller. Accipit hanc conditionem Iohannes, Comes Sonnebergius, ex gente Dapiferorum VValburgenſium. Conventum itaq; eſt: ut victor mille florenos, & equum atq; arma victi, trophæi loco, lucraretur. Locus autem certaminis in ripa Atheſis, intra duo caſtra medius deſtinatus eſt: additis campi cuſtodibus, quos Griſvverthel vocant, unicuiq; parti quatuor, viris militaribus: addita pœna ſuſpendij: ſi quis alius præter illos, vel verbo, nutu, aliove ſigno, indicium daret. Huc acceſſit pactum: uter ex pugnantibus nomen S. Catharinæ inclamaret: ut is pro victo haberetur; & tunc demum cuſtodes illi deſtinati poteſtatem haberent, jacenti ſubveniendi: atque pecuniam, equum, atque arma victori tradere tenerentur. Equites igitur armati ambo intrograſſi carceres & ſepta ad pugnam parata, mox haſtis infeſtis concurrerunt. Aberravit Sonnebergius: Antonius Maria verò in pectore ejus

re ejus cuspidem hastæ, absq; alia læsione, fregit; cujus equus concitato cursu carceribus impegit; & cum eo hoc impetu extra eos corruit: qui tamen hoc casu imperterritus, mox assurgens, licet ex equite pedes, intrò rursus se recepit: cui Sonnebergius stricto gladio in equo occurrit: & econtrà Mariam obvium cum suo gladio habuit. Dum igitur impari pugna, eques cum pedite, paribus tamen armis fortiter pugnant: & Sonnebergij equus sese attolleret: & retrocedens congressum veluti subterfugeret: singulari agilitate, ex arte gladiatoria, Maria Sonnebergio gladium eripuit. Is erat ex eorum genere; quibus punctim utimur: & Treffecker / vel vulgò Bratspieß vocantur. Præter opinionem Sonnebergio hoc accidit; qui se tamen ideo non deseruit; sed converso equo, de illo desilijt. Interea Maria tam suum, quàm hostis gladium in terram defigit; experiri volens, utrius lamina firmior & aptior ad inferendos ictus esset: mox abjecto suo, hostis sui retinuit: eoque fretus fortiter in illum irruit. Cui non cessit Sonnebergius: sed clava & pugione se defendit. Cùm verò illam abjiceret: Germanicus exercitus, metu hoc fieri timens, admodum exhorruit. At Sonnebergius, aliquot ictibus hostilis gladij pugione excussis, utque à gladio minus periculi esset, propiùs ad illum accedens, luctari cum suo adversario cepit; qui abjecto gladio, eum amplexum magna vi prosternere conatur. Sed viriliter à Comite resistitur: donec ambo lassi luctando simul corruunt; ita ut Maria collum ejus dextro suo brachio teneret; ille verò jacentem sinistro fœmore sub se premeret. Resumptis deinceps ex lucta paulisper viribus; Sonnebergius sinistra manu dissimulanter explorans, an luctator suus circa nates aliquo modo extantes lorica armatus esset, quam detegere posset: id sentiens, pugione à tergo ex dextra in sinistram translato, sublata lorica hostis sui, eum in natib. vulnerare cepit: qui ab illa parte corporis nudus, sentiès ictus ingeminari; absq; mora Catharinæ nomen proclamavit; quod, ut diximus, erat signum deditionis. Audito hoc, ejus custodes quatuor accurrunt: & Mariam prostratum & vulneratũ erigunt: atq; subtrahunt ex pugna, ne occideretur. Hic fuit monomachiæ finis: ex qua Germanicæ nationis laus & honor admodum aucta, & hostibus formidabilior facta fuit. Atq; ita exitus hujus duelli confirmat id, quod in hac Regula dicimus: *plerunq; in duello provocantem victum fuisse.* *Idem cap. 20. pag. 113. 114. 114.*

# CCXXX.

## *Avium pugnæ futurorum bellorum indices.*

## EXEMPLA.

I. Audiamus quid Iovianus Pontanus gravis autor (*in fine lib. 2. de Bell. I. Alphon. F.*) de conflictu avium scribat. Anni, inquit, hujus (qui fuit à nato CHRISTO 1461.) exitu in campis, qui Beneventum inter Apiciumq; interjacent, fœdum certamen inter corvos miluiosque exortum est: sive ostentum illud fuerit, prognosti-

cumq; futuræ ad Trojam pugnæ: seu naturalis contentio: quòd multitudine locustarum, ijs in campis, eo autumno prognatarum, quibus alites ipsi vescantur, propterea sit ob pastus cupiditatem. Primo igitur è certamine (nam bis pugnatum est) quod miluij acrioribus magisq; falcatis armati essent unguibus, alisq; uterentur potentioribus, majoresq; captarent auras, corvi cùm discessissent inferiores: paucis post diebus, ac si imploratis aliunde auxilijs, redière densiore agmine generis sui volatum. Quod idem factitatum à miluijs. Cepta igitur acri in aëre pugna, corvi sensim, quasi inito consilio, arteque hac usi, intra vineta subsidêre: stantesq; aut super vitibus, aut defrondibus, aut super editioribus ramis, truncove eminentioribus, rostra subigebant: ingruentesq; alis atq; unguibus milvios suffodiebant rostris quasi pugione. Itaq; cernere erat cadentes passim atq; exenteratos milvios: singulorumque adhuc conclamare corvos: crocitatuq; significare victoriam: & tanquam cohortari ad cantu, atque excire pugnantes. Quo pugnæ genere cùm certatum esset diutiùs, tandem cadentium milviorum campis, ipsi tanquam in insidias delatos se intelligentes, pugnam deseruêre, confessi volatu fugam, atq; alitis hostis, super stragem victoriam. Hîc verò elatus victoria corvus, atq; in cædem versus, in stratos hactenus milvios sævire: iramq; ad rabiem exercere: conficere rostro semineces: atq; è mortuorum aut capitibus cerebrum eruere: aut haustis è visceribus intestina trahere ungibus: carpere præcordia: ac discindere armos rostris: demum nihil iræ reliquum facere: nihil non permittere rabiei. Atque ex hoc certamine victor plures dies perinde ac direptis hostium castris, liber, lætusq; passim ferebatur. Hanc pugnam volucrumq; conatus tantos plurimi mortales spectatum cùm veniissent: quo stragem ipsi cernerent: per vineta camposq; vagabantur. Itaq; alij pugnæ genus acre cruentumq;, stragē alij tantam mirabantur. Erant qui vulnerum vastitatem, & congestos quasi cæsorum acervos, suspicerent: nemo tamen, qui non futurum brevi contendentium exercituum auguraretur certamen, partisque alterius calamitatem. Hæc Pontanus: cujus verba recensere libuit, cùm propter elegantiam styli: tum propter luculentam narrationem hujus memorabilis & portentosi certaminis. Etsi autem fieri potuit: ut istæ aves prædam locustarum istis in campis, sicut utraq; ad illam avida est, sectatæ sint: & ob eam causam inter se dimicarint: cùm præsertim & Plinius tradat: Seleucides aves incolis Casij montis fruges à locustis tutas servare: tamen hoc certamen non fortuitum fuisse, exitus pugnæ sanguinolentæ, quæ illis in locis paulò pòst evenit, declaravit.

II. Nicetas quoq; de pugna cornicum & corvorum scribit: quæ accidit inter istas volucres ante atrocem Scytharum, Iohanne Myso duce, in Thraciam incursionem. Hæ, aliæ à Septentrione, aliæ ab Austro in unum locum congregatæ, inter sese velut acie quadam instructa acriter cōflixêre. Corvi qui à Septentrione venerant, meridionalium cornicum phalanges in fugam verterunt. Paulò pòst Scythæ cum Italis conflixerunt: & Itali magna clade accepta superati sunt.

III. Eodem modo Sabellicus (*Decad. 2. lib. 3.*) refert: pridie quàm Veneti fœdissimam cladem ad Sapientiam insulam acciperent: corvorum vim ingentem supra classem conflixisse: atq; alteram partem ita vexatam: ut plumæ cruorq; fusus in Venetas triremes decideret. Ad quod prodigium accessit, remigem unum in mare lapsum, dum in alteram triremem transire parat, à marina bellua statim devoratum.

IIII. Huc addi potest, quod Ricardus Dinothus (*in adversaris de prodigijs*) memoriæ tradidit: quòd circa tempora Alberti Cæsaris in Gallia ad Leodium corvi ac-

cipitresq;

cipitresq; adeò atrociter conflixerint: ut cruor & plumarum vis ingens in terram defluxerit: sed post acrem dimicationem accipitres superiores extitisse. Vbi quoq; refert: quòd in Italia ex pyro arbore duo formicarum examina, ex adverso concurrentia, pugnam ediderint insignem, cædemq; utrinq; teterrimam, multis ad id spectaculum accurrentibus. Paulò pòst acerrimum bellum secutum inter Insubres & Venetos: & Leodienses cum Burgundis prælio cruentissimo decertasse: quo ad triginta millia hominum cecidêre.

V. Addit ibidem & hæc: regnante apud Gallos Carolo VIII. in Britannia Armorica, in subjectis Sanctalbani campis, ex diversis Galliæ partibus affluentes picarum & graculorum greges summa contentione decertârunt: & post variam utrinq; cædem graculi victoria potiti sunt. Sequenti anno Francorum & Britannorum acies infestis signis depugnarunt: & Franci de Britonib. insignem victoriam, captis eorum Ducibus, reportarunt.

VI. Nuperquoq; Anno nimirum 1587. mense Decembri in Croatinis finibus ad VVihizium, Caroli Archiducis Austriæ castrum, quasi nubes quædam anatum & anserum, aliquot sanè myriadum advolavit: seq; proximum in stagnum demisit: ubi noctu strepitus ingens pugnantium inter se volucrum in tota vicinia, seq; mutuis conficientium vulneribus, auditus fuit. Egressi posti die milites, cives, agricolæ, tantam & anatum & anserum copiam, ad fumum, ad aërem exsiccandorum congesserunt: ut diu tam opima sint victituri commodè præda. Nam alij 100 alij 200. plures alij, pauciores vè collegerunt mactatas ab se invicem volucres. Tandem è prato quodam spacioßissimo sublatis superstites alis avolarunt. Hæc ita refert Leonclavius noster *in supplem. Annal. Turcicorum.* Et paulò pòst addit: sub finem anni Decembri mense, Croatinis in finibus aliquot millia Turcorum à nostris numero longè imparibus fuisse cæsa, & inter eos Bassæ Bosnensis fratrem. Anno quoq; sequenti mense Februario, nostros Copanum, arcem non procul sitam lacu Balatone, tunc temporis congelato, quo tres Turcorum Begi convenerant, ex inopinato adortos cepisse: in qua fuerint mille Turcorum plus minusve capita. Eodem anno mensis Augusti die octavo, Georgium Serinium Comitem cum aliis Cisdanubiani limitis custodibus, Turcos nõ absq; ingenti cæde recuperata præda, supra Catzerolacum ad unum à Canisa milliare, vicisse & profligasse, captis & cæsis hostibus circiter 5000.

VII. Simulem pugnam nostrorum patrum memoria in Caramania accidisse, inter terrestres & fluviatiles serpentes, historiæ testantur: qui per triduum inter sese magna contentione certârunt: quod certamen plusculos post dies secutum est prælium atrocißimum inter Turcos, ob intestinas simultates & regnandi cupiditatem. Observatumq; est, ex illa parte victoriam stetisse: in qua serpentes fuêre superiores. *Hackenus Philip. Camerar. in Operis succisiv. Centur. 1. cap. 68: pag. 315.*

VIII. M. Brutus cùm exercitus sui reliquias adversus Cæsarem & M. Antonium eduxißet: duæ aquilæ ex diversis castris advolaverunt: & edita inter se pugna, ea quæ ex parte Bruti fuerat, malè multata fugit. *Val. Max. lib. 1. cap. 4. Appian. lib. 4. bellorum civilium.*

IX. Anno 1525. hat man offt vnd vielmals vber dem Schloß Mansfeldt/ vnd auch sonst an andern orten mehr/ die Krahen vnd Dolen wider einander ziehen/ vnd gleich gegen einander streiten/ gesehen/ das derer etliche herab auff die Erden gefallen. Haben auch die Berg Jungen die

Fasten vber/wo sie des Sontags zusamen komen/ Kriegßordnung gemachet/ sind in einander gefallen/ sich mit Stecken geschlagen/ vnd wol turniret. Welches alles fürbedeutungen gewesen/ der hernach folgenden Bawren auffruhr. *M. Cyriac. Spangenberg in Chron. Mansfeldensi, lib 1. cap 362.*

X. Anno 1134. als die zween Bapste sich zu Rom vmb den Stul drungen/ sahe man in Gallia viel Vogel in der Lufft miteinander streiten/ das etliche todt auff die Erde fielen. *Georg. Nigrinus lib. 5. de Inquisit. Pontif. cap. 73. pag. 419.*

# CCXXXI.

*VEnti sæpè indices sunt victoriarum.*

*Venti & æther sæpè pro nobis pugnant.*

*Sæpè ex ventis prædici potest: utra pars futura sit superior.*

*Venti præliorum eventum indicant.*

*Venti bellorum indices.*

*Ex vētis facilimè potest de evētu prælij judicari.* *Philip. in Locis Manl. pag. 46.*

*Quando habetis flatus in peregrinatione adversos: tum vestra negocia difficulter procedent. Quia boni Angeli & Diaboli inter se dimicant: quod existimo universaliter verum esse.* *Idem pag. 47.*

Narrant rei militaris periti: ante cōflictum certis signis deprehendi posse, uter exercitus sit victurus. In altero enim, qui profligandus est, silentium & stuporē animadverti, cùm in equis, tum in viris: non exaudiri ullum fremitum & clamorem hominum aut equorum. In altero verò, miram esse alacritatem ad confligendum, & animum quodammodo præsagientem ac promittentem sibi victoriam. Quia Dominus est Vir bellator: qui gubernat manus ad prælium, &

dando

dando & auferendo ſpiritum Principum. *Strigel. Pſal. 76. pag. 27. Vide Luth. in Geneſ. cap. 35. pag. 526.*

Cùm contra Cæſarem Cn. Pompejus pugnaturus eſſet: ſubita triſtitia militum animi implicati fuêre: nocturniq́ue terrores totius exercitus. *Val. lib. 1. cap. 6.*

## EXEMPLA.

I. Anno 1513. die 10. Sept. Iacobus Scotiæ Rex, qui contra fœdus & juramentum, in gratiam Regis Galliæ, inferebat bellum Anglis, a Ducibus Henrici, quos Rex, profiſcens ad bellum Gallicum, in regno reliquerat, cum flore nobilitatis & gentis ſuæ trucidatus eſt, ad Thylen fluvium. Annotatum eſt, nobilem quendam Scotum, qui Londini in Anglia aſſervabatur in carcere, dixiſſe: Si quidem prælium committetur hodie: ſcio meum Dominum futurum eſſe inferiorem: quia animadverto, in illo conflictu & turbine ventorum, Scotiæ admodum eſſe contrarios ventos. *Ioach. Curaus in Annalib. Sileſia, pag. 232. & Philip. in Locis Manl. pag. 46.*

II. Macrinus Imperator ex pugna cum Heliogabalo fugit, & Romam properare contendit. Sed adverſo vento uſus eſt, quaſi flatu ipſo ad ſupplicium retrudente: & Chalcedone Bithyniæ urbe interficitur. *Herodian. lib. 5.*

III. Homerus *Iliad. μ.* ventos Græcis adverſos fuiſſe ſcribit, & victos.

IIII. Impetus Attilæ ad urbem Aureliam primùm repreſſus eſt. Fuerat pro urbe Aurelia deprecator ſenex Epiſcopus Anianus: ſed ſpreta ejus deprecatione, Attila, tentata oppugnatione urbem capere & delere conatus eſt. Ibi cùm in muro ſtãs Anianus precationem diceret, inſpectantibus hoſtibus & civibus: ſubitò tonitrua & fulmina de cœlo miſſa, multos hoſtes in foſſis & in ſcalis interficiunt, & Attilam conſternatum avertunt. *Tom. 3. Intimat. VViteberg pag. 69.*

V. Theodoſio Auguſto ſatis parva manu pugnã cum Gotthis conferenti, tempeſtas repentè cœlo immiſſa opitulata eſt, tanta ventorum mole, à tergo ſuo in hoſtiũ oculos, atq; acies: ut tela ab ijs emiſſa retorqueret: ictuſq; eorum fruſtraretur: retroverſumq; uti terga darent cogeret. Vicit igitur Theodoſius præſidio repentinæ, ut apparet, procellæ. At nihilominus conſulenti Theodoſio Ioannes Anachorita reſpondit, Vir utiq; DEO maximè ob ſanctitatem acceptus: monũitq; triduo univerſo cum exercitu jejunaret: remq; divinam DEO faceret: inde pugnam audacter capeſſeret: quoniam DEVS eſſet pugnanti affuturus. Cujus rei, ut Horoſius etiam teſtatur, Claudianus meminit, inquiens:

*O nimiùm dilecte DEO, cui fundit ab antris*
*Æolus armatas acies: cui militat æther:*
*Et conjurati veniunt ad claſſica venti.* *Ioh. Ioſ. Pontanus lib. 2. de Fortuna, pag. 288.*

VI. Circumceſſa ab Neapolitanis acriter Siponto in Apulia: multos poſt obſidionem dies, erumpentibus Sipontinis, acriq; pugna conſerta manu: Gargano è monte, coorta procella, tanto repentè impetu, molèq; tonitruum ac fulgurum tanta in Neapolitanos ingruit: ut non ab ijs pauciores extincti fuerint: quàm gladio cæſi.

Atqui

Atqui Laurentius antistes, maximè sanctus Vir, antè Sipontinos admonuerat eruptionis dieiq; ; qua erumpendum esset ; jejunio priùs ac rebus divinis peractis : quoniam Gabriel genius à Deo in somnis ad ipsum missus ita monuisset. *Idem ibidem.*

VII. Tempestas Timoleonti pugnanti contra Carthaginenses opitulatur à tergo Græcos tangens, Carthaginensibus verò faciem feriens. *Plutarch. in Timoleonte pag. 225.*

VIII. Deboræ & Baroco ipse æther militat. Contra Iabinum enim Regem Cananæum de cœlo dimicatur : & sidera ipsa radios suos desuper in exercitum jaciunt : donec visu privatus & dissipatus deletur.

IX. Extat in historia de rebus gestis Fronspergij : cùm Galli obsedissent Neapolim ; in qua conclusus Cæsaris exercitus erat : Austrum tam memorabilem in castris Gallorũ concitasse pestem ; ut intra dies octodecim, ex 30000. Gallis, vix 1700. superstites manserint. Ita Deus mirabiliter Cæsareanis pepercit ; Gallosque, qui contra Cæsarem arma sumpserant, ultus est. Factum id est à mensis Iulij die 15 usq; ad 5. August. An. 1527. Non multò pòst, cùm Neapolin obsidione solverent : horrenda tempestate reliquiæ miserabiliter sunt afflictæ. Ita non solùm venti, sed etiam æther pro Cæsare pugnavit.

# CCXXXII.

*Sæpè Deus punit homines propter priora delicta : etiamsi in præsenti negocio justã causam habent. Strigel. part. 1. Locor. Theol. pag. 317. & part. 1. Chron. pag. 404.*

*Sæpè homines propter priora delicta puniuntur : etiamsi in præsenti casu habent justitiam causæ. Id. in Chron.*

*Sæpè etiam in causa justa puniuntur homines, & patiuntur ad tempus : tandem causa vincit : etiamsi homines puniti sunt. Philip. in Cordiali Abrahami Bucholceri, pag. 62. b.*

*Nemo confidat justitiæ causæ suæ : multò minùs viribus : quia etiam in causa justa sæpè homines vincuntur & succumbunt : propterea quòd ad perpetu-*

*um*

*um successum & eventum non sufficit justitia causæ: sed modus agendi.* Non satis est, aliquem justè, lacessitum, arma capere ad injuriam depellendam: sed modum agendi oportet observare: ut dictum sonat: Quod justum est, justè persequaris. Non semper justis in causis arma justè capiuntur: quia alij sunt modi justam causam persequendi: sed melius est, experiri alia media: & postea cùm arma justè capiuntur: tamen multa accedunt: quæ causam justam corrumpunt. Propterea *justa etiam causa non semper habet eventus prosperos:* sicut dicitur: Bona causa malè agendo corrumpitur. Multò minùs illi vincunt: qui fiducia virium arma injusta capiunt. *Peucer. in lect. Chron. die 26. Septemb. Anno 1572.*

## EXEMPLA.

I. Græci qui intulerunt bellum Trojanis, propter scelus Paridis, habuerunt justissimam causam belli. Nam justum bellum aut est necessaria defensio: aut legitima pœna: aut recuperatio amissi dominij. Pertinet autem bellum Trojanum ad secundam speciem: quæ est legitima pœna. Cur igitur DEVS punivit Græcos, & quidem summos principes? Non propter hanc causam: sed propter priora delicta. *Strigel. part. 1. Chron. pag. 404.*

II. Simile exemplum habetis in sacris literis, *in libro Iudicum cap. 20.* de bello, quod gesserunt undecim tribus cum tribu Benjamin, propter stupratam Levitæ conjugem. Quidam petulantes in tribu Benjamin rapuerant, & salvo honore stupraverant uxorem Levitæ, facientis iter per tribum Benjamin. Cùm igitur ad pœnam autores tanti sceleris peterentur; noluerunt magistratus illius loci ea facere: quæ in tali delicto puniendo decent gubernatores. Itaq; undecim tribus coactis maximis copijs, & quidem DEO mandante hanc executionem pœnæ, intulerunt fratribus suis Benjamitis bella. Etsi autem causa decem tribuum erat justissima: quia erat legitimum bellum adversus notoriam injuriam: tamen in primo & secundo prælio multa millia cæsa sunt in exercitu undecim tribuum. Quærat aliquis hoc loco, Cur DEVS punivit gerentes bellum justum & necessarium, & ab ipso DEO mandatum? Respondeo. Habuerunt quidem in hoc negocio undecim tribus justam causam: sed propter alia peccata priora punitæ sunt: tandem verò exitus hujus belli congruit cum justitia: quia in postremo prælio tota tribus Benjamin deleta est: exceptis quingentis: quibus tanquam supplicibus DEVS jussit parci: ut essent seminaria hujus tribus. Voluit enim DEVS tribus esse distinctas: ut sciretur, ex qua tribu Messias venturus & nasciturus esset. *Idem part. 1. Locor. pag. 317.*

# CCXXXIII.

*EX historiis liquet: quòd fortes & egregij Imperatores & Duces militum, plerunq; gloriam & celebre nomen pluris fecerint: quàm opes, spolia & prædas hostiles: illaq; contenti militibus suis has reliquerint. Philip. Camerar. in Operis succis. cap. 78. pag. 376.*

Rectè Bodinus (*in methodo hist. cap. 6.*) ex sententia Aristotelis Principem instituendum putat: ut solida veraq; laude pascatur: in eaq; sensim adolescat. Qui si gloria, inquit, non erit contentus: in Tyrannum evadet. Quæret enim opes ac voluptates: hinc ad rapinas & stupra convertetur. Id quod accidit Dionysio juniori: quem pater in ocio ac delicijs ita educaverat: ut neq; ex ergastulo in lucem prodiret: neq; ullis omnino disciplinis imbueretur: nec veræ laudis gustum ullum haberet. Itaq; cum adulatoribus pernicioſissimis tantisper voluptatibus induisit: dum ex illa tyrannide, veluti ex carcere deturbaretur. Qui autem gloriæ cupidus erit: non modò infamiam ac vitæ turpitudinem fugiet: sed etiam intelliget: verum decus in sola virtutis actione versari: qua quidem regat improbos: tueatur bonos, factaq; fortium & sapientium laudibus ac præmijs, cum improborum ignominia sempiterna, prosequatur. *Idem ibid. pag. 380.*

## EXEMPLA.

I. Ferunt, ut post alios historicos Plinius (*de Vir illustrib. cap. 33.*) scriptum reliquit, M. Curium Dentatum, cùm interversæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulisse, juravisseq; se nihil amplius de præda hostili in domum suam convertisse: cùm tamen antea in Senatu ita dixisset: Tantum agri cepi: ut solitudo futura fuerit: nisi tantum hominum cepissem: tantum porrò hominum cepi: ut fame perituri fuerint nisi tantum agri cepissem.

II. Hunc imitatus est L. Paulus Aemylius. Is enim cùm Perseo potentissimo

Rege

Rege Macedoniæ devicto, Macedonicis opibus veterem ac hæreditariam urbis paupertatem satiasset: penates autem suos nulla ex parte locupletiores feciſſet: præclarè secum actum existimavit: quòd ex illa victoria alij pecuniam, ipse patriæ salutem & gloriam sibi parasset. *Valer. Maximus lib. 4. cap. 3.*

III. Eadem de Catone perhibentur. Is enim cùm Hispaniam citeriorem, & in hac quadringentas urbes cepisset: de præda, quæ fuit ingens, ad se nihil redijsse affirmavit: nisi quæ ederit & biberit. Neq; enim, inquit apud Plutarchum, culpo eos: qui bello rem facere student: ipse cum optimis de virtute, quàm de pecunia cum ditissimis, aut avaritia cum avarissimis contendere malo.

IIII. Sic ajunt Themistoclem, cùm aliquando post victoriam, ad mare, visendi cadavera gratia accessisset: ac torques, armillasq; passim disjectas videret: ipsum quidem præteriisse: sed amico, qui sequebatur, dixisse. Collige tu tibi: nam tu Themistocles non es.

V. Quin etiam ob hanc rem Ammianus Marcellinus (*lib. 24.*) Iulianum Imperatorem celebrat. Divisa, inquit, perpensis meritis, & laboribus præda, ipse ut erat parvo contentus, mutum puerum oblatum sibi susceptt gesticularium, multa quæ callebat nutibus venustissimis explicantem, & tribus aureis nummis, partæ victoriæ præmium jucundum, ut existimabat, & gratum.

VI. Eodem modo, ut ad exempla recentiora perveniamus, apparet ex oratione Tamberlanis Tartarorum Principis potentissimi, quam ad captum Bajazetem Turcorum Tyrannum habuit (ea autem est adjuncta Imperat. Manuelis præceptis ad Iohannem filium, nuper operâ Leonclavij nostri editis) eum tam barbarum non fuisse: quin magis gloriâ, quàm spolia sectatus sit: cùm præsertim Iustinus historicus (*lib. 2.*) de Scythis scribat: eos victores præter gloriam nihil concupiscere. Ita enim captivum suum, muliebriter adversam sortem deplorantem, inter alia compellat: Valeat aurum: valeant universa spolia: magnæ divitiæ tuæ undecunq; collectæ: quando abest gloria: quam equidem expetebam.

VII. Imitatus autem est forsan Tamberlanes Paulum Aemylium. Cùm enim Perseus Rex captus coram eo in faciem concideret: manibusq; genua Aemilij tangeret: vocesq; & deprecationes homine ingenuo indignas proferret: eas ne audire quidem dignatus Aemilius, tristi eum vultu in hæc verba compellavit: Quid, ô miser, hæc agis, quibus crimine tuarum calamitatum fortunam liberas, & ostendis, non immeritò tibi hæc accidisse, teque non præsenti, sed priore conditione indignum fuisse? Quid victoriæ meæ laudem imminuis, demonstrans te non alti animi virum, neq; dignum fuisse, quem Romani adversarium suum haberent? Virtus profectò hominis adversa patientis etiam apud hostes magnam sui verecundiam excitat: timiditatem, etiamsi fortunata sit, Romani inhonestam censent, &c. *Plutarch. in Vita Pauli Aemilij.*

VIII. Id etiam videre licet ex oratione Imperatoris Turcorum Solimani: quam capta Rhodo ad Philippum Valerium Magnum Magistrum habuit. Ita enim illum, postquam Babba, hoc est, patrem appellasset, licet fictè, alloquutus est: Magnæ mihi lætitiæ est: quòd te DEVS monuerit: ut aliquando pacem, quàm bellum malles. Atque hoc utinã tibi à principio placuisset: profectò à summa potentissimaq; majestate mea, ad hoc tempus, plura bona accepisses, quàm mala perpessus es. Quæ, quòd nullo odio intulerim, sed sola dominandi libidine, vel hinc colligere potes; quòd te tuosque inviolatis corporibus, intactis fortunis, hinc dimittam. Haud enim bella gero: ut di-

vitijs & opes comparem: sed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem Imperij tendo. Est enim Regis sanguine Regum orti proprium, rapere atq; invadere aliena, non quidem avaritia: sed gloriosa cupidine dominandi: cui cùm obstat vicinus: armis & vi eum tollere satis habeo. *Iacobus Fontanus lib. 2. de bello Rhodio, pag. 495.*

IX. Verùm omissis his & alijs historijs, præ cæteris memorabilior illa visa est: quam M. Antonius Muretus in sua oratione, quâ habuit ad Pium III. Pontif. Rom. nomine Antonij Borbonij Regis Navarræ, recenset. Ea edita est Romæ, inter alias suas orationes, Anno 1564. ex qua hanc historiam propter orationis elegantiam, & aliis res memorabiles, integram nostris meditationibus inserere, operæ precium existimavi: cùm præsertim in manib paucorum apud nos ea versetur. Memoriæ, inquit, proditum est: Castellæ Regnum in Hispania quondam à triginta barbarorum Regibus, Duce atq; Imperatore Smaragdo, occupatũ fuisse. Vnde cùm illi magnum Christianis terrorem injcerent: breviq; se tota reliqua Hispania, quæ Christianorum erat, potituros esse confiderent: Sanctium Navarrorum Regem, collecto forti magis, quam numeroso exercitu, adversus eos profectum fuisse: cùm priùs pulcherrimum, clarissimumq; jusjurandum jurasset: nunquam se ex eo bello, nisi parta victoria, reversurum. Excogitaverant barbari cùm alia multa, ad prohibendas nostrorum incursiones aptissima: tum catenas quasdam ferreas: quibus ita vias omnes occluserant: ut equitatui, quo plurimum valebant nostri, omnis adempta spes faciendæ in hostem irruptionis videretur. Sed nihil virium habent adversus prudentiam: subdola & astuta consilia; debiles sunt omnes adversus constantiam machinæ: imbecilla & inutilis adversus fortitudinem multitudo. Deo duce per medios hostes sibi & suis viam ferro faciens Sanctius, non priùs destitit: quàm barbaros fusos, fugatos, castris exutos, docuit: victoriam non in munitionibus, operibusq; bellicis, sed in causæ bonitate positam esse: qui pro Christi nomine dimicarent: eorum impetum non posse, ne collatis quidem in unum aliorum omnium viribus, sustineri. Superatis igitur, & in potestatem redactis hostibus, omnium nostrorum & Imperatorum & militum incredibilis concursus ad Sanctium factus est: alius amplexari eum: alius ad genua accidere: alius fortem illam dextram barbarorum domitricem, Hispaniarum liberatricem, victoriæ confectricem exosculari: qui propter multitudinem propiùs accedere non poterant, vultu, oculis, manibus, corpore, quascunque poterant animi sui significationes dabant: vna omnes voce, & bellatorem fortissimum & Imperatorem invictissimum consalutabant. Inde cùm de dividenda præda agi ceptum esset: quæ tanta erat: quantam triginta potentissimorum Regum collatæ in unum locum opes coacervare potuerant: nemo erat in universo exercitu: qui non ita sentiret, itaq; prædicaret: Quantamcunq; sibi partem ex ea vel deposceret, vel etiam suo jure sumeret Sanctius: nunquam tantum adeum perventurum esse: ut non multò plus ipsius virtuti præclarisq; factis deberetur. Erat in castris barbarorum, auri, argenti, facti infectiq; permagna vis: gemmarum maximi precij admirabilis multitudo; multũ tapetium: multum conchyliatæ vestis: multum peristromatum; ut est illa etiam in bellis luxuriosissima gens: armorum omnis generis optimorum & exquisitissimo artificio fabricatorum infinitus propè numerus: equi præstantes permulti: phalerarum, ephippiorum, cæterorumq; ornamentorum equestrium incredibilis copia: captivi longè plurimi: ex quibus ingens pecunia confici posset: quibus omnibus ex rebus Sanctium, ut quantum vellet sibi ipse sumeret, summo omnes consensu obsecrabant. Ille alacri vultu, cùm gratam sibi illam

esse

esse exercitus voluntatem significasset, Non me, inquit, barbaricarum opum cupiditas, ut in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie stans corpus meum telis hostium objicerem, induxit: Christianæ mihi pietatis ardor, & hujus pulcherrimæ regionis ab injusto immanium belluarũ dominatu vindicandæ studium, faces ad eam rem & stimulos subdiderunt. Nunc cùm id, quod volui, divino beneficio, & vestra, milites, virtute consecutus sum: non committam: ut majori animo videar armatorum & stantium copias, quàm inermium & jacentium spolia contemsisse. Ornamento ista sint primùm immortalis Dei nostri Divorumq; templis ac delubris: ut partim in sacrarijs reposita, partim è tholis pendentia propagent in omne tempus memoriam nostri: posterosque nostros ad suscipiendam semper magno animo religionis nostræ defensionem exuscitent: ditent cætera egenos & exhaustos, pro suis quemque meritis, milites: ut cùm juventutis suæ firmitatem in periculis & laboribus consumpserint: habeant olim, quo senectutis infirmitatem in tranquillitate atq; in ocio sustentare possint. Ego quidem, quod ad me attinet, præter has catenas, quas spectantibus adjuvantibusq; vobis perfregi atq; perrupi, & præter illam gemmam, quam meis manibus dejectam illic jacentem videtis (hæc autem dicens, ostendebat illis prostratum, & in sanguine suo involutum exanimem Smaragdum) nullam omnino mihi mercedem, nullum præmium aut postulo aut appeto. Ergo ad conservandam tam nobilis victoriæ memoriam, simulq; & incitandos successorum suorum animos, & ipse postea catenas pro insignibus gestavit: & instituit, ut ijsdem insignibus cæteri post se Reges uterentur. Ac quoniam eo in prælio præcipuum, quem dixi, barbarorum ductorem Smaragdum sua ipse manu obtruncaverat: ejusdem nominis gemmam medio illarum catenarum complexu voluit contineri. Quin etiam, propter hanc aliasq; similes victorias, Regibus Navarræ honoris ergò tributum est: ut iungantur, coronentur, consecrentur, &c. *Hactenus ex cap. 78. Centur. 1. Operar. succisivarum Philippi Camerarij.*

X. In quodam cum Turcis conflictu fuit eques quidam Germanus, Sebastianus de Fleckenstain, nobilitate reiq; militaris peritia insignis: cui inter dimicandum, Turca quidam sacculum numis plenum velùti redemptionis precium cùm objecisset: equi ex sella, in quam sorte quadam decciderat, hunc tanquam victoriæ remoram indignabundus rejecit: ad Ditem vestrum hinc abite, inquiens, divitiæ: non enim hic aurum, divitias, ut alia hujusmodi irritamenta malorum quærimus: sed virtutis præmium potiùs, honorem & gloriam militarẽ. *Melch. Soiterus de bello Pannonico lib. 2. p. 531.*

XI. Probus Augustus eum se erga Tribunos, Centuriones, milites gessit: ut in plurimis victorijs, præter tela & arma, nihil sibi è præda retineret: quam inter milites partiebatur. Quid enim turpius, quàm Imperatorem ipsum in partienda præda socium se militum suorum facere? cui præter gloriam nihil aliud è bello reportandum videatur. *Ioh. Iov. Pontan. libr. de Liberalitate, pag. 105. b.*

# CCXXXIIII.

*MAgni Duces & Imperatores semper milites suos summa benevolentia complexi sunt.* Nulla

enim vox jucundior in exercitu atq; in omni re militari auditur: quàm cùm Rex aut Imperator aut Dux cunctos in bello blando verbo Commilitones appellat. Societatem in re bellica Græci συμμαχίαν vocant: & σύμμαχοι dicuntur: qui communem pugnam simul gerunt: sive bellum alijs inferunt. Hos nostri propinquo verbo Commilitones honoris gratia dicunt. *Francisc. Patrit. lib. 8. de regno, tit. 12. pag. 528.*

# EXEMPLA.

I. Alexander Macedo præstantiores quosq; ex militia sua adeò dilexit: ut ad parem sui usq; splendorem extulerit: vixq; ab eo vestitu & armis dignoscebantur. Hephæstiona tamen & Craterum præter cæteros omnes amavit: verùm illum vehementiùs amplectebatur: hunc autem majore honore afficiebat: adeò ut omnes dicerent, illum Alexandri, hunc verò Regis amicum esse. Gratissimum fuisse ei scribunt errorem matris Darij. Nam cùm in custodia teneretur: ad eam visendam ac salutandam comiter accessit Alexander: præibant eum (ut moris est) nonnulli ex familiaribus: inter quos erat Hephæstion, incessu gravi & purpurea veste conspicuus. Illa quæ Regem ignorabat, Hephæstioni, quem Regem putabat, procubuit: dicentibus deinde satellitibus, illum non esse Regem, sed eum, qui sequeretur: erubuit mulier: & veniam suppliciter orabat. Tum leniter arridens Alexander ait; sibi jucundissimum esse: quòd amici sui pro Regibus salutarentur. Dilexit alios complures: & dignitatibus, honoribus, præmijs, opulentijsq; adeò extulit; ut post illius obitum quisq; eorum regnum affectaret; quod quidem multi etiam assecuti sunt, nec injuria: ejusmodi namq; virtutis ac venerationis erant; ut singuli Reges putari possent. Formæ enim dignitas, virtutis gratia, sapientiæ gravitas, animi magnitudo, omnibus penè par erat: ut non ex una militia, sed ex toto terrarum orbe electi esse viderentur. Qua ex re nequaquam admirandum est, Alexandrum tam brevi vitæ spacio tot regiones ac gentes subegisse: cùm non Commilitonibus, sed quasi Regibus gerendarum rerum ministris uteretur. Militibus quoq; gregarijs omni pietate, omniq; benevolentia, ac comitate indulgebat. Quod quidem ex hoc exemplo patere potest. Inhorruerat aliquando hyems maximis gelicidijs, & nivali tempestate: attamen ut cum omni exercitu transmitteret opus erat. Inter eundum cùm maturaret solito celeriùs: vidit Alexander militem quendam veteranum vi frigoris stupefactum: tum confestim eum manu apprehendit: & blandis verbis compellans in regiam sellam collocavit: ac facetè ait: Amice, tibi salutare futurum est, quod Persis exitio esse solet: solium, scilicet regium occupasse.

II. Iulius Cæsar mira quoq; benevolentia milites suos complexus est: eos namq; honore, præmijs, atq; omni liberalitatis genere adeò affecit: ut omnes intelligere possent: se divitias non voluptatis aut amplitudinis gratia bello cumulare velle: sed ut illis uteretur ad communem militum utilitatem: & ad præmia virorum fortium. Tunc enim opulentiorem se fieri putabat: cùm divitias inter milites pro

eorum

eorum virtute partiebatur. Quin etiam eos tanta pietate complectebatur: ut, audita clade Tituriana, barbam submiserit & capillum; nec antè dempserit: quàm illam atrociter vindicasset. *Idem pag. ead. & sequenti.*

# CCXXXV.

*QVi Regem aut Principem debita laude atq; honore defraudant: illum in sævitiam ac tyrannidem compellunt: & à magnis ac præclaris actionibus abstrahunt. Francisc. Patrit. lib. 9. de regno, tit. 19. pag. 619.*

## EXEMPLA.

I. Testis Themistocles sit; testis etiam Coriolanus; quorum uterq; ingrati populi injuriam passus, ad hostem se contulit: planeq; edocuit, *fortibus Viris famam nequaquam esse negandam.*

II. Negatus Cæsari triumphus, molem intestini belli concitavit: quem si ei concessisset Pompejus; primum ipse locum semper in Republica tenuisset.

III. Prudentiùs mitiusq; cum eo egit Sylla; qui tunc maximus in Republica erat. Nam cùm post recuperatam Siciliam triumphum peteret; negabat Sylla id ei deberi: tum quòd pro aucto imperio, non pro recuperata provincia ex antiquo jure triumphus ageretur: tum quòd vix quinq; & viginti annos natus esset. Tunc audentiùs, quàm modestiùs, Pompejus ait: O Sylla, plures quidem homines sunt, qui orientem, quàm qui occidentem Solem adorent. Tum Sylla, dissimulans intelligere id in se dictum esse, quando ejus potentia senescceret, illius autem adolesceret, exclamavit: Triumphato igitur. Et deinceps Pompejum semper honore affecit: ei namq; privato caput detegere, de sella assurgere, equo descendere consuevit. Sed patris memoria Pompejum Syllæ commendabat: ejus quippe partes secutus pater, Marium & Cinnam urbe expulit; & cùm illos longiùs fugasset: nec quò se reciperet haberet: imminet etq; subita tempestas: coruscо cœli fulmine ictus miserabiliter perijt. Et hic fuit exitus Pompeij Strabonis, magni Pompeij patris: cui cùm gratiam Sylla referre non potuisset; filio etiam optimè de se merito compensavit.

IIII. Erga Cæsarem Pompejus nulla unquam æquitate usus est; idcirco à multitudine insolentior habebatur; & præcipuè cùm Antonio literas ad plebem dedisset Cæsar: in quibus scriptum erat: ut ambo provincijs decederent: exercitusq; dimitterent: plebisq; judicio se subjcerent: qua ex re multos in partes suas pellexit: & præsertim cùm Pompejus conditiones omnes illas repudiasset.

V. Ipse

V. Ipse quoq; Sylla si mitior aliquantò in Sertorium virum pugnacissimum extitisset: certè non defectioni provinciarum, & longo ancipitiq; bello causam præbuisset. Nam cùm Quæstor Marsico bello peregregiè se gessisset Sertorius: confestim Romam redijt; & cùm in theatrum spectandi gratia (ut moris erat) concessisset: totius populi plausu præ ejus nominis magnitudine exceptus est. Exarsit invidia Sylla: & per factionem egit: ut cùm Sertorius Tribunatum peteret, repulsam ferret. Qua indignatione ductus Sertorius, Cinnæ adhæsit: & commissa in foro pugna, victor evasit Sylla. Cinna autem & Sertorius urbe ejecti sunt. Sertorius itaq; Iberiam, pulsis Prætoribus, occupavit: & Metellum, qui contra eum à Sylla missus fuerat, sæpe cum omni exercitu fudit fugavitq;. Sed mortuo Sylla: cùm Senatui Metellus contra Sertorium non satis esse videretur; collega ei Pompejus mittitur: qui equestri etiam prælio ab illo superatus est: & Metellus obsessus ad famem compulsus. Sertorius verò semper in victorijs suis ad Pompejum & Metellum Oratores mittebat; qui pollicerentur, se, positis armis, in urbem redituru m: si per illos id ei liceret; malebatq; Romæ (ut dicebat) privatus ignobilisq; civis esse: quàm Imperator aliarum civitatum nuncupari, cùm exul esset. At cùm ei nunquam placidè respondissent: superior semper bellum in octavum usq; annum protulit. Nec aliter vinci potuit: quàm cùm per proditionem in convivio à Perpenna cæderetur. Sed cùm paulò pòst ejus testamenti tabulæ recitarentur: & Perpenna à Sertorio hæres institutus legeretur; omnium militum odium in illum exarsit: quippe qui vulgò dicerent, Perpennam non in Ducem, sed in avum, ac patrem fuisse proditorem. Cùm verò exercitus ejus quasi Cyclops ab Vlysse oculo orbatus videretur: Pompejus illum invasit profligavitq;: & captum Perpennam, antequam conspectui suo exhiberetur, trucidari jussit: ut pœnas proditi Ducis lueret. Pompejus verò Sertorium tanti faciebat; ut primus omnium votivos ludos voverit se exhibiturum; si illum superaret.

VI. Quin etiam non solùm Duces & Imperatores negatam laudem ulciscuntur: sed nonnulli etiam artifices. Closides pictor ætate sua perillustris, ad Reginam Stratonicem se contulit: eiq; artis suæ industriam pollicitus est; illa autem cum contempsit: nulloq; honore dignata est. Artifex indignatus, voluptatem sub Reginæ imagine quasi spirantè pinxit: quæ cum piscatore quodã luderet, faciẽ exprimente cujusdã piscatoris: quem mutuo Reginæ amore teneri rumor manifestus habebatur. Eam pictor tabulam noctu in Ephesi portu clàm proposuit: & confestim velis raptus abijt. Regina rem dissimulans, tabulam tolli prohibuit; quamvis uti jusq; similitudo adeò appareret: ut ab omnibus vulgò dignosceretur. *Idem pag. eod. & sequenti.*

## CCXXXVI.

*Duces inter se dissentientes, nisi separentur, produnt exercitum. L. Danæus in Aphoris. polit.*

*In bellis dissensiones Ducum corrumpunt, aut*

*inutiles*

*inutiles reddunt multas rei præclarè gerendæ occasiones: imò etiam sæpe toti exercitui exitium afferunt. Idem pag. 49.*

*Ducum in exercitu discordia nasci maximè solet ex diverso eorum ingenio: nimirum si eorum alter sit militaris, alter non: alter segnis, alter non: vel si sint ex diversis etiam in eadem urbe partibus seu factionibus electi. Ergo nisi illi Duces dissentientes separentur: tandem ipsum exercitum perdunt. Idem pag. 114.*

*Nihil contentione summorum Ducum in exercitu periculosius. Idem pag. 139.*

*Ducum inter se discordia maximum rerum agendarum impedimentum est. Idem pag. 152.*

*Pernicioſa omnino est duorum Ducum in eodem exercitu inter se contentio, & rixa implacabilis. Idem pag. 207.*

*Seditiosi Duces in exercitu sunt statim necandi: vel saltem è castris emittendi. Idem pag. 155.*

## EXEMPLA.

I. De Pædarito & Astyocho Ducibus Lacedæmonijs dissentientibus vide Thucydid. *lib. 8. pag. 248.*

II. L. AEmilius haud conferendum cum Annibale prælium existimabat: sed eò prævertendum hostem: ubi peditatus utilior foret. Contrà Varro, inexpertus rerum bellicarum, haud differendum putabat certamen: ne hostes è manibus elaberentur. Itaq; duo Consules dissimiles discordesq; erant: *quo nihil accidere in exercitu pernicioſius potest.* Ea die (nam alternis imperitabant) Varronis imperium erat.

Hic motis castris appropinquare hostibus maturat, indignante ac reclamante Aemilio. Vincuntur tandem Romani ab Hannibale. *Vide Polyb. 3. pag. 312. 314.*

III. In exercitu Philippi erant tres Duces, Leontius, Megaleas & Atarus: quorum dissensiones res bellicas Philippi valde impediverunt & turbarunt. *Vide eund. lib. 5. pag. 411. 414. 432. 433.*

IIII. Megabates & Aristagoras, Darij Duces, ob privatam quandam contentionem, Darij res produnt. *Vide Herodot. lib. 5. pag. 143.*

## CCXXXVII.

*MVlti homines non possunt acquiescere: non possunt contenti esse præsenti statu & conditione: & subinde alia majora appetunt: quibus sibi & aliis perniciem accersunt. Isocrates in orat. de Pace, referente Strigel. part. 2. Chron. pag. 230.*

*Tales sunt hominum mores: talia sunt ingenia: semper fastidimus præsentia. Semper præsentia imperia, quantumvis mitia & bona, fastidimus: expetimus novos Dominos, nova imperia. Quia nulla est tam felix gubernatio: quin habeat aliquid difficultatum. Ideo fit, ut leviter pressi à præsentib. gubernationibus, cupiamus excutere Dominos præsentes: & quæramus novos. Nec illa tantùm fiunt in Imperiis: sed in aliis etiam rebus: & quidem in religione, majori cum periculo non tantùm corporũ: sed etiam animarum & salutis æternæ. Præsentes religiones plerunq; fastidimus: & avidè arripimus religiones novas, sæpè conjunctas cum manifesta*

*absurditate. Ita in amicitiis privatis fastidimus veteres, & quærimus novos amicos. Et tales mutationes plerunq; fiunt in deterius. Nam novi Domini sæpè asperiores prioribus: si non statim: tamen paulò post. Novæ formæ gubernationis sunt asperiores prioribus: ut in fabula Æsopica exprimitur, de Ranis, expetentib. novos Dominos.* Also geben es zu. *Homines sunt* ὑπερβάλλως τῶν εἰωθότων καὶ θαυμασταὶ τῶν καινῶν: *contemnunt usitata, & admirantur peregrina, nova, absurda. Ideo sequuntur pœnæ. Et illæ asperitates sunt plerunq; pœnæ curiositatis & diffidentiæ: ex qua plerunq; talia nascuntur. Peucer. in lect. Chron. die 3. Decemb. Anno 1569.*

*Præsentia fastidimus: postea requirimus veterem statum. Philip. in Cordiali Abrah. Bucholceri, pag. 107. b.*

Verissimè dixit Isocrates, sapiens Orator, *in Orat. de Pace: Multis hominibus difficillimum est, non appetere majora: sed acquiescere in præsenti fortuna. Multi*, inquit, *homines non possunt acquiescere: non possunt contenti esse præsenti statu & conditione: & subinde alia majora appetunt: quibus sibi & aliis perniciem accersunt. Strigel. part. 2. Chron. pag. 230.*

Thucydides inquit: ὁ παρὼν ἀεὶ βαρύς: *præsens imperium semper grave.*

Cùm alia multa vicia communia sunt hominum: quæ nascentes nobiscum afferimus: tum etiam fastidium bonorum præsentium: quia *animi sunt instabiles: & offensi aliquibus incommodis, facilè appetũt alia.* Inde multa dicta orta sunt. Horatius: Optat ephippia bos piger: optat arare caballus. Et Apologus apud Aesopum extat de Asino, subinde mutante conditionem in deteriorem. Et Sophoclis versus sunt in Ajace: Stulti homines non agnoscunt bonum, dum est in manibus, priusquam amittant: postea amissa desiderant. Deniq; singuli in seipsis deprehendunt talia fastidia præsentis status. Sicut & ille apud Terentium inquit: Nostri nosmet pœnitet. *Et usitatissimum est, præsentia imperia ægrè ferre, & appetere alia*—. Causa est, I. quia impatienti nulla est tam felix gubernatio: quin habeat aliquid difficultatum. Ideo fit, ut leviter pressi à præsentibus gubernatoribus, cupiamus excutere præsentes, & novos quæramus. II. Causa fastidij oritur ex defatigatione. *Philip. Proverb. 20.*

*In vita humana hoc usitatè fieri solet: ut homines præsentia bona non magnifaciant aut curent: sublata verò ex oculis & amissa cum singulari desiderio requirant.*

Dion in Augusto: Quippe ea solet esse nescio quomodo hominum natura & conditio: ut quàm diu fortunæ muneribus fruuntur: non tam felicitatem agnoscant: quàm afflicti & calamitosi eandem requirant atq; expetant.

*Dimidium plus toto. Nam qui dimidio seu mediocritate contempta totum appetunt: sæpiùs utrumque amittunt: ut omnium seculorum experientia*—

satis

*satis superq; declarat. Iohan. Spinæus de Tranquillitate animi, lib. 1. pag. 15.*

*Aliena qui captat, sæpè amittit propria.* *Peuc. in lect. Chron. 1. Novemb. Anno 1572.*

*Nihil est vulgarius: quàm fastidire propriam sortem: & splendidiorem cupere.* *Philip. in Proverb. Salom. editione 2. cap. 4. pag. 19. b.*

*Multi haud dubiè inventi sunt: qui dum aliena occupare studerent, sua amiserunt.* *Francisc. Patrit. lib. 7. de regno, tit. 6. pag. 450.*

*Exploratum est inter homines: eam esse mortalium vanitatem: ut se plus æquo cæteris vanissima philautia præferant: & semper plus de se, quàm in veritate sit, opinentur: nunquam contenti sua sorte, majora desiderent: & inanes à seipsis decepti, plus sibi tribuant, quàm habeant. Nunquam enim cupiditas habendi, nec ambitio satiari potest: & quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur, aquæ. Hæc est miseria etiam nostri seculi: quæ semper omni ætate obtinuit: ut nemo suis contentus vivat: & ideo, quæ non oportet, & modis illicitis persequatur: & sibi, cùm non possit consequi, irreparabile, & quod non prævidetur, nec sentitur priùs, quàm advenerit, damnum ingeneret.* Plebejus divitijs vel à patre usurario, latrone, impio vel ærumnoso quæsitis, suæ conditionis oblitus, Nobilis titulum cupit, ambit, mercatur à Principibus.

Nobilis verò vult haberi antiquæ cujusdam nobilitatis successor, quam nec retinet ullo modo, & cæteris præstantior. Qui ex progenie nobili ex carne & sanguine propagati sunt: & sæpe à vera nobilitate degenerarunt, vitijs, impudicitijs & sceleribus: inanibus majorum nominibus sibi personam induunt: finguntq; titulos: Principes volunt haberi: Principes autem eadem stultitia quadam, Reges: Reges, Imperatores: Imperatores & utriq;, Dij aliquando: vel honoribus divinis admirari se cupiunt: & se homines esse natos & morituros, humanisq; actionibus, passionibus & moribus obnoxios, oblivisc untur. Ita præsumptio ex radice stultitiæ superbiam generat: superbia, fastum: fastus, aliorum contemptum & superlationem: contemptus, seditiones, rebelliones, inimicitias. Hinc bella: & postremò subversio & Principum & Principatuum, personarum & bonorum. Se mutuo enim hæc consequuntur per certissimos gradus. *Petr. Greg. Tolos. lib. 6. de Repub. cap. 11. pag. 335.*

*Qui ambitione regnandi vicinos invadunt: nec ulla justa causa bellum movent: sæpe, dum aliena sectantur, propria amittunt. Idem lib. 7. cap. 17. pag. 497.*

Syrach saget: Bleibe gerne im niedrigen Stande / vnd dencke nicht nach grossen hohen Ständen. Diß ist ein allgemeine / aber sehr gutte vnd nützliche Regel / die gar herrlich vnd trefflich wol vberein stimmet / mit dem Befehl S. Pauli: Ein jeglicher / lieben Brüder / worinnen er beruffen ist / darinnen bleibe er bey Gott / Bistu ein Knecht beruffen / sorge dir nicht. Das ist / Bleibe ein Knecht. Also / Bistu zum Pawer / zum Caplan / oder Schultheisser. ꝛc. beruffen / laß dir an deinem Caton vnd Stande genügen / ꝛc. Denn Wahle bringet Quale / Wechseln / leget jhm Vnglück auff die Achseln / ꝛc. Diß ist gar ein nötig Gebot / Denn die Heyden sagen auch eben auff diesen Schlag: Niemand lesset jhme an seinem

Glück

Glück, Loß vnd Stande genügen Der Ochse wolte gerne ein Pferdt sein / vnd sich reiten lassen / Das Pferdt wolte lieber an des Ochsen stat zu Acker vnd förm Pfluge gehen / rc. Der Pawer wil ein Bürger sein / der Bürger ein Edelmann / die Edelleute wollen Grafen sein / vnd dergleichen kan man von eines jedern Standt vnd Person reden vnd vrtheilen. Vnd heisset freylich recht / jmmer plus ultra. Der Schüller wil ein Baccalaureus sein / der Baccalaureus wil Magister oder Ludirector sein / ein Ludirector wolt gern Caplan sein / der Caplan wolt gern Pastor oder Pfarrherr sein / ein Dorff-Pfarrherr wolte gern in der Stadt sein / ein Stadt Pfarherr sehnet sich auffs Dorff. Diß ist nun das Vnglück vnd die gemeine Plage aller Menschen vnd Leute auff Erden / das jm keiner an seinem Ampt / Standt vnd Beruff wil noch kan genügen lassen. Vnd kömmet solche Plage vom Teuffel / welcher vns arme / elende / närrische Menschen also vnruhig / vnd wie sein alter Gebrauch im Paradiß war / eitel Götter aus vns machen wil / vnd wir jmmer Oben auß begehren. *Mathes. in Syrac. cap. 3. pag. 15.*

Prudenter Demosthenes suos cives hisce verbis hortatur: Iam cùm duo sint commoda in tota vita humana: unum, quod maximum atq; præcipuum est, fortunæ prosperæ: alterum, hoc illud quidē inferius, sed inter cætera maximū, consilij boni: non solet utriusq; simul copia cōtingere hominib. *Neq; quisquam rebus secundis terminum sibi constituit: neque finem imponit cupiditatibus acquirendi plura ——. Itaq; permulti sæpenumero dum majora concupiscunt: ea, quæ jam obtinebant, amiserunt.* Et paulò pòst: *Nam qui cupiditate acquirendi plura —— aggrediuntur, atq; tentant ea, quæ fas non est: maximis difficultatibus implicantur: conatusq; irritos &*

*spes*

*Spes vanas fortuna deridet & frustratur.* Hinc rectè & prudēter ratiocinatur Dionysius Halicarnassæus: Nō esse prudentum, neq; generosorum hominum, res alienas fortitudine quærere: & pati suas per ignaviam amitti. Huc respexit Basilius Imperator. Consiliarijs, inquit, utere ijs: qui rebus suis bene consuluerunt: non autem, qui per imprudentiam malè. Nam qui suis rebus malè prospexerit: nunquam ille bene consuluerit alienis. Easdem cogitationes habuit Plutarchus, ubi dicit: Bona propria oportet possidere eum: qui alienis velit abstinere. Rectè itaq; concludit ita Andreas Gorrutius, postquam multas, easq; memorabiles recensuisset historias, de ijs, qui potiùs aliena regna invadere & acquirere, quàm partis pacificè frui voluissent: *Percurrantur omnium regnorum historiæ: nec ullum seculum inveniemus: in quo divinæ providentiæ luculentissima non extent edita in illos exempla: qui, suis non contenti, aliena invaserunt. Contrà verò pulcherrima & certissima singularis ipsius benevolentiæ testimonia cernimus in illos, seu privatos homines, seu publicum munus administrantes, & in soliis sublimibus collocatos: qui suis contenti, & vitæ innocenter traducendæ studiosi, Spartam à DEO acceptam ornare studuerunt.* Philip. Camerar. Centur. 2. Operar. succisiv. cap. 50. pag. 300. 301.

Hesiodus: *Desipit, incertum qui captans, certa relinquit.* Der ist verè insanus. Non sunt certa in discrimen adducenda propter incerta. **Es saget** Hannibal apud Livium: Stultum est aliena sic appetere: ut de nostris periclitemur. Et inprimis hoc stultum est, priorib. bellis adhuc flagrantibus, accersere

bella

bella nova: & bella priora ac pericula accumulare novis periculis. *Peucer. in lect. Chron. 1. Nov. An. 1572.*

Avaris plerunq; idem accidit, quod cani Aesopico: qui frustum panis, quod mordicus tenebat, dum, visa in fonte sua & panis umbra, imaginario frusto inhiat, propter voracitatē excidere sinens amittit. Haud secus divites avari, quib. alioqui bonis suis tranquillè frui, & laborum fructu jucundè vivere liceret, ijs sese ipsi propter cupiditatem privant, quę inani specie bonorum objecta, illis sæpissimè ea, quæ tenent, è manibus excutit. Qua de re Cineas Regem Pyrrhum prudentissimè admonuit: quem expeditionis in Italiā avidissimum sic affatus est: Occupata Italia, Rex, quid agemus? Vicina, inquit Pyrrhus, Sicilia est, dives insula & populosa, & captu facilis. Quid tum inde, inquit Cineas? Traijciemus, inquit Pyrrhus, in Africam & Carthaginē, quæ tum erit ad nutum. Verùm (inquit Cineas) ubi rerum potiti erimus, quid tunc? Ridens Pyrrhus, in alto ocio (inquit) vivemus, bone vir, compotabimus quotidie: & mutuis inter nos sermonib. oblectabimus. Ecquid verò nunc obstat (inquit Cineas) quò minùs compotemus, atq; ocium inter nos traducamus, cùm jam teneamus hæc, & citra negocium ad manum sint, quæ per sanguinem, per multos sudores, per discrimina petituri sumus, multasq; calamitates allaturi aliis & accepturi? *Ioh. Spinæus lib. 1. de Tranq. an. pag. 16.*

## EXEMPLA.

I. Samuelis cursus etsi fuit felix & salutaris illi populo: & constabat eum regi & servari divinitus: tamen tolerare eum populus non potest: sed populus postulat ab eo: ut faciat mutationem formæ præsentis: & in politia condat novam formam: mutet Aristocratiam in Monarchiam: constituat unum Ducem: cujus summa sit potestas. Hunc populi errorem DEUS graviter & severè reprehendit. Ac si quæras, quæ sint peccata in hoc errore: cùm videatur fuisse sapienter deliberatum: ut sit certus Dux populi: scitote, duo taxari peccata maxima: diffidentiam contra DEUM: & audaciam condendi novam formam gubernationis in politia divinitus constituta, & abolendi eam formam: quam DEUS ipse in hoc populo instauravit. Et audacia fuit πολυπραγμοσύνη, ruens extra metas vocationis. Vtrumq; peccatum semper latè grassatur in genere humano: utriq; peccant utroq; peccato. *Peucer. ut suprà.*

II. Iudæi volebant redire in Aegyptum. *Philip. ut suprà.*

III. Post interfectum Iulium Cæsarem, & post punitos Brutum, Cassium & alios, qui Cæsarem trucidârant in Senatu, Augustus & Antonius ita inter sese diviserunt Imperium Romanum: ut Antonius teneret Orientales provincias ab Euphrate usq; ad Hellespontum; Augustus verò præesset reliquis provinciis Occidentalibus in Europa. Etsi autem non solùm poterat, sed etiam debebat Antonius contentus esse hac parte florentissima Imperij Romani: quæ complectebatur Aegyptum, Syriam, Phœniciam, & omnes provincias minoris Asiæ; tamen πολυπραγμοσύνη & φιλαρχία, id est, cupiditate regnandi incitatus, movit bellum non necessarium, imò injustum, contra fœdera, contra pacta, contra juramenta, adversus Augustum. Qualis autem fuit causa belli, & quale initium: talis etiam fuit exitus: sicut ***plerunq; exitus est consentaneus principio. Mali principij malus est exitus.*** Victus igitur Antonius cum sua Cleopatra in pugna Actiaca, ad Actium promontorium Epiri, fugit in Aegyptum: cumq; ab irato victore Augusto non posset impetrare vitam: ipsi sibi necem conscivit. Hic fuit exitus belli injusti & non necessarij.

IIII. Simile exemplum habetis de Cyro juniore. Pater Darius Nothus, præfecerat Cyrum florentissimis provinciis Asiæ minoris, Ioniæ, Lydiæ, & cæteris vicinis: sed hac parte non fuit contentus Cyrus. Itaq; à matre Parysatide impulsus, & suę ambitioni frenos laxans, intulit bellum fratri: in quo bello interfectus est: & reliquit Artaxerxi fratri non modò regiam potestatem; sed etiam suas provincias; quas poterat & debebat tenere, & ijs esse contentus. Hæc exempla Antonij & Cyri commonefaciant omnes homines, summos, medios & infimos; ut discant esse contenti præsentibus donis Dei: nec appetant majora sine vocatione. Quia verissimum est illud Baptistæ dictum: Nemo potest sibi sumere quidquam: nisi sit ei datum desuper. *Strigelius part. 2. Chron. pag. 230.*

V. Antiochus Magnus, Regum Asiæ illis temporibus potentissimus, non contentus tanto Imperio, bellum Romanis intulit: à quibus superatus, omnibus, quæ cis Taurum montem possidebat, mulctatus est.

VI. Constantinus, maximus natu filiorum Constantini Magni, non contentus sua sorte, quamvis Italia & potior Imperij pars ei obtigisset, fratrem minimum, nomine Constantem, armis appetiit: ut partem ejus auferret. Cui contrà accidit: ut eo bello & vitam regnumq; simul perderet.

VII. Angli non ita pridem (ut nemo nescit) una ex præcipuis Gallici regni provinciis pacata potiebantur: ex qua justè ejecti sunt, in reliquas injustè & per immoderatam cupiditatem invadere conati.

VIII. Recente verò patrum nostrorum memoria, amplissima illa Ducum Burgundiæ domus, propter immensam Caroli Ducis ambitionem & cupiditatem mirè concidit atq; deleta est. *Ioh. Spineus de Tranq. an. lib. 1. pag. 16.*

IX. In recentibus historiis Tartarorum & Moscovitarum recitatur historia, de quodam Principe Tartarorum: qui bello devictum Moscoviticum Principem cepit: sicut aliquot annis Moscovitæ oppressi potentia Tartarorum serviebant servitutem intolerabilem. Ille Moscovitarum Principem captum cùm interfecisset: curavit sibi ex calvaria fieri poculum, cum inscriptione: Iste appetens aliena, amisit propria. *Pencer. in lect. Chron. 1. Novemb. Anno 1572.*

X. Hero-

X. Herodes non contentus Tetrarchia, cùm etiam regnum ambiret, utrumque amisit. *Vide Iosephum lib. 2. de bello Iudaico, cap. 8. iuxta alios 16.*

XI. Periclem, quem viventem non magnificecerant, post mortem requisiverunt Athenienses: cùm alios gubernatores nacti essent, Pericle multis gradibus inferiores. De hac re ita fingit historiam Periclis Plutarchus: post mortem ipsæ statim res effecerunt: ut Pericles quis vir fuisset, manifesto cum desiderio Athenienses sentirent. Cujus enim viventis potentiam, tanquam suis luminibus officientem, graviter tulerant: statim eo sublato alios Oratores experti, confessi sunt, neminem potuisse in tanto fastigio se moderatiorem, neq; ita ea mansuetudine graviorem præstare. At odiosam illam potentiam, quæ priùs Tyrannidis nomine erat affectata, salutare præsidium fuisse Reipublicæ tunc apparuit. Tanta post eum pravitas molesque malitiæ in omnes res invasit: quam ille debilitans atq; deprimens hoc effecit obruendo atq; inhibendo: ne licentiam nacta, omni remedio superior evaderet. *Plutarch. in fine vitæ Periclis.*

XII. Ita accidit Vlsdislao Polonorum Regi: qui ab Vxore impulsus ad privandos regno Boleslaum Crispum, Mecislaum & Henricum fratres, regno proprio exutus, victus, & in Germania exul contabuit. *Petr. Greg. Tolos. lib. 7. de Rep. cap. 17. pag. 497.*

XIII. Augusti desiderio, postquam essent Tiberium, aut ejus similem experti, omnes tenebantur. *Dion in Augusto.*

XIIII. Testes sunt Carthaginenses: qui si conventis conditionibusq; apud Aegadas stetissent: neq; Hannibalem cum terrestri navaliq; exercitu in Italiam, ut Romam invaderet, misissent: nunquam vidissent Carthaginem obsessam, expugnatam, direptam, & demum igne ferroq; eversam.

XV. Athenienses quoq; nimis affectati imperij pœnas dederunt. Omnia enim Græciæ regna velut ad extinguendum commune incendium contra eos conjuraverunt: & Lacedæmonij se vindices fore libertatis totius Græciæ professi sunt. Qua ex re ad tantam inopiam ex variis cladibus Athenienses pervenerunt: ut, consumpta militari juventute, peregrinis civitatem, servis libertatem, damnatis impunitatem dederint. Et cùm victi omnino extitissent: diu inter Græcos deliberatum est: delendum ne Atheniensium nomen esset: & urbs incendio consumenda aũ funditus evertenda foret. Cui quidem sententiæ restiterunt Spartani: asserentes, se neutiquam perpeti posse: ut ex duobus Græciæ oculis alter erueretur. Pacem itaque petentibus illis æquis conditionibus permiserunt. *Francisc. Patrit. lib. 7. de regno, tit. 6. pag. 451.*

# CCXXXIX.

*PEriculosum est, plures convenas in urbem accipere: tum quòd inquieta est omnis multitudo ex diversa hominum colluvione collecta: sæpe ex*

*parva re tumultum excitat: tum quòd insani hominis est, ea inter plures consumere: quæ haud scius est, an satis paucis esse poterunt. Francisc. Patrit. lib. 9. de Rep. tit. 3. pag. 396.*

## EXEMPLVM.

Alexander Macedo cùm Leucadiam obsideret: passus est ex finitimis locis omnes illuc confugere: ut citiùs alimenta, quæ habebant, inter plurimos absumerent: quibus absumptis, facilè victoriam assecutus est. *Idem ibid.*

## CCXL.

*EXules sæpè sunt causa novorum bellorum.*

*Semper exules privati facultatibus, dederunt causam novis motibus. Peucer. in lect. Chron. die 4. Octob. Anno 1572.*

*Periculosum est Reipublicæ liberos proscriptorũ reducere: quia plerunq; novas factiones incendunt. Philip. in Cordiali Abrahami Bucholceri, pag. 145.*

*Propter exules semper orti sunt in Imperiis magni tumultus. Idem in eod. pag. 247.*

*Periculi plena res est, è civitate potentissimum quemq;, bonis omnibus ereptis, contumeliosè exigere. Quia sæpè fit, ut exul rerum dominationem vi & armis sociorum adipiscatur. Ioh. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 1. pag. 615.*

*Invidiosum est cives exilio mulctare: & plerunq;*

*runq́ periculosum. Exules namq́ aliquando ubi malè animati sunt: discordiam nonnunquam, nonnunquam etiam calamitatem maximam pariunt. Et quanquam nulla causa justa esse potest contra patriam arma capiendi: tamen asserunt, se jure id facere: quando perperam ejecti sint. Periculosum est etiam eos in patriam restituere: nam* (ut ait Plato) *expulsi, si invitis inimicis redeunt, Tyranni fiunt.* Et illud in ore populi Romani quondam fuit:

*Regnabit sanguine multo,*
*Ad regnum quisquis venit ab exilio.* *Francisc. Patrit. lib. 6. de Rep. tit. 5. pag. 393.*

*Exulum cohortationes & spes ab illis factæ magis ad cupiditatis, quàm rationis normam exactæ, plerunq́ evanescunt. In Hypomnes. Gvicciard. part. 2. p. 64.*

*Periculosus semper est ac metuendus in libera civitate magnus civium restitutorum, qui in patriam priùs conjuraverant, numerus, ibidem habitans: ac illi proinde nulli sunt Reipublicæ parti præficiendi.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 141.*

## EXEMPLA.

I. Megarenses exules suos revocant, sed tamen hoc juramento obligatos: μὴ μνησικακῆσειν, βουλεύσειν δὲ τὰ ἄριστα: quòd non vellent meminisse injuriarum veterum: sed consulere ubi, quæ existimarent fore optima. Sed ij, qui fuerant reducti, non servant promissa: sed juramenta violant, facta inquisitione in eos: quos ex urbe expulerunt: plures centenis productos in judicium, & accusatos, & populi sententiis condemnatos, dederunt neci, ulturi injurias: quibus existimabantur affecti esse ab

ijs: qui studio rerum Atticarum, illos tanquam addictos rebus Spartanis, pepulerunt urbe.

II. Hoc ipsum bellum, quo nunc ardent Belgæ, tantùm ab exulibus motũ est: qui fuerunt spoliati principatibus & possessionibus; & si fuissent correpti: vita fuissent privati. *Pencer. ut suprà.*

III. Non debuerat Cicero Catilinam de civitate dejcere: sed conjuratione detecta illum in ipsa urbe opprimere. Nam *qui se domo ac civitate pulsum videt: nemini dubium est, quin, si possit, Rempublicam evertat.* Quod certe Catilina facturus videbatur: si Caij Antonii copias fregisset: cùm Cæsarem ac patricios quàm plurimos suæ gentis & conjurationis conscios haberet in urbe: qui civitatis conversionem moliebantur. Catilina quidem ex urbe excedente, magna & perniciosa sentina Reipublicæ exhauriebatur: sed opprimi, quam in patriam armari, præstitisset. *Tutius est igitur, eiusmodi hostes, si amicos habere non possis, penitus obruere: quàm civitate exigere.*

IIII. Dio Syracusanus tametsi exularet: non tamen priùs bellum intulit Dionysio: quàm ab eo proscriptus esset.

V. Item Marcus Coriolanus exilio pulsus Romanos in tantam desperationem adduxit: ut nisi matris ac fœminarum (quas ad eum Romani miserant) precibus & lacrymis exorari se pateretur: de Republica actum fuisset.

VI. Consimiliter exules Mediceæ gentis, ac Tigurini optimates, de civitatibus dejecti, amicorum & sociorum copiis & opibus patriam obsederunt: ac periculoso difficiliq; bello cives diutissimè fatigarunt. *Bodinus lib. 4. de Rep. pag. 615.*

VII. Quàm à parvis initiis crevit Sertorius? Eques ille Romanus, sine autoritate, sine imperio, cùm partes Marij, quibus studebat, accitas in Italia sentiret: in Hispaniam concessit: ibique proscriptorum exulum, Hispanorum, aliorumq;, quos similis fortunæ casus conglogaverat, manu contracta, bonam Hispaniæ partem occupavit. Adversus eum Sylla Q. Metellum Consulem misit: qui à Sertorio sæpe elusus, & multis prœliis fatigatus est. Itaque cùm is adversus Q. Sertorium impar videretur: à Senatu Cn. Pompejus in Hispaniam cum imperio Consulari missus est: ubi à Sertorio bis prœlio victus & propemodum interfectus est. *Anti Machiavellus lib. 3. pag. 400.*

VIII. Cynethenses in urbem asciverunt exules numero trecentos: recepta ab ijs fide, &, quibus religiosiùs astringi mortales possunt, adhibitis sacramentis. Verùm illi nulla causa, sive occasione moliendi res novas expectata, simul atque intra urbem admissi, consilium prodendæ civitatis, ulciscendiq; conservatores suos inierunt. *Vide Polyb. lib. 4. pag. 336. 337.*

## CCXLI.

*NIhil est, quod sæpiùs hostes alteris efficiat superiores: quàm eorum contemptus, & nimia*

*propriæ*

*propriæ virtutis confidentia—: quæ plerunq; fallit & dat præcipites.* *Ioh. Spinæus de Tranquillitate animi, lib. 2. pag. 62.*

*Parvæ hostium copiæ non sunt contemnendæ.*

*Qui in bellis meticulosè aliquid faciunt & pavidè: melius ferè suis rebus prospiciũt: & sæpius vincũt: quàm illi, qui fastuosè & superbè progrediuntur.* Quo in loco mihi in mentem venit proverbium quoddam Ludovici Regis: qui dicere consuevit: dedecus & detrimẽtum esse comites, ac veluti pedissequas superbiæ. *Philip. Cominæus in Comment de reb. gest. Lud. & Car. lib. 2. pag. 70.*

*Hostis nunquam contemnendus: quantumvis timentis speciem præ se ferat.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 29.*

*Præstat se ex vano metu & rumore adversus pericula—præparare—: quàm ex nimia securitate & hostium contemptu imparatum ab ijs opprimi.* *Idem pag. 38.*

## EXEMPLA.

I. In pugna Marathonia fuit exigua manus Athenienſium & Platæenſium, numero circiter 6000. & fuerunt ausi congredi eum tanto Xerxis exercitu: quia produxit 100000. peditum, & 10000. equitum. Sed fortuna contribus honestis & magnis Athenienſium aspiravit. Et voluit Deus punire fastum barbaricæ gentis: quæ manum exiguam contemneret: sicut sæpè fit.

II. Et meminiſtis stragem Venetorum ad Vincentiam: quando exercitu Maximiliani, Ducibus Rudolpho Anhaldino, à Georgio Fronſpergio, circumsesso in angustissimis montibus, Bartolemæus Livianus Dux Venetus evocavit ex Vrbe Senatum, cives & mulieres, ad spectand m lanienam Germanorum. Sed copiæ Cæsareæ, Germanis fortissimè dimicantibus, exercitum Venetum fundunt, dissipant & submergunt maximam partem etiam eorum, qui ex Vrbe egressi fuerant. Es gehet ſo/ quando hostes contemnunt alios hostes. So iſts auch in pugna Marathonia gangen. *Peucer. in lect. Chron. 1. Mart An. 72.*

III. In

III. In pugna ad Ravegnam Hispani Duce Navarro cõtemnebant Germanos: qui militabant in castris Gallorum: & adeò certam sibi spondebant victoriam; ut hostes, nullo negocio exhibito, paterentur transire amnem: qui castra dirimebat. Deinde ubi vim & copiam hostilium tormentorum vident; jubente Navarro, corpora in terram sternunt: ut pilas machinarum evitarent: atq; explosis demum tormentis hostes jam defatigatos conciderent. Sed interea ita horribilis fuit fragor & tonitru tormentorum ab utraque parte: ut cœlum terraq; misceri viderentur: & capita abrepta à truncis maximo agmine in campis volitarent: & invicem præ densitate colliderentur. Serò tandem consurgit Navarrus repressurus Germanos: sed superante equitatu Gallico jam victore, capitur: & primæ acies Hispanorum disjectæ, in fugam convertuntur. *Curæus in Annalib. Silesiæ, pag.* 230.

IIII. Die natali Mariæ, Anno 1514. ad Borysthenem fluvium pugnatum est nobili prælio inter Moschum & Poloniæ Regem Sigismundum. Tanta fuit confidentia Moschorum: ut Polonos, numero longè inferiores, ultrò paterentur transire fluvium: sed in ipso conflictu opera sclopetariorum, quibus carebant Moschi, sunt victi. Interfecti sunt ad triginta millia, & plurimi capti. *Idem pag.* 233.

V. Anno 1346. wurden die Herren zum Saltz auffsützig vber der Erbteilung/ vnd ritt der eine hin zum Landgraffen/ verkaufftte demselben sein Theyl. Da nu der Landgraffe seine vollmechtige hin schickete/ sein erkaufftes Dritteil einzunemen/ vnd einen Vogt allda zuhalten/ wolten solches die andern zween Brüder nicht eingehen/ vnd war des Ertzbischoffs zu Mentz Vogt gleich bey jhnen/ der den Kauff gar nicht wolte gestehen/ Sagte/ so ein Kauff allda geschehen solte/ kõndte sein Herr der Ertzbischoff/ das Geldt so bald dafür geben/ als der Landgraffe/ vnd wurden also des Landgraffen Gesandte eben schimpfflich abgewiesen. Das verschmahet jhm/ zog derhalben mit gantzer macht für Saltza/ vnd foderte dasselbige auff. Aber des Bischoffs Diener vñ die Bürger spotteten seiner/ sprachen/ er were zu lange gewest/ doch möchte er morgen wider anlauffen/ zogen die Niederkleyder ab/ vnd entblösten gegen jhme den Hindern/ vnd verloren viel vnnützer wort. Darüber der Landgraffe bewegt ward/ Fewer in die Stadt zuwerffen/ welches an mehr denn Zwentzig enden/ also geschwinde angieng/ das mans nicht leschen kundte/ vnd verbrandte in der Stadt alle Gebewe/ vnd in die 878. (etliche haben 18. schock vnd 16 etliche 16 schock vnd 18.) Menschen/ die man allein fand/ ohne was vber die Mawren außgefallen war/ deren viel auch Arme vnd Beine zerbrochen. Darnach lag er nicht lange fürm Schloß/ bedrengte sie zu letzt dahin/ das sie sich mit jhm musten vertragen/ Das ward also gerichtet/ das der Landtgraffe/ vnd der Ertzbischoff Stadt vnd Schloß gleich haben solten. *M. Cyriacus Spangenberg, in Chron. Mansfeld. pag.* 335.

VI. Hanc Regulam etiam confirmant Cotræa pugna cum Belgis.

VII. Pictonica cum Anglis.

VIII. Iuberobica cum Lusitanis.

IX. Nicopolitana cum Turcis, Nam peccatum nullum est: in quo Deus minùs conniveat: quàm in arrogantia: nec quod ei sit intolerabilius, acriusq; & diutiùs plectat. *Spinæus ut suprà.*

X. Anti-

X. Antigonus ita sprevit copias hostium suorum; ut diceret, se dissipaturum esse eos, tanquam agmen avium, quæ Spermologi nominantur. Sed tandem in acie multis vulneribus acceptis extinctus est. *Philip. lib. 2. Chron. pag.* 101.

XI. Cùm Carolus Burgundus ad hostium Leodiorum fines perveniset: suadebant aliqui, dimittendam esse partem exercitus: primùm, quòd oppidani & turrib. & muro essent denudati, & spe omni auxilij carerent; deinde quòd Rex Ludovicus, in quo magnum habuissent præsidium, ipse adesset. Eam sententiam Carolus rejecit, & magno quidem suo bono. Minimum enim aberat ab internecione. Et quia suspectum habebat Regem: putabat non esse diminuendas copias. Parùm sanè prudenter judicabant ejus consilij autores: cùm se putarent viribus & potentia longè præstare. *Fit autem non rarò, ut Duces proponant eiusmodi sententias: vel quòd videantur audentiores; vel quòd magnitudinem rei, quam agunt, non intelligant. Inest autem in utroq; temeritas & inconsiderantia. Qui iudicio valent Principes, eiusmodi consilia repudiant. Philip. Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 3. pag.* 86.

XII. Hertzog Heinrich zu Sachsen zog für die Stadt Bardewick/ im Jahr Christi 1188. forderte dieselbige auff/ mit beschwerlichen Drewworten/ was er wider sie fürnemen wolte/ da sie sich nicht in gütte an jhn ergeben würden/ denn er des Hohns/ vnd der verachtunge/ so sie jhme vor dieser zeit erzeiget hatten/ noch nicht aller dinge hette vergessen. Die Bürger verliessen sich auff jhre Festunge/ verachteten jhren Erbherren/ Vnd weil Hertzog Bernhard zu Sachsen auch einen starcken Zusatz zu jhnen hienein gelegt hatte/ weiseten sie Hertzog Heinrich mit einer gar schimpfflichen Antwort ab/ vnd welches noch ärger war/ stiegen sie auff die Mawren/ vñ weiseten jhme den Hindersten. Darüber ward der Hertzog ergrimmet wie ein Löwe/ bereitet sich in solchem Zorn zum Sturm/ vñ nam denselben mit solchem Ernst/ mehr dann an einem ort/ für/ das jm die Bürger die Stadt nicht vorenthalten kondten. Gewan vnd eröberte dieselbige also mit gewalt am Tage Simonis vnd Judæ/ darüber kamen viel Bürger vmb jhr Leib vnd Gutt/ was an Bürgern vnd Kriegsleuten nicht erschlagen worden/ ward gefangen/ die Stad ward geplündert/ verbrand vñ zerbrochen/ die Mawren/ Thürne vnd Thore alle der Erden gleich eingerissen/ vnd ließ da kein Gebewe stehen/ ohn allein neun Kirchē/ deren er schonete/ sonst schwur vnd verbott er/ das des orts nimermehr keine Stadt solte gebawet werden. Die Bürger/ so vberblieben/ haben sich darnach bey der Festung Lüneburg nidergelassen/ vnd die Stadt daselbst von jener eingerissenem Mawerwerck erbawet/ Vñ ist Bardewick biß auff diese Stunde vnerbawet blieben. *M. Cyriacus Spangenberg in Chron. Mansfeld. cap.* 234. *pag.* 277.

XIII. Tigranes Armeniæ Rex, qui se Regem Regum inscribi non iniquo animo ferebat, infimior visus est: cùm vix auditu perferre posset, Romanos in se exercitum mittere. Proinde primum nuncium, qui adventum Luculli ei nunciavit, securi percuti jussit. Qua ex re effectum est: ut cæteri omnes propriæ saluti consuluerint: & properantem hostem miro silentio transire permiserint. Aderant Regi assentatores: qui hostium paucitatem se contemnere simulabant: Regemque illuc insaniæ compulerunt: ut cùm exercitum inimicum cerneret: per ludibrium diceret:

Hi, si legati veniunt, permulti quidem sunt. sin verò hostes, per quam pauci. Romani autem reipsa docuerunt, peritam paucitatem longè pluris faciendam esse: quam imperitam multarum gentium colluvionem. *Francisc. Patrit. l.b. 5. de regno, tit. 7. pag. 311.*

XIII. Pompejus contra Cæsarem maximum paraverat exercitum; cui nō modò par viribus esse videbatur; verùm longè præstantior: & jam securus animo quiescebat; & in eos, qui formidandam Cæsaris potentiam monebant, Securi estote, dicebat, & mihi hanc curam dimittite. Nam cùm primùm terram Italam pede pulsabo: fatebunt undiq; equestres pedestresque in Cæsarem copiæ. Vnde non diu pòst, cùm spes eum (ut adsolet) fefellisset: & miseranda clade apud Pharsalum profligato exercitu profugisset: multi per ludibrium dicebant: Instauret exercitum nunc Pompejus: & accipiat alias, quas pulsata pede terra Itala ad eum mittat, copias. *Idem lib. 7. tit. 10. pag. 467.*

XV. Cleoni Duci Athenienſium malè cessit contemptus hostis sui Brasidæ: quæ de re vide Thucyd. *lib. 5. pag. 151. 153.*

XVI. Rex Britonum Arturus gladio suo, cui Caleburno nomen fuit, interfeciſſe dicitur gigantem miræ magnitudinis, in monte Michaëlis, qui rapuerat Helenam, neptem Ducis Hoëli: nec non & Rithonem alium gigantem immanem, in Aravio monte: qui ex barbis Regum, quos peremerat, fecit sibi pelles: & mandaverat Arturo: ut barbam suam diligenter excoriaret: ut eam in honorem ejus cæteris antponeret. *Philip. Camer. Centur. 2 Oper. succis. cap. 29. pag. 174.*

XVII. Varro, Flaminiusque, alter ad Thrasymenum, alter ad Cannas, dum Annibalis artes despiciunt, dum quales haberent exercitus, denique dum seipsos parùm noscunt, rem Romanam pene funditus subvertêre. *Ioh. Iov. Pontan. lib. 1, de Fortitud pag. 58.*

XVIII. Quòd hostes contemnerent, nimiumq; propriarum virtium fiducia confiderent Fabij: trecentum sex uno die, ad unum omnes, cæduntur. *Vide Livium Decad. 1. lib. 2. pag. 49. 50.*

XIX. Im Jahr 1410. hat Vladislaus Iagello, König zu Polen / mit Vlrich von Jungingen / dem HoheMeister in Preussen eine grosse Schlacht auff dem Tannenberge / darauff man sich zu beyden Theylen drey Jahr lang gerüstet / gehalten. Als der König nicht bald angreiffen wolte / den 15. Julij sondern jhme zuvor / seinem Brauche nach / liess zwo Messen halten / verlangete den HoheMeister zu schlagen / vnd schickte dem Könige zwey Schwerdter / das eine war Blanck / das ander Bluttig / mit einem Herold / vnd liess jhme sagen / Was er so feyge were? Er solte zu einem Kiesen / zu welchem er wolte / Wolte er streiten / so solte er das Bluttige nemen / vnd anziehen. Hette er auch nicht Feldes vnd Raumes genug / so wolte er jhme was weichen / wie denn damals des HoheMeisters Volck weit zu rücke gezogen / vnd was er weiter für Vortheil begehret / solte er ihn lassen wissen / er wolte ihn jhme geben. Wolte er aber Gnade / so solte er das Blancke Schwerdt nemen / vnd für Schaden genug thun. Da hat der König zum Bluttigen Schwerdt gegriffen. Etliche wollen / er habe jhme zwey Blancke Schwerdt geschicket / durch zweene Herold / vnd lassen sagen: Vlrich von Jungingen schicke ihme vnd seinem Bruder VVittoldo

zwey

zwey Schwerdt / zu hülffe der Schlacht / das sie desto freydiger vnd eher anziehen sollen. Der König aber habe sie mit lachendem Munde genommen / vnd gesaget: Wiewol ich von Gottes Gnaden Schwerdter genugsam habe / doch neme ich auch diese zu mehrer Hülffe an. Es wollen auch etliche / der Hohemeister habe des Königs anziehen nicht erwartet / sondern da er erfahren / das der König zum Blutigen Schwerdt gefiesset / habe er seinen ersten Hauffen (dann er sein Heer in drey Hauffen getheilet hatte) an die Littawen gebracht / die denn die Littawen wie Rohsit rücke hinweg gehawen / vnd in die Flucht geschlagen haben. Denn ob wol der Hohemeister wenig Vortheils hatte (weil es Berg auff war) darzu gegen Wind vnd Sonnenschein schlahen muste / darzu viel weniger Volcks hatte / hat er gleichwol das alles nichts geachtet. Auch als im anziehen ein Böhemischer Herr / mit 800 gerüsten Pferden kam / vnd jhm Dienst anbote / sagte er: Ich sey von Gottes Gnaden Vllrich von Jungingen / vñ nicht Christus / bedarff keines Judas. Denn er hoffete sich mit den seinen zugewinnen. Diesen Böhem hat der König angenommen / vnd befohlen auff die Seiten zu rücken / auff jhn zu warten / vnd nicht eher anzuziehen / denn er befehle es. Dieser Böhem sol vmb der verachtung willen / dem Hohemeister einen grossen Schaden an seinen müden Leuten gethan haben. Endlich aber hat der Hohe Meister die Schlacht verlohren / vnd von Bergardin der Tattern Häuptman / mit einem Spieß durch das Maul vnd Halß gerennet / das er auff der andern Seiten Todt vom Gaul gefallen. Etliche der alten Bawren an dem Orte sagen / das er vom Pferde kommen / vnd im pollnischen Lager irre gangen / vnd von einem Fuhrman mit einer Rungen erschlagen sey worden. Auff seiner Seiten sind blieben 600. Ritter Brüder / vnd 40000. Mañ / auff s Königs Seite 60000. Mann. Also bringt Verachtung kein gutts. *Caspar Hennebergers. in Chronico Prussiæ, pag. 446. 447. 448.*

# CCXLII.

*Simulatio metus ab exercitu facta, sæpe hostes temerarium quidpiã aggredi svadet, ut vincantur.*

*L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 127.*

## EXEMPLVM.

Ita Annibal prælio cum Carpetanis abstinuit; & callidè hostibus cedens, castris supra ripam Tagi fluminis collocatis, equitibus præcepit: ut cùm hostem aquam ingressum viderint: adoriantur peditum agmen. In ripa elephantos præterea quadraginta disposuit. Ita cùm & flumen, & feras veluti concertantes haberet: omnia ex sententia processerunt. Nam Barbari metu cessisse Carthaginienses rati, sublato

clamore passim in amnem ruunt. Quare magna pars eorum juxta exitum fluminis absumpta ab elephantis per ripam grassantibus, & ad se delatos inaniter conculcantibus obtriti: pleriqué autem ab equitibus in ipso flumine trucidati. *Polyb. lib. 3. pag. 210.*

# CCXLIII.

*EBrietas sæpe capiendarum ab hostibus urbium causa fuit. L. Danæus in Aphorism. pag. 147.*

## EXEMPLA.

I. Ita à Dorimacho AEgira urbs Peloponnesi juxta Corinthiacum sinum, inter AEgium & Sicyonem sita, est capta, custodibus portæ, qua iter est AEgium, per ebrietatem negligentiùs se habentibus. *Vide Polyb. lib. 4. pag 375. 376.*

II. Fabianus à Dona aliquot turmas equitum peditumque secum habebat in oppido Aenea: quod pervigilio neglectum, ipso die Martini inalbescente ex improviso per Gvisianos, hostem more suo Martinalia celebraturum, & profundis poculis largiùs se invitaturum subolentes, adortum, expugnatum & direptum est: Germanis, altùm dormientibus, partim captis, partim trucidatis. Baro à Dona belli dux, superato saltu muro, qui aliàs sanctus est, mortem præsentem cum uno aut altero servo ægrè evasit. *Factum id est Anno 1588 Ianſonius in Mercurio Gallobelgico lib. 1. pag. 6.*

# CCXLIIII.

*SÆpe exercitus custodum negligentia perierunt. Francis. Patrit. lib. 3. de Rep. tit. 10. pag. 142.*

*Vigiles nocturni, sepulti nonnunquam somno, non antè hostium adventum senserunt: quàm, admotis scalis, è muris editisq; turribus ejecti fuerint. Idem ibidem.*

Nullæ excubiæ, nullæq; vigiliæ tutiùs diligentiusq; exercentur: quàm ab his, qui cum imperio sunt: sive in castris, sive intra mœnia res agatur. Altùm siquidem dormire possunt vigiles nocturni: ubi conniventes vigilum præfectos

senserint. Et fortunæ exercitum suum mihi credere videtur Imperator: quamdiu dormit. Hujus rei documentum præbuit Alexander Macedo: qui ne à somno deciperetur: æneа concha suppositа, brachioq; extra cubile exerto, pilam in manu tenebat argenteam: ut cùm nervorum vigorem sopor laxaret: lapsæ pilę tinnitus somnum rumperet. Hoc quidem documentum Regem illum excellentissimum à gruibus accepisse arbitror: qui nocturnas excubias semper exercent: & ne à somno decipiantur: lapillum altero pede sustinent: quo lapso, vel plaga in extensum pedem accepta, vel sono decidentis calculi expergefiunt. *Idem ibidem.*

## EXEMPLA.

I. Spargapises, Tomyridis Scytharum Reginæ filius, vino somnoq; cum omni exercitu sepultus, oppressus interiit.

II. Gruum diligentia si usus fuisset Thrasybulus Athenienſis; nunquã obscuravisset mortis turpitudine præclaram laudis suæ famam; quam adeptus fuerat: cùm patriam à triginta oppressam Tyrannis è dira servitute in libertatem vendicaret. Nam sequenti tempore, cùm Prætor classe Atheniensium ad Siciliam applicuisset; neq; satis diligenter in castris ejus vigiliæ agerentur: ab hostibus ex oppido noctu eruptione facta in tabernaculo interfectus, exemplo suo docuit, verum esse præceptum illud: Nihil in bello oportere contemni. *Idem ibidem.*

# CCXLV.

*NEutrales periculum, quod declinare volunt, plerunq; incurrunt.*

*Qui neutrarum partium Duces sequuntur: tandem certa fiunt victoribus præda.* *Ioh. Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 6. pag. 919.*

*Media via neq; amicos parat: neq; inimicos tollit:* ut Prætor ille Samnitum non oratione modò,

sed re ipsa comprobavit. Eadem oratione usus est Aristænus Imperator in concilio AEtolorum, cùm diceret, Romanos aut socios habere aut hostes oportere: mediam viam nullam esse. *Idemibid.*

*Qui verò neutrarum partium se esse verbo declarant: re tamen faces utrisq; ad bellum inflammandum clàm suppeditant: eorum fraus diu latere vix potest. Re verò planè cognita ac percepta: pernicies imminet ab utrisq; mutua cõncordia conciliatis. Idem pag. 923.*

*Neutram partem qui sequuntur, exponuntur prædæ & injuriis utriusq; partis aut factionis: & rursum concordantibus utriusq; factionis partibus, sunt utriq; parti odio, & inimici omnibus, tanquam qui illorum malis lætentur. Quod etiam accidit his: qui, pugnantibus vicinis, spectatores tantùm sunt: & neutras sequuntur partes. Siquidem fœdere facto inter dissidentes, iste non comprehenduntur: & ita prædæ relinquuntur: vel si ab aliis invadantur: sine auxilio relinquuntur. Petr. Greg. Tolos. lib. 23. de Rep. cap. 4. pag. 1438.*

## EXEMPLA.

I. Quamdiu Ludovicus XI. nullius Principis aut populi societatibus implicari voluit: hostium incursionibus sæpe oppressus est. Cùm verò societatem cum Helvetiorum populis contraxisset; nulli deinceps in ejus Imperij fines invaserunt: ipsiq; Helvetij vicissim tutiùs beatiusq; vixerunt.

II. Ferdinandus Rex Aragonum, ut Petrum Regem Navarræ imperio spoliaret: nihil prius habuit: quàm ut illum à Francorum societate sejungeret: ut tandem ab omnibus desertus facilè opprimeretur.

III. Ipsi

III. Ipsi quoque Iabeni (*Iudic.* 18.) cùm Israëlitas bellis implicatos sequi noluissent: parta victoria omnes ad unum internecione deleti sunt.

IIII. In eadem pericula Thebani penè inciderunt: cùm bello Persico domi sese continuissent.

V. Cives omnes Laidarum repentino bello ac servitute oppressi fuerunt: propterea quòd nec Principem, nec ullam cum finitimis amicitiam aut societatem contraxissent.

VI. Ac superiori ætate Florentini cùm à Francorum societate desciviſſent: nec Principes in Francorum Reges conjuratos sequerentur: tandem potentiorum arbitrio ac libidini servierunt. *Idem Bodinus pag.* 919.

VII. Cùm majorum nostrorum ætate Veneti inter finitimos Principes occultè jurgia sererent: ac turbatis rebus in alienas possessiones clàm invaderent: Ludovicus XII. Rex Francorum societate cum Iulio II. Pontifice Romano, cum Maximiliano Imperatore, cumque Ferdinando Hispaniarum Rege contracta, Venetos triplici prælio fusos ac fugatos ad earum urbium, quas ipsi fraude occupârant, restitutionem compulit. Ac primùm per sese Cremam, Cremonam, Brixiam, Bergomúm, Guiaraddam Mediolanensium municipia: Pontifex Romanus Faventiam, Ariminum, Ravennam, Cerviam, urbes Romanæ ditionis: Maximilianus Pataviam, Vincentiam, Veronam, Imperij nomine, suo verò Trevisam ac Forum Iulium: Ferdinandus arces ac portus Neapolitani regni, quæ oppignorationis jure tenebantur, recepit: cùm tamen ante bellum satis Pontifici fieri potuisset unius oppidi restitutione: sed Dominicus Trevisanus Reipublicæ Venetorum Procurator intercessit, cùm diceret, à Venetis quidem arces & oppida capi semper: semel adempta restitui novum & absurdum esse. *Idem pag.* 923.

# CCXLVI.

*Qui victoratoria calliditate sibi cavent: ut in utramq; partem fallere possint: exitium sibi procurare sæpè consueverunt.* *Ioh. Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 6. pag. 935.*

## EXEMPLVM.

Vt Epirotæ, qui bellum adversus Ætolos ab Achæis susceptum se in consilio Achæorum probare dicebant: Ætolis verò clàm significaverunt, se illis hostes minimè futuros. Iidem bello Macedonico Persi sese amicos fore promiserunt: modò ne Romanorum in se odia excitarent. Id agebatur, inquit Livius, ut si Rex abstinuisset Epiro: integra sibi essent omnia apud Romanos: & conciliata apud Regem gratia: quòd acceptum fuissent venientem. Quæ consilia patefacta exitium illis ac miseram servitutem fugato Perseo peperêrunt. *Idem ibid.*

Bella

## CCXLVII.

*BElla sunt pœnæ publicæ scelerum, quæ grassantur in genere humano, & inprimis idolatriæ, injustitiæ & libidinum.* *Peucer. in lect. Chron. 1. Novemb. Anno 1572.*

### EXEMPLA.

I. In bello Siculo puniti sunt Athenienses propter fastum & insolentiam, & mota bella non necessaria, & propter alias causas, propter idolatriam, & alias.

II. Postea Siculi puniti sunt propter multiplices libidines.

III. Sic puniti sunt Carthaginenses. **So sein die pœnæ nach einander gegangen.** *Idem.*

## CCXLVIII.

*EXternæ gentes in societatem bellorum, præsertim intestinorum, ascitæ, pulsis postea successoribus, ipsi sedes occupârunt.*

*Historiæ docent, plerunq; conductio milite regna pessundata.* *Ioach. Meist. die Convers. Pauli, An. 1582.*

*Regna quæ peregrino milite utuntur, diuturna non sunt: sed ab istis exercitibus, quos defendendi sui causa attraxerunt, everruntur.*

συμμαχίαι *omnibus temporib. imperia everterunt.*

*Cùm in seditionibus aut bellis alieni & peregrini invitantur ad societatem bellorum, auxilij & defensionis causa: aut ad disceptationem controversia-*

*rum, vel vt arbitri: plerunq; tales fiũt hostes vtrisq; : & vel iis, ad quos debellandos accersuntur, deletis aut repressis, socios devorant: vel partitione facta controversias sic dirimunt: ut ad se trahant potiora.* *Peucer. in orat. de Arcadio & Honorio.*

*Auxiliatores, ut solet fieri, postea fiunt Domini.* So gehets / wenn man Gäste bittet / der man nicht mächtig ist. *Philip. in Cordiali Abrah. Bucholc. pag. 42.*

*Defensores plerunq; sunt devoratores.* *Strigel. 2. Paral. 28. Et Chronol. Bucholc. pag. 389.*

*Externa auxilia plerunq; exitiosa sunt iis: quibus opem ferre debebant, & à quibus conducuntur.* *Peucer. in lect. Chron. d. 23. Sept. An. 1570.*

*Historiæ omnium gentium docent: quòd plerunq; potentiores, invitati ab imbecillioribus ad belli societatem, tandem ipsos oppresserint.* *Idem ibidem.*

*Fœdera externa semper exitiosa fuisse, historiæ docent.*

*Multitudo peregrinorum militum valde formidanda est.* *Francisc. Patrit. lib. 9. de Rep. tit. 3. pag. 390.*

*Mercenarij militis fides ex fortuna pendet: qua inclinante ad hostes, plerunq; etiam ipsi spem atq; animum eò inclinant.* *Idem lib. 9. de regno, tit. 15. pag. 604.*

*Auxiliatores conducti ex diversis locis, nec dis-*

*ciplina inter se, nec affectione consentiunt.* Quamobrē in auxiliaribus conducendis prospicere debet Princeps, quos advocet: num sint probæ fidei: & an illis tutò se committere possit & suos: siquidem *solent isti mercenarij milites plùs lucrum, quàm causam sequi bellandi: & ita facilè ab hostibus vel majore stipendio, vel donis, corrumpi possunt. Aliunde quoq; periculum imminet: ne, fugatis hostibus, ipsi auxiliares insidientur dominis: qui eos advocaverint: si majori numero, quàm sit populus, ad quem transierunt, inveniantur.* *Petr. Gregor. Tolos. lib. 11. de Rep. cap. 3. pag. 656.*

*Ea Respublica facilè vinci potest: cujus vires sunt mercenariæ & extraneæ, non vernaculæ.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 5.*

*Sæpe qui extranei ad partem duntaxat regionis possidendam invitantur: fiunt insidiosè tandem illius totius domini.* *Idem pag. 212.*

*Exercitus extraneus nequaquam est in aliquod nostrum oppidum, præsertim robustus, temerè & facilè intromittendus.* *Idem pag. 100.*

*Nullus extraneorum numerus est in oppidum ullum aut præsidium introducendus: qui viribus vel numero cives ipsos superet.* *Idem pag. 116.*

*Non temerè summum exercitus imperium extraneo Duci, cùm inter indigenas ipsos ad imperan-*

*dum*

*dum sunt aliqui apti, est committendum: ne vel contumelia indigenis proceribus facta videatur: vel Dux iste extraneus alienam Rempub. facilè prodat.* *Idem pag. 222.*

*In dissensionibus civilibus quando odij & iræ vehementia abrepti utrinq; ad externa auxilia confugiunt: sæpè hostes patriæ veteres adducunt: quorum armis & ipsi utrinq; opprimuntur: & communis patria discerpitur. Fit ergo, ut qui cives & fratres ferre noluerunt: postea exteros Tyrannos & horũ satellites, omnis nequitiæ ministros, ferre cogãtur.* Et impletur tunc illud Christi: Omne regnum in se divisum, destruitur. *Rodolph. Gualth. Homil. 31. in Lucam, cap. 3. pag. 82.*

Nota est fabula de Vulpe & Erinaceo. Erinaceus penè frigore enectus venit ad cavernam Vulpeculæ: petit se recipi intra specum. Assentitur Vulpes, mota misericordia: admittit Erinaceum. Erinaceus ingressus cùm incaluisset, excruit aculeos, & pungit Vulpem. Vulpes cedit: insequitur Erinaceus: & pungendo finem non facit. Queritur de ingratitudine Vulpes. Respondet Erinaceus: si te impedio, cedas. *Id faciunt potentiores hostes introducti in urbes & regna universaliter.* *Peucer. in lect. Chron. ut suprà.*

**Was einer nicht erheben kan/**
**Sol er selb ander liegen lan.**

Huc pertinet fabula Aesopi venustissimè conficta. Cùm esset ingens frigus: venit Echinus in angustam speluncam: in qua habitabat Lepus: petit à Lepore, ut recipiatur hospitio: & defendatur à frigore. Lepus recipit Echinum: qui deinde pupugit Leporem, ac dixit: Si tibi sum molestus, exi. So

pflegets zu gehen / das einer den Teuffel zu Gaste ladet / der jm darnach das Lohn giebet. Epimythion non est obscurum: sæpè fit, ut nostris beneficiis adjuncti & invitati, reddant nobis malam gratiam. *Philip. in Cord. Bucholc. pag. 166. Strigel. in Chron. part. 1. pag. 207.*

Hermocrates Syracusanus apud Thucydidem in quadam oratione eleganter tractat locum communem, de non accersendis temerè socijs potentioribus in dissidijs publicis, aut arbitris potentioribus: Quia utroq; vocabulo utitur, non esse accersendos συμμαχους ηὲ διαλλακτὰς. **Denn es gehet also:**

*Si fueris quarum divisor particularum:*
*Hanc discas artem: meliorem percipe partem.*

Propositio totius illius orationis est ista: Tucamur concordiam: faciamus nos inter nos pacem: & non accersamus arbitros aut socios Athenienses: qui cùm antecellant potentia cæteris Græcis: sunt intenti in nostra errata: & honesto prætextu societatis adsunt: cùm reipsa hostiles animos adferant: hoc agunt, ut nobis oppressis sibi quærant & stabiliant imperium in Sicilia. **Vnd behalt das wol / Es gehet so zu:** *Quandocunque in dissidijs publicis accersuntur externa auxilia gentium potentiorum, aut ab alterutra parte, aut ab utrisq; : semper hoc evenire solet:* quod prædicit Siculis fore eventurum, si accersivissent Athenienses. τοιῦτοι γὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, ὦ ὀνόματι συμμαχίης πάρεστε, ᾧ νόμῳ ξυμμαχίας τὸ φύσει πολέμιον εὐξυνέτως ἐς τὸ ξύμφορον καθίσαντα. **Das thun sie alle**, observant errata nostra, & honesto nomine societatis animum hostilem à natura insitum concinnè tegentes, suæ utilitati consulunt: id est, observant errata nostra: committunt nos inter nos: & alterutram partem in speciem fovent & adjuvant, eò usq;: donec nos exhausti mutuis exactionibus, & fracti cladibus, utrinq; fiamus ipsis præda. **Sie werden vns an einander sich lassen abe arbeiten;** ut re-

diga-

digamur ab ipsis utriq; in servitutem. So werden sie mit vns vmbgeyen. Vnd sagt: Si volumus socios quærere: tum accersamus socios: quando aliena volumus invadere: quorum auxiliis illa subigamus & domemus, quæ invadimus: nobis non opus est auxiliis: quando nostra perdere volumus. Illa dicuntur verè & graviter: & semper illa ita esse, ostendit omnium gentium historia. *Peucer. in lect. Chronicorum, d. 20. Sept. Anno 1572.*

Cavendum est ab exercitu peregrinorum: quibus cum nulla nobis societas, nullum fœdus, nullæ rationes nisi mercede contractæ. Neq; enim dubium est: quin suæ potiùs & utilitati & saluti, quàm alienæ, inserviant: ac premente hostium metu, aut victoriæ laudem prædamq; sibi tribuant: aut fuga latebras quærant: cùm tamen alienis stipendijs bello assuescant: & parent opes: quibus alienum imperium adipiscantur. *Ioh. Bodinus lib. 5. de Rep. cap. 5. pag. 901.*

*Plerunq; externo perfundata milite regna.*

## EXEMPLA.

I. Cyrus ad componendum bellum civile inter Cares exortum exoratus, bellum componit: sed Cariam libertate exutam, sibi obedientem facit. *Xenoph. lib. 7.* παιδείας κύρου.

II. Thebani, crescente potentia Phocensium, cum quibus bella gerebant, cùm impares essent ipsis, accersierunt Philippum Macedonem: qui victis Phocensibus tandem Græciam oppressit.

III. Inter causas, quibus crevit Romanorum Imperium, & illa recensetur: quòd non admiserint ad societatem belli eos: quorum non essent domini. Quicquid peperere runt, suo sanguine pepererunt. Plus hausit Italia sanguinis Romani, quàm externi: quia non gesserunt bella socijs armis, vel externa ope: nec conduxerunt externos stipendijs. Aucto Imperio, constituerunt Reges socios: quibus tamen ipsi dominati sunt. Hinc Cicero *in lib. de Repub.* Noster populus socijs defendendis terrarum jam omnium potitus est. Postea bellis civilibus ita fuerunt labefactatæ vires Romani Imperij: ut quoties hostes fuerunt reprimendi: Imperatores coacti fuerint conducere peregrinos exercitus: à quibus postea provinciæ Romani Imperij sunt vastatæ.

IIII. Theodoricus Rex Gothicus missus est in Italiam à Zenone Imperatore ad reprimendum Odoacrum. Ea occasione Gothi Italiam occuparunt.

V. Gensericus Rex Vandalorum Africam occupavit, & ibi regnum constituit, attractus à Bonifacio Duce contra Valentinianũ Imperatorem Constantinopolitanũ.

VI. Leo Philosophus dictus, Imperator Græcus, cùm Turcos ex montib. Caspijs adversus Bulgaros evocaret; confederunt in vicinia: donec confirmatis paulatim viribus totum regnum everterent. Tales hospites non facilè possunt ejici. Et hæ sunt occasiones mutationis regnorum. *Philip. in Post. Pezel part. 4. pag. 613.*

VII. Impius Rex Achas icto fœdere cum Rege Assyriorum, attrahit eum in Syriam. Rex Assyriorum interfecto Rege Syriæ Razen, expugnatam Damascum occupat: & colonos Syros transfert in Cyrenaicam: adigit Regem ad tributa annua solvenda. Secuti Reges reliqui progrediuntur; & totum delent regnum Israël. Hoc destructo, gentem Iudaicam abducunt in captivitatem Babylonicam. His irruptionibus præbuit primam ἀφορμὴν hic Rex: invitat Assyrios: qui *semel invitati, dant operam ut maneant. Id quod semper faciunt potentiores hostes, invitati defensionis causa ad societatem bellorum. Peucer. in lect. Chron. d. 23. Sept. An. 70. Strig. in Chron. part. 1. pag. 303.*

VIII. Carthaginenses in primo bello Punico à Celtis socijs, quibus contra Romanos usi fuerant, plus damni acceperunt; quàm ab ipsis Romanis.

IX. A Theodosio Gotthi conducuntur contra Francos: Burgundi, Alani, Suevi a Stilcone contra Gotthos attrahuntur. Gotthi occupant Italiam: Burgundi Galliam: Vandali Hispaniam. Deinde cõtra Gotthos accersiti sunt Longobardi à Narse sub Iustino II. ibiq; regnum tenuerunt annos 204.

X. Beda Presbyter Suevos Anglos prodidit inter Vitas & Saxones fediſſe: & invitatos à Vitigerno Britannorum Rege, his contra Scotos & Pictos, Insulam perpetuis depopulationibus infestantes, subsidio veniſſe, Martiano & Valentiniano imperantibus, Anno Christi 449. Sed tandem potentia auctos utrosque, ut fieri solet, oppressis incolis, partitaq; Insula & Imperio, ac limitibus ad Caledoniam silvam interjectis, Britannorum nomine abolito & regno, Anglos parti Australi Insulæ, Scotos Borealli imperaſſe. *In Chron. Philip. lib. 4. pag. 301.*

XI. Ita Sarraceni sunt extracti ex Africa; & oppressis Gothis Imperium Hispaniæ sibi vendicarunt: quod per annos 700. tenuerunt.

XII. Ita Hispani sunt potiti Sicilia & Regno Neapolitano, accersiti contra Gallos: sed Hispani oppressis incolis, & exclusis Gallis, regnum Neapolitanum & Siciliam sibi subjecerunt.

XIII. Ita & Gallici Reges, qui nunc rerum potiuntur, conducti stipendijs contra Normannos, oppressis Regibus antiquæ stirpis Caroli Magni, invaserunt regnum: & illud postea propagarunt in stirpem suam longa serie usq; ad hos Reges. *Peucer. in lect. Chron. d. 20. Sept. Anno 72.*

XIIII. Arabes ab Heraclio ducti contra Persas, non solutis stipendijs, ceperunt devastare limites Romani Imperij; & subitò regnum constituerunt in Asia, ubi accessit prætextus religionis Mahometis.

XV. Turcæ ex Scythiæ ora primùm in Armeniam & majorem Asiam per portas Caspias ingressi sunt, Duce Tangro Lybiæ Moccaleto, circa annum Christi 870. invitati à Mahomete Imbraili Persiæ Sultano Sarracenico: quem Amyras Babylonicus seu summus Rex Sarracenorum ejicere & opprimere nitebatur. *Chytræus in Apocal. cap. 9. fol. 214.*

XVI. Vltimus Rex Aegypti Calipha contra Almericum successorem Balduini in

regno

regno Hierosolymitano, à quo oppugnabatur, attraxit in societatem belli Sarracenem Syriæ Sultanum: qui perspectis multis Aegypti commoditatibus, cùm videret Caliphæ vires infirmas esse: eum regno exturbavit; & in carcerem inclusit, occupata Aegypto, Ita *plurimi ad defensionem vel invitati, vel conducti, rebus confectis, socios oppresserunt. Vide in Chron. Philippi lib. 4. pag. 443. 444.*

XVII. Evenit hoc ambitiosis fratribus, Hircano & Aristobulo, totiq; Iudæorum genti: quæ illorum ambitione sese in partes scindi passa est. Illi enim hominibus profanis supplices facti sunt: & uterq; cum extrema ignominia vitam infelicem finivit: Iudæi verò simul omnes immanissimorum militum libidini subjecti, & in servitutem miserrimam redacti fuerunt. Idem olim sub Regibus majores ipsorum passi fuerant: quandò hi quidē Syros, illi verò Assyrios, contra fratres suos in belli societatē pertrahendo, utrisq; populis occasionē dedēre eos perdendi: quos maximè perditos volebāt.

XVIII. Et in Romana historia hic semper bellorum civilium exitus fuit: ut à majoribus devictæ gentes, sub Romanis Ducibus adversus Romam pugnarent: & ea occasione clades olim acceptas ulciscerentur. Imò illa viam straverunt Tiberijs, Claudijs, Caligulis, Neronibus, Domitianis, & infinitis alijs Tyrannis: quorum plerique ex barbaris gentibus oriundi, veteris Romæ majestatem vilissimis mancipijs & libertis suis conculcandam prostituerunt.

XIX. Simile exemplum non sine orbis Christiani summo periculo in Græcia ante annos trecentos editum est: quando de Orientis Imperio inter Cantacuzenum & Iohannem Palæologum contentio exorta est: & in auxilium evocati sunt Turcæ: qui ab eo tempore ad occupandam Græciam animum adjecerunt: & ea non multò pòst potiti sunt; & ex eo magnam Europæ partem occuparunt. *Rodolph. Gualth. ut suprà. Strigel. in Chron. part. 1. pag. 207. & part. 2. pag. 60.*

XX. Solymannum Turcam attraxit in Vngariam Laskus Polonus contra Ferdinandum: nec unquam postea repelli potuerunt Turcæ ex Vngaria.

XXI. Temporibus Friderici III. Imperatoris, cùm de imperio Italiæ armis decertarent Principes Italici; Pontifex ut bella civilia inter Principes componeret, peregrinos Reges attraxit: qui confecta pace, sublatis bellis intestinis, ceperunt ipsi de regno Italiæ armis contendere: donec tandem pulsis reliquis, Hispani victores evaderent: & Italiam regno Hispaniæ subijcerent. *Vide in Chron. Phil. lib. 5. pag. 670.*

XXII. Ludovicus Sfortia Dux Mediolanensis attrahebat Gallos in Italiam contra Hispanos: qui erant defensuri Iohannem Sfortiam nepotem ejus contra Ludovicum. Sed Galli potiti Ducatu, postea Ludovicum abductum in Galliam, inclusum in tetrum carcerem miserè enecant. *Peucer. in lect. Chron. 23. Sept. An. 70.*

XXIII. Cùm Soldani Saracenorum, intestinis seditionibus & dissidijs inter se, & cum Calipha suo, agitati, bella gererent: Mahometes, Persiæ Soldanus, Calipha viribus inferior, Turcas vicinos adversus illum excitat: eorumq; fide ac robore victoriam obtinet. Sed stipendia illis promissa post victoriam solvere recusans, ab illis auxiliarijs suis bello petitus, victus, & regno privatus est. *Chytræus in parvo Chronico Annor. 93. 94. 95. pag. 44.*

XXIIII. Caradinus piratarum maximus ab Algerijensibus accersitus, ut eos à servitute Hispanorum, qui arcem occupaverant, liberaret, parta victoria, Selimum Regem cum domesticis occidit: ac regnum Ariadeno fratri reliquit. *De hoc vide Pet. Greg. Tolos. lib. 11. de Rep. cap. 3. pag. 656.*

XXV. Sa-

XXV. Saladinus Tartarus, quem Aegypti Princeps acciverat, ut Christianos de Syria deijceret, pulsis Christianis, imperium Aegypti occupavit: quod ut stabilius esset: Circassiorum ac Tartarorum venalitios ad corporis & imperij sui custodiam, Aegyptijs omnibus ac Syris exarmatis, adhibuit: ac florentissimum imperij statum reliquit posteris: qui non nisi a Selimo Turcarum Rege deturbari potuerunt.

XXVI. Scoti, fusis Pictis ac Britannis, eam regionem, quæ nunc Scotia dicitur, occuparunt: cùm tamen mercede conducti fuissent. *Ioh. Bodinus lib. 5. cap. 5. pag.* 901.

XXVII. *Certè periculi plena res est, exercitum peregrinum ac ducem peregrinum conducere, quibus præsit domesticus imperator: cùm imperium militare in eos, qui, nisi velint, cogi non possunt, inane sit ac inutile futurum.* Carthaginenses quidem nondum militari disciplina satis instructi, duces Lacedæmonios arcessere solebant: qui exercitum Carthaginensium ducerent sub Imperatore Carthaginensi. Nunquam tamen exercitu ac duce peregrino utendum sibi putavetunt: ne Respublica in peregrinorum potestatem veniret. *Idem Bodinus lib. 5. cap. 5 pag.* 888.

XXVIII. Classe Carthaginensium apud Aegates insulas à C. Luctatio Catulo, Romanorum Consule superata: statuerunt Carthaginenses pacem cum populo Romano inire: remq; Hamilcaris, qui cognomento Barcha dicebatur, imperio permiserunt: qui tandem multis sermonibus ultrò citroq; habitis, pacis conditiones à Catulo Consule accepit. Qua quidem conciliata: milites, qui contra Romanos militaverant, ad numerum circiter viginti millium, novandarum rerum studio, à Carthaginensibus defeciverunt: & constitutis inter se Ducibus, Vticam, Hipponem, & pleraq; alia oppida ad defectionem compulerunt: urbemq; ipsam obsederunt. Quibus malis Pœni perterriti, auxilium à Romanis, paulò antè hostibus, impetrarunt. Huic bello Hamilcarem Imperatorem præfecerunt: cujus tanta virtus illuxit: ut hostes à mœnibus repulerit: oppida, quæ defecerant, restituerit: & mercenarios milites eò compulerit: ut locorum angustijs clausi, plures ex eis fame, quàm ferro, perierint. Qua ex re tantum laudis assecutus est Hamilcar: ut omnium sententia patriæ salvator diceretur. Quo nunc exemplo facilè est intelligere: *quanto tutior præstantiorq; sit propria civium nostrorum manus: quàm externa militia. Francisc. Patrit. lib. 9. de regno, tit.* 15. *pag.* 604 *Et lib. 9. de Repub. tit.* 3. *pag.* 396.

XXIX Zanclæi invitabant Samios; qui Zinclam viris desertam ipsi occuparunt. *Vide Herodot. lib. 6. pag.* 163.

XXX. Græci prælisturi contra Xerxem nolebant Geloni universum concedere imperium: ideo nuncius Athenensis ad illum ajebat: Rex Syracusanorum, Græcia nos ad te misit, non Imperatorum indiga, sed exercitus. *Vide eundem lib 7. pag.* 207.

XXXI. Messanam Campani occuparunt, per amicitiam intra mœnia recepti: & violata fœderis fide in eam impetum faciunt: cives partim urbe ejiciunt: partim trucidant. *Polyb. lib.* 1. *pag.* 15.

XXXII. Ita & Romani a Rheginis contra Pyrrhum & Carthaginenses in auxilium accersiti, aliquandiu urbem tutati, tandem tamen fidem violant; urbem occupant & detinent: cives alios pellunt, alios cædunt. *Idem pag.* 16.

Civi-

# CCXLVIII.

*CIvitatibus grave imminet periculum: cùm peregrinis omnibus patet aditus in urbem: in qua sensim opes & incrementa accipiunt: & cùm opibus ac potentia civibus pares esse ceperint: ab honoribus & imperiis prohiberi se graviter ferunt. Quò fit, ut si ab optimatibus injuriam acceperint: aut tributorum pondere gravati fuerint: ad vim & ad arma concurrant: ac dissidentes inter ipsos optimates de imperio deijciant. Ioh. Bodinus de Rep. lib. 4. cap. 1. p. 608.*

Solent plerunq; oriri seditiones, ex peregrinorum admissorum in civitatem consortio. Nec bene ab initio advenæ cum civibus consentiunt: donec eadem cum civibus sentiant. Quod accidit ex diversitate morum: ex odio & invidia felicitatis advenarum: ex contemptu eorundem: quæ cùm advenæ pati nequeant: suscitantur contentiones: ab illis ad manus pervenitur: & tandiu inter se conflictantur: donec alterutri dominentur: & alios excludant. *Petr. Greg. Tolos. lib. 23. de Rep. cap. 6. pag. 1441.*

## EXEMPLA.

I. Certè quidem Lindavij, Argentinenses ac Tigurini, optimatibus cæsis aut exilio pulsis, populare imperium, eo quo dixi modo, stabilierunt. Ac ne deinceps optimates popularem statum everterent: legibus eorum sanctissimè cautum est: ne quis summos in urbe magistratus consequatur; nisi priùs ex infima plebe compertum sit originem traxisse.

II. At Corcyræorum plebs, quæ ex peregrinis coaluerat, patritios ac optimates, initio belli Peloponnesiaci, comprehensos in vincula conjecit: quos postea crudelissimè trucidavit: quam cladem optimatum imperij secuta conversio est.

III. Idem contigit Rebuspublicis Samiorum, Sybaritarum, Trœzeniorum, Amphipolitarum, Chalcidensium, Thuriorum, Cnidiorum & Chiorum: quorum optimates, cùm peregrinorum multitudinem in civitatem sine imperijs & honoribus admisissent: ipsi de imperio & civitate dejecti, bonisq; omnibus spoliati, & magnam partem cæsi fuerunt.

IIII. Quo nihil est in Venetorum Republica magis metuendum: in qua soli patritij honoribus & imperijs fruuntur: cæteris tum nobilibus, tum plebeijs, qui ab ipsis Citadini vocantur, excluſis. *Idem ibidem.*

# CCXLIX.

*Cives melius imperant, quàm peregrini.*

Quæri solet à nonnullis, an omnes magistratus inter cives describendi sint, an aliqui peregrinis tradendi? Placet quibusdam, magistratus omnes, qui juri dicundo præsunt, quiq; ultionem aliquam in sontes exercent, peregrinos esse. Dicunt namq;, simultates, inimicitias atq; odia inter cives oriri: cùm civis in concivem suum animadvertit. Alia autem ex parte longè faciliores esse, & ad gratiã clementiamq; proniores concives inter se: quàm si res, à peregrinis agatur. Qua quidem ratione adducti pleriq; Italiæ populi ejusmodi magistratus aliunde accersere consueverunt. Ego autem rem non multis absolvendam esse censeo: si optimè constituta Respub. est: & legibus moribusq; omnes probè auscultent.

*Longè melius cives imperabunt, quàm peregrini.*

Quod quidem non solùm ex Romanis, Carthaginensibus, Athenienſibus, Lacedæmonijs, alijsq; compluribus cerni licet: qui magistratus omnes suis civibus tradunt: verùm ex inclyta quoq; Venetorum Republica: in qua peregrinis nullus est locus: & tamen nec justitia nec severitas deest: & ex ejusmodi judicijs nullæ seditiones, nullæq; inimicitiæ oriuntur. Atqui unum de ea Republica dicere possumus: quod nusquam alibi me lectitasse aut vidisse memini: quòd ordo civitatis, qui à primis conditoribus constitutus fuit, semper

manſit:

manſit: & nunquam mutatus eſt. Hi namq; eam urbem ædificaverunt: inter ſe ſuosq; magiſtratus eam diviſerunt, quaſi præmium laborum ſuorum: & hanc hæreditatem poſteris reliquerunt: ut advenam, cõlonum, peregrinumq; ad magiſtratum admitterent nullum: & ita perpetuò obſervatum eſt jam penè annis mille. Quocirca poſteri illorum, qui urbem ædificarunt, ſemper Reipublicæ præfuerunt: & Senatores Patricij ac Nobiles appellati ſunt; reliqui autem omnes plebeij. *Franciſc. Patrit. lib. 3. de Repub. tit. 2. pag. 118.*

## CCL.

*QVoties à Principibus in Reipublicæ procuratione prælati ſunt indigenis advenæ: ab animis contumelia incenſis magnas offenſiones, tempeſtates & turbas ortas legimus. Anti Machiavell. lib. 1. pag. 167.*

*Princeps haud alia ratione rerum incolumitati melius conſulere poteſt: quàm ſi provinciarum ſuæ ditionis munia, earundem civibus atq; indigenis fungenda permiſerit. Subditorum enim mores atq; ingenia multò facilius à notis & ſui corporis viris, quàm ab inquilinis, tractantur. Deinde nihil odioſius populo: quàm ſi ſumma quæq; officia, ſacerdotia—, dignitates, ab externis occupari videat. Idem pag. 185.*

*Princeps, qui multis provinciis ac terris dominatur, Conſiliarios non ex una vel altera ipſarum, ſed*

*ex omnibus deligat atq; adoptet.* Ejus melioris intelligentiæ gratia, Rex Hiſpaniæ exempli loco proponatur. Hic inter alias terras quàm plurimas, regnum Arragoniæ, Caſtiliæ, Siciliæ, Neapolis, Ducatum Mediolanenſem & Belgicum poſſidet. Mea itaq; ſententia eſt: ut Conſiliarij hujus Regis non ſolùm ex Arragonijs vel Caſtilianis, ſed & Siculis, Neapolitanis, Mediolanenſibus & Belgis conſtent. Cæterùm cùm hæc præceptio exemplo intelligatur: Rege Hiſpaniæ omiſſo, in genere de hac materia videamus. *Omnino Principi videndum eſt: ſi rectè gubernare, atq; ſubjectos in fide retinere velit: ut hoc præceptum ſequatur. Nã ſi alia ratione aget: omnia confundet.* Populi namq; ab adminiſtratione Reipublicæ ſe excluſos atque rejectos eſſe, nec quenquam ſuorum conſilijs publicis adhiberi perſpicientes, incredibile eſt, quàm rei indignitate commoti ſtomachentur: exiſtimantes (idq; non immeritò) ſe nullo in numero, Megarenſium inſtar, poni: aut veluti mancipia tractari: aut ſibi nihil fidei haberi. Quorum primum, odium generat: ſecundum, libertatis ſtudium, conjurationes, & Principum peregrinorum evocationes excitat: tertium contra Principem germanum animos erigit: ac obſtinatiores reddit. Deinde manifeſtiſſimum eſt: quemlibet mores, naturas, virtutes, vicia, familias, benemerita & malefacta hominum, commoditates ac difficultates terræ perfectiùs noſſe: in qua naſcitur & educatur: quàm extraneos. Quare Princeps ſtipatus Conſiliarijs indigenis, meliùs atque commodiùs difficultatibus mederi atque conſulere poteſt. Præterea naturâ comparatum eſt: ut majori benevolentia noſtros, quàm extraneos, proſequamur. Præterquam enim quòd naſci & educari ijsdem legibus maximum inter bonos amicitiæ vinculum eſt: ſemper in noſtris vel ſanguinis, vel confœderationis, vel amicitiæ, vel officiorum ratione, obli-

gatio

gatio quædam invenitur: quæ in extrancos non cadit. Vnde videmus, & in consiliis, & extra ea, citiùs, promptiùs atq; diligentiùs tractari negotia domesticorum & indigenarum: quàm exterorum: & si hi quicquam obtinere velint: id ipsis maximo sudore, contentione, vel largitionib. efficiendũ esse. *O quàm misera terra est! quæ nullum suorum in consilio Principis videt.* Quid, quòd Princeps, qui Consiliarijs unius provinciæ delectatur, amoris vel factionis studio rapi, vel affectione peculiari duci videtur? Nam quando omnis favor, vel ejus maxima pars, in unicam gentem confertur: illa necessariò elata superbescit: & aliæ indignatione accensæ ei invident, maledicunt atq; obtrectant: & tandem desperatione quadam rixas excitantes, ad arma veniunt. Quicquid tandem à Principe statuatur: quælibet provincia ac gens suas virtutes ac vicia, bonos ac malos, doctos & indoctos, argutos & hebetes, aptos atq; ineptos, fideles & infideles habet. Nec quisquam mihi obstrepat: sed dicta, prout à me dicta sunt, accipiat. Princeps prudens publica persona est: non itaq; præter rationem partibus sese conjungat & aggreget. Civis nativus est omnium provinciarum atq; terrarum: non itaq; se sponte alienigenam efficiat. Pater est universorum: non itaq; causa est: ut cuiquam se, nisi ratione postulante, vitricum exhibeat. Ad extremum, hæc orationis meæ conclusio est: *cùm Consilium ad provincias regendas sit destinatum: id ex omnibus constituendum esse.* *Fridericus Furius Ceriolanus in libello, qui inscribitur, Idea Consiliarij, pag. 100. 101. 102. 103. 104.*

## EXEMPLA.

I. Anno 1168. Guilielmus Siciliæ Rex (cæterùm è Gallia oriundus) Cancellarij dignitate non Siculum, sed Gallum hominem, & quidem tanti muneris capacem, auxit. Regni proceres, indignati peregrino tantum in sua terra esse potestatis,

tantumq; magistratum mandatum esse novo & externo homini, eam contumeliam ferro arcere statuunt. Neq; Cancellario modò, sed & omnibus Gallis, qui in Sicilia, Apulia, Calabria erant, perniciem machinantur. Ergo secretis nuncijs per omnia oppida & municipia dimissis, populares & conscios conjurationis, quos omnis generis sibi asciverant, hortantur ut in Gallos omnes pro se quisque signo dato irruant. Itaque una literarum significatione per universam Siciliam, Apuliam, Calabriam, Galli uno die omnes fœdum in modum trucidati sunt. Hæc Gallis in Sicilia calamitas contigit: quòd advenæ mandata esset Cancellarij dignitas: quanquam alioquin isti in Gallorum odium ac cædem proni semper fuerint. Nam & **Anno 1282, conjuratum item est à Siculis adversum Gallos: ac consilium initum:** ut ad primum signum campanæ, quo vespertinæ preces (Veseperas vocant) significantur, per totam Siciliam hospes hospitem Gallum interimeret: idque die solenni Paschæ. Neque ea tantùm cædes cupidè patrata est: sed ab odio iraque furentium latronum & carnificum Siculis mulieribus, quas Gallorum complexu gravidas esse suspicabantur, exsecti uteri, fœtus solo allisi sunt: ne quid usquam Gallici sanguinis superesset. Hanc horribilem cædem, Vesperas Siculas nuncuparunt. Hoc funestum exemplum ItaloGalli non in Sicilia, sed in ipso Galliæ sinu, secuti, Anno 1572. per nobilissimas regni urbes ingentem stragem edidêre: qua magna mortalium vis, virilis muliebrisque sexus, senes, juvenes, pueri quoque, consumpti sunt. Atque ut tam insignis victoriæ monumentum extaret: Matutinarum Parisiensium nomine memorabilem fecere. Sed ad inceptum, id est, ***eas turbas, quæ peregrinos ob magistratus oriuntur***, redeo.

II. Inter Iohannem Galliæ & Eduardum Angliæ Reges pax ita Bretiniaci convenit: ut Iohannes summum jus imperiumque Aquitaniæ in Eduardum transferret. Cùm igitur Aquitania in ditionem Eduardi concessisset: eam Principi Cambriæ, maximo filiorum, possidendam tradidit. Is cùm Burdegalæ regiæ suæ sedem locasset: eò certatim confluxêre primores Aquitaniæ & Vasconum nobilissimi: cùm ut hominia ei & fidelitatis jusjurandum præstarent: tum ut se ei per omne officij genus gratos acceptosque redderent. Eos Princeps (cui multa dexteritas & humanitas inerant) benignè ac comiter quidem alloqui & in consuetudinem admittere: verùm dignitatibus & præfecturis urbanis ac militaribus solos Anglos, quos frequentes secum habebat, ornare. Illi cùm cupidini & sumptibus modum non facerent: neque minore comitatu, cultu, paratu, quàm indigenarum potentissimi conspici vellent: licentiùs alieno utebantur. Itaque cùm & nobilitas ab honorum aditu arceretur: & à magistratibus Anglis multa libidinis & avaritiæ exempla in plebem & oppressos cives ederentur: cùm insuper etiam Princeps novum tributum indicere vellet: omnes Aquitaniæ urbes, aliæ aliarum exemplum imitatæ, ab ipso defecerunt. Ita brevi Anglus ditionem illam cunctam amisit: quia, cùm advenas indigenis jus reddere & præesse æquum censeret, tædium sui moverat.

III. Iohannes minoris Britanniæ Dux, cùm ex Anglia uxorem duxisset: Angli partes summa ope fovebat: idque adversus Galliæ Regem Principem suum. Id cuncta nobilitas Britannica permolestè ferebat. Ergo tali animorum habitu tres

totius

totius provinciæ nobilissimi (Clisso videlicet, Lavàllius & Rohanus) cùm illum adissent, in eam sententiam locuti sunt: Planè ignoramus, Princeps, quid tibi in mentem venerit: quamobrem adeò enixè Angli partes tuis opibus adjutas velles. Minimè te fugit, nos esse clientes Regis Galliæ: & Britanniæ Ducatum à regno & nomine Gallico pendere. Quamobrem te vehementer oratum volumus: ut fœdere ac studio in Anglum ex animo tuo ejecto, Gallicam societatem amplectaris. Quod si tibi persuadere non possumus: nos tui obsequium potiùs, quàm Principis nostri Galliæ exuemus. His dictis Dux incensus, etsi dolorem vultu premeret: temperare tamen sibi non potuit, quin crumperet in hæc verba: Erepta Aquitania gravem à Gallo Regi Angliæ injuriam fieri. Nec longo intervallo interjecto, ministros sibi ac domesticos ex Anglia accivit: tum quos præfecturis urbanis & militaribus ornaret. Iis ab Anglo missis, Britanniæ proceres ac nobiles indignati suam fidem suspectam esse: & sibi anteferri Anglos: priusquam illi appellerent, maturandum rati: urbes, arces, & locorum munitissima, priores occupant. In eas angustias Dux redactus, patria excedens in Angliam trajecit. Ita ille Britanniæ Dux solum vertere coactus est: *quòd seipsum & munia patriæ externis potiùs, quàm popularibus, crederet.*

IIII. Incredibile est, quanta celeritate Carolus VIII. Neapolitanum regnum propemodum sine ulla militum jactura subegerit: & quanta lætitia Regem exceperint Neapolitani, longa & dura tyrannide Ferdinandi & Alphonsi Regum defessi. Minimo negocio poterat Rex, quamvis adolescens (si lectos & idoneos homines, quibus destitutus erat, in consilio habuisset) nobilissimum illud regnum in obsequio retinere: quando omnis ultrò nobilitas ac populus, deficientes ab Aragonica domo, se in Regis fidem ac clientelam tradebant. Maxima igitur erat omnium hominum gratulatio ac lætitia propter depulsam à se tyrannidem. Sed tot secundarum rerum uberrimus proventus brevi spacio evanuit, magno Regis ac Reipublicæ detrimento. Quippe nostri, repentina felicitate incautiùs & licentiùs usi, nobilitatem indignè tractare ceperunt: eos præsertim, qui Andegavensis domus partes foverant: à qua Rex omnem actionem atque omne jus belli acceperat. Deinde Rex ipse, nulla habita ratione Neapolitanæ nobilitatis, omnia munia, omnes dignitates, Gallis attribuit: passimque constituit præfectos: è quibus plerique cupidè & avarè, nonnulli etiam parùm bona fide, rem administrabant. Itaque nobilibus, quos offenderat, cæteros ad defectionem impellentibus, maturè regno illo excidit.

V. Multò etiam infeliciùs cessit Gallis: cùm in Hispania de loco & virtute cum Hispanis certarunt. Rex Castellæ Iohannes Dionysio Lusitanorum Regi bellum illaturus petijt à Rege Galliæ: cum quo sibi fœdus arctissimũ intercedebat: ut socia arma secũ jungeret. Ei Galliæ Rex equestres pedestresq; copias egregiè instructas in subsidiũ misit. Illuc cùm venissent Galli: comiter à Rege accepti, ab eo sumopere contenderunt: ut in prima acie collocarẽtur: ibi se antè parta decora nova gloria cumulaturos. At verò Castellani ægrè ferre, suam virtutem adeò Gallis despectui esse: ut locum sibi debitum præreptum irent. Indignando tamen & querendo nihil egerunt: Rex Gallos, uti voluerant, in fronte constituit. Itaq; Castellani, cùm divisis copijs victoriam hostibus non difficilem, conjunctis, se hostibus pares fore possent existimare:

nisi

nisi ira invidiaq; occœcassent animos; victoriam nulla ope adjuvare statuunt. Irent Galli,& soli prosperæ pugnæ gloriam,vel adversæ dedecus,ferrent. Itaq; à Gallis pugna acriter cepta,& primo concursu adeò æquis viribus res gesta est: ut si paulùm modò annisi essent socij,qui in ultima acie erant: victoria in manibus esset: sed à Castellanis de industria cessatum est: & Galli propemodum omnes,nullis subsidijs fulri, vel in acie cæsi vel capti sunt. Sed multò maximè miserabilis fuit mille equitum clades; in quibus erant novendecim Proceres. Nam cùm Lusitani (à quibus illi capti erant) fusis Gallis novum sibi de integro prælium adversus postremam aciem supereſſe cernerent: captivos omnes interficere statuunt: ne vel evaderent: vel aversam suam aciem ab tergo adorirentur. Iugulatis captivis,adversus integram Castellanorum aciem procedunt. Sed illi quoq;, dimidia quippe virium parte detracta, facillimè oppressi sunt. Nisi Gallos gloriæ cupido intempestiva transversos egisset: ut supra indigenas honore se attolli dignum ducerent; tanta non accepta esset clades.

VI. Ochozias Rex Iuda, Athaliæ, Samaritanæ mulieris,filius, Samaritanis, matris suasu,præcipua regni munia attribuit: præteritis probis ac sapientibus viris: quos in regno habebat. Itaq; cùm Samaritanis (invisis hominibus,& qui peregrinis atq; incestis sacris ritus patrios mutaverant) uteretur potiùs, quàm Iudæis & indigenis: maturam sibi perniciem concivit. Nam cùm Iehu Achabi fratris Athaliæ domum subverteret: propinquos quoq; ejus & amicos,atq; in his Ochoziam,universa propemodum cum stirpe,sustulit.

VII. Assverus, Persarum & Medorum Rex, Amanum, minimè Persicæ stirpis hominem,sed Macedonem,inter præcipuos amicos aliquando extulerat. Is cùm opibus & gratia apud Regem polleret: non modò Mardochæum,cui propriè infensus erat,sed omnes quoq; Iudæos, impetrato à Rege funesto edicto, tollere destinaverat. Verùm posteaquam Rex intellexit: Mardochæum sæpe de se optimè meritum esse; non modò tam crudele edictum antiquavit: sed Amanum quoq; (qui tot victimas sævitiæ suæ immolare decreverat: & regnum sanguine innoxio contaminare) laqueo gulam frangi jussit: ipsius opibus atq; honoribus in Mardochæum translatis.

VIII. Alexander Rex Epeiri,cùm in Italiam ab Tarentinis accitus esset: multasque Brutiorum & Lucanorum cepisset urbes: ducentos fermè Lucanorum exules circa se pro fidis habebat: ut pleraq; ejus generis ingenia sunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem. Nam cùm ad suos cives nuncios misissent: pacto reditu,promiserunt: Regem aut vivum aut mortuum in potestatem daturos. Itaq; cùm ad Acherontem amnem pervenisset: cujus fortè pontem ingens vis aquæ abstulerat: eumq; incerto vado transmitteret; jam propè egressum,eminus veruto Lucanus exul transfigit. Lapsum inde cum inhærente telo corpus exanime detulit amnis in hostium præsidia: ibi fœda laceratio corporis facta. Hunc Alexander Epirensis,cùm peregrinæ fidei nimiùm crederet,tristem eventum habuit.

IX. Carolus, Dux Burgundiæ postremus,cùm Novesium frustrà oppugnasset: ita popularibus suis cepit diffidere: ut eos propemodum despiceret. Ex Italia autem circiter mille cataphractos evocaverat; ijsq; utebatur etiam in obsidione Novesiana. Comitem verò Campobachium quadringentis equitibus præfecerat. Is quoniam Andegavensis familiæ partes,quæ bellum Neapoli gessit, sequebatur: proscriptus & omnibus bonis exutus,in Galliam se receperat: & honorificè exceptus fuerat à Carolo Burgundiæ Duce: & multi præterea cum eo Itali. Ab eo autem in Italiam missus,

ut equi-

ut equitatum cogeret, tum primùm in itinere convertit se ad clandestina consilia. Quippe Regi Galliæ sæpè pollicitus est; se vel capturum illum, vel interfecturum, cùm exercitum lustraret; eoque nomine petebat viginti aureorum millia & Comitatum aliquem in Gallia idonei reditus. Ad hæc si quando bellum committeretur: illo deserto, se transfiturum ad Regem: modò ipse conditiones invicem præstaret. Eam improbitatem atque perfidiam Rex ægrè tulit: & Fabritiũ imitatus, omnia per Contæum Carolo enunciavit. Ille, quia hoc putabat fieri captioſè, ei fidem non habuit: & domesticum proditorem multò majori benevolentia, quàm priùs, complectebatur. Præterea cùm maximam in castris ad Nancejum idem Campobachius autoritatem haberet, promiserat Lotharingo, se moram illaturum obsidioni: & perfecturum, ut ad oppugnationem necessaria desiderarentur. Cumque nobiles aliquot Lotharingi, & in ijs provincialis quidam Cifronius, in oppidum obsessum conarentur ingredi: captus est Cifronius: quo tanquã internuncio & interprete utebatur Campobachius ad Lotharingum, in ijs, quæ clàm cum ipso communicaret. Cifronium captum cùm suspendi jussisset Carolus: is nunciari Carolo jubet: si sibi cum eo remotis arbitris colloquendi potestas fieret; quædam dicturum ei: quæ ad ipsius salutem pertinerent. Tum fortè cùm adesset Campobachius, diligenter observabat omnia, metuens ne proderetur. Carolus illum deprecandi supplicij causa colloquium petere dixit: simul quid vellet jubet sibi per alios nunciari. Cifronius ait, se nemini, præterquàm ei soli, dicturum. Cùm persisteret in sententia Carolus: inter eundum multos ille obtestabatur; ut Principem monerent. Et flexerat aliquos: sed hi denuo interpellaturi Carolum excludebantur à Campobachio: qui pro foribus cubiculi versabatur: & aditu prohibebat omnes: affirmans, mandatum esse Principis: ut è medio tolleretur: simul præfectum custodum urgebat: ut acceleraret supplicium. Itaque ille suspensus est, summo detrimento Caroli. Sed Deo ita visum est: qui tenebras ejuscemodi menti Caroli circumfudit; ut ex proditoris Campobachij sententia, omnium deterrimum consilium secutus, fortunam prælij periclitaretur: & in acie occumberet. Hic fuit exitus potentissimi Principis (cujus dititiones, veluti spolia, finitimi Principes inter se diviserunt) dum peregrinam & inexpertam fidem domesticæ & cognitæ anteponit.

X. Gordianus junior cùm consiliis Misithei soceri uteretur; imperium feliciter belli domique administravit. Quippe & Persarum Rege summoto, Antiochiam, Nisibin, Carras, quæ omnia sub Persarum imperio erant, recepit: effecitq; ut Persæ, qui jam in Italia timebantur, regni sui se finibus continerent. Sed rebus ita super vota fluentibus malus quidam genius invidit. Nam magno & Reipublicæ & Gordiani damno extinctus est Misitheus, optimus & sapientissimus vir: in cujus locum cùm præfectus esset prætoriis cohortibus Philippus quidam, Arabs, & quidem humili genere natus: is statim Gordianum imprudentem dolis & insidiis captavit. Nam primùm naves frumentarias avertit; deinde in ea loca milites deduxit; ubi annonæ & commeatuum copia non esset. His ergo artibus milites infestos illi reddidit; rumore etiam sparso, adolescentem esse Gordianum: neq; Imperij capacem. Militibus fame jam antè victis facillimum fuit persuadere quicquid vellet. Itaque militaribus suffragiis Imperium Philippo mandatum est: jussumque, ut cum Gordiano, quasi ejus tutor, patrij jure imperaret. Sed Gordianus Augustorum hæres, cùm æquatum sibi Imperium cum homine ignobili & improbo ægrè ferret: sperans posse Philippo Imperium abrogari, processit ad tentandos militum animos. Sed eos Philippus adeò promissis

& donis onerârat; ut ipsius tori essent. Ergo cùm ob factionem Philippi minùs valeret apud milites: petiit, ut æquale saltem inter eos esset Imperium: nec impetravit. Deinde petiit, ut loco Cæsaris haberetur; neque id obtinuit. Petiit etiam, ut præfecti loco esset Philippo: quod & ipsum negatum est. Vltimæ preces fuerunt aut cum Philippus pro duce haberet, & pateretur vivere. Sed cùm ille cogitaret, fieri posse: ut defervescente militum ira, populi Romani & Senatus studio, Imperium restitueretur Gordiano: clamantem ante conspectum adduci, spoliari & occidi jussit. Quo facinore quid immanius, quid execrabilius vel in extrema barbaria perpetrari poterat? Sunt jam Principes: & ejusmodi peregrinis rerum summam & seipsos committent.

XI. Romani veteres (quorum sapientia documento esse debet) non modò peregrinos, sed ne socios quidem ipsos, ac propè consanguineos Latini nominis in Senatum admittebant: imo illis petentibus, ut Senatus æqua pars ex utraq; gente esset, & consociato Imperio alter Consul Româ, alter ex Latio crearetur: bellum, quàm eam pacem, maluêre: in qua peregrinum Senatum, peregrinos Consules, Romæ essent visuri. Post cladem Cannensem, qua Consulares aliquot, prætoriiq; & ædilitii & octoginta præterea Senatores ceciderant: cùm maxima solitudo in curia esset: & tantum Senatorum adversæ pugnæ, adhoc sui quemque casus, per quinquennium absumpsissent: de ea re M. Pomponius Prætor ad Senatum retulit. Tum Sp. Carvilius, cùm longa oratione non solùm inopiam, sed etiam paucitatem civium, ex quibus in patres legerentur, conquestus esset: explendi Senatus causa, & jungendi arctiùs Latini nominis, pro magna re se suadere dixit: ut ex singulis populis Latinorum binis Senatoribus, quos patres Romani censuissent, civitas daretur: atq; in demortuorum locum in Senatum legerentur. Eam sententiam haud æquioribus animis, quàm ipsorum quondam postulatum Latinorum, Patres audierunt: & cùm fremitus indignantium tota curia esset: & præcipuè Manlius, Esse etiam nunc stirpis ejus virum, diceret: ex qua quondam in Capitolio Consul nunquam esset: quem Latinum in curia vidisset: cum sua manu se interfecturum: Q. Fabius Max. nunquá rei ullius alieniore tempore mentionem factã in Senatu dixit: quàm inter tam suspensos sociorum animos incertamque fidem id factum: quod insuper sollicitaret eos. Eam unius hominis temerariam vocem silentio omnium extinguendam esse; & si quid unquam arcani sanctivé ad silendũ in curia fuerit: id omnium maximè tegendum, occulendum, obliviscendum, pro non dicto habendum esse. Ita ejus rei opprobria mentio est: sed ex eo maximè adverso rumore Carvilius fuit: quòd peregrinos in Senatum inducendi autor fuisset.

XII. Sed quid veterum Romanorum exempla obsoleta ævo quærimus? Minimæ hodie quæque civitates pari modo & jure Rempublicam suam administrant. Venetiis equidem, Genuæ, & in aliis Italiæ liberis urbibus, Argentorati, Norimbergæ, Augustæ, Francfordiæ, Magdeburgæ, inque aliis Germaniæ civitatibus, & tredecim Helvetiorum pagis, mos hic religiosissimè observatur: ne ad munia Reipublicæ peregrini admittantur. Imò pleriq; advenis apud se habitandi potestatem non faciunt. Duriùs id quidem fortassis & inhumaniùs; quando Φιλοξενίαν Deus toties commendat; & eò nos natura ducimur.

XIII. Lex Salica (quæ in Gallia & Germania observatur) non tantùm scripta est ad mulieres regni hæreditate arcendas; ne videlicet propter infirmitatem consilij summum Imperij obtineant: quippe & in maribus sæpè pars est indignitas. Sed ob id potissimùm lata videtur: & perpetuo omnium ætatum usu confirmata: ne per connu-

bia

bia & affinitates peregrini ad regni successionem sibi aditum faceret. Intolerabilius enim multò esset Gallis externi Regis imperio subijci: quàm Gallicæ stirpis Reginæ: adeò peregrina dominatio Gallis invisa est. Deinde latiùs serpit hoc malum. Nam *Princeps externum suos honoribus augere, quàm indigenas mavult: & ea re offensis popularium animis, turbæ, seditiones, bella nascuntur. Quæ non tantùm Reipublicæ detrimento, & populi sanguine, sed etiam ipsius Principis nonnunquam perniciè, expiantur.*

XIIII. Insigne & domesticum ejus rei exemplum Annales nostri suppeditant, in Ann. 607. Brunechildis, Hispana mulier, Galliæ Regina vidua, Longobardum quendam, Protadium nomine, quem in deliciis habebat, Palatij magistrum, seu Præfectum (id est, totius regni procuratorem) constituit. Is ubi videt eò se Reginæ gratia provectum: Principes & proceres regni præ se despicere, atque ultrò variis artibus ludificari, cepit. Tum in exhausta auri cupidine ardens, manubijs & rapinis miseros Gallos adeo exercuit: ut nobilium juxtà ac plebis odio flagraret. Eo fortè tempore Theodebertus & Theodoricus, Brunechildis filij, de imperio & opibus certabant: quos in concordiam redigere proceres, utriusque vasalli, summa ope cùm niterentur; Protadius obnixè impediebat. Itaque cùm illi jactura unius advenæ, qui unius pacem moliebatur, bellum intestinum finire, quàm tot viros nobiles mutuis sese cladibus atterere, satiùs ducerent: Protadium obtruncant. Hujus Longobardi exitus, Longobardis, qui hodie Galliam pro libidine vexant, si sana mens esset, documento esse poterat.

XV. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, regij Præfecti dignitate Berardum quendam, Hispanum, ornarat. Quem immodicè sese efferentem, cùm tres regij adolescentes, Lotharius, Ludovicus, Pipinus, impatientes æmuli, ferre non possent: in ipsum Regem & patrem iram converterunt. Itaq; conjurati adversus patrem filij captivum Ludovicum, & Svessiones ductum, abdicare se Galliæ regno, & Germaniæ Italiæque imperio, coegerunt. Secutum Galliæ & Germaniæ proceres ex S. Marci Svessionensis monasterio in eductum, in quod abdicato magistratu, velut in custodiam, conditus erat; filiis cum patre in gratiam reductis, pristinæ libertati & dignitati restituerunt. Verùm tamen tantum discrimen dedecusq; nunquã adiisset nobilissimus Rex atq; Imperator: nisi, nimia facilitate & imprudentia lapsus, peregrini hominis fastigium supra populares & indigenas extulisset.

XVI. Martinus Bellajus, Eques auratus, Vir prudentia atq; usu rerum præstantissimus, Comment. lib. 1, dicit, Francisco I. in Galliis regnante, rebus Gallicis multò plus illatum esse detrimenti à peregrinis: qui ab ipso ad hostem desciverunt: quàm ab ulla vi, aut alia causa. In ijs autem præcipuè numerat Episcopũ Leodiensem, Principem Aurantegium, Marchionem Mantuanum, Andream Doriam Genuensem, Hieronymum Moronem (qui Mediolanenses ad defectionem impulit) & aliquot item alios. In summa, Officia perraro in Galliis ad peregrinos delata legimus: nisi quòd paucis ab hinc annis ad amplissima quæque aspirare ausi, in quamlibet altum fastigium nescio qua arte erepserunt. Nam olim Centurionatus fortè illis & Tribunatus militum mandabantur: ut eo nomine plures in suis terris milites Regi scriberent. Beneficia verò ditissima & maximè opima pridem in Galliis Itali occupaverunt, ab Romano Pontifice impetrata: neque is Regibus nostris animus erat: ut contrarium auderent. Dedit tamen ea nundinatio Carolo VI. occasionem: ut Anno 1365. edicto vetaret:

ne Galliæ sacerdotia peregrinis conferrentur: quod & antea sæpe & sequenti tempore regiis edictis sancitum & confirmatum est. Eorum obsoletum usum revocari æquum esset: sed hujus mali nondum matura correctio est; quando isti omnia tenent, *Huctenus Antimachiavellus lib. 1. à pag. 167. usq; ad 186.*

# CCLI.

*PLerunq; peregrinis pro meritis redduntur odia & calumniæ.*

*Socij, quorum opera strenua in bello, aut non accersendi: aut nō temerè dimittendi. Inde enim suspiciones graves, ac postea simultates & bella nascūtur.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 4.*

*Dux peregrinus, post res præclarè in alieno solo à se gestas, statim, ne sit multorum invidiæ obnoxius, discedat.* *Idem pag. 104.*

*Quandoquidem peregrini facilè facilè fiunt indigenis invidiosi: cavendum est peregrinis: ne quam invidendi aut malè de se suspicandi occasionem dent, vel nimia libertate sua, vel cum hostibus indigenarū familiaritate.* *Idem pag. 127.*

Polybius: Res præclarè gestæ solent magnam invidiam conflare: quas domestici subnixi gratia & favore civium sustinent facilè: peregrini facilè superantur.

## EXEMPLA.

I. Xantippus missus à Lacedæmoniis, ut opem ferret Carthaginensibus, qui à M. Attilio Regulo maximas clades acceperant, cùm feliciter vicisset Romanos exercitus: & Marcum ipsum superatum prælio vivum cepisset; bello confecto domum rediit. Metuit enim ne apud gentem peregrinam propter successus in odium veniret, Va-

lerius

lerius Maximus *lib. 9. cap. 6. pag. 785.* ita de eodem refert: Verùm ut ipsum fontem perfidiæ contemplemur: Carthaginienses Xantippum Lacedæmonium, cujus optima opera primo bello Punico usi fuerant, & quo juvante Attilium Regulum ceperant, simulantes sese domum revehere, in alto merserunt. Quid tanto facinore petentes? an ne victoriæ eorum socius supereset? Extat nihilominus, & quidem cum opprobrio; quem sine ulla gloriæ jactura inviolatum reliquissent.

II. Militaverat exercitus Sarracenicus apud Heraclium contra Persas. Et quia stipendia non dabantur: defecit ab Heraclio. Ajunt & contumelia irritatos esse: cùm Heraclij Quæstores dixissent: se vix posse Romano & Græco militi stipendia dare; nec tantum se habere pecuniæ: ut huic canum turbæ satisfacerent. *Philip. lib. 3. Chronic. pag. 276.*

III. Lacedæmonij bello, quod gerebant cum ijs, qui erant Ithomæ, in longum eunte, evocaverunt cùm alios socios: tum verò Athenienses: prout & ierunt, Cimone duce non exiguis cum copiis: ob id autem maximè evocati: quòd præcipui videbantur in pugna murali: quodq; constabat, diutina in obsidione ista re opus esse: atque ita vi oppidum capi posse. Quod & fuisset; verùm ex hac primùm expeditione inter Lacedæmonios Athenienseśque dissensio palàm facta est. Lacedæmonij enim cùm oppidum vi non caperent; reformidarunt Athenienſium tum audaciam: tum ad res novandas animum; simulque suspicantes: ne quid peregrini, si permanerent, ab ijs, qui Ithomæ erant, sollicitati, molirentur novi: solos omnium sociorum dimiserunt suspicione diffisi nulata; tantùm negantes, se illorum opera ampliùs egere. Athenienses haud nescientes, non se meliore causa missos fieri; sed suspicione aliqua: graviter acceperunt: nec ita de Lacedæmoniis meritos se esse existimantes; ut ista paterentur: cùm primùm reversi sunt: societatem solverunt cum Lacedæmoniis Medico bello contractam: inieruntq; eam cum Argivis illorum hostibus: & inter utrosq; adversus Thessalos quoq; ictum est fœdus. *Thucydid. lib. 1, pag. 31.*

# CCLII.

*STrenuus, ac bene de Republica meritus provinciæ alicujus præses seu præfectus, minimè publicè à Rege vel Republica contemni aut injuria affici debet. Solet enim hujusmodi injuriam sibi factam, provinciæ suæ deditione facta, vel in Regem ipsum seditione commota, plerunqué ulciſci.*
*Lambertus Danæus in Aphoriſ. polit. pag. 158.*

## EXEMPLVM.

Theodotus, qui inferioris Syriæ rebus præerat, natione Ætolus, Regem Ptolemæum partim ob incuriam atque segnitiem vitæ contemnens, partim ijs, qui regiam sequebantur diffidens, quòd non multo antè tempore, cùm rem per quam utilem Regi proposuisset, cùm ad alia, tum ad obsistendum Antigono, Syriæ regnum perturbare volenti: non modò nihil gratiæ consecutus erat: sed contrà vocatus in Alexandriam, de vita fuerat periclitatus: convenire Antiochum decrevit: eique inferioris Syriæ urbes tradere. Hoc igitur oblationem læto animo suscipiente: res quàm primùm finem sortita est. *Polyb. lib. 5 pag. 446. & 468.*

# CCLIII.

*Subditi potentes à Rege & summo Principe contumelia affecti, sæpe sese acerrimè, etiã cum totius patriæ & ipsius regni jactura, ulciscũtur et vindicãt. L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 214.*

## EXEMPLVM.

Demaratus regno privatus Sparta ad Medos profugit, ob hanc contumeliam: quòd cùm ejectus regno gereret magistratum; adesset quæ spectaculo gymnopædiarum, id est, nudorum puerorum palæstræ: misit ad eum Leutychides, in locum Demarati Rex factus, deridendi insultandique causa, ministrum: qui interrogaret, qualis esset præfecturâ post regnum. Eam interrogationem ægrè ferens Demaratus, respondit, se utrumque expertum: illum verò non: & eam interrogationem Lacedæmoniis futuram initium plurimæ aut calamitatis, aut felicitatis. Postea in Asiam ad Regem Darium trajecit: à quo magnificè exceptus est: territorioque ac urbibus donatus. Tandem Xerxi adjunxit se comitem adversus Græciam expeditionis: idque hostili animo: ut ipse fatetur in confabulatione cum Xerxe: ubi inter alia sic ait: Rex, ipse optimè intelligis: quantopere nunc Spartanos ego amem; qui me honore & dignatione paterna exutum, extorrem profugumque fecerunt: quem pater tuus exceptum, victu ac domicilio donavit. *Herodot. lib 6. pag. 169. & lib. 7. pag. 198.*

# CCLIIII.

*Principes sæpe in imperij finibus bella gerunt pro subditis vindicandis: qui, quem sequantur, con-*

*stitue-*

*stituere non facilè possunt: ac seipsos sæpe vindicant in libertatem: aut ab omnibus invaduntur.*
*Iohan. Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 6. pag. 89.*

## EXEMPLA.

I. Cùm Daci Turcarum metu ab Rege Poloniæ defecissent: postea ijsdem prementibus Polonis, & Turcarum & Polonorum jussa facere coacti sunt; & utrisq; pendere tributa, Anno 1554.

II. In finibus Lotharingorum & Belgarum, pleriq; principes ac populi cùm Gallorum, aut certè Hispanorum imperio tenerentur: tandem omnes ejurarunt.

III. Similiter & in Burgundionum finibus, quę regio Interdicta dicitur, sex Reguli summum in suos imperium exercent: quod diuturna præscriptione bella mutua inter Francos & Burgundiones gesta pepererunt.

IIII. In Lotharingorum verò finibus Comites Lunæ, & Asperi Montis, jura majestatis præ se tulerunt.

V. Idem in Anglorum & Scotorum finibus contigisse constat, in agro utriusque imperij finitimo, qui contentiosus dicitur: quem desertũ esse patiuntur utriusq; regni principes: aut antiquo fœdere cavetur: privatis tamen pro pascuis uti fas est, ea lege: ut pecus abigere ac vindicare cuique liceat; quod vel ante Solis ortum, vel post obitum pascitur.

VI. Helvetij tamen qui habent imperia divisa (sunt enim civitates tredecim, quarum unaquæque in suos summum imperij jus habet) ad oppida, quæ sunt omnium communia, vicissim magistratus ac præfides mittere consueverunt. Sed cùm varia religione utantur: gravis oborta seditio est, Anno 1554: propterea quòd præses ejus provinciæ communes subditos à reformata religione ad ritus veteres revocare, pœna proposita, conabatur. Et quidem res ad arma prolapsura videbatur: nisi Glarenses & Abbaticellani, qui utramque religionem probant, legatos ad communes socios misissent. *Idem Bodinus.*

## CCLV.

*NVnquam diuturna est benevolentia erga transfugas: præsertim cùm crescit eorum potentia. Etsi enim Rex ipse aut Princeps interdum bonus est, & minimè suspicax: tamen aula invidis & malevolis referta est.* Qui igitur sapit: non diu inter si-

mias

mias aulicas versatur. Nam quando vivis inter beluas malas & simias: aut oportet te fieri simiam: aut ab eis lacerari. *Strig. 1. Sam. 27.*

*Multi præsertim peregrini hominis & exulis excellenti virtuti invident. Et omnes sciunt, usitatum esse, malè suspicari multos de exulibus: idq; magis fit: ubi religionum dissimilitudo est. Ardentiora enim odia & certamina sunt de re tanta.* *Idem 1. Sam. 29.*

*Nunquam diuturna est benevolentia erga transfugas, proditores & apostatas. Et ferè etiam in transfugis & proditorib. nunquam reperitur firma aut stabilis fides,* **Sie halten selten farbe in die lenge.** *Et ferè eò citiùs refrigescit benevolentia: quò major fuit gloria & potentia. Si apud hostes crescunt gloria, potentia, autoritate: crescit citò invidia: & potentia reddit eos suspectos.* *Peucer. in lect. Chronic. d. 15. Novemb. Anno 1572.*

## EXEMPLA.

I. Idem accidit apud Spartanos Alcibiadi. Cùm enim viderent Duces Spartani, majorem apud socias civitates esse autoritatem Alcibiadis, quàm suam: invidebant ei hoc decus & successus: & simul metuebant, ne aliquando victus amore patriæ rediret in gratiam cum suis: & eos omnes, quos ipsorum armis & navibus edomuerat, rursus inflecteret: & secum pertraheret in societatem Atheniensium. **Das haben sie gefürchtet.** Plutarchus plures causas recitat privatas: nimirum, quòd Agis Rex suspectum habuerit eum de consuetudine cum conjuge: & quòd fuerit offensus gloria crescentis Alcibiadis: cùm fama esset, pleraq; consilio & opera Alcibiadis geri, & benè feliciterq; procedere: quòd item potentissimi & gravissimi in urbe Spartana graviter tulerint crescentem potentiam Alcibiadis. Miserunt itaq; Spartani literas ad Astyagen Ducem, continentes mandatum de Alcibiade interficiendo. *Peucer. ut suprà.*

Id cùm

Id cùm Alcibiades animadverteret: fuga evasit ad Tissaphernum Persicum Ducem: cum quo se conjunxit; & incitavit eum contra Lacedæmonios.

II. David cùm fuisset exul apud Achis in Gath: postea venit in odium Principum: & jussus est à Rege discedere.

III. In aula Persica multi de fide Themistoclis, viri sapientis & virtute præstantis, malè loquebantur: ac dicebant, cavendum esse hunc Græcum; quia esset varius serpens. *Strigel. 1. Samuel. 29.*

IIII. Hannibal cùm ex Italia à Romanis, ex Africa à suis civibus Carthaginensibus ejectus esset: confugit ad Antiochum Magnum Regem Syriæ, hostem ἀπόνοως Romanorum. Hunc incitavit contra Romanos: quorum res ut infringere posset: Antiocho suasit, ut ipse cum classe centum navium, decem & sex mille peditibus, & mille equitibus, mitteretur in Italiam, turbaturus Italicas gentes: quas sciret ob recentem memoriam cladium illatarum à Pœnis, vehementer horrere Hannibalis nomen. Huic consilio etsi Rex assentiretur primò: tamen postea sententiam mutavit, persuasus ab aulicis, hanc gloriam invidentibus Hannibali. De hac mutatione animi Regis pulchrè inquit Plutarchus, quod dictum hanc Regulam illustrat: Invidia, quam plerunq; regiæ domus alunt, multos Hannibali adversarios peperit; qui cùm vererētur, ne callidus Imperator, his consiliis aucupando gratiam Regis, in maximum autoritatis & potentiæ gradum ascenderet; cum suspectum reddere nitebantur. *Plutarch. in Vita Hannibalis.*

# CCLVI.

*COmmuniter fit in vita: ut plerunq; potentiores inferiores (si quando cum eis ineant familiaritates) premant:* juxta commune proverbium Germanicum: **Vilit grossen Herren ist nicht gut Kirschen essen.** *Philip. in Loci. Manl. pag. 387.*

## EXEMPLVM.

Convenerant aliquando Leo, Equus, Vulpes & Asinus: ut quicquid prædando consequerentur: id totum inter se dividerent. In venatione verò ceperant tres tauros. Ibi Leo tanquam Rex, vel potiùs Tyrannus, jubet Asinum partiri prædam, & cuiq; partem debitam attribuere. Asinus, ut simplex & rude animal, volens servare æqualitatem Arithmeticam, id est, summam æqualitatem, quæ tantundem distribuit singulis eodem pondere, numero & mensura: secat tauros omnes in quatuor æquales partes: & tribuit singulis, qui una venati erant, unam. Sed hac partitione offensus Leo, discerpit Asinum: & dicit, injustam fuisse hanc divisionem: sibi enim plus deberi, quàm cæteris: qui antecellat aliis robore; & quòd ipse plus laboris sustinuisset in venatione. Dat igitur negocium partiendi prædā equo. Equus erat æquus, id est, servā-

bat proportionem Geometricam: & admonitus exitu Asini, & cogitans, aliquantò plus deberi Leoni: duos ei tauros assignat: sibi verò & vulpeculæ dimidium. Leo ægrè ferens etiam hanc divisionem, innuës, sibi plus esse tribuendum, si quidem Rex esset: laceravit etiam Equum: & allegat hanc causam: quia, inquit, non tantùm plus laboris sustinui in venatione: sed etiam debetur mihi prærogativa propter regiam personam, & heroicam virtutem: qua antecello cunctis bestiis. Ad extremum jubet Vulpeculam partiri prædam. Hæc commonefacta spectaculo tragico & cruëto equi & asini, nullum sibi partem de præda decerpit: sed cumulat omnes partes: & jubet Leonem auferre universam prædam. Cumq; interrogaretur à Leone, à quo doctore didicisset hoc artificium partiendi: respõdit astutè: Ab his purpuratis doctoribus, id est, ab his, quos video ante oculos laceratos. Talis est Tyrannorum societas: qui turbant utramq; æqualitatem Arithmeticam & Geometricam: & volunt soli pro libidine dominari in rebus humanis. *Philip. ut suprà, & lib. 2. Ethic. pag. 179. Strigel. lib. 2. Eth. pag. 286.*

## CCLVII.

*NVlla magna potentia potest diu quiescere: sed ex uno bello in aliud pertrahitur, etiam invita.*

*Nulla magna potentia cõtenta est eo, quod habet in præsenti. Ita creverunt omnia magna Imperia.*

*Vehementes naturæ, quæ incendia animorum dissimilima habent, nec secundas res, nec adversas, moderatè ferunt. Movent injustas res cæco & ingenti impetu. Postea frustrati opprimuntur magnitudine dolorum.* *Philip. lib. 3. Chron. pag. 195.*

Thebanus quidam dixit, campos Thebanos esse orchestram Martis, id est, **Tantzboden**; quia ibi multum sanguinis fusum fuit.

Xenophon de Ephesо, quòd sit officina Martis.

De Roma dictum est, quod sit templum belli vel Martis: quia plus sanguinis fuderunt Romani, quàm Monarchiæ reliquæ.

EXEM-

## EXEMPLA.

I. Bellum inter successores Alexandri Magni primus movit Perdiccas, conatus eripere Ptolemæo Aegyptum; ut commodiùs in se Monarchiam, excussis reliquis, transferre posset. Sed victus est eo in bello: & à suis interfectus. *Vide Diodor.*

II. Ita Antonius bellum infert Augusto, non contentus sua parte.

III. Diocletianus & Maximianus Imperium uno die volentes deposuerunt; vel dolore, quòd perfici non posse viderunt ea, quæ moliti fuerant: vel metu Constantini. Diocletianus sibi ipse postea mortem conscivit, cùm Maxentium Constantinus interfecisset. *Philip. ut suprà.*

# CCLVIII.

*IMmoderata potentia non diu manet intra justas metas. Philip. lib. 2. Chron. pag. 77.*

*Pauci in magna potentia moderati sunt. Strigel. 1. Samuel. 8.*

*Immoderata potestas ferè solet in licentiam erumpere: & potentia infinita, si nullis sit legibus circumscripta, servare modum, & continere sese intra metas non potest: quæ licentia speciem imperij legitimi præ se fert. Peucer. in lect. Chron. die 6. Decemb. Anno 1572.*

## EXEMPLVM.

Lacedæmonij Athenis formam gubernationis mutârunt; & triginta Viris Athenienſibus dederunt ſummam poteſtatem; & addiderunt Laconicum præſidium. Hi triginta initiò ſuo conſilio, ſine cognitione, turbulentos cives, quos fuiſſe ſeditionum autores notum erat, interfecerunt. Nec id ægrè tulit populus; quia nemo ignorabat fuiſſe ſeditioſos: & neceſſe erat, palàm ſeditioſos è medio tollere. Sed aliquantò pòſt hi triginta viri etiam honeſtos cives, quos metuebant aut oderant, expulerunt civitate, aùt interfecerunt. Et ut ſe munirent majore præſidio, catalogum ſcripſerunt tria millia civium: quos delectos ex cæteris exiſtimabant ſibi fore fideles; & cum his bona damnatorum, & multorum aliorum partiebantur. *Philip. ut suprà.*

# CCLIX.

*NVlla est tanta potentia, tam florens gloria & opibus: quam non facilè possit Deus aut omnino evertere, aut mutilare.* Strigel. 1. Sam. 1. 2. Sam. 5. 13. 2. Reg. 13. Psal. 34. pag. 268.

*Nulla arx unquàm adeò firma fuit: quàm non hostes continua oppugnatione ceperint atque oppugnarint.* Idem 2. Sam. 5.

De munitionibus illud in genere teneatur: *fiduciam ejusmodi præsidiorum ut plurimùm esse fallacem & exitialem: cùm DEI ope destituatur.* Cicero ait, Nihil esse manibus humanis elaboratum: quod non aliquando vel hominum injuria, vel ipsa rerum omnium confectrice vetustate ad interitum redigatur. Lactantius verò sic ait: Nihil est humanis viribus laboratū: quod non humanis æquè viribus destrui possit: quia mortalia sunt opera mortalium. *Bucholc. in Chronolog. pag. 443.*

## EXEMPLA.

I. Id ostendunt tristissimæ ruinæ Imperiorum, Babylonici, Persici, Macedonici & Romani. *Strigel. 1. Sam. 2.*

II. Hierosolyma, quam olim Iebusæi tenuerunt, complexa est duos arduos montes: quorum alteri nomen fuit Moria: in quo templum à Salomone conditum est: alteri Sion: in quo fuit arx Davidis. Cùm igitur David oppugnaturus esset arcem Sion: Iebusæi tantum tribuerunt huic loco, arte & naturâ munito: ut dicerent, à cœcis & claudis præsidiariis eum contra hostes defendi posse. David verò fretus præsentia DEI, captam arcem occupavit: & ædificiis exornavit: ut sedes esset Regi conveniens. Hoc exemplum commonefaciat Reges & Principes: ne impiè confidant munitionibus, nève hac fiducia res injustas aut non necessarias moveant. *Id. 2. Sam. 5.*

III. Hanc regulam confirmant etiam exempla Davidis & Nabogdonosor: qui ex summo fastigio præcipitati in tragicas calamitates, didicerunt, *vires hominum*

longè

*longè esse minores divinis:* & neminem debere fiducia potentiæ extra metas legis divinæ erumpere. *Idem 2. Sam. 13.*

IIII. Magna fuit potentia Regum Israël, ut Ahab, Iehu, & aliorum. Sed tempore Ioahas filij Iehu adeò accisæ fuerunt vires regni: ut non potuerit Rex plures equites armare, quàm quinquaginta. *Idem 2. Reg. 13.*

V. Saulis familiam universam, excepta posteritate Ionathæ, Deus delevit.

VI. Sic familiam Alexandri universalis interitus oppressit.

VII. Familiæ Regum Syriæ & Aegypti propter atrocia scelera radicitus extirpatæ sunt. *Idem Psal. 34. pag. 268.*

VIII. Methone est urbs Peloponnesi, adhuc hodie potens & munita. Bajazetes Imperator Turcicus Anno 1500. magna difficultate expugnatam & captam ademit Venetis: cùm anno præcedente in eam urbem ex religiosa peregrinatione divertisset Fridericus III. Sapiens, fundator hujus VVitebergensis Academiæ: qui cùm audiisset urbem occupatam, dixit: si expugnari illa urbs potuit: non existimo ulli munitioni esse fidendum. Affirmavit fuisse valde munitam: sicut ostendit natura loci. *Peucer. in lect. Chron. d. 20. Febr. Anno 1574.*

# CCLX.

*NEc fortunæ, nec virium magnitudini confidendum est:* sed cogitandum est dictum: *Victoria à Domino est. Strig. 2. Sam. 1.*

*Causa victoriæ non sunt hominum consilia, multitudo, potentia & industria: sed auxilium Dei. Idem 2. Sam. 8.*

*Non copiæ, nec vires victoriam afferunt: sed auxilium Dei. 2. Sam. 21. Nam Deus est præcipua causa, gubernans eventus bellorum. Ibid.*

*Apparatus & vires non sunt sufficiens causa victoriæ: sed auxilium Dei, celeritatem, magnitudinem animorum, & alia multa concurrere oportet. Idem 1. Reg. 20.*

*Neq; multitudo neq; robur in bello victoriam affert: sed qui Deo iuvante magno animo in hostes impetum faciunt: eos pleruneq; non sustinent hostes.* *Idem Psal. 127. pag. 511.*

Hoc solent periti rei militaris observare, & divinare de eventu pugnæ: quando sunt instructæ acies contrariæ: statim vident, uter exercitus sit futurus victor. In eo enim dicunt eminere singularem quandam alacritatem cùm in hominibus, tum in equis. E contrà qui vincendus est, in eo languida & quasi mortua apparere omnia. Hoc exercitati milites observant: & congruit cum sententijs sacris: quia *victoria de cœlo est:* iuxta Psal. 143: Qui das salutem Regibus. *Item:* Non salvatur equus in multitudine virtutis suæ. Quando Deus vult dare victoriam: simul etiam alacritatem & robur animis addit: **Wenns Gott giebet/ so ists gegeben.** Sed cùm aufert aut frãgit animum hostis: illico & arma manibus excidunt. Sicut dicitur Psal. 76: Ab increpatione tua Deus Iacob, dormiverunt qui ascenderunt equos. Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. *Lutherus in Gen. cap. 35. pag. 526.*

Vincendi initium fiduciam esse Pindarus affirmat: eamque manare opinatur à divina mentis nostræ ratione: à qua futura nonnunquam præscire videamur. Siquidem non modò dormientibus nobis secundum quietem multa apparent: quæ vera reipsa deinde esse cernuntur: sed etiã vigilantibus, vel subito quodã animi indicio: vel ex apparitione illa: quam Græci φαντασίαν appellant. Talis præsagitio magnis optimisque viris sæpe occurrit in arduis ac dubijs rebus: & præcipuè Regibus ipsis: quibus à summo Deo concessum est: ut gentibus, regionibus, populisq; imperent. *Francisc. Patrit. lib. 7. de regno, tit. 9. pag. 461.*

Verisimè & sapientissimè in tertio ἀναβάσεως à Xenophonte

est

est scriptum: ἐπίσασθε γὰρ ὅτι οὔτε πλήθους ἐστὶν οὔτε ἰσχύος ἡ τῶν πολέμων τὰς νίκας περιποιεῖσθαι, ἀλλ' ὁπότεροι ἂν σὺν τοῖς θεοῖς ταῖς ψυχαῖς ἐρρωμενέστεροι ἴωσιν ἐπὶ τοὺς πολεμίους τοῦτο, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πολὺ οἱ ἐναντίοι οὐ δέχονται. Perspicuum est, nō numero aut corporum robore victoriam comparari: sed utri in hostem, Dijs utiq; iuvantibus, animo firmiore impressionē fecerint, eos esse: quorū ille impetum sustinere non possit. *Strig. Psal. 127. p. 511. 1. Sam. 2. 2. Sam. 8.*

*Psal. 33.* Non salvatur Rex per multam virtutem: gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

Statius: *Non vis aut numerus, tandem bona causa triumphat.*

Lucanus: *Victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni.*

Item: *Causa iubet melior superos sperare secundos.*

## EXEMPLA.

I. Hujus regulæ insigne exemplum est Pompejus: qui res magnas, patriæ utiles, ante bellum civile gessit: & usq; ad id tempus felix fuit. Postea in extremo actu miserimus fuit; ut Cicero *in 7. lib. epist. ad Atticum* scribit: Cn. autem noster (ô rem miseram & incredibilem) ut totus jacet; non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. Mittam illa, fugam ab urbe turpissimā, timidissimas in oppidis conciones, ignorationem nonsolùm adversarij, sed etiam suarū copiarum. *Strig. 2 Sam. 1.* Et ut Ambrosius inquit *lib. 5. epist. 31.* Pompejus cùm trib. triumphis terrarum cinxisset orbem: & majores copias, quam Cæsar, habuisset; pulsus acie, bello profugus, & sui terminis exul imperij, Canopei manu Spadonis occubuit. *Idem 2. Sam. 21.*

II. Quanquam Antonius est peritior Imperator, quàm Octavius; & habet exercitus majores: tamen inclinata acie fugit in Aegyptum: & cùm ab irato victore vitam impetrare non posset; necem sibiipsi conscivit.

III. Idem accidit quatuor gigantibus: qui bellum injustum populo Dei intulerunt. *Idem ibid.*

IIII. Etsi Syri numero superant Israëlitas; tamen Deus dat populo suo victoriam adversus hostes blasphemos.

V. Sic Xerxis copiæ penè innumerabiles primùm à trecentis Lacedæmoniis ad Thermopylas luxatæ, deinde à Themistocle in pugna Salaminia fractæ, tandem verò à Pausania ad Plateas prorsus extinctæ & deletæ sunt. *Idem 1. Reg. 20. Vide eund. part. 2. Chron. pag. 130.*

VI. Ante prælium ad Arbela Alexander totam noctem præter consuetudinē suam tam profundo somno pressus dicitur: ut Parmenio experrectum his verbis compellārit: Miror te in utramq; aurem dormire posse; perinde quasi non dimicaturus maximo prælio, sed jam victor esse videaris. Huic verò subridens Alexander, Nonne nos, ait, vicisse putas? Nec solùm ante prælium, sed in ipsa acie magnam animi tran-

quilli-

quillitatem ostendit. *Idem plal.* 127. *pag.* 511. Quanta erat Darij sollicitudo? quanti apparatus contra Alexandrum? Et tamen non respondebant successus.

VII. Sic Carthaginenses gesserunt tria difficilima bella cum Romanis: nec tamen Romam impedire potuerunt: quò minùs imperio orbis terrarũ potiretur. *Ibid.*

VIII. Sic Abraham habens in comitatu trecentos & octodecim servos, potentissimorum Regum exercitus vicit. *Iosephus lib.* 1. *antiquit. cap.* 11. Quo facto nemini dubium reliquit, victoriam non in multitudine militum, sed in bellatorum alacritate consistere, & virtutem nulli numero succumbere.

IX. Et Gedeon cum trecentis militibus, qui una manu tubas, altera testulas gestabant, innumerabiles Midianitarum copias superavit. *Vide Chronol. Bucholc. pag.* 260. ubi dicit, Gedeonem eduxisse **eine Handvol wider ein Landtvol Volcks.**

X. Quid dicam de Ionathan filio Saulis, qui solus cum armigero, mille Palæstinos trucidavit?

XI Quid de Davide loquar, qui inermis probè paratum armatumque Goliath prostravit? *Idem* 1. *Sam.* 2.

XII. Tempore Concilij Basilienſis ad Basileam exiguæ Helvetiorum copiæ, fortiter totum exercitum Gallicum repressellerunt: etsi ipsi occubuerunt. *Vide Chronicon Philip. lib.* 5. *pag.* 671.

XIII. Germani Duce Fronspergio, cùm essent exigui numero (sed bello vivida virtus) incredibili felicitate magnas Venetorum & Gallorum copias vicerunt. *Vide ibid. pag.* 696.

XIIII. Amasias Rex cum Idumæis congressurus, centum millia militum ex Israëlitico regnó centum talentis conduxit: sed a Propheta monitus eos dimisit: & tamen copiis exiguis cecidit decem millia Idumæorum: & decem millia de rupe præcipitavit. Ita cum paucis vicit: qui cum multis victus fuisset: nisi voci divinæ per Prophetam prolatæ obedivisset. Verissimum est illud, quod Propheta ad Amasiam hic dixisse scribitur: DEI est robur vel ad juvandum, vel ad prosternendum. *Buchol-cerus in Chronolog. pag.* 384.

XV. Cùm Pharsalica pugna inter Cæsarem & Pompejum jam parata esset: omniaq; equorum atque hominum strepitu fremerent: vidit Cæsar C. Crastinum decem alarum ductorem castra egredientem; quem nomine compellans, quid de pugnæ eventu speraret, rogavit. At ille dexteram prætendens ait: Vincs Cæsar, & me vivum, aut certè mortuum laudabis: quorum utrumque verum extitit. Nam & vicit Cæsar: & Crastinum, qui fortissimè pugnando occubuerat, pro concione laudavit. *Francisc. Patrit. lib.* 7. *de regno, tit.* 9. *pag.* 471.

## CCLXI.

PUdor *in re bellica sæpe res perditas instauravit.*
*Franrisc. Patrit, lib.* 6. *de regno, tit.* 20. *pag.* 402.
*Multa sunt exempla: quibus manifestè patet:*

*pudorem*

*pudorem res profligatas restituisse: & prostratos exercitus ad victoriam erexisse. Idem pag. 403.*

## EXEMPLA.

I. Astyages Medorum Rex unicam habebat filiam: quam Cambysi Persæ, privato civi, collocaverat: metuens ne ab illius futura sobole regno exigeretur. Viderat enim per quietem ex pudendis filiæ vitem surgere: quæ palmitibus suis omnem Asiam obumbraret. Idcirco natum ex ea infantem exponi jussit. Is beneficio pastoris educatus, ac majusculus factus, ab æqualibus suis Cyrus appellabatur: & Rex à colluforibus nuncupatus est. Sed cùm jam adolevisset: certior avitæ injuriæ factus, ultionem meditatus est: & contracto exercitu pastorum ac convenarum in Medos transmittit. Hujus rei certior Astyages cum maximo exercitu Cyro occurrit: conserunt manus: vertuntur in fugam Persæ: matres conjugesq; eorum, cùm fugam cernerent, eos hortantur: ut pugnam instaurent, & in prælium revertantur: cunctantibus illis, ac bellum detrectantibus: sublata veste, corporis pudenda eis ostendunt: rogantq;, num iterum in maternum uterum confugere velint. Tùm illi pudore perciti, in prælium tanto impetu revertuntur: ut jam victi, victores evadant. Et sic fugatis cæsisq; Medis, captoq; Astyage, regnum invadunt Persæ: & hoc pacto Cyrus beneficio fœminarum Rex institutus à Medis, qui annis trecentis circiter & quinquaginta imperaverant, regnum ad Persas transtulit.

II. Julij Cæsaris exercitum ad Cordubam contra Pompejum juniorem perterrefactum jam, & de fuga magis, quàm de pugna meditantem, pudor restituit: cùm milites omnes audivissent Cæsarem exclamantem: Hic dies mihi finis vitæ erit: & militiæ vestræ ultimus. Quibus dictis clypeum obvij militis arripuit: solusq; hostes invasit: locoq; pepulit ac disturbavit: & ducenta circiter tela in se missa partim audacter evitavit: partim scupo excepit. Quo pudore accensi ac perciti milites, tanto impetu in hostem feruntur: ut Pompejum cum universo exercitu in fugam compulerint: ducesq; ejus, capta Corduba, in quam confugerant, magna ex parte cæsi sunt: & eorum capita ad Cæsarem perlata: ipse autem Pompejus, inter dumos ac vepres latitans, deprehensus cæsusq; est: caput quoq; ejus ad Cæsarem perlatum: quod quidem honestè sepeliri jussit. Bellum igitur formidolosum admodum pudoris virtute profligatum ac confectum est; & integram victoriam Cæsari præbuit. *Idem ibidem.*

## CCLXII.

*IN primo certamine & conflictu cum hoste parta victoria, vel opinio virtutis, magnum ad terren-*

*dum hostẽ, & ad totum reliquũ bellum conficiẽdum, illiusq; victoriam postea momentum habet & affert. Lambertus Danæus in Aphoris. polit. pag. 224.*

*Bella ut plurimùm fama constant: & timetur ille potissimùm & ferè: qui sibi iam opinionem virtutis ac strenuitatis comparavit. Idem pag. 225.*

## EXEMPLVM.

Cùm Xerxes infinitis copijs Græciam invaderet: non existimabat ullum fore in tota Græcia: qui secum manus conserere auderet. Sed longè secus accidit. Nam trecenti tantum Lacedæmonij, duce Leonide, omnibus ipsius copijs occurrere ausi, ad Thermopylas præclaram & memorabilem obtinuerunt victoriam. Fertur Xerxes cùm ad spectaculum pugnæ adesset, in ipso congressu pugnandi ter è solio resilijsse: quòd videlicet exercitui suo timeret. Hac prima Græcorum victoria non leviter pertubatus est Xerxes: sed valde ipsius fregit animum: nec parvum ea fuit etiam ad sequentes victorias adjumentum. *Vide Herodot. lib. 7. pag. 215.*

# CCLXIII.

*SÆpe potiùs prælium detrectando, quàm aperto Marte decernendo, hostium vires franguntur & conteruntur. Furentes enim Imperatores ac Duces facilè admodũ insidijs hostium excipiuntur: & dum nihil circumspiciunt, nisi quod ante oculos habent: summam rerum extremis periculis obijciunt. Francisc. Patrit. lib. 6. de regno, tit. 11. pag. 378.*

## EXEMPLA.

Id factum fuisse cernimus contra Hannibalem: cui imparatos Romani omnino esse videbantur. Ejus namq; exultantia & ferocia, consilia [illegible] quàm te-

meritate

meritate & audacia confringenda fuit. Testis sit C. Flaminius: qui favente plebe Consul factus, tanta insania elatus est: ut nihil nisi de certamine cogitaret. Quem cùm Pœnus cerneret, nihil circumspicere: sed inconsultè solis viribus & audacia exultare: ad Thrasymenum lacum insidijs excepit: & eum cum omni exercitu profligavit. Quæ plaga quanta fuerit populo Romano: eventus aliarum rerum è vestigio docuit. Romani ejusmodi cladibus conterriti, Fabio Verrucoso (cui deinde ob virtutem Maximo agnomentum fuit) reliquias desperatæ Reipublicæ permiserunt. Erat enim Fabius vir dignitate ac prudentia præstans: & in rebus gerendis adeò circumspectus: ut cunctantior, quàm pugnacior, haberetur. Quæ quidem virtus exultantiam Hannibalis compressit: adeoq; detrivit: ut planè deceuerit, Hannibalem non audacia ac ferocia, sed consilio ac mora vinci posse. Præclarè Silius Italicus ait:

*Ac ni sacra senis vis, impressumq; fuisset,*
*Sistere cunctando fortunam adversa tuentem:*
*Vltima Dardanij transisset nominis ætas.*

Hac virtute Fabium præferre videtur cunctis Imperatoribus Romanis. Addit enim:

*Summe Ducum, qui regna iterum labentia Troja,*
*Et fluxas Latij res, majorumq; labores,*
*Qui Carmentis opes, & regna Evandria servas:*
*Surge age, & emerito sacrum caput infere cœlo.*

Sed postquam populus Romanus animadvertit, lento Fabij certamine & montanis insidijs Punicum furorem jam aliqua ex parte compressum: & præclusos fortunæ atque hosti omnes vincendi aditus: statuit viribus etiam decernendum esse: & ferro aciem reddendam. Proinde Marcellum, virum acrem ac strenuum, & Romanorum omniũ pugnacissimum, Fabio collegam designavit: ut quasi manum consilio adderet: & sapientiæ vires adijceret. Fuit enim Marcellus ad omne certaminis genus exercitatus: nullumq; provocatorem, nullamq; pugnam unquam detrectabat. Et collatis signis varijs cum hostibus, undequadragies prospero Marte certavit: ut inter omnes historicos convenit. Hic Imperatori callido ac circumspecto additus, qui ad tuendum imperium potiùs, quàm ad ulciscendas injurias idoneus esse videbatur, vires atq; animum adjecit: ut optimo temperamento rem Romanam, tot cladibus affectam, simul restituerent atq; instaurarent. Quod quidem brevi tempore effectum est: adeò ut omnes dicerent, Reipublicæ optimè consultum esse: ut jam Fabius clypeus, Marcellus autem ensis Romani Imperij haberetur. Et Hannibal ipse inter jocandum militibus suis dicebat: se Fabium ut militiæ præceptorem, Marcellum autem ut pugilem formidare. Sed quantò pluris sit facienda cauta & circumspecta ratio: quàm fortuita ac prospera audacia: ex utriusq; eventu facile judicari potest. Fabius enim omnibus muneribus functus, extremum vitæ diem senex admodum placidè in propriis laribus peregit: & magna cum gloria quasi servator & pater patriæ sepultus extitit. Marcellus autem jam quinquies Consul, cùm hostem explorare vellet, Hannibalis insidijs circumventus periit. Cui Pœnus mortuo annulum quasi virtutis præmium è digito eripuit: ejusq; cadaver splendidè & magnificè cremari jussit; reliquias ac cineres Romam ad necessarios ejus referri. *Idem ibidem.*

# CCLXIIII.

*NOvæ in bello machinæ, & hostibus incognitæ, magnum ad victoriam momentum afferunt.*
*L. Danæus in Aphor. pol. pag. 102.*

*Exercitus semel novo aliquo armorum, machinarum aut militum genere perterritus, neq; facilè neq; citò adversus ea confirmatur. Idem pag. 106.*

## EXEMPLA.

I. Romani conflicturi cum Carthaginensibus pugna navali, cùm viderent suas naves tardas nimis, & ad celeritatem parùm commodas esse: singulis quibusq; munimenta quædam aptant; quæ postea corvos appellavêre. Ea fuit machina talis. Lignea columna proris inerat longitudinis quatuor ulnarum, latitudinis palmorum trium. Hanc dimensionem habenti, in ejus apice rotam constituerant. Huic præterea tabulæ inhærentes scalas conficiebant: quarum latitudo erat pedes quatuor: longitudo sex ulnæ. Foramen tabulati per longitudinem erat, scalæ duorum priorum cubitorum spacium, columnã circumdans. Habebat autem & tabulatum utrinq; prolixum latus, & profunditatem usq; ad genu demissam. In ligni extremo ferrum erat instar malei peracutum: præterea annulus fune alligatus: ita ut hæc machina machinis frumẽtarijs similima videretur. Igitur simul ac navis hostium adventabat, laxato fune scalæ demittebantur; ferrum pondere, ac vi ligni super hostium navim delapsum figebatur: si adversa prora erat: bini milites per scalas descendebant; duo primi præferentes scuta: reliqui latera scutis protecti: si verò obliqua erat hostium navis: in eam ex tota pariter navi desilebatur. Facto igitur hujusmodi apparatu: opportunum tempus ad navale prælium expectabant. Vt ergo appropinquare inter se classes cepe-runt: corvi in singulis quibusq; proris prospecti, ancipites Pœnorum animos ob rei novitatem aliquandiu tenuerunt: tandem verò, quicquid id foret, re contempta, infestis signis in hostes feruntur. Implicitis jam ac simul colligatis navibus, militibusq; Romanis ex suis in hostium navigia machinis prorumpentibus: Carthaginenses pleriq; trucidati: alij ob machinas hostilium navium stupefacti, sese hostibus dediderũt. Visum est enim id certamen pedestri certamini quàm similimum. Triginta autem Carthaginensium naves, quæ primæ adversus Romanos impetum fecerant, captæ: inter quas fuit & capta Ducis navis. Annibal verò præter spem atq; opinionem in scapham prosiliens, fuga saluti suæ consuluit. Reliqua Carthaginensium multitudo pari modo adversum classem hostium cum impetu ferebantur. Vt verò hostilium navium machinis primas suorum naves per artem captas intellexêre: ad ludificandi ar-

tem.

tem conversi, non jam contrario impetu, sed obliquo in Romanos ferebantur, freti celeritate naviũ suarum: & per eum modum violentiam corvorum declinare se posse existimantes. Verùm ita instructæ paratæq; erant machinæ: ut undecunq; appropinquantes hostes inevitabiliter colligarent. Quamobrem Carthaginenses novitate corvorum perterriti, tandem in fugam vertuntur, quinquaginta navibus in prælio amissis. *Polyb. lib. 1. pag. 35. 36. 37.*

II. Perlata Romam fama de bello malè in Africa gesto, profligatisq; Romanis: cùm cognovissent id inprimis vi atq; impetu elephantorum accidisse: quòd illi acies disiecissent: quòd ordines perturbassent: quòd maximam in exercitu stragem fecissent: tantus elephantorum terror post eum diem Romanos tenuit: ut proximo biennio cùm sæpe in Africa, sæpe etiam in Selinuntia regione obvij hostibus fuissent: nunquam tamen aut congredi cum Carthaginensibus, aut in locis æquis propiùs sex aut quinq; stadijs castra metari ausi sint: collibus semper ac montibus, nullo alio, quàm elephantorum, metu, se tutantes. *Idem pag. 59.*

III. Longo sanè tempore bombardarum usus tantùm in oppugnandis & defendendis urbibus & munitionibus frequens fuit. Barbadicus verò Venetæ classis præfectus singulos lembos ac triremes, binis his machinis armans, Genuenses insultantes, novo commento vehementer terruit: primusq; specimen edidit volante igne belligerandi.

IIII. Bartolemæum præterea Coleonem, qui viginti ampliùs annis Venetorum copijs cum imperio præfuit, primum omnium in bello, quod adversus Mediceæ familiæ principatum à Florentinis exulibus in Gallia togata excitum est, instituisse Iovius scribit; ut tormenta adversus hostium aciem emitterentur: cùm antea in expugnandis tantùm defendendisq; urbibus usui esse solerent. Spingardas, inquit, ita vocabant minora tormenta tricubitalis longitudinis, quæ glandem pruni majoris magnitudine violenter effunderent: hæc parvis curribus inserta, post acies advehi, & signo tuba dato, quò sua agmina relicto intervallo, hinc atq; illinc panderentur, in oppositos hostes dirigi jubebat. Quo invento, ad Ricardinam Bononiensis agri, hostilem aciem ita perterruit: ut cùm Spingardæ pila, Herculi Ferrariæ Principi calcaneum detersisset, malignè & barbaro more Coleo fecisse diceretur: qui viros fortes, gladio atq; hasta pro virtute & gloria dimicantes, inusitata atq; horribili pilarum procella, sternendos curaret. *Philip. Camerar. Centur. 2. Oper. succisiv. cap. 28. pag. 170.*

# CCLXV.

*EXperientia testatur, in bellis sæpe plus effici gladijs, quàm sclopis.*

*Experientiam testem habemus, licet tormenta maiora, & sclopetarij, sæpenumero in prælijs hosti-*

*bus valde nocuerint: tamen in ijs ſpem victoriæ non ſemper collocandam eſſe*. Hoc multis exemplis demonſtrari poſſet. *Ideoq; gladij in eiusmodi conflictibus magis commendantur: præſertim in ſtatarijs prælijs. Philip. Camerar. Centur. 2. Operar. ſucciſ. cap. 29. pag. 177.*

## EXEMPLA.

I. Id movet Iohannem Sturmium, ut ita dicat; An non Hiſpani ſuis palatis maximopere nituntur & confidunt?

II. Iulianus, Caroli Cæſaris, atq; etiam Philippi filij, præfectus peditum, quem bello Proteſtantium, in Gallia, ſingulari prælio vincere alterum Hiſpanum, qui ad Regem Galliæ transfugerat, vidi, cùm ipſe Regi Angliæ Henrico VIII. militaret: Is, inquam, Duci Sabaudiæ confeſſus eſt; ſe ſæpe ad ſpeciem ſolere uti ſclopetarijs, non ad neceſſitatem: ſed poſt primum impetum aciem hoſtium ſubijſſe celeriter; & abjectis fulminalibus, gladijs comparaſſe victoriam; neq; unquam hac ratione fruſtrà pugnaſſe.

III. Henricus ſanè IIII. Rex Galliarum nunc regnans, hoc ipſum ſæpiùs in conflictibus acerrimis expertus eſt: & gladijs celeberrimas, contra pugnaciſſimos hoſtes, victorias conſecutus eſt. *Idem ibidem.*

# CCLXVI.

*MAgnas exercitus clades ſolet ſociorum ac vicinorum defectio incurſioq; ſequi. L. Danæus in Aphoriſ. polit. pag. 103.*

*Magnas exercitus clades defectio ſociorum ac ſubditorum ſequi ſolet. Idem pag. 110. 139.*

*Multorum à nobis defectiones ſequi ſolent: ubi aperto Marte inſigni aliqua clade victi ſumus: niſi quamprimum alius exercitus, iſq; robore firmus, comparetur: & hoſtibus opponatur. Idem pag. 45.*

Magnas

*Magnas clades magna sociorum & subditorum defectio sequi solet. Itaq; curandum, ut firmis, si fieri potest, tunc maximè præsidijs teneantur: & hostib. aliquid negocij inexpectati obijciatur. Id. p. 47.*

*Clades initio belli accepta cùm est maxima, sæpe socios à nobis avertit. Idem pag. 209.*

## EXEMPLA.

I. Cùm Carthaginenses fusi fugatiq; à Romanis essent: Numidarum (quibus antea fuerant socijs & amicis usi) ingens multitudo, acta spe prædæ, contra eos advenit: ab eis majorem propè jacturam, quàm à Romanis, indies pati: gens vaga & rapax omnia populari. Carthaginenses metu Numidarum trepidantes, è provincia ad urbem confugere: fame atq; mœrore, cùm propter multitudinem hominum, tum propter timorem obsidionis pariter vexari. *Polyb. lib. 1. pag. 48.*

II. Iisdem Carthaginensibus victis ad Egadem insulam: mox exterorum ac Numidarum, & aliorum Africæ populorum, qui unà cum illis defecerant, bello circumventi, in extremum ferè discrimen devenêre: tandemq; non modò pro provincia, sed pro seipsis, pro libertate, pro liberis, pro solo natali, coacti sunt dimicare. *Idem pag. 89.*

III. Sic post Cannensem pugnam tota vetus Græcia à Romanis defecit. *Danæus in Aphor. pag. 139.*

IIII. Postquam Athenienses in Sicilia victi, ingentiq; affecti essent clade: multi eorum socij ad hostes defecerunt. Insequenti hyeme ob res in Sicilia ab illis adeò malè gestas, universi protinus Græci animos erexerant. Enimvero qui neutrorum socij erant, non debere se amplius abesse à bello, vel si a nemine rogarentur, censebant: sed ultrò adversus Athenienses ire: quòd videlicet putarent singuli: in se illos fuisse venturos: si in Sicilia rem prosperè gessissent: & simul reliquum belli breve futurum: ejusq; se fieri participes, fore sibi speciosum. *Thucyd. lib. 8. mox ab initio.*

V. Iones Ephesi à Persis victi idem sunt experti. Nam Athenienses, ipsorum socij, post cladem tamen acceptam illis prorsus deletis, etsi per nuncios Aristagoræ magnopere rogarentur, negaverunt se auxilio futuros. Ita post infortunium rerum societate sunt fraudati. *Herodot. lib. 5. pag. 157.*

# CCLXVII.

*PPrædæ servandæ, aut in tuto collocandæ, imminēte præsertim hoste, aviditas, sæpe pulcherrimas*

rerum

*rerum gerendarum occasiones corrupit: & hosti, alioqui trepido, victoriam concessit. Danæus in Aphor. p. 120.*

*Prædæ conservandæ studium sæpe timidiores milites facit: uti parandæ aviditas facit audentiores: itaq; parta tuto in loco deponatur. Idem pag. 138.*

*Spes prædæ, vel nimius hostium victorũ contemptus, sæpe pulcherrimas victorias corrupit: adeoque nonnunquam ex victis victores effecit. Idem pag. 51.*

## EXEMPLA.

I. Galli Romanos memorabili pugna vicerant: & jam versus urbem Romam cum exercitu properabant. L. Aemylius Consul suis opem ferre nititur: ideoq; rectà ad hostes tendit. Gallorum duces ex nocturnis ignibus adventum Consulis conjectati, concionem advocarunt: ut, quid agendum foret, communi consilio decerneretur. Tum Rex Aneroëstes, stultum esse, inquit, antequam tantum prædæ abigant (incredibilis enim multitudo hominum, ingensq; omnium rerum copia in Gallorum potestatem devenerat) tempus cum hostibus terere: & res jam à se acquisitas in ambiguo ponere. Proinde primò in patriam revertendum: relictisq; ibi sarcinis & impedimentis, in Hetruriam denuo, si videatur, repetendum; ut prælium adversus hostes expediti committant. Id consilium Aneroëstis cùm omnibus placuisset: Galli ante lucem signa moventes, onusti omnis generis prædâ, per littus inferi maris Galliam repetebant. L. AEmylius Consul susceptis copijs, quæ in tumulum confugerant, Gallos cum exercitu persequebatur. C. Attilius alter Consul fortè illis sit obviam: ita ut & à tergo & à fronte haberent hostem: & nulla illis spes esset evadendi. A Romanis igitur ita prælio excipiuntur: ut in eo cæsa sint quadraginta millia Gallorum: decem millia vivi in Romanorum potestatem pervenêre. Tam male cessit Gallis prædæ conservandæ studium. *Vide Polyb. lib. 2. à pag. 146. usq; ad 152.*

II. Nisi An. 1596. spes prædę exercitũ Christianũ occæcasset: præclarãad Agriã à Turcis reportasset victoria: nec à victis victus & trucidatus fuisset. *Cõmunis querela.*

# CCLXVIII.

*SÆpe insperatæ victoriæ Duces ipsos ad regnum occupandum movent & impellunt, alioqui modestos. L. Danæus in Aphor. pol. pag. 145.*

*Magnis viris post res præclarè gestas ferè tyrannidis, aut in alios dominandi, cupido obrepit: saltem cupiditas amplioris cuiusdam splendoris, & rei consequendæ. Ergo nisi illorum virtus compensetur: iustoq; præmio ab ijs, quibus bene fecerunt, donetur: consilia cum hostibus sæpe capiunt, Reipublicæ, cui benefecerint, noxia ——. Idem pag. 5.*

## EXEMPLA.

I. Mortuo Seleuco patre Antiochi, cùm regnum ad Selcucum ejus filium, quò cæteris fratribus major natu erat, pervenisset: Achæus (qui Antiochi erat propinquus) cum eo propter generis propinquitatem Taurum transcendit. Seleucus enim simul ac regnum ingressus fuit: cùm audisset, Attalum loca omnia, quæ sunt citra Taurum montem, occupasse, rebus suis consulendum ratus, maximis viribus Taurum transcendit: ubi paucis interjectis diebus, ab Apaturio Gallo & Nicanore dolo circũventus atque extinctus est. Achæus propinqui mortem ulciscendam ratus, extemplo Apaturium atq; Nicanorem interfecit. Tum copiis, reliquisque omnibus rebus prudenter ac magno animo usus est. Nam cùm & opportunitas temporis, & unanimis militum consensus eum ad suscipiendum diadema hortaretur: id facere noluit; sed tanquam regnum Antiocho juniori fratri servaret: diligenter omnia administrãs, omnẽ, quæ citra Taurum est, regionem subigere decrevit. Rebus autem feliciter succedentibus, cùm ad extremum Attalo nihil præter Pergamũ reliquisset: insperatis victoriis elatus, repentè consilium mutavit: seque Regem salutari jussit. Quibus factum est, ut ejus nomen longè magis, quàm cæterorum Regum seu Principum, qui citra Taurum sunt, terrori omnibus ac formidini esset. *Polyb. lib. 4. pag.* 368.

II. Huc pertinet exemplum Pausaniæ & Themistoclis. Pausanias enim cõspiratione facta cum Xerxe Rege Persarum, Spartam & reliquam totam Græciam obnoxiam illi reddere statuit: ob quod fame in templo, in quod confugerat, necatus est. Themistocles ejusdem, cujus Pausanias, proditionis insimulatus, & ipse ad mortem quæsitus est. *Vide Thucyd. lib. 1. pag.* 38. 39. 40.

# CCLXIX.

*NImia vel rerum prosperè gestarum fiducia, vel oppidorum hostilium intercipiendorum avidi-*

*tas, ſummos Duces & exercitus ſæpe in diſcrimen adducit. Danæus in Aphoriſ. polit. pag. 105.*

## EXEMPLVM.

Romani Conſules, M. Aemilius, & Servius Fulvius, cùm prope Mercurij promontorium, centum & quatuordecim Charthaginenſium naves plenas cepiſſent: paucis diebus in Africa commorati, Siciliam repetunt. Trajecto igitur proſperè pelago: quod Africã Siciliamq; interjacet; cùm non procul à Camerina urbe conſtitiſſent: in tantam procellam calamitatemque incidêre; ut ne referri quidem ſatis, pro rei magnitudine, poſſit. Ex quatuor enim & ſexaginta ſupra trecentas navibus, vix octuaginta incolumes à tempeſtate ſuperfuêre. Reliquæ omnes aut ſubmerſæ undis, aut ſcopulis impactæ, univerſum littus naufragiis, cadaveribusq; compleverunt. Majorem jacturam uno tempore mari factam, nemo ante noſtram ætatem meminit. Quę res non tam fortunæ culpa accidit: quàm Conſulum temeritate. Nautis enim ſæpe monentibus, vitandum eſſe externum Siciliæ latus; quòd importuoſum atq; infeſtum eſſet: & ægrè traijci poſſet; præſertim eo anni tempore: quo inter Orionis & Canis ſigna navigabant: illi ſpretis ac pro nihilo habitis nautarum vocibus, dum ſuperioris victoriæ fiducia elati, clanculum urbes quaſdã hoſtium per id littus invadere ac capere properant: exiguæ admodum ſpei gratia, in maximas calamitates inciderunt. Ac tum primùm dementiam ſuam agnoverunt: atque ita rebus à ſe paulò antè præclariſſimè geſtis, turpi hoc naufragio fœdatis, temeritatis ſuæ pœnas luunt. *Polyb. lib. 1. pag. 55. 56.*

# CCLXX.

*IN prælijs ordo & ſilentium militum plurimum ad victoriam conferunt & iuvant. Danæus in Aphoriſ. polit. pag. 13.*

*Victores dum ordines non ſervant: ſæpe victis ipſi dederunt occaſionem vincendi. Idem ibidem.*

*Non ſervati in prælio committendo ordines, magna cladis & internecionis exercitus cauſa ſunt. Idem pag. 238.*

## EXEMPLA.

I. Id teſtatur Phormio Athenienſis in oratione ad milites, cùm ait: Vos apud naves in ſuo quiſque ordine manentes, è veſtigio præceptis obtemperate; cùm præ-

sertim brevi momento invadendi conflet occasio: & inter agendum plurimi existimate ordinem & silentium: quæ cùm aliis in rebus bellicis conducunt: tum præcipuè in navalibus. Hæc ad milites suos Phormio: vincitur tamen cum classe sua à Peloponnensibus: qui cùm, ut in victoria, incomposiți Athenienșium naves fugientes sequerẽtur; partim demissis remis cursum inhibebant: rem inutilẽ sibi, utilem Athenienșibus, ad se ex brevi spacio invadendos: cùm volunt adventum plurium opperiri: partim imperitia locorum in brevia impegerant. Quod fieri videntes Athenienses subit audacia: unaque se vociferatione adhortantes, in eos tendunt. Illi propter ea quæ peccaverant, & quòd incompositi erant, paulisper modò sustinuêre; tum dantes terga in stationem, unde discesserant, tendunt. Quorum tamen sex naves, quæ maximè propinquæ fuerant, Athenienses insecuti ceperunt: & suas, quas illi corruptas tunc primùm ad terram religaverant, abstulerunt: hostibus aliis occisis; aliis, quos ceperant, reservatis. *Thucyd. lib. 2. pag. 72. 73.*

II. Sic victi sunt Persæ in Platæensi pugna. *Vide Herodot. lib. 9. pag. 255.*

# CCLXXI.

*VIx unquam victoriæ in bellis civilibus, præsertim inferiorum de superioribus, si belli causa sit ab iniustitia superiorum, modum servant. In Chronicis Philip. lib. 5. pag. 606.*

*In omni bello cruda post victoriam principia —: magis in civili: ubi odia — & acerrimæ factiones. Iustus Lipsius Epist. 6. Centur. 2.*

Cyrus apud Xenophontem ait, se nunquam ex victoriis factum esse elatiorem: nunquam se effusè lætatum esse. Res secundæ, inquit, reddiderunt me timidiorem: & metus me non passus est unquam fieri insolentiorem, aut unquam effusè lætari. Vix ulli sunt moderati in reb. secundis: vix ulli reb. secundis moderatè utuntur: pauci reperiuntur, qui non reddantur insolentiores. *Peuc. in lect. Chron. d. 22. Sept. An. 1571.*

Oratio Abneri hortantis Ioab, ut civibus parcat, congruit cum sapientissimis dictis: quibus Cicero bellum civile detestatur. Sic enim lib. 4. epist. famil. ad Marcellum scribit:

Omnia sunt misera in bellis civilib. sed miserius nihil: quàm ipsa victoria: quæ etiamsi ad meliores venit: tamen eos ipsos ferociores impotentioresq; reddit: ut etiamsi naturâ tales non sint: necessitate esse cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiã invito, facienda sunt. Item: Sapiens & bonus civis initia belli civilis invitus suscipit: extrema non libenter persequitur. Et in lib. 9. ad Varronem inquit: Extremum omnium malorum est belli civilis victoria. Hæc omnia complectitur breve dictum Abneri: An ignoras, quòd amaritudo sit in novissimo? Vt enim in fundo vini subsidunt feces amaræ: sic alta sedent civilis vulnera dextræ. Exulet igitur urbe sua longè, laribusq;, domoq;: Qui cupit in sese cives dira arma parare: ut ait Homerus in 9. Iliados. Nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere potest: quem discordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectat: eumq; ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanę naturę exterminandum puto. Itaq; laudanda est moderatio Ioab: qui omnem pacem cum civibus bello civili utiliorem esse iudicavit. *Strig. 2. Sam. 2.*

## EXEMPLVM.

Sylla pulcherrimam victoriam suam dira atq; inhumana crudelitate fœdavit: cui non satis fuit vivis hostibus illudere: nisi mortuorum etiam ossa è sepulchris canino more eruta in fluvium mergi juberet: ut de Marij cadavere fecit. Proinde moriens se cremari testamẽto cavit: ne idẽ ab hoste ludib. iũ post interitũ pateretur.

### Contrà.

Longè præclariùs egit Iulius Cæsar: qui afferentem sibi quempiam Magni Alexandri caput, exhorruit: & scelus execratus oculos avertit: lachrymasq; etiam effudit: cùm illius annulum cerneret: in cujus gemma Pompeij facies cernebatur. Achillam quoq; & Photinum illius percussores, jugulavit, victo Ptolemæo Rege, compulsoq; ad mortem. Nam cùm profligatum à Cæsare exercitum suum cerneret Ptolemæus: è castris se in fugam proripuit: & cùm urgente hoste profugeret ad maris littus: in propinquam navim à suis exceptus est: sed multitudine eorum, qui adnatabant, ingruente, navigio demerso perijt: & hoc pacto perantiliæ prodigionis pœnas dedit infœlix Rex in primo adolescentiæ flore: dum nimis obtemperat pessimorum satellitum consilijs.

Antonius, Bruti, quem viceràt, & ad mortem compulerat, cadaver pur pureo

paluda-

paludamento suo involvi jussit: & illius cineres Romam ad Serviliam ejus matrem & ad uxorem Portiam perferri jussit. *Franc. Patrit. lib. 4. de regno, tit 17. p. 283. 284.*

# CCLXXII.

*Immanitas in victoria nō habet diuturnos successus. Strig. part. 2. Chr. p. 351. Philip. in Comm. in Dan. c. 11. p. 140.*

*Violentum nullum est diuturnum. In Chr. Phil. lib. 5. pag. 524.*

*Firmiores sunt amicitiæ, cùm parcitur victo: quàm cùm post sævitiam fiunt compositiones animis exacerbatis. Peucer. in lect. Chron. die 21. Junij, Anno 1572.*

*Clementia victoris inexpectata in victos hostes, siquidem sint illi ingenuæ naturæ, ex inimicissimis solet amicissimos efficere: sin minùs, tetriores. L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 123.*

*Clementia victoris erga hostium socios à se captos, & eiusdem sævitia erga hostes ipsos captivos, & terrorem illius hostibus injicit: & sociorum illorum, qui hostibus adhærent, benevolentiam ipsi conciliat: ut tūc facilè eos in suas partes traducere soleat. Idem pag. 135.*

*Captis urbibus, victorum in mulieres continentia & clementia, cives illis facilè conciliant. Id. p. 177.*

*Vindicta, etiam à Principe victore crudeliùs facta, punitur à Deo severè. Idem pag. 206.*

*Ea res plerunq; magnas civitates pessundedit: dum alteri alteros vincere quovis modo, & victos acerbiùs ulciſci, volunt. Anti Machiavell. lib. 3. pag. 428.*

Nihil in hac vita magis optandum, aut potiori felicitatis gradu cenſendum eſt: quàm ſi inimicum tuum funditus everſum, & in eum locum redactum videas: ut ſalus eius omnis in tua ſolius manu ſit. Cum qua modeſtiam coniunctam velim. Sed quò felicior eſt, cui ea fortuna contingit: hoc glorioſior erit (& verò, ut ſit, ſtudebit) ſi ea laudabiliter utatur: *quod* quidem *clementia veniaq; facilitate aſſequetur.* Et ſanè virtus hæc maſcula generoſi & excelſi animi nota eſt. *In hypomneſ. polit. Guicciard. pag. 7.*

Intereſt hominis hominem affici beneficio, propter naturæ commune vinculum: ut nefas ſit hominem homini inſidiari. Quis furor, ô Deus, ob unum Principem ſibi inimicum & pugna victum, ſævire in urbes & eius ſubditos, quaſi ipſi offenderint? qui coguntur ſuo Principi obtemperare iuſſi: & dum victi fuerint: poſſunt eadem translata ſubiectione uſui eſſe victori. Quanta inſolentia, ne dicam ſtultitia, Principis victoris, qui iam potitus civitatibus vi, eas diripiendas & prædandas immiſericordi concedit militi? Iam enim omnia ſunt vincentis facta: & ſic ſua ſtolidum eſt depopulationi exponere. Quanta rurſum eſt victorum amentia, qui ſubactis inimicis belli fortuna, non minùs truculenter, quàm pecudibus ad victimam, utuntur? Nonné qui rectè ſapiunt, norunt & conſiderant, Martem & rerum ſeriem ſub perpetuo volubili motu verſari? & fieri poſſe, ut qui victores nunc ſunt, in manus inimicorum, vel quos vicerint, vel aliorum, incidant? à quibus ſat ſcio interrogati non reſponderent, ſe velle eodem more crudeliter excarnificari: unde alteri non eſſe faciendum, natura monentur, nullo monſtrante alio, quod ſibi fieri nollent. Felicitas Regum aut Rerumpublica-

rum

rum non manet in eodem ſtatu: ſed quò maiori extollitur gradu: eò proximius imminere præcipitiũ cogitare debent: & rationem, vel natura, vel Dei iudicio facilè, geſtorum adverſus inimicos, rependi poſſe, in eoſdemq; converti, iudicare, ſi quid animi habent, oportet. Faſſus id Adonibezeck Rex. Poſt mortem enim Ioſuæ expugnatus à Iuda, eum perſecuti filij Iſraël, & comprehenderunt, cæſis ſummitatib. manuum eius & pedum. Dixit autẽ Adonibezeck: Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci: ita reddidit mihi Deus. Sublimia corruere poſſunt: & illa Deus valet poteſtq; denuo erigere: ut ait Heſiodus:

Ρᾳδια μὲν γὰρ ἑεῖα ὁ βριάοντα καλέπτει:
Ρᾳδια δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει:
Ρᾳδια δ' ἰθαίνει, σκολιὸν δ' ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει. *Id eſt:*
*Facilè extollit, facilè etiam elatum deprimit:*
*Facilè præclarum minuit, & obſcurum adauget:*
*Facileq; corrigit incurvum, & ſuperbum deſiccat*
*Iuppiter altitonans, qui ſuperbas domos incolit.*

Arguit & miſericordia nobile ingenium: & quò magis nobilior & magnanimus eſt quis: eò magis ad parcendum, maximè victis, eſſe debet, & ſolet etiam. Excelſiore enim deſpicit animo, quæ ſolent viribus ſuis diffidentes metuere.

Et Ovidius:

*Quò quisq; eſt maior: magis eſt placabilis ira:*
*Et faciles motus mens generoſa capit.*
*Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni:*
*Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet.*
*At lupus & turpes inſtant morientibus urſi:*
*Et quacunq; minor nobilitate fera eſt.*

Et Claudianus:

*Pratereunt ſubiecta fera, torviq; leones:*
*Quæ ſtraviſſe valent, ea mox proſtrata relinquunt:*
*Nec niſi bellantis gaudent cervice iuvenci.*

Et ut ait Saluſtius in oratione Lepidi: Secundæ res, victores, qui alto ſunt animo, in miſerationem extrà vertunt. *Petrus Gregor. Toloſ. lib. 11. de Rep. cap. 12. pag. 696. 697.*

# EXEMPLA.

I. Ptolemæus Lathurus Rex Aegypti acerrimo prælio cum Iudæis ad Iordanem conflixit: cumque magna multitudo Iudæorũ in acie trucidata eſſet: victor Ptolemæus in finibus Iudææ populatus eſt villas; & juſſit occidi mulieres & infantes: & diſlecta eorum membra coqui: quibus elixis & coctis veſci Iudæos coëgit. Sed Iudæi à Ptolemæi matre auxila adverſus eum petiverunt: quæ miſit exercitum eò celeriùs: ut filium ab Aegypto arceret. Cùm igitur fruſtrà tentaret reditum Ptolemæus; nec tueri occupatas in Phœnicia urbes poſſet; rurſus fugit in Cyprũ. *Strig. & Phil. ut ſup.*

II. Mantinienſes relicta Republica Achæorum, A Etolis ſe patriamq; ſponte tradiderunt: nec longè pòſt Cleomeni. Inter hæc, dum ſub Republica Lacedæmoniorum viverent: anno ante Antigoni ad eas partes adventum quarto; iterum ab Achæis, duce Arato, capti fuêre. Quo tempore tantum abfuit: ut ob contractam offenſam mali quippiam paterentur: ut incredibile omnibus apparuerit: quàm facilè, quamq; celeriter uterq; populus in unam denuo Rempublicam coaluerit. Quippe Aratus ſimul atq; potitus eſt urbe: mandavit ſuis, ne quid alienum tangerent; poſtea vocatos ad ſe cives hortatus eſt: ut bono animo eſſent; ſuiſq; rebus fruerentur. Futuros enim ſalvos; quàm diu ſub Republica Achæorum manerent. Mantinienſes, qui omni prorſus ſpe deſtituti videbantur, Arati verbis ſummopere recreati, è veſtigio ſententiam mutant; & quorum modò perniciosiſſimi hoſtes erant: & quos multis neceſſarijs deſtitutos, ac non paucos illorum vi rerum adverſariorum oppreſſos videbant: in proprias domos admittunt: cum ijs res fortunaſq; ſuas communicant: nihil deniq; prætermittunt; quod ad ineundam firmiſſimam amicitiam pertinere videtur. Neq; id injuria. Neſcio enim an aliqui unquam vel in manus mitiorum hoſtium venerint: vel in majores fortunæ caſus lapſi cum minori detrimento ſurrexerint: quod Arati atq; Achæorum humanitas fecit. *Polyb. lib. 2. pag. 180.*

III. Annibal cùm in Gallia hybernaret: ſocios Romanorum, quos captivos habebat, primò quidem tractavit humanè; pòſt verò in concionem vocatos, pluribus verbis hortatus eſt: veniſſe ſe, inquiens, non ut bellum Gallis inferret: ſed ut cum Romanis pro libertate eorum pugnaret; quamobrem debere eos, ſi ſapiant, amicitiam ac ſocietatem cum Carthaginenſibus inire. Adeſſe ſe, ut in libertatem Italiæ populos vindicet: ut ijs, qui per injuriam à Romanis domo pulſi eſſent, patriam civitatesq; reſtituat. His atq; alijs hujuſmodi dictis: omnes ſine precio dimittit: cupiens per hunc modum ſimul Italiæ populos ſibi conciliare: ſimul alienos à populo Romano facere: tum ſi qui oppidis aut portibus privati à Romanis fuerant: contra eos irritare. *Idem lib. 3 pag. 277.*

IIII. P. Scipio, cùm coacta eſſet in civitate Iberiæ Carchedone multitudo captivorum, quæ paulò minor numero millenario erat, præcipit primùm ſeparari cives, cum uxoribus ac liberis illorum: deinde manuarios opifices. Quo facto, cives hortatur ad benevolentiam erga Romanos: & ut beneficij accepti memores eſſent: ac ſic

cunctos

cunctos ad domos suas dimittit. Illi propter insperatam salutem partim illacrymantes, partim gaudentes, cùm se coram duce incurvassent, discedunt. Ad manuarios autem opifices in præsenti dicit: esse eos jam publicos Romanæ civitatis ministros: verùm si se benevolos & alacres in suo quisq; artificio exhibeant: pollicetur illis libertatem: si bellum contra Carthaginenses susceptum prospere successerit. Et quæstori dat in mandatis: ut nomina istorum conscribat: constituitq; curatores ex Romanis triginta. Erat enim universa hæc multitudo circiter duo millia. Ex reliquis verò captivis robustiores, aspectuq; & ætate vegetiores selegit: & ad supplementum classiarijs adjunxit: ac cunctis nautis numero hemiolijs respectu priorum constitutis, etiam captivas naves implevit: sic ut cujusq; navis viri propè duplo plures essent, quàm antea. Erant enim captæ naves numero decem & octo. Primæ verò fuerant triginta quinq;. Consimiliter autem & istis libertatem promisit: si benevolentiam & alacritatem ostenderent: & ipsos eo bello Carthaginenses vincere contingeret. Itaq; cùm talem se erga captivos exhibuisset: cives cùm erga se, tum erga Rempublicam Romanam, admodum benevolos & fideles, & opifices quoq; spe libertatis plurimùm alacres reddidit. *Idem lib. 10. pag. 668.*

V. Pheretima traditos sibi à Persis Barcæos, qui in cæde filij ipsius Arcesilai principes fuerant, sudibus suffixit per ambitum murorum: fœminarum quoq; decisas mammillas circa muros appendit. Cæteros Barcæos Persis ut diriperent imperavit. Verùm crudelis ista Pheretima malè perijt. Vt enim existunt acres admodum & invidiosæ ultiones Deorum in homines: vivens vermibus computruit. Talis ac tanta Pheretimæ Batti filiæ in Barcæos vindicta extitit. *Herodot. in fine lib. 4.*

# CCLXXIII.

*VIctoria insolens causa est rebellionis.*

*Conditionibus pacis nimis iniquis, hostes nostri non tantùm non mitigantur: sed potiùs magis exacerbantur.*

*Iniquæ conditiones, & vi necessitatéve extortæ potiùs, quàm iure ullo belli & æquitate concessæ à populo victo victori, cùm primùm datur occasio, revocantur & violantur: suntq; magnorũ inter utrunq; populum bellorum postea causæ. L. Dan. in Aphor. pol. p. 126.*

*Ad populi victi benevolentiam erga se captandam, prodest plurimùm, moderatè parta victoria uti. Idem pag. 100.*

*Conditio honesta & insperata victis à victore proposita, eos vel in partes victoris traducit: vel ad seditionem mutuam commovet. Idem pag. 181.*

*Pacem fidam & diuturnam esse non posse: si victis superbè ac duriter imperitetur: multi suo exemplo docuerunt. Anti Machiavell. lib. 3. pag. 381.*

## EXEMPLA.

I. Hieron, admodum quidem adolescens, sed ita universis naturæ atq; ingenij dotibus ornatus, ut nihil ipsi regium, præter regnū, deesse videretur, suscepto Syracusanorum magistratu, cùm tandem caterva amicorum stipatus in urbem subintroisset: ac diversæ factionis cives superasset: adeò clementer moderateque victoria usus fuit: ut unanimi Syracusanorum omnium consensu, quamvis militarem electionem haudquaquam probarent, dux ipsorum constitueretur. *Polyb. lib. 1. pag. 17.*

II. M. Attilius, tametsi Carthaginenses cerneret terra marique; gravitèr oppressos: ac proinde non multo interjecto tempore: urbem in ejus potestatem venturam speraret: tamen veritus, ne novus Dux, qui propediem venturus in Africam credebatur, res à se egregiè gestas sibi tandem auferiberet: de fœdere agere cum Carthaginensibus cepit. Carthaginenses eam rem lætissimo animo accepêre. Mittuntur igitur ad Consulem legati Principes civitatis: qui de pace agint. Hi cùm ideum pervenissent: tantum abfuit ut fœdus cum Romanis inirent: ut gravitatem eorum, quæ imperabantur, ne audire quidem æquo animo potuerint. Etenim M. Attilius jam rerum omnium potitus, quicquid Carthaginensibus offerret: ideos loco beneficij ac muneris accepturos sperabat. Contrà verò Carthaginensibus videbatur, nihil sibi etiam ad extremum victis à Cõsule gravius, nihil acerbius respondere potuisse. Quapropter legati non solùm re infecta discordes discesserunt: verùm etiam responsum Consulis, ut nimis grave atque superbum, mirum in modum detestati sunt. Ea verò cùm in Senatu Carthaginensium retulissent: tametsi Carthaginenses de rebus suis jamprorsus desperaverant: tanta tamen auditis Consulis petitionibus indignationem simul atque audaciam animo concepêrunt: ut subire potiùs omnia, & cuncta tam facta quàm tempora experiri priùs decreverint: quàm aliquid aut nomini suo ignominiosum, aut rebus antea à se præclarissimè gestis indignum perpeti. Xanthippi igitur Lacedæmonij usi ope & opera Carthaginẽses, non tantùm Romanos memorabili cla-

de vice-

de vicerunt; sed ipsum etiam Consulem Attilium cum multis aliis vivum ceperunt. *Idem pag.* 48. 49. 52.

III. Causa ejus belli, quod Romani cum Carthaginensibus gesserunt, prima existimari debet indignatio Amilcaris: cui Barce cognomen erat: fuit autem Annibalis pater. Hic enim in bello Siculo haudquaquam a Romanis victus est. Nam exercitum omnem, cui præerat, juxta Erycem singulari virtute servavit incolumem. Sed cùm Carthaginenses navali prælio profligatos cerneret: tempora consulendum ratus, pacem cum Romanis inijt: nequaquam tamen indignatione deposita: quin continuò oportunitatem reliquam præstolabatur: quâ Romanos ulcisci posset: & nisi turbulento mercenariorum militum motu res Carthaginensium vexari cepissent: è vestigio quantum in ipso fuisset, bellū renovasset. Sed intestino malo impeditus, rem in aliud tempus distulit. Romani verò periculum Carthaginensium animadvertētes, in mercenariorum dissensione, bellum eis minati sunt. Quod illi ut evitārent: nullam conditionem respuebant. Tandemque cùm Romani desistere à proposito aliter non viderentur: consilij atq; subsidij inopes, Sardinia eis cesserunt: tributoque, de quo primò convenerant, mille & ducenta talenta addiderunt: quæ res secunda & maxima causa extitit ejus belli: quod postea ortum est. Amilcar enim, cùm ad indignationē ejus, totius quoque Carthaginensis populi indignatio accessisset, simul atq; extincto mercenariorum tumultu, res patriæ compositas sedatasq; intellexit: bellū in Hispania aggressus est: studens hac veluti præparatione uti ad bellum contra Romanos gerendum. *Idem lib. 3. pag. 205. 206.*

IIII. Pisistratus cùm Athenienses, qui nolebant illum esse urbis dominum, in fugam copiis suis vertisset: solertissimum consilium excogitavit: ut Athenienses nec amplius caperentur: & tamen dissiparentur. Pueros justos conscendere equos præmittit: qui assequendo fugientes, mandata Pisistrati dicerent: juberentque eos bono animo esse: & ad sua quenque abire. Ita audientibus dicto Athenensibus: Pisistratus tertio potitus est Athenis. *Vide Herodot. lib. 1. pag. 12.*

V. Saguntini oppugnabantur ab Annibale acriter: neque auxilij ab Romanis, neq; obsidionis sustinendæ diu spes erat: & tristes conditiones, ut ab irato victore, ferebantur. Alorcus Hispanus, publicè Saguntinis amicus atq; hospes, se ejus pacis interpretem fore pollicitus, Saguntum ingressus est. Vbi inter alia, Pacem ad vos, inquit, affero magis necessariam, quam æquam. Vrbem vobis Annibal, quam ex magna jam parte dirutam, captam ferè totam, habet, adimit: agros relinquit, locum assignaturus: in quo novum oppidum ædificetis: aurum argentumque omne, publicū ac privatum, ad se jubet deferri, &c. Hæc victor hostis imperat: hæc, quanquā sunt gravia & acerba, fortuna vestra vobis svadet. Equidem haud despero, cùm omnium potestas ei à vobis facta sit, aliquid ex his rebus remissurum. Sed hæc patienda censeo potiùs: quàm trucidari corpora vestra, rapi trahiq; ante ora vestra conjuges ac liberos, belli jure sinatis. Verùm cùm Saguntini pacem, quæ libertate emèretur, iniquissimam judicarent: mortem prætulerunt potiùs: quàm ut vivi in Annibalis potestatem pervenirent. Itaque primores, priusquam responsum daretur, argentum aurumque omne ex publico privatoque in forum collatum, in ignem, ad id raptim factum, conjicientes, eodem pleriq; semetipsos præcipitarunt, cæteri, urbe capta, nullum antè finem pugnæ, quàm morientes, fecerunt. Ita viri fortissimi miserrimo genere le-

thi absumi maluerunt: quàm libertatem servili pace mutando cum dedecore vivere. *Anti Machiavell. lib. 3. pag. 381. 382.*

# CCLXXIIII.

*NEgligentia post victoriam sæpe est causa novæ cladis.*

*Securitas post victoriam atq; segnities duces non paucos perdidit. L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 112.*

*Nimia ob hostem fugientem exercitus securitas, ebrietas ac negligentia—, eum sæpenumerò perdit. Idem pag. 156.*

*Victoriam certò partam, hostes importunè persequendo, amittere, vel sua temeritate aliorũ temeritatis memoriã delere, non est ex disciplina militari. In Hypomnes. polit. Guicciard. part. 2. pag. 89.*

*Sæpe hostes ex inimicorum incuria audaciam—sumunt: & occasionẽ rei bene gerendæ nanciscuntur. Francis. Patrit. lib. 6. de Rep. tit. 14. pag. 384.*

## EXEMPLA.

I. Romani feliciter & insigni clade profligaverant Annibalis copias: & ad internecionem cædere deinceps reliquias potuissent. Adveniente verò nocte, cùm propter ingentem lætitiam, quæ ex bene gestis rebus evenire frequenter consvevit, nec non ob laborem superioris prælij, negligentiùs à Romanis custodiæ fierent: Annibal, desperatis rebus, commodissimum tempus, ad suam suorumq; salutem, obeas, quas diximus, causas, adesse ratus, intempesta nocte cum copijs stipendiarijs, quas Agrigenti habebat, egressus per medias hostium munitiones, manipulis palearum æquatis aggeribus, nemine penitus sentiente, cum suis omnibus incolumis evasit. *Polyb. lib. 1. pag. 31.*

II. Cn. Cornelius Carthaginensium duces duos, Hannonem & Andubalem

in præ-

in prælio vivos ceperat. Hac victoria comperta: Asdrubal Iberum transgressus, exercitum adversus Romanos movit. Eunti nunciatur, milites navalesq; socios, insolentia adeptæ victoriæ, securos & negligentes, per agros sparsim vagari. Quamobrem cum octo millibus peditum, & mille equitibus, citato gradu eò profectus, magnam partem eorum cæcidit; reliquos recipere se ad naves compulit. *Idem lib. 3. pag. 276.*

III. Anno à Carthaginensibus contra hostes missus Dux, quæ bello necessaria erant, diligentissimè paravit. Erat enim vir promptus, & ad hujusmodi res ingeniosissimus. At paulò post adversus hostes cùm exercitu profectus, quòd rectè discernere tempora nequiret, magnam Ducis imperitiam præse tulit. Missus enim in auxilium Vticensibus obsidione laborantibus, primo impetu hostes, elephantorum multitudine perterritos, dissipavit. Mox verò adeò imprudenter se gessit: ut ipsos obsessos, in quorum subsidium venerat, maximum in discrimen, & extremam fere pernitiem adduxerit. Nam cùm balistas, tormenta, catapultas, ac omnifariam oppugnandarum urbium machinas, secum Carthagine detulisset: castris ante mœnia urbis positis, pugnam cum hostibus commisit. Illi cùm elephantorum violentiam sustinere non possent: desertis castris, pluribusq; ex suis interfectis, in proximum collem, natura & arborum frequentia munitissimum, se recepère. Anno duntaxat adversus Numidas bella gerere solitus (qui ubi semel fugam arripuêre: vix ad tertiam diem consistere solent) quasi jam victor foret, cura persequendi hostes abjecta, Vticam ingressus, tantummodò curando corpori operam dabat. Hostes verò sub Amilcare in Sicilia militare consueti, ac sæpe eodem die fugere hostem, & mox iterum insectari, simul atq; Annonem Vticam ingressum cognovêre: exercitumq; fiducia victoriæ securum degere: repentè castra hostium aggressi, eorum partem interfecêre: reliquos cum ignominia sese in urbem recipere coëgerunt; machinis & cætero belli apparatu, nemine jam contradicente, potiti. *Idem lib. 1. pag. 99. 100.*

IIII. Molon, contra Xenætam pugnans, seu militari astu, sive quòd copijs diffideret, relictis in castris impedimentis, noctu inde discessit, itinere versus Mediam facto. Xenætas terrore adventus sui, & quòd non satis militibus fideret, fugisse hostem ratus, primò quidem occupatis hostium castris, equites suos, omnemq; apparatum, quem cum Zeuxi reliquerat, accersivit. Deindè convocata multitudine, universos, ut bono animo essent, optimamq; de futuris spem haberent, hortatus est: utpote converso jam in fugam, & in summa desperatione rerum constituto Molone. Quæ cùm dixisset; curare singulos corpora jussit: paratosq; in posterum diem ad insequendos hostes esse. Multitudo auctis hujusmodi rebus animis, & omni genere prædæ referta, ad crapulam se ebrietatemq; convertit; & cam, quæ ex hujusmodi rebus consequi solet, segniciem atq; ignaviam. Molon, cùm opportunum quendam locum nactus, cœna militem refecisset: conversо mox itinere in hostes redit: quos cùm somno vinoq; sepultos comperisset: summis viribus castra eorum sub auroram invadit. Xenætas novitate ac magnitudine rei perterritus, nec suos propter ebrietatem excitare valens, cum paucis impetu in hostes facto interimitur. Dormientium magna pars in ipsis castris ceciderunt. Reliqui se in flumen projicientes, natare in ulteriorem ripam & exercitum conati: verùm hi quoq; ad extremum magna ex parte periêre. *Idem lib. 5. pag. 453. 454.*

# CCLXXV.

*SI quis omnem antiquitatis ac bellorum memoriam ab ultimo principio repetat: profectò reperiet, eorũ, qui pactas inducias violarunt, miserrimos exitus, et civitatib. ac populis calamitosissimos, extitisse.*
*Ioh. Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 6. pag. 964.*

## EXEMPLA.

I. Inprimis violatores inducjarum acerrimè ulti sunt Romani. Metium Albanorum Dictatorem quadrigis distractum lacerari, Albam verò funditus æquari jusserunt.

II. Vejentes ipsi à stirpe cum oppidis omnibus deleti,

III. Carthago quatuordecim dies incendio absumpta.

IIII. Campani miserandũ in modum aut cæsi, aut durissima servitute oppressi.

V. Corinthus ac Numantia excisæ, civesq; omnes interempti.

VI. Eadem calamitate Samnites cumulati: qui septies pacem cum Romanis factam violaverant. Ad extremum sociali bello, quicquid Samnitium reliquum erat, L. Sulla internecione delevit: aut ex Italia fugavit. Ac tametsi quatuor millia projectis armis deditionem fecissent: eos tamen in deditionem acceptos trucidari contra jus fetiale jussit. *Idem ibid.*

Alia plura exempla, quæ in perfidos populos divinæ ultionis magnitudinem testantur, vide in Oeconomicis peculiari Regula de Perjuriis, numero LXXIIII.

# CCLXXVI.

*COniurationes earum rerum, quæ vi & armis multorum confici oportet, periculosos ac difficiles exitus semper habuisse constat. Quia nec à paucis expediri, nec à multis taceri possunt. Ac sæpissime à mulierculis coniuratorum arcana manant in vulgus.*
*Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 7. pag. 736.*

EXEM-

## EXEMPLA.

I. Philotas meretrici conjurationem adversus Alexandrum Magnum detexit: à qua cum sociis proditum ferunt.

II. Sic Fulvia Catilinæ conjuratos ad Ciceronem detulit.

III. Et nostra ætate occulta consilia Prioris Campani, qui Gallorum triremes agebat, quiq; Venetiarum civitatem diripere proposuerat, a meretrice prodita sunt. *Idem pag.* 737.

# CCLXXVII.

*SÆpe fuerunt infelicia fœdera, præsertim dissimilium.* Causæ sunt. 1. Quia fiducia propriarum virium est insolens & infelix. Vnde sequitur quòd dictum est à Theognide: ὕβρις & μαγνήτας ἀπώλεσε, & κολοφῶνα. 2. Et accedit hoc: quòd causæ dissimiles sunt, ubi multi dissimiles conjuncti sunt. Et regula est de dissimilium fœderib. apud Thucydidem lib. 3: ᾧ τοῖς διαλλάξαντι γνώμης διαφοραὶ ἔργων καθίσασις: id est: Dissidentibus opinionibus & voluntatibus fiunt diversa opera. *Philip. lib. 1. Chron. pag. 6.*

*Plerunq; periculosæ fuerunt* συμμαχίαι, *etiam in bonis causis. Idem in Epist. ad Camerar. pag. 555.*

*Nulla societas fœderum est diturna: multa siquidem incidunt: quibus illa dirimitur: & convertitur in hostiles inimicitias. Georg. Sabinus in interpretat. lib. 3. Metam. Ovid.*

*Impliciti fœderib. coguntur sequi alienos furores. Strigel. part. 3. Locor. pag. 414.*

*Qui se arctiùs fœderibus implicant: sæpenumerò inviti rapiuntur ad negocia iniusta, & perni-*

*Interdum enim ruina unius confœderati opprimit reliquam multitudinem ſociorum*. *Idem 1. Reg. 5.*

Veriſſimum eſt quod Lyſander dixit: Pueros aſtragalis ludere: Reges & Principes iuramentis & fœderibus. *Sæpè* enim *confœderati ex amicis fiunt hoſtes.* Hæc finit Deus accidere: ut emendet impiam fiduciam fœderum & aliorum præſidiorum humanorum. *Idem 1. Reg. 15.*

*Principes plerunq; id dant operam: ut muniant ſe fœderibus: & fœderum fiducia moliuntur non mandata, imò prohibita: fiducia multitudinis, ſociorum, facilè patiuntur ſe ad conſilia impelli non neceſſaria aut violenta*. *Peuc. in lect. Chr. die 3. Dec. An. 1569.*

*Nunquam poſſunt fœdera diu durare, animis vera benevolentia non coaleſcentib. Id. d. 29. Iulij, An. 1570.*

Es iſt ein fein dictum Iſocratis: Optimum & firmiſſimum fœdus eſt iuſta facere: talibus enim confœderatus eſt Deus ipſe. Vnd gehet gemeiniglich alſo: *plerunq; qui ſanctiſſimè & religioſiſſimè fœdera colunt: illi maximè decipiuntur, pereunt, et faciunt iacturã graviſſimã.* Celebratur dictum Electoris Friderici III. fundatoris huius Academiæ: qui ſolitus eſt dicere: In omnibus fœderibus, ſeu inter confœderatos, illos eſſe loco & conditione deteriore, qui fœdera ſervarent. Bonum eſt eſſe fœdera: ſed væ illi, qui ſervat. Wer der aller treweſt vnd frömeſt iſt / der muß letzlich das Bad außbaden. Gemeiniglich *illi, qui ſanctiſſimè fœdera colũt, plectũtur duriſſimè.* Denn es ſucht ein jeder / quomodo eludat fœdera, vnd laſſen die andern ſtecken vnd baden. *Idem ad 4. Id. Quintil. An. 1572. Vide Strigel. in Chron. part. 1. pag. 56.*

*Omnes fœderibus, præsertim cum peregrinæ linguæ hominibus, & munitionibus consisi, periérunt.* *Chytræus in Genesin, pag. 282.*

*Societates & fœdera cum impijs Regibus facta, & diuturna non sunt: & nocent magis: quia præbent occasionem mutationi religionis.*

*Fœdera inter multos icta—, non ea firmitate & consensione animorum suâ naturâ sunt: quin sperari possit: quempiam aut remissiorem fore—: aut ab alijs disiunctum iri.* *In Hypomnes. polit. Guicciard. part 2. pag. 29.*

*In varijs fœderatorum studijs, ubi variæ sunt cupiditates, & varij fines, facilè perturbationes, iras, molestias, ac suspiciones exoriri, ac deniq; nunquam alacritatem ad fortunæ auram, cùm se propitiam ostendit, sequendam, neq; animum ad eandem—adversam constanter perferendam adesse—, constat.* *In ijsd. pag. 100.*

Quoties illi, qui fœdere coniuncti sunt, secessionem faciunt, & se dissipari patiuntur: dubitari amplius non debet: quin paulatim omnes cladem aliquam accipiant. Idq; pertinet tam ad Principes: quàm ad civitates. *Philippus Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 2. pag. 52.*

Alciatus fœdera Principum confert testudini: in qua cùm una solummodò chorda discrepare incipit: tota harmonia turbatur.

Esa. 8. Ne dicatis fœdus.

Quòd fœdera impiorum fugienda sint: non solùm docent sacræ literæ: sed etiam Aeschyl. in Tragœd. ἐπ' ἐπὶ δικαίοις:

ἐν πάντι πρήγει δ' ἐσθ' ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδέν, καρπὸς οὐ κομισέσθαι,
ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται.
ἢ γὰρ ξυναισθὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ
ναυτῇσι θρήμοις ⊂ παυρογίας τίνι
ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεομίσῳ γένει.
ἢ ξυμπολίταις ἀνδράσι δίκαιος ὢν
ἐχθροξένοις τε ⊂ θεῶν ἀμνήμοσι,
τ' αὐτὸν κυρήσας ἐκδίκως ἀγρεύματος
πλαγεὶς θεᾶ μάστιγι παγκοίνῳ δάμῃ.
οὕτως δ' ὁ μάντις, υἱὸν οἰκλέος λέγω,
σώφρων, δίκαιος, ἀγαθός, εὐσεβὴς ἀνὴρ,
μέγας προφήτης, ἀνοσίοισι συμμιγὴς
θρασυστόμοισι ἀνδράσι φρενῶν βίᾳ
τείνουσι πομπὴν τὴν μακρὰν πόλιν μολεῖν,
διὸς θέλοντος συγκαβελκυσθήσεται. *Hoc est:*

In omni negocio nullum est prava societate
Maius malum, quæ affert fructum non colligendum,
Videlicet mortem, natam ex calamitosa terra.
Vt enim conscendens navem pius vir,
Cum socijs navigationis, qui sunt versuti & improbi,
Perit unà cum genere hominum, quod Deo invisum est:
Aut inter cives versans iustus,
Qui violant iura hospitij, & Dei ipsius immemores sunt,
Deprehensus in eadem venatione,
Percussus Dei flagello communi domatur:
Ita hic vates, filium Oicleis dico,
Modestus, iustus, bonus, pius vir,
Magnus propheta, prophanis admixtus
Audacter verba facientibus viris, vehementi impetu
Suscipientibus expeditionem adversus magnam urbem,
Iove volente simul involvetur. *Strig. 1. Reg. 22.*

Fugiendam esse impiorum coniunctionem, vox Prophetæ testatur: Non veniat tecum exercitus Israël: quia Dominus non est cum Israële. Si enim hoc feceris: Deus sinet te cadere coram hostib. tuis. Quare Principes dimicaturi cum hoste, non adiungant sibi Turcas, aut alios impios: sed con-

tenti

tenti sint mediocribus copijs piorum: qui media inter prælia Deum invocant. *Idem 2. Paralip. 25.*

Jene Städte / da sie auff eine bestendige Bündnuß handeln liessen / bewilligten sie vnter andern bedingungen / man solt keinen in diesen BundsRath sitzen lassen / der nicht 60. Jahr alt were. Nun war ein Junger Gesandter vnterm hauffen / da man jhn auff sein Eid ansprach / wie alt er were / bekandt er Hundert Jahr. Diß war den alten Herrn ein frembde Antwort. Darauff erkleret er sich: Ich dencke (sagt er) das diese Städte / auff 40. Jahr sich zusammen verbunden / diese Zeit hab ich außgelebt / Schreibt 40. Item / die vnd die Herrschafften richteten eine Einigungverwandnuß an auff 30. Jahr. Ich habe auch das Ende erlebt. Item / Da ward ein Landfried gemacht auff 50. Jahr / da denck ich mir Anfang vnd Ende. Drauff spricht ein Eißgrawer vernünfftiger Man: Er ist alt gnug / er sitzt wol bey vns. *Gregorius Strigenitius Conc. 3. de vocatione Ieremiæ, pag. 18. b. Hæc narratio monet, fœdera rarò esse diuturna.*

Fœdera iuncta cum impijs, sunt & invisa Deo: & noxia atq; pernicioſa hominibus: quia plerunq; oriuntur ex diffidentia, recedente à Deo, & convertente se ad hominum auxilia, imò etiam ad Dei hostes: aut trahunt homines ad impietatis alienæ malarumq; actionum societatem: ut fiducia præsidiorum humanorum reddantur elatiores & insolentiores: multaq; peccent vel tentent extra vocationem. Nihil itaq; mirum: si, Deo iustissimè permittente, pij impiorũ perfidia decepti desipiendo sapere discant: atq; soli Deo fide firma confœderari incipiant. *Bucholc. in Chronol. pag. 358.*

Jener Fürst ließ durch seine Gesandten ins mittel hienein vnter die Gesandten fragen / die einen Bund knüpffen wolten / Ob man auch gedechte zuhalten. Wo vorgehender vnbestand / oder vntrew ein Hertz mißtrawicht macht / oder einer selber gehalten hat / das es wol besser töchte / wie kan sich der guts vnd Ehren zu andern versehen? Es möchte noch

wol einer sagen/ Er gedechte 200. Jahr/ da er kaum 20. alt were/ wenn er sein Alter nach den Bundtß Jahren rechnen wolte/ wie auff ein zeit ein Junger Gesandter thete, *Matthes. in Sarepta, Conc. 8. pag. 88. b.*

# EXEMPLA.

I. Athenienſium & Corcyræorum fœdus utriſque exitiale fuit: cùm Attici propter conjunctionem cum Corcyræis, quam fecerant in cauſa dubia, moviſſent bellum Peloponneſiacum. Item, poſtea propter fœdus cum Phocenſibus ſeditioſis attraxerunt Regem Macedonicum. *Philip. lib. 1. Chron. pag. 6.*

II. Crœſus fiducia fœderis Laconici ſuſcipit bellum non neceſſarium contra Cyrum; in quo & vincitur & capitur. *Herodot. lib. 1.*

III. Fœdus Judæ, Jonathæ & Simeonis Maccabæorum fratrum, ceſſit ipſis infeliciter. Omnes enim paulò poſt initum fœdus interfecti ſunt: Judas in acie: Jonathas a Thryphone: Simon inſidiis Ptolemæi generi infidi. Habuerunt autem fœdus cum Romanis.

IIII. Iſraëlitæ infeliciter dimicant: cùm fœdus feciſſent contra tribum Benjamin: & fiderent viribus ſuis. *Judic. ult.*

V. Cadmus Agenoris filius occiſo Rege, cui nomen erat Draconi, fertur occupaſſe regnum Bœotiæ; adverſus quem cùm amici & filij Draconis bellum conjunctis viribus ſuſcepiſſent: ipſe jecit inter eos ſemina diſcordiæ: quæ tamen diſtracti atq; conſumpti ſunt. Hinc nata eſt fabula de ſerpente, ejusq; dentibus in terram ſeminatis: ex quibus ſubitò extiterint duæ acies, galeis & haſtis armatæ: quæ mutuis vulneribus ſeſe confecerint. Fingitur autem Cadmus illam ſementem feciſſe, juſſu Palladis, hoc eſt, divino conſilio; eſt enim ſingularis prudentiæ, ita divellere hoſtium conſenſum. Ac videre mihi videor in hac fabula quandam imaginem horum temporum: ubi aliquoties fœderati Principes ſimili arte ſunt diſtracti: & poſtea inter ſeſe dimicantes perierunt. *Sabinus in interpret. lib. 3. Metamorph. Ovid. mox in principio.*

VI. Quando noſtri Principes muniebant ſe fœderibus: populus intuebatur potentiam Principum conjunctorum & devinctorum inter ſe fœdere, quod vocabatur Smalcaldenſe. Aliqui multa movebant fiducia illius fœderis, quæ præſtiterat fuiſſe omiſſa. Illa fiducia eos ad arma capeſſenda impellebat, ad experiendam fortunam infelicis belli: quod quàm plurimis exitiale fuit. Meminimus quæ fuerint voces multorum intuentium numerum eorum; qui eo fœdere erant devincti. Sed ſapientes, quantò creſcebat potentia magis: tantò magis frangebantur animis, & fiebant abjectiores. Iacobus Sturmius, qui habitus eſt pro viro verè ſapiente; ille ſæpe ſolitus eſt dicere: Quò magis creſcit numerus noſter & multitudo: eo efficimur imbecilliores. Et rectè judicavit: in principio enim major fuit conſenſus & conjunctio voluntatum de doctrina: quàm deinceps, quando aucti acceſſionibus ſociorum moverunt multa non neceſſaria, ſecutæ ſunt diſſenſiones maximæ. Diffidentia eſt origo multorum magnorum erratorum: quæ indies ingraveſcunt: quæ in conſilijs poſtea fuit cauſa triſtiſſimorum eventuum. Diffidentia ſit ἐτυσι πολυπραγμοσύνης, cauſa illius audaciæ: ut quæramus præſidia non conceſſa: ut conemur munire nos fœderibus: ut fiducia fœderum

derum aut efficiamur securi: aut implicemur non necessarijs bellis: vel confidamus, nos sociorum numero fore tutos: abijcimus spem auxilij divini: aut saltem sumus in invocatione languidiores. *Peucer. in lect. Chronic. d. 3. Decemb. An. 1569. Capita & formulam hujus fœderis, & eos, qui huic subscripserunt, vide in Chronico Saxoniæ Davidis Chytræi, lib. 14. pag. 423.*

VII. Nostro tempore fuerũt socij Veneti & Genuenses, Cæsar & Romanus Pontifex contra Turcas. Veneti cum Genuensibus habent naturale dissidium. Ideo Veneti prodiderunt Andream Doriam & impediverunt. Is contrà non adjuvabat fideliter. Sic dirimebantur, & cogebantur Veneti inire concordiam cum Turca, & magno redimere pacem. Turcicus enim Imperator noluit eis placari: nisi cederent duab. præstantissimis urbibus, Monembasia videlicet & Calliopoli. Est autem Monembasia urbs proxima Mycenis: quæ deinde dicta est Epidaurus. In Homero dicitur vitifera: ibi enim sunt generosissima vina: unde & vinum Malvaticum, quod apud nos habemus, advehitur. Calliopolis verò paulò superiùs sita est. Sic Veneti iterum coacti sunt pacem componere: ac novum fœdus facere cum Turcico Imperatore: quia videbant se desertos esse ab Andrea Doria. Sunt λυκόφιλοι, es sind Hunds fœdera gewesen/ quia Veneti & Genuenses sunt naturaliter inimici. *Philippus in publica lect. & in Locis Manl. pag. 407.*

VIII. Iohanni Regi Vngariæ fuit exitiosa conjunctio cum Turcis. Attraxit enim Turcas in regnum: qui id devastarunt. *Peucer. in lect. Chron. 29. Iul. An. 70.*

# CCLXXVIII.

*EX omnibus fœderibus nullum est, quod difficiliùs servari possit: quàm quod ictum est cum subditis. Quia nihil æquè Principum mentes exulcerat: quàm cum subditis, à quibus contumeliam acceperint, pacisci, & ad pacta servanda compelli. Ioh. Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 6. pag. 953.*

## EXEMPLA.

I. Ludovicus XI. cùm subditis, à quibus desertus ac proditus fuerat, pacem inire coactus est; sed eos omnes, paucis admodum exceptis, clam aut apertè necandos curavit: Ducem inquam Nemorosum, Magistrum militum: Ducem Burgundionum, Comitem Arminiacum. Meierus, qui res Belgarum scripsit, fratrem quoque Carolum eo numero complexus, veneno sublatum scripsit.

II. Ac superiori ætate Rex Fessarum à fratre juniore obsessus, & iniquissimis conditionibus pacisci coactus, jurejurando sese obligavit. Sed eodem momento fratrem, quem ad complexum admiserat, suffocari, ac de sublimi solario coram exercitu

deijci mandavit: nec mora: nam exercitus, amisso duce, quasi corpus decusso capite, animo fractus, Regis imperia sequi non dubitavit.

III. Consimili stupore atq; amentia Dux Hyorchus cum Henrico VI. Anglorum Rege, quem opibus ac potentia superârat, fœdus inijt: quo quidem sibi totius regni procurationem se vivo, liberis verò posterisque suis regnum mortuo Rege pactus est. Rex omnia assentiri non dubitavit: paulò post tamen Hyorcho manum injici, atque ejus capiti fictilem coronam contumeliosè imponi, postremò securi percuti mandavit. *Idem ibidem.*

# CCLXXIX.

*SÆpè fit, ut fides ac societas deseratur metu potentiorum: qui victoriâ adepti cæteros perterruerunt.*
*Ioh. Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 6. pag. 939.*

## EXEMPLA.

I. Hujus rei permultorum exemplorum & nostra plena est Respublica, & omnia regna cunctæq; gentes. Vt post calamitatem Cannensem Romanos socij propè omnes deseruerunt.

II. Perseo Rege Macedoniæ capto, Rhodij palàm edixerunt: ne quid à quoquam civium in gratiam Persei Regis, qui cum societate & amicitia conjunctissimi fuerant, diceretur fieretve: subjecta capitali pœna.

III. Quid socij nostri capto ad Papiam Francisco Rege? Itali omnes à societate tunc defecerunt. *Idem ibid.*

# CCXXC.

*OMnium virtutum splendidissima in Principe est fides.*

*Fides tanto splendore præfulget: ut sine ea omnes Regum, ac Principum, virtutes obscuriores fiant.*
*Francis. Patrit. lib. 8. de regno, tit. 20. pag. 558.*

## EXEMPLA.

I. Cœnâtibus in navi ad Puteolos Antonio & Octavio, apud Sextũ Pompejum, Magni Pompeij filium: qui tunc concilii societatem iniverant: Menodorus, Pom-

pejanæ

pejanæ classi præfectus, per internuncium Pompejo significavit: nunc tempestivum esse parentis ac fratris injurias ulcisci: quòd si occasionem sumere vellet: se operam daturum; ut è navibus evadat nemo. Cui Pompejus, Refert, inquit, Menodoro, ei sine me id facere licere: qui jam peierare consevit: mihi autem nefas esset: qui fidem fallere nescio. Quæ quidem vox & decora fuit: & Magni Pompeij filio digna. *Id. ib.*

II. Magna profectò laus est servatæ fidei. Nulla victoria tanta gloria affecisset M. Attilium Regulum; quanta eum extulit servata fides, servatumque jusjurandum: etsi raptus est ad modici temporis supplicium; perpetui nominis fama illum ab omni oblivione vendicavit.

III. Fides Romani populi perfidis etiam hostibus exploratissima habebatur. Duellius Cornelius Asina in primo Punico bello exercitum in Sicilia habebat: verùm ab Hamilcare & Hannone, qui exercitui Carthaginensium præerant, præstita fide ad colloquium vocatus, per dolum interceptus est: & in vincula conjectus. Sed cùm adverso Marte Carthaginenses terra marique bello succumberent: placuit, ut de petenda pace ageretur: resq; Hamilcari & Hannoni à Senatu demandata est. Hamilcar memor violatæ fidei Cornelio Asinæ, ad Consules ire formidabat. Hanno autem, Romanorum fide fretus, audacter ad Consules perrexit. Et cùm in eum Tribunus quidam militum obstreperet: perfidiæque eum in Cornelium Asinam accusaret: uterq; Consul silentium ei indixit, Hannonique ait; Isto quidem te periculo fides Romani populi liberat.

IIII. Ptolomæus Aegypti Rex, agnita Romanorum fide, cùm moreretur, Romanum populum infanti filio, cui regnum debebatur, tutorem testamento reliquit. Senatus verò, ne qua ex parte ille spe sua frustraretur, Aemilium Lepidum, Pontificē Maximum, virum gravem atque integrum, ad tutelam ejusdem gerendam, Alexandriam misit: qui summa virtute, summaque diligentia puero indulsit: & moribus virtutibusque regiis instruxit: regnumq; non modò conservavit: verùm etiam auxit decoravitque.

V. Lycurgus quoque legumlator fidem inviolatam servavit. Nam cùm fratri Polydectæ Regi Spartanorum superstes esset; regnumque sibi (civibus etiam poscentibus) vendicare posset: Charilao filio ejus, qui posthumus natus fuerat, ut primùm adolevit, summa fide restituit: ut omnes intelligerent; eum longè pluris fidem, quàm amplissima regna plurimasque opulentias facere. *Idem pag. 565. 566.*

# CCXXCI.

*LEges & doctrina, ut fœdere quodam inter se iuncta sunt, simulq; & florere & intercidere solent: ita cùm sunt labefactata, immani barbarie ac vastitate omnia involui necesse est. Philip. Tom. 1. Decl. p. 483.*

Sicut

# CCXXCII.

*SIcut artes, ita etiam Virtus habet suas periodos in Imperijs.*

*Ne excellens quidem Virtus est firma, diuturna & stabilis in hominum naturis: quas certum est excitari & regi diuinitus. In illis ipsis summa Virtus horribiliter degenerat: & ita degenerat: ut ruat in scelera & flagitia: in errores consiliorum: & ex erroribus consiliorum in sæuitiam & crudelitatem: & ut redigatur eò: ut tandem opprimatur tristibus & tragicis pœnis: & ut illa excellentia & pulchritudo deformetur tristi & tragico exitu. Peuc. in lectione Chron. die 13. Feb. Anno 1574.*

## EXEMPLA.

I. Philopœmen fuit inter bellatores Græciæ præstantes postremus Pausanias in Arcadicis dicit: quòd post eum Græcia desierit gignere præstantes Viros. Scribitur cor habuisse hirsutum. Mortui sunt eodē anno Hannibal, Scipio, Philopœmen. Hannibal veneno jam septuagenarius. Scipio in exilio, anno ætatis 54. Philopœmen in vinculis, cùm attigisset annum ætatis 70. Plutarchus de Philopœmone, Romanus eum laudans, ultimum Græcorum appellavit, quasi post hunc nullum Græcia magnanimum, sequ; ipsa dignum Virum protulisset.

II. Eodem anno vixerunt Scanderbegus in Græcia; Matthias Hunniades in Vngaria: Achilles Germanicus & Fridericus Palatinus in Germania: in Hispania Ferdinandus Arragonius, qui expulit Saracenos.

III. Fuit uterq; & Philippus pater & Alexander filius, Princeps talis, & natura, & rerum gestarum magnitudine: ut recte inter summos orbis terrarum Reges referantur. Sed in patre Philippo pleraq; fuerunt ascita magis & affectata: in filio nativa. Pater multis illustribus victorijs non tantùm Macedonici regni possessionem sibi & suis confirmavit: sed hoc etiā obtinuit: ut suffragijs Græciæ declararetur Dux Græcorum: quod ante ipsum nulli contigerat. Hæc fuit magna gloria. Alexander incredibili celeritate & successibus planè stupendis, tota Asia duodecim annorum spacio

pervagata,

pervagata, domita & subacta occuparit imperium orbis terrarum. Sed omnibus rebus gestis & victorijs Alexandri, & adeò illo ipso amplissimo Imperio, longè fuerunt majores in Alexandro dotes ingenij & animi: quibus haud dubiè omnes ante & post se Reges Ethnicos superavit. **Denn es ist ein fürtrefflich** ingenium **gewesen.** Senes sapientissimos vincebat consilio: tanta erat sagacitate, tanta perspicacitate ingenij, tanta promptitudine & celeritate: ut citò, cùm opus esset, explicare se in rebus arduis, & constituere quid facto opus esset, & prospicere eventum posset. Quanta fuit animi celsitudo conjuncta cum justitia? quanta comitas? quanta suavitas? quanta erga suos benevolentia? & vicissim quantum fuit studium erga ipsum & suorum & externorum? omnium animos in sui amorem pellexit illa excellentia donorum & virtutũ. In summa, nullus Regum, quorum ad nos pervenit notitia ex historijs, conferri cum Alexandro potest: tanta fuit ejus virtus; quanta nullius inter omnes Reges Ethnicos: antequam raperetur extra sese: cùm adhuc mente constaret, id est, ante captam Babylonem. Revera nullus fuit inter omnes Reges Alexandro pulchrior: si omnia considerentur. Tanta cùm fuerit excellentiã in utroq; tamen degeneravit à seipso. Pater Philippus ad libidines & temulentiam, & alia flagitia, addiderat perjuria: accusatur quòd violârit ex occasionibus quibusq; sui commodi causa fœdera: & fregerit & fefellerit fidem: omnia retulerit ad suum emolumentum. Alexander fuit multò petulantior: ad libidines & temulentiãm addidit sævitiam in amicos: dedidit se obscœnis voluptatibus: helluatus est portentosum in modum: & helluationibus afflixit & corrupit illas excellentes dotes ingenij, quibus fuit ornatus; temulentia & libidinibus enervavit corpus pulcherrimum & validissimum; quod erat ita roboratum assuetudine & exercitijs: ut tolerare posset & exhaurire curas & difficilimos labores militares. Illas corporis vires prorsus fregit & emollivit. Postea æstuans vino & ebrius sævijt in amicos: interfecit crudeliter præcipuos & fidissimos Duces: quorum opera res magnas gesserat. Sed quod longè tristius est, uterq; hæc sua peccata cumulavit manifestis blasphemijs in DEVM. Philippus paulò ante mortem suam statuam collocavit inter statuas duodecim Divorum tutelarium; & eam voluit pari cum illis honore affici. Alexander progreditur longiùs: credi vult habere se aliquid divini numinis supra communem sortem hominum: & idcirco nequaquam vult familiari consuetudine amplius coli: sed tribuit sibi honores divinos: & stolida ambitione æmulatur gestum & habitum Ethnicorum numinum. Interdum prodit cornutus, sicut Iuppiter Hammon: interdum ut Diana se ostentare videtur: deniq; ludit intolerabili petulantia. Talia cùm legimus, commonefaciamus animos de conditione nostra & magna imbecillitate naturæ, præsertim destitutæ auxilio divino, ac desertæ à DEO. *Peucer. ut suprà.*

# CCXXCIII.

*VIrtute decrescente crescit jactantia, ostentatio, gloria inanis.* Ideo rectè dicitur: *Crescentibus ti-*

*tulis, & ambitiosis nominibus, decrescit virtus.* Seu: *Cùm decrescit Virtus: titulorum crescit arrogantia.*

*Usitatum est, crescere superbiam & inanem ostentationem titulorum, cùm virtutes decrescunt, & ruina impendet.* Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant, sagt der Poet. *Et plerunq; Principes fatui, cùm ruina propinqua est, assentationibus gnathonum in aulis persuasi, tribuunt sibi majora, quàm intra se esse sciunt & experiuntur: admirantur se:* Vnd lassen sich vberreden/sie sein grosse Herren: *illis glorioſis titulis, quibus extolluntur, efferuntur in quandam sui admirationem.* *Peucer. in lect. Chron. die 11. Augusti, An. 1571.*

### *Proverb. de Repub. Veneta:*

Cùm usurparetur titulus, *Domine*, simpliciter, tunc facta est Respublica: *Mi Domine*, stabilita est: *Magnifice Domine*, tunc eversa est.

Philippus in Locis Manlij pag. 369. ita recitat: Venetorum proverbium: prima pompa parva fuit, & ibi sunt factæ Venetiæ: deinde fuit mediocris, tunc creverunt Venetiæ: deniq; maxima fuit, in qua iterum Venetiæ sunt eversæ.

Olim non amplior Virorum nobilium fuit titulus: quàm ut *Strenui famuli* nominarentur: Equites verò aurati ut dicerentur *milites*. Fabricius in sua Misnia sub Anno 1382. ponit Epitaphium Henrici Schleinicij eo anno mortui cum tali inscriptione:

M. CCC.

## M. CCC. LXXXII.

*Obijt strenuus famulus Henricus à Schleinitz.*

Tituli Regum & Tyrannorum potiùs à vi & potentia, quàm à Virtute desumpti sunt. *Poliocertæ* ab expugnatis urbibus, ut Demetrius Antigoni filius. *Cerauni* à fulmine, ut Ptolemæus. *Nicatores*, à vincendo, ut alius Ptolemæus. Nonnulli etiam *Aquilæ*, ut Pyrrhus, & *Accipitres* dici maluerunt. Aristides *Iusti* cognomentum maximè regium & diviniſſimum nactus est. *Plut. in Aristide fol. 287.*

*Vbi multum est titulorum: ibi multum est vanitatis.*

*Quantò quis est stultior: tantò titulis addictior.* *Horat. lib. 2. Sat. 5:* Gaudent prænomine molles Auricæ.

Sunt quidam Principes: qui multis titulis sese exornant: multisq; ditionum nominibus sibi applaudūt: ex quibus forsan aliquando uxores prodierunt: vel quorum maiores possessores fuerunt: sed possessione deturbati sunt: vel cessione facta, vel venditione eam in alios transtulerunt. Quod quidam faciunt: ut generis sui nobilitatem commendent: vel ut persuadere possint jure quodam in his in idea retento. Quod certè rident alii Principes: qui verè possidēt: & somnia illa contemnūt: sicut Constantinus cognomine Magnus Imperator, *ut narrat S. Aurelius Victor in Epitome*, Trajanū Imperatorem, herbam parietariam, ob titulos multos ædib. inscriptos vocare solitus erat. Sunt certè, ut novi aliquando certissimè, isti tituli inanes & vacui à possessione, plerunque occasiones, cur Principes, qui reipsa possident, denegaverint auxilia laborantibus titularijs: cum quibus alioquin non levis amicitia fuit. Hoc unum laude dignum in Gallia: quòd Reges unico nomine Reges Francorum, solis liliatis insig-

nibus sese exornant. Neq; enim titulos illos, quæ divisionem continent, neq; tot incisa insignia, quæ mixtionem plurium indicant, ad unicam domum nobilitandam habent. Quod enim per se sufficit: non eget alterius accessione. *Pet. Greg. Tolos. lib. 6. de Rep. cap. 11. pag. 337.*

## CCXXCIIII.

*HOmines magis admirantur successus in rebus gerendis, quàm Virtutem: quia successus tegunt vicia: quæ mutata fortuna deteguntur, & fiunt conspectiora.*

## CCXXCV.

*SIcut umbra comitatur corpus: ita Invidia est individuus comes Virtutis. Quàm non potest separari umbra à corpore: tam non potest separari Invidia à Virtute. Nam Invidia serpit non ad paupere: sed ad habentes:* ut inquit Suidas. *Strigel. lib. 1. Eth. pag. 152.*

*Nulla ingenia tam prona ad invidiam sunt, quàm eorum: qui genus ac fortunam suam animis non æquant: quia Virtutem & bonum alienum oderunt. Idem in orat. de Daniele.*

*Invidia omnibus viris magnis infesta est. Plutarchus in vita Publicolæ.*

Solet

*Solet Virtutem ac gloriam comitari Invidia: cùm obscurari se unius alicujus præstantia multi dolent: ideoq; excellentiam alienam premere & delere conantur.* Chytræus in Chron. Saxon. lib. XI. pag. 333.

*Nihil est, quo invidi magis offendantur, quàm bonitate: & delictum in illos summum est, consectari & amplecti Virtutem: gratum Deo & bona esse apud homines fama.* Ioh. Spinæus lib. 4. de Tranquill. animi, pag. 177.

*Miro & horrendo odio invidus Virtutem prosequitur, eosq; quos ea præditos videt. Quamvis enim ipse ex ea fructum colligat: nihilominus vel hoc privari malit: quàm alios gloria & laudibus meritis affici.* Idem pag. 178.

*Manifestum est, invidum non minus doloris ex Virorum bonorum aspectu concipere: quàm Panthera invisa est hominis facies: cujus vel sola imago* (ut scribit D. Basilius) *ita illi odiosa est: ut in eam statim dilacerandam furiosè irruat. Non eo quidem modo invidus odium detegit: sed alienæ Virtuti detrahere volens, aliquo prætextu & colore utitur: ne simultatem aperiat.* Idem pag. 179.

Regulam hanc insigni & memorabili sententia expressit *Polybius, lib. 1. pag. 54.* qui ait: *Præclara facta & res*

*cum laude gestæ, magnam plerunq; invidiam & graves calumnias concitare solent: quibus cives quidem septi præsidiis cognatorum & affinium facilè resistũt: peregrini verò nudi à propinquis, & nulla cognatione muniti, utriusq; mali tempestatè facilè obruũtur.* *Interprete Strigelio in orat. de Daniele.* Græca verba sunt hæc: αἱ γὰρ ἐπιφανεῖς καὶ πρόσφορον πράξας, βαρεῖς μὲν τοῖς φθονεροῖς, ὀξεῖαι δὲ τὰς δυσβουλίας γενῶσιν: ὧς οἱ μὲν ἐγχώριοι διά τε τὰς συγγενείας καὶ τὸ σὺν φίλων πλήθει οἷοι τ' ἀναφέρειν, εἰ δὲ ξένοι ταχέως ἐφ' ἑκατέρων τέτων ἁπῶνται.

Verè ac prudenter ait Cn. Manlius contra Furium & Aemilium: Cœca est invidia, Patres conscripti: nec quicquam aliud scit: quàm detrectare virtutes: corrumpere honores, ac præmia earum. Verum est etiam, quod à veteribus usurpatur: Invidia quasi ignis superiora semper atq; altiora petit: & in caput consilij, atq; in ducem ipsum sæpenumerò evadit. *Quotus* enim *quisq; tantam felicitatem nactus est, ut possit invidiam superare? Quin etiam quantum potentiæ unicuiq; accedit: tantum invidiæ in eum crescit.* *Francisc. Patrit. lib. 5. de regno, tit. 11. pag. 322.*

*Hoc commune omnis multitudinis vicium esse cernitur: ut magnos ac virtute præstantes viros plerunq; invidia prosequatur: ignavos autem ac timidos dignitate ac gloria afficiat. Hos enim, quorum prudentiam imitari posse confidit, diligit: illos verò, quorum sapientiam neutiquam attingere posse sperat, etsi tacito judicio admiratur: livore tamen atq; invidia insectatur.* *Idem pag. 323. 324.*

*Si virtute aliqua aut fortuna quispiam Regis vel Principis alicujus animum in benevolentiam ſuam flectat: præſtò aderunt invidiæ calumniæq; flamina: quæ reflantibus ventis benevolentiæ curſum remittent: amoremq; omnem labefactabunt: & in odiũ ſimultatemq; convertent.* *Idem lib. 8. tit. 11. pag. 526.*

*Eſt commune vitium in magnis ac liberis civitatibus: ut invidia gloriæ comes ſit. Libenter ſiquidem his detrahunt: quos eminere altiùs cernunt. Vt quisque enim optimus in civitate habetur: ita maximè obnoxius eſt invidiæ:* quam ut fugerent nonnulli Athenienſes cives clariſſimi: patria aliquandiu caruerunt: ut ſui eorum deſiderio, civium ſuorum animos ſibi conciliarent. Tam diu ſiquidem invidia carituros ſe putabant: quamdiu à conſpectu atq; oculis ſuorum abeſſent. *Idem lib. 6. de Repub. tit. 5. pag. 284.*

*Moventur nonnulli (cùm ſibijpſis diffidant) ad invidiam in eos: quorum virtutes minimè imitari poſſunt.* *Idem pag. 285.*

*Qui gloria nequaquam Principibus pares eſſe poſſunt: calumnia & odio inſultant.* *Idem lib. 9. tit. 1. pag. 375.*

Veteres Imperatores apud Romanos cùm poſt magnas victorias triumpharent: bullam præ ſe ferebant, incluſis in eam remedijs: quæ credebant adverſus invidiam potentiſſima eſſe. Quamvis enim reduces ab hoſtium telis in patriam rediiſſent: tamen civium oculos vehementer formidabant.

Manſit ejuſmodi geſtamen diutiùs apud pueros ingenuos: quod quidem valere putabant non modò adverſus faſcinatores: ſed etiam contra invidos. *Idem lib. 6. pag. 287.*

Idem mortalibus circa eminentes virtutes uſu venire exiſtimo: quod lippis accidere ſolet: cùm Solem intuentur. Nam ut hi fulgorem Solis ferre nequeunt: ita nulla aut exigua virtute homines, excellentes virtute viros pati non poſſunt. Sic olim Athenienſis populus, cùm ijs, qui virtute & gloria eminerent ſupra cæteros cives, offenderetur: exilium decennale (exoſtraciſmon appellabant) Principum alicui per intervalla irrogabat. Sed invidiæ gloriæ aut virtutis ejus prætexebat metum tyrannidis. *Anti Machiavel. lib. 3. pag. 571.*

Cicero: Labes hujus ſeculi eſt, invidere Virtuti.

Ioſephus lib. 1. de bello Iud. cap. 8: Fieri non poteſt, ut livorem quiſquam in rebus ſecundis effugiat.

Themiſtocles dicebat, certum eſſe argumentũ, ſe nihil adhuc præſtitiſſe laude digni, cò quòd ipſi nemo invideret.

Diogenes ei, qui ſibi invideri querebatur, ſuaſit, ut, ultionis gratia, tantò ſtudioſiùs Virtuti inſiſteret. Quæ certè longè optima eſt invidi ulciſcendi ratio: quem Virtus magis ejus, quem odit, quàm ullæ contumeliæ, excruciat. *Spinæus lib. 4. pag. 178.*

Huc alludens quidam olim dicebat: Virtutem ſimilem eſſe Soli. Quemadmodum enim hic ſuo calore ceram liquefacit, lutum verò indurat: ſic illa ſuo aſpectu bonos recreans & conſolans, contriſtat improbos: ita paulatim diſſolvens & conſumens, ut dolore tandem conficiantur, bonorum virorum felicitatem indies augeſcere videntes. Similis eſt hæc perturbatio teredinibus, aut blattis: quæ ea primùm corrodunt, in quibus genitæ ſunt. Quapropter Agis, cùm quidam ei dicerent, eſſe nonnullos Spartę magnæ autoritatis, qui ipſi inviderent, Geminam igitur, inquit, habebunt moleſtiam: quos & ſua ipſorum mala diſcruciabunt: atq; inſuper tum meis, tum amicorum meorum bonis torquebuntur: decla-

rans eos, quos invidia occupavit, magis esse misericordia dignos, quàm ira: propterea quòd abundè pœnarum dant, etiamsi nemo ulciscatur. Nam invidi (ut prisci ajebant) non eatenus solùm Viperas referunt: quòd ut illæ semper in pectoribus venenum servent: sed etiam quòd, ut & illæ, partu suo necentur: cum hoc tantùm discrimine: quòd Viperæ statim moriantur: ut à fœtu erumpente discissæ sunt: invidi verò paulatim à sua perturbatione ita conficiantur, ut ij: qui ex tabe aut febre hectica laborant. *Idem pag. 180.*

Eum, qui gratiam invidi sibi conciliare velit, aut vicio-sum aut infortunatum esse oportet. *Ibidem.*

Verissimè dictum est à Græco Poëta Apollodoro:

*Fortuna magna non caret formidine:*
*Nec splendor eminens vacat periculo:*
*Et quicquid altum est, haud diu tutum manet,*
*Vt quod ruat vel invidiâ, vel tempore.*

## EXEMPLA.

I. Camillo invident mali cives. *Phil. lib. 1. Ethic. pag. 12.* Ille enim Tribunatum militum sextum sibi oblatum reculavit, ætate jam admodum provectus, invidiamq;, &, quæ tantam gloriam atq; prosperos successus sequitur, mutationem Fortunæ metuens. *Plutarch. in Camillo*

II. Cùm Satrapæ propter inertiam suam, eundem dignitatis gradum, in quo Daniel collocatus erat, assequi non possent: gloriæ Danielis urebantur, & omnia in ejus perniciem parabant atq; meditabantur. Cùm enim Daniel esset exul, & omnium gentium atq; omnis memoriæ clarissimum lumen, omnibus telis invidiæ propositus fuit: & tanquam ovicula inter multa luporum agmina versatus est: nec defensorem habuit certum, nisi Filium DEI, qui solus est fidelis & firmus amicus. Cùm autem invidi Satrapæ nullam notâ infidelitatis aut injustitiæ in gubernatione Danieli inurere ad ignominiam sempiternam possent: insidiis astutissimè cogitatas doctrinæ, quam Daniel profitebatur de vera agnitione & invocatione DEI, collocarunt. Impulerunt enim Darium Regem sapientem & justum: ut veram invocationem DEI prohiberet: & hujus prohibitionis prætextu Danielem leonibus objiceret. *Strigel. in orat. de Daniele.*

III. Pharisæi perpetuis calumniis miracula & doctrinam Christi persequebantur: non quòd res essent noxiæ aut parùm utiles: sed ut bona existimatione, qua propter opera apud populum valebat, & honore merito eum privarent.

IIII. Quis item potissimùm ex prudentia & recta administratione, ex magnanimitate,

mitate, diligentia, dexteritate, victoriis & prosperis successibus consiliorum Davidis fructum colligebat? an non Saul? Huic tamen illa omnia ita displicebant: ut victus, quàm ejus opera victor esse maluisset: nec tam cruciabatur incommodis ab hostibus illatis: quàm Davidis, victoriam & Goliathi caput referentis, laudibus ab Israëliticis puellis celebratis.

V. An non itidem magno Iacobi & filiorum ejus bono futura erat Iosephi dignitas, ad quam DEVS illum evehere statuerat? Nam alioqui (ut patuit ex ijs, quæ consecuta sunt) in maximum miserrimæ & crudelissimæ à fame mortis periculum incidissent. Tamen invidiæ suæ, postpositis omnibus commodis, ex autoritate & dominatione fratris percipiendis, moliuerunt eum vel ipsi necare (quod malum providentia DEI avertit) quàm æquo animo ferre: ut ex gratia & voluntate divina eò ascenderet.

VI. Sic Iudæi suam in Christum invidiam dissimulantes, eum criminabantur apud Iudices aut populum, modò quasi blasphemaret; nunc quasi sectas & seditiones faceret: aliàs alia crimina, quam verisimillima confingere poterant, objicientes, cùm ut populi gratiam ab illo averterent; tum ut magistratum adversus ipsum incitarent. *Spinæus lib. 4. pag. 178, & 179.*

VII. Livius de Cornelio Scipione Africano, quem confert cum L. Quinctio Flaminio: Major, inquit, gloria Scipionis: & quò major: eò propior invidiæ. *lib. 35. ab V. C. pag. 337. a. b.* Eundem, scribit Plutarchus, finito bello Asiatico cum Antiocho Magno, postulatum esse à Tribunis plebis: quòd pecuniam ab Antiocho accepisset: quam in privatos usus contulisset; cùm debuisset eam referre in ærarium Reipublicæ. De hac accusatione inquit Plutarchus: Operæ preciũ est contemplari, quàm avara & quàm imbecillis sit rerum humanarum conditio. Erat eo tempore cumulata omni genere honoris Scipionum Corneliæq; gentis gloria; & Africani autoritas in eum gradum pervenerat; ut non esset privato viro in libera civitate ulterius expetendum. Hanc magnitudinem non potuit sustinere inimicorum invidia: sed erupit tandem ea: quæ animis latebat: & in tantarum rerum autores sese effudit. *Vide Plutar. in Vita Scipion. in fine, postremo folio.*

VIII. Eminuit autoritate in Senatu civitatis Vltrajectinæ multos annos, ob prudentiam, moderationem, solertiam, & justè ac feliciter administratam Rempub. Consul primarius, Eberardus Soudebalgus; quem multi nobilibus familijs natu acerbè oderant. Subornant igitur Canonicos, qui populum contra Soudebalgum & Godfridum Vornium concitent. Is rem eò injustis accusationibus deduxit: ut Soudebalgus & Vornius, vi omnia agi cernentes, ne tristiore tumultu ac cædibus Respublica implicaretur, ut patriæ tranquillitati consulerent, sponte ex urbe in exilium voluntarium concesserint. *Vide Chytræum in Chronico Saxoniæ lib. 11. p. 333. sub An. Chr. 1525.*

IX. Inter Iohannis Ducis Pribusiensis consiliarios erat quidam Theophilus Bergmanus Glogovienſis, vir doctus & facundus: qui multos annos in aula vixerat carissimus Principi: cujus arcana fermè solus sciebat. ***Fortunam verò florentem comitata est invidia.*** Nobiles enim illum oderant propter potentiam: & dolebant eum ipsis anteferri: ideo criminati sunt eum apud Principem varijs artibus: & tandem hoc anno 1497. cùm à Rege Matthia reversus esset, vicerunt accusationes: & extrema ipsi est conflata calamitas. Die 13. Iunij conjecit eum in turrim Sprottæ: detinuit eum sine cibo & potu usq; ad noctem: quæ secuta est diem Viti: tunc extra oppidum ductus est: & nocte intempesta, spectantibus duobus hominibus, capite truncatus est:

cùm

cùm priùs opem DEI supplex imploraſſet: & lugubri ſermone queſtus eſſet de tyrannide ſui Domini: qui ipſi inaudito & indemnato vitam eriperet. *Cureus in Annalib. Sileſiæ pag.* 330.

X. Xanthippus cùm in auxilium à Carthaginenſibus accerſitus, in Africa feliciter Romanorum exercitum profligaſſet: ipſumq; Conſulem M. Atilium Regulum cepiſſet: reſtitutis tantopere in priſtinum ſtatum Carthaginenſium rebus, non longè pòſt in patriam revertitur, optimè rebus ſuis conſulens, ſcilicet ne invidiam propter rem præclarè geſtam experiretur. *Vide Polyb. lib.* 1. *pag.* 54.

XI. Invidia ſanctiſſimum innocentiſſimumq; omnium Philoſophorum Socratem peremit: qui extingui maluit; quàm Lyſiæ oratione incolumis eſſe: cùm diceret: illam gravi viro neutiquam convenire: tanquam ſi quis ei calceos Sicyonis præberet, qui quanquam pedibus apti eſſent; tamen à gravitate ac dignitate viri longè alieni eſſe viderentur. Et cùm mortiferum cicutæ poculum à carnifice accepiſſet: exclamaviſſetq; Xanthippe ejus conjunx, innocentem illum peritum; Quid ergo, inquit Socrates, nocenti mihi mori ſatiùs eſſe duxiſti?

XII. Quid de alijs clariſſimis Athenienſibus loquar? quorum res præclarè domi militiæq; geſtæ non trophæi aut triumphi gloriam attulerunt; ſed miſeri exilij pœnam exhibuerunt. Themiſtocles poſtquam nivali pugna Xerxem vicit: & patriam atq; univerſam Græciam à Barbarorum imperio liberavit: invidiæ ceſſit, & decennali exilio mulctatus extitit. Excuſabant id factũ Athenienſes: dicebantq;, hoc ſe ideo egiſſe: ut animum illius comprimerent: ne gloria ac potentia elatior Themiſtocles popularem æquitatem menſuramq; excederet: permiſeruntq;, ut Timocreon Rhodius Poëta famoſum carmen in illum circumferret; quo illum avaritiæ, injuſtitiæ, improbitatis, violatæ fidei, proditæ hoſpitalitatis criminaretur.

XIII. Ariſtides quoq;, vir virtute, & rerum geſtarum gloria illuſtris, & juſtitiæ merito Iuſtus cognominatus, patria etiam, quam ſervaverat, auxerat, & tanto ſplendore affecerat, ejectus eſt. Et cùm urbem egrederetur; non diras execrationes aut imprecationes in cives effudit: ut apud Tragicos fieri ſolet: ſed manus ad cœlum tendens, Deum Optimum Maximum oravit; Athenienſibus ita in poſterum omnia fauſtè feliciterque ſuccederent: ut Ariſtidis deinceps memoria omnibus excideret. *Franciſc. Patrit. lib.* 5. *de regno, tit.* 11. *pag.* 323.

XIIII. Teſtis ſit Dathames, natione Cares, vir bello ſtrenuus, & animi fortitudine ac roboris corporis eximius: quem Aemilius Probus fortiſſimum conſultiſſimumq; omnium barbarorum Ducum atq; Imperatorum, exceptis duobus Carthaginenſibus, Hamilcare & Hannibale, fuiſſe arbitratur. Hic primùm in militum numero apud Artaxerxem accitus regiam tuebatur. Inde in varijs prælijs habitus athleta ſtrenuus, ab Rege bello Dux præficitur contra Thynum dynaſten Paphlagoniæ: qui ab eo defecerat: quem vivum in bello captum cum uxore & liberis ad Regem duxit, quaſi ferum aliquod animal. Qua ex re laudem ac munera opulentiſſima à Rege conſecutus eſt. Paulò verò pòſt univerſo exercitui præfectus eſt: quod munus magna cum laude ac dignitate geſſit: ſummamque Regis benevolentiam adeptus eſt. Sed Principes, qui circa Regem erant, Dathamem tanta ſimultate atq; odio proſecuti ſunt: ut primò eum in fugam, timore falſæ ſimulationis, deinde in voluntariam mortem compulerint. Nec parvam ex illius interitu jacturam fecit Axtaxerxes. Nam

qui per Dathamen magna facinora gesserat: omnibusq; formidini erat: sine eo nihil laude dignum deinceps egit: & contemptui ludibrioq; gentibus omnibus tandem habitus, nullam victoriæ laudem unquam attigit. *Idem lib. 8. tit. 11. pag. 526.*

XV. Nemo è vobis excellat, dicebant Ephesij: & si excelluerit, exul esto. Erat inter eos Hermodorus, vir peregregius: qui cùm doctrina ac probitate præstaret, patria ejectus est. Sed admirantibus quibusdam ac rogantibus, cur ejusmodi virum ejecissent: respondebant, nihil aliud causæ esse: nisi quòd virtute & moribus nimis reliquos concives suos anteiret. *Idem lib. 6. de Rep. tit. 5. pag. 285.*

# CCXXCVI.

*INvidia non modò plerosq; viros clarissimos pessumdat: verùm civitatum nonnunquam statum evertit: & urbes ipsas diruit. Francisc. Patrit. lib. 6. de Rep. tit. 5. pag. 285.*

Præclara de invidia fabulantur Poëtæ: cùm asserunt, pestem illam apud inferos serpentibus vesci: & hydris recreari: ut ostendant, invidos venenum deglutire: venenumq; evomere. Aliena enim felicitas invidis toxicum est: nec lætari ulla ex parte possunt: nisi suo veneno alios inficiant. *Idem pag. 286.*

## EXEMPLA.

I. Quæ pestis magis exhausit Athenienſium Rempublicam, quàm invidia?

II. Thebani nullum turpitudinis genus, invidiæ stimulis conciti, reliquerunt: & in seipsos igne ferroq; grassati sunt. *Idem ibidem.*

# CCXXCVII.

*INvidi plerunq; solent animis alienari ab iis, quibus invident: postea vias & occasiones omnes quærere nocendi eis, & successibus eorũ remoras inijciendi:*

*deniq;*

*deniq; loco pellere: si non prorsus evertere eos possint. Pezel. in Genes. cap. 26. pag. 484.*

## EXEMPLVM.

Abimelech mutata pristina benevolentia (est enim favor aulicus res planè inconstans & mutabilis) odisse Isaacum incipit. Cæteri puteos paternos ei obturant: & de novis puteis subinde cum eo contendunt: postremò etiam hospitio cum fraudant: & jubet eum Rex discedere ex sua ditione. Vt igitur isti nec Isaaco permittunt, nec sibi usurpant puteos, quos rudentibus injectis obstruunt: sic invidi re ac facto probant illud: Nec mihi, nec tibi. Similes cani Aesopico, jacenti in præsepi, & fœnum neque comedenti, neq; equis & bobus permittenti. *Idem ibidem.*

# CCXXCVIII.

*PLerunq; ex contentione & inimicitia adversantium res piorum crescunt & propagantur:* & pro puteis rixarum & contentionum dantur tandem putei dilatationis & tranquillitatis: nimirū, ut *indies res piorum dilatentur, & proficiant in melius. Pezel. in Gen. cap. 26. pag. 486.*

Je mehr Neider/je mehr Glück/Germani dicunt.

## EXEMPLVM.

Isaac remotior factus ab improbis & rixosis pastoribus, novum puteum reperit: cujus nomen vocat Rechaboth, id est, latitudines: eoq; nomine gratias DEO agit: quod liberatus à malis hominibus, per ipsius gratiam copia aquarum nunc abundet. *Idem ibidem.*

# CCXXCIX.

*QVando homines propriis consiliis fatales calamitates vincere conantur: nec volunt cedere*

*Deo: sed sine vocatione & necessariis causis tumultuari pergunt: cumulant tantùm calamitates & sibi & aliis.*

*In pœnis furor est summa pœna, & auget calamitates. Strigel. 2. Reg. 25.*

## EXEMPLA.

I. Cato Vticensis defendens Pompeij causam, amissis tot exercitibus, non movetur tamen, ut arma deponat; sed pergit, donec ad desperationem adductus seipsum interficit.

II. Ieremias dissuasit migrationem Iudæorum in Aegyptum: tanta tamen fuit populi rabies: ut inter sese dimicarent: & contra mandatum DEI, quod eis Ieremias exposuit, in Aegyptum migrarent: ubi, partim fame, partim crudelitate Regum Aegyptiorum perierunt. *Strigel. ut suprà.*

# CCXC.

*ITa fieri solet: quando punire Deus vult: tum plerunq; ex levibus initiis, ingẽtes calamitates texit. Initia magnarum calamitatum plerunq; sunt levia, & penè ridicula.* Es gehet gemeiniglich also zu. *Peuc. in lect. Chron. die 4. Iulij, Anno 1573.*

## EXEMPLA.

I. Belli inter Spartanos & Thebanos initia, occasiones & causæ sanè fuerunt leves, admodum ridiculæ & nullius momenti: in quo bello pugnatum fuit ad Leuctra: & Spartani victi amiserunt Imperium. *Vide Peucerum ibidem. & Philippum lib. 2. Chron. pag. 80.*

II. Ita regnum Bosniæ ridicula occasione in potestatem Turcarum venit: *quæ de re vide suprà Reg.* CCI.

*Plerunq;*

# CCXCI.

*PLeruncq; pernicioſæ ſunt Rebuspublicis legum & religionum mutationes: nec ſuſcipiuntur ſine magnis motibus.*

*Difficile eſt aliquid admittere contra communem conſuetudinem, quamvis recẽtium temporum.* *Philip. lib. 2. Epiſt. per Peucer. ed. pag. 5.*

*Quemadmodum in ædificio ruunt omnia, uno aliquo tigno exempto: ſic unius legis mutatio ruinam trahit omnium: qua ex re neceſſe eſt infinitos motus exiſtere. Quare omnes magni Viri & periti Reipublicæ gerendæ clamitant: omnem legum mutationem prohibendã eſſe, quantumvis habeãt incommodi: quia ſemper mutatio Reipublicæ plus affert mali.* *Idem in Commentariis in aliquot libros Ariſtotelis, Anno 1530.*

*Ut ſine valetudinis jactura nemo victus rationẽ mutat: ita nec leges ſine publica perturbatione mutantur. Nec ad civitatum ocium, & ad concordiam ſtabiliendam quicquã perinde conducit, atq; veterũ legum morumq; conſervatio:* quod cùm urbiũ exempla paſſim teſtãtur: tum monet aureus veteris Poëtæ verſiculus:

*Moribus antiquis res ſtat Romana virisq;.*

*Idem Philip. in orat. de Legib. Tom. 1. Declam. pag. 185.*

*Nullum venenum nocentius Reipublicæ exi-*

*ſtimemus:*

*ſtimemus: quàm receptorum morum mutationem: quæ in vulgo licentiam, audaciam, contemptum imperij, deniq; nihil non earum peſtium, quæ civitatib. exitio eſſe ſolent, pariunt.* *Idem Tom. cod. pag. 584. in Orat. de Veſtitu.*

*Plurimùm augentur Rerumpub. difficultates: ſi mutationes, aut diſſidia publica incidant: qualeſcunq; mutationes illæ ſint. Nam bonæ etiam & ſalutares, quòd novum aliquid, atq; inſuetum introducunt, ideo turbant rationes, & conſilia gubernatorum: labefactant legum utrarumq;, veterum & recentium, autoritatem: pariunt diſcordias, divulſis conjunctiſſimorum hominum animis: languefaciũt in iis, qui præſident, curam ac ſtudium Rerumpub. in ſubditis acuunt & confirmant licentiam peccandi, petulantiam obtrectandi, audaciam adverſandi legitimo magiſtratui. Deteriora ſequuntur mutationes non ſalutares:* de quibus Xenophonteum illud veriſſimum eſt: πᾶσαι πολιτειῶν μεταβολαὶ θανατηφόροι. *Tom. 6. Intimat. V Viteberg. B. 6. ſub Anno 1563.*

*Inter præcepta vitæ politicæ, quæ vetuſtas gravi autoritate tradidit, hoc quoq; ſæpè repetitum eſt: Nõ temerè mutãdas eſſe veteres leges. Deniq; omni tempore omnes ſapientes gubernatores, quãto potuerunt*

*ſtudio,*

*studio caverunt non necessarias mutationes Legũ & Rerumpub. ac jubent aliqua parva incommoda cõdonari consuetudini: ne mota Repub. ut ægro corpore, majora mala accidant: & cum Platone, ut deliri patris, sic desipientis patriæ mores tolerãdos esse monẽt.* Quia experientia docet, verè dictum esse à Xenophonte: *Omnes Rerumpubl. mutationes adferunt cædes:* tantoq; magis, quantò majora accendunt dissidia publica: in quib. ferè profert & effert sese petulantia & improbitas leviũ & malorũ ingeniorum. ὧν γὰρ ἂν χρόσοσιν ἐπὶ μακρὸν ἐμμένσε τιμᾶς. *Etiam optimo consilio institutæ, multumq; ac sapienter deliberatæ, & providè cautèq; susceptæ, denique cum manifesta utilitate publica conjunctæ, consensuque publico receptæ atq; approbatæ mutationes, periculosæ sunt: & interdum detrimenta afferre solent: quæ longo vix tempore sarciri ac sanari possunt.* *Peucer. in præfat. in Tom. 2. Oper. Philip.*

*Verè divina res est Rerumpub. constitutio, legumq; seu emendatio, seu mutatio in melius: quæ nisi regatur divinitus: nec procedit, nec evenit feliciter. Quod cùm sapiens antiquitas agnoverit; prudenter cavit mutationes omnes. Et sæpe inveteratæ consuetudinis vicia, si nõ prorsus essent enormia, sapienter tulit ac dissimulavit: sicut nævos corporũ: qui sine deformitate multò majore elui vel expungi nequeũt.* *In Chron. Philippi lib. 4. pag. 438.*

*Quando contingunt mutationes politiæ aut religionis: multa accidunt inconvenientia, propter novitatẽ legum, & hominum dissimilitudinem: quisq; gaudet pro suo arbitrio instituere reformationes.* *Philip. in Postilla per Pezelium edita, part. 1. pag. 661.*

*Etsi mutationes interdum bono consilio susceptæ salutares sunt, & aliquid commodi afferunt: in præsentia tamẽ ferè incommoda, quæ paulò pòst sequuntur, majora sunt commodis. In præsentia interdum videntur mutationes blandiri hominibus: & pollicentur majorem tranquillitatem: sed tamẽ diuturna talia cõmoda nõ sunt. Ideo omnes sapiẽtes omni tempore prohibuerũt fieri mutationes in Rebuspub. prohibuerunt emendationes institui etiam inveteratorum viciorum: propterea quòd mutationes semper aliquam pariant inclinationem: si non trahant ruinam præsentis status universam.* Hinc Plato suadet vitia politiarũ inveterata tolerare, sicut errata parentũ senio aut morbo delirantium. *Peuc. in lect. Chr. d. 14. Ian. An. 1570.*

*Omni tẽpore Viri politici senserunt, aliqua parva incommoda condonanda esse consuetudini: ne mota Republica majora mala accidant.* Wie denn geschicht. *Ita Reipublicæ errata toleranda esse: ne præbeatur occasio periculis aut seditionibus novæ mutationes.* *Idem 4. Id. Quintil. An. 1572.*

Non

*Non est dubium, violationem legum veterum, consuetudinis, religionum, semper esse perniciosam: semper conjunctam, si non cum periculo, tamen cum insigni incommodo & detrimento.* *Idem 30. Augusti, Anno eod.*

*Nihil ferè exitu perniciosius est legum novitate. Eoqué majus periculum imminet: si leges, quibus stat Respublica, mutari aut moveri contigerit.* Nam leges quæ servitutum ac testamentorum jura continent, quæque de rebus rationibusq; contrahendis feruntur, interdum mutari convenit, ut melioribus locus sit. Sed *qui leges, quæ ad statum Reipublicæ pertinēt, mutare salvâ Republica conatur: perinde facit, ut ij: qui ædium altissimarum substructiones & fundamenta renovare se posse putant salvis ædibus: quæ nisi ruāt: plus tamen ipsa concussio domus incommodi, quàm nova materia utilitatis est allatura: eoqué magis, cùm civitas quasi vetus & caduca domus, diutissimè stetit in eodem statu. Est enim ab antiquis accepta, & posteritati diu probata civitatum conservandarū disciplina: scilicet, in ea Repub. quæ diutissimè floruit eodē statu, quantacunq; utilitatis species appareat in sperata cōversione, nihil esse mutādum.* *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 3. pag. 665.*

Multa extant in hanc sententiam sapienter dicta & præcepta graviter. Celebratum est multorū scriptis vetus illud:

τὸ κακὸν εὖ κεῖσθαι μὴ κινεῖν κάκον. Cui versiculus Phocylidis congruit: μὴ κίνει καμάριναν, ἀκίνητον γὰρ ἀμείνων: Non moveas Camarinam, quia melius est non movere. Et Menandro est: νόμιζε τοῖς ἐγχωρίοις ἕπεσθαι καλόν. *Peucer. in præfat. in Tom. 2. Oper. Philippi.*

Facile est, inquit Pindarus, cuivis mutare civitatis statũ: sed commotum turbatũvé sedare & in tranquillum restituere, solius Dei opus est. Et apud Thucyd. Alcibiades censet: τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέσατα τὰ τότε ἐνόμιζεν, εἰ ἄρα τοῖς παροῦσιν ἤθεσι καὶ νόμοις ἦν τι χεῖρον ἢ κρεῖσσον διαφόρως πολιτεύωσι. *In Chron. Phil. lib. 4. pag. 38.*

Verum est illud Platonis: Veteres leges mutare, perinde esse, ac Hydræ capita præcidere. *Philip. in Comment. in aliquot libros Aristot. Anno 1530.*

Proverb. 22. Ne transferas limites, quos statuerunt pátres tui: Id est, ne mutes leges: quas vetustas gravi autoritate tradidit.

Ecclesiast. 10. Qui diruit sepem, mordetur à colubro: Id est, qui mutat leges, & præsentem Reipub. statum: opprimetur ab hominibus sceleratis, quibus laxavit frenos. Vel: qui veterem formam Reipub. convellit & labefactat: is accersit sibi exitium. Sicut enim serpentes penetrãt in hortum, rupto pariete: ita conceditur improbis licentia grassandi in Rebuspub. postquam autoritas legum novo exemplo labefactata est. *Strigel. Eccles. 10.*

Ibidem: Qui transfert lapides, affligetur ab eis. Transferre lapides, est mutare leges & formam Reipub. Talis ergo exercebitur magnis periculis.

Thucydides: Tutissimæ sunt Respub. quæ quàm minimum mutant in legib. veteribus: etiamsi habẽt aliquid vicij.

Herodotus dicit, insanire eos, qui leges patrias & mores contemnunt: quia naturâ ita amemus instituta patriæ: ut si omnibus hominibus facultas sit eligendi: unumquenque tamen optimas leges electurum esse patriæ.

Vlpianus: In rebus novis constituendis evidens debet esse ratio.

EXEM-

# EXEMPLA.

I. Solon cùm videret, quantis cum periculis mutatio legum & status Reipub. conjuncta esset: adegit Senatum ad juramentum: quo pollicebatur, sanctè se servaturum esse leges à Solone latas. *Plutarch. in Vita Solonis.* Hanc legem amplexa Venetorum Respublica inviolabiliter tuetur: cùm ne ad Senatum quidem de Republica, inconsulto Sapientum collegio, ferre liceat. *Ioh. Bodin. lib. 4. de Rep. cap. 3. pag. 666.*

II. Lycurgus obstrinxit sibi cives juramento; ne mutarent leges usque ad suum reditum.

III. Polybius disputat de causis, cur urbs Carthago toties victa & tandem oppressa & deleta sit à Romanis; cùm contrà urbs Romana creverit. Causam transfert in studium diversum populi utriusque: quòd eo tempore multò negligentiùs Carthaginenses quàm antea, Romani multò diligentiùs conati sint tueri & defendere leges patrias. *Peucer. in lect. Chr. d. 30. Aug. An. 1572.*

IIII. Recitat Demosthenes *in Oratione contra Timocratem* legem, quæ fuit apud Locrios. Vt si quis novam legem laturus esset, suaderet eam publicè collo in laqueum inserto; ut si non placuisset lex, cives mox strangularent autorem. Hinc intra ducentos annos legem apud Locrenses novam nullam latam fuisse: nisi cùm aliquando quidam habens duos oculos minitaretur unicum habenti oculum, se illi cum effossurum: ibi latam legem, ut ei, qui unicum habenti oculum effodisset, ambo eruerentur. *Idem ibidem: & in præfat. in Tom. 2. Operum Philippi. Vide Ioh. Bodinum lib. 4. de Rep. cap. 3. pag. 666.*

V. Persarum consuetudo erat: ut si quis de rebus obscuris ambiguisq; consilium Regi dare vellet, super aureo latere staret: atq; si bona salubriaq; in medium consuluisse videretur: latere in consilij præmium accepto discederet. Nihilominus tamen flagris cædebatur: si contrarium Regi dixisset. *Aelian. lib. 14. de Varia historia.*

VI. Hæc sapientia Ethnica olim etiam movit prudentes Viros, & in Romano Imperio: ut tam diu pertinaciter adversarentur religioni Christianæ, & tuerentur sua idola. *Peucer in lect. Chron. d. 14. Ianuar. An. 1570.*

VII. Plurima extant in hanc sententiam præcepta summorum Virorum: quæ aliàs recitavimus. Nunc testimonio Ducis Saxoniæ Friderici contenti erimus: qui si quis alius, Vir fuit Reipub. in toga gerendæ scientissimus: nec tantùm in administratione domestica versatus: sed jactatus in maximis & periculosissimis negociis totius Imperij Germanici. Hujus autoritas plurimùm valere apud nos debet, tum propter singularem ingenij divinitatem, qua præditus fuit: tum propter longum rerum usum. Itaq; quoties ad hunc deferebatur exemplum: quod mutationem aliquam allaturum videretur: pertinacissimè adversabatur, subjiciens rationem his verbis: **Es mächt bewegung.** Hac voce significabat, summa cum providendum esse his, qui tenent Respublicas, ne fererentur ullæ occasiones aut causæ motuum. *Semel excitati tumultus, postea multis seculis non consistescunt. Philippus in Commentariis in aliquot libros Aristotelis, Anno 1530.*

## CCXCII.

*MVtatio magistratuum ⁓ nihil boni adfert Reipublicæ: sed potiùs detrimentum ⁓. Nullus enim est ad magistratū novè adscitus: quin semper aliquid apportet novi: cui non displiceat aliquid ex stylo majorum, quantumvis recepto. Sic turbatur ordo judicandi, leges fori.* Petr. Gregor. Tolos. lib. 4. de Repub. cap. 5. pag. 183.

## CCXCIII.

*PEriodus fortunæ humanæ hæc est: ex successibus felicibus homines fiunt securi: ex securis insolentes & superbi: superbiam sequitur ruina ⁓. Quare vel evertuntur prorsus: vel ad agnitionem suæ infirmitatis redeunt.*

### Declaratio Regulæ.

*Tres sunt gradus fortunæ humanæ.*

*I. Securitas* orta ex felicibus & prosperis successibus: quę efficit homines negligentiores & minùs circumspectos. Securus igitur primùm obliviscitur Dei: non seriò Deum invocat: preces fundit languidiores: extinguitur cogitatio de auxilio divino: & inducitur animis persuasio de perpetuò duratura felicitate. Deinde obliviscitur suæ infirmitatis, quis sit, quis fuerit, quomodo ad illud fastigium ascenderit. De

hac

hac ſecuritate loquuntur multa dicta Veterum. Moyſes in Exodo de populo Iſraël delabente ad Idolatriam inquit: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ludere. Item: Luxuriāt animi rebus plerunq; ſecundis. Et in veteri Mimo: Fortuna quos nimiùm fovet, ſtultos facit: id eſt, immemores ſuæ ſortis & conditionis. Et proverbium Germanicum eſt: **Es müſſen ſtarcke Beine ſein / die da gutte Tage ertragen können.**

*II. Superbia*, quæ oritur ex ſecuritate: & eſt, cùm extincto timore Dei homines incipiunt ſeipſos admirari: & confidere propriis viribus: & fiducia propriæ potentiæ multa non neceſſaria extra vocationem aggredi: aut majora viribus tentare: ſicut dicitur in proverbio: **Wenn dem Eſel zu wol iſt / ſo gehet er auffs Eyß tantzen.** Accedunt ad inſolentiam alia cognata vicia, iracundia, moroſitas, crudelitas.

*III. Everſio*, quę proximè ſequitur ſuperbiam: ſicut dicitur in proverbio: *Cùm venit ſuperbia, venit ignominia* —: id eſt, everſio & ruina. Item: Tolluntur in altum: Vt lapſu graviore ruant. Et in Tragœdia Senecę recitantur dulciſſimi Verſus:

*Dominare tumidus: ſpiritus altos gere —:*
*Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.*

Vetuſtas Ethnica nominavit hunc ordinem divinum, punientem ſuperbiam & inſolentiam, ἀδρασίαν: ſumpto vocabulo ab α privativa particula, &, διδράσκω, id eſt, fugio: quia *pœna ſuperbiæ eſt inevitabilis*. Exemplo ſunt Saul, Nabochodonoſor, Crœſus, Pauſanias, Pompejus, Iulius Cæſar, Alexander Magnus, Ajax, Sennacherib, &c.

*Germanici Rhythmi ſunt, qui idem dicunt:*

**Gut macht Mutt/**
**Mutt macht Vbermutt/**

## Vbermutt macht Stoltz/
## Stoltz macht Armutt/
## Armutt macht Demutt/
## Demutt machts wider Gutt.

*De his gradibus & periodo fortunæ humanæ, Philip. Tom. 2. Oper. pag. 431. in enarratione loci 2 cap. 4. Daniel. ita disserit:*

Textus ostendit, peccata Regis Nabuchodonosoris fuisse securitatem & superbiam: quę ambo sunt arcana, & multorum Sanctorum peccata: & faciliùs obrepunt in rebus secundis, ac præcipuè excellentibus Viris: qui habent admirabiles successus, ingentem gloriā, magna Dei dona. His commodis cùm delectatur animus, nec sentit significationes irę Dei: paulatim extinguitur timor irę & judicij divini: incipit animus immodicè mirari & amare hæc bona: & obliviscitur Dei: nec cogitat, successus illos à Deo esse: sed intuetur suam sapientiam, suas virtutes, suam potentiam. Harum rerum ope judicat se tantas res gerere & efficere: & confidit, similes se perpetuò gesturum esse. Confidit se munitum esse his præsidiis contra omnes fortunæ casus: sicut Pompejus dicebat, se suppIosione pedis Italiam totam completurum esse exercitu. Et Timotheus Dux Athenienſis in concione dixit: Hoc ego feci, non fortuna. Post eam vocem scribunt ei postea nihil successisse. Porrò elatus animus illa fiducia sui, quòd per sese res magnas efficiat, quòd sua sapientia sit munitus adversus omnes casus, incipit alios homines contemnere: sese amat & admiratur: sibi permittit licentiam multorum scelerum: vult coli & magnifieri: & fit asper non colentibus. Exempla illustria conspiciuntur in Alexandro, Pompeio & Cæsare. Existimant sua sapientia, sua virtute & potentia, tot victorias partas esse: & se invictos esse. Ideo contemnũt

cæteros: sibi permittunt licentiam: & ruunt in varia scelera. Volunt coli, nequaquam familiari consvetudine. Sic etiam Sanctis obrepit negligētia, ut Samsoni & Davidi: quia David in præsentia non sentit significationes iræ Dei: minùs timet judicium: & obsequitur illecebris voluptatum. *Plerunq; autem in magnis Viris securitatem comitatur superbia:* id est, fiducia propriæ sapientiæ, justitiæ, potentiæ, oblivio Dei: postea accedunt iracundia, crudelitas, & alia vicia. Cùm autem Deus præcipuè superbiam, id est, fiduciam propriæ virtutis, horribiliter puniat: exempla omnium historiarum continent tristissimos casus magnorū Virorum, ut Saulis, Herculis, Thesei, Miltiadæ, Themistoclis, Pompeij, Cæsaris, &c. Et apud Euripidem inquit Oedipus: Ego qui excellui omnes Reges sapiētia, nunc quid sum, nisi evanescens umbra, vel cadaver, vel volatile somnium? Hæc est magni Regis vox, ex summo gradu detracti in acerbissimas calamitates. Talis fuit imago Davidis in seditione: cùm ipse cogitaret, quanti sceleris pœnas daret. Talis fuit imago hujus Babylonici Regis: qui non solùm fit furiosus: sed, ut insania sit celebratior, vagatur inter bestias. In hac calamitate non solùm amisit regnum & autoritatem, sed, quod multò plus est, mentem etiam. Consideremus igitur, quale sit ejus peccatū: ut discamus timere Deum: & non alere securitatem & superbiam: quæ pariunt multa alia peccata & pœnas: sicut scriptum est Exod. 32. Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Item 1. Thess. 5. Cùm dixerint: Pax & securitas, &c.

*De ijsdem Peucerus in lectione Chronicorum, Cal. Aug. Anno 1573. sic docuit:*

*Mutationem Virtutis sequitur inclinatio fortunæ, & hanc interitus, qui præcipuè est tragicus.*

*Et causa est: quòd vix ulli in rebus secundis sunt moderati. Pleriq; elati successibus insolescunt: feruntur extra metas: indulgent ambitioni & cupiditatibus: & his impulsi suscipiunt & movent nõ necessaria, aut majora viribus: quibus tandem opprimũtur.* Secundas res decet superbia, sagt der Comicus. Et postea Seneca: Sequitur superbos ultor à tergo Deus. *Plerunqué res secundas comitatur securitas & superbia.* Suntq; hæc duo magna & arcana delicta, ita devincta inter se: ut nunquam divelli possint: & familiaria magnis Viris. Primus gradus est Securitatis, animus tumens spe perpetuæ felicitatis, obliviscitur Dei, suæ infirmitatis & conditionis, quis sit, & quis fuerit. Ita paulatim extinguitur cognitio de Deo, timor iræ Dei, & consideratio nostræ infirmitatis: & induitur animus persuasione de felicitate perpetuò futura. Hinc mox sequitur individua comes, Superbia. Animus demulcet seipsum: incipit amare & admirari illa dona: ac paulatim provehitur longiùs: ut non cogitet, illos successus esse à Deo: sed tantùm se intuetur, suas virtutes, suam potentiam: his delectatur animus. Ex his animus delabitur in pernicioſiora: Kompt jmer weiter: id est, sibi tribuit ista omnia: quia se tantas res effecisse sua industria judicat: & confidit, hanc fortunã fore perpetuam: ideo concipit ingentes spiritus: & nihil non audet atque aggreditur. Inde erumpunt voces: qualis est Timothei: Hoc ego feci, non fortuna. Qualis Pompeij: qui, suppIosione pedis se totam Italiam militibus posse replere, dicebat. Et qualis est Ajacis vox apud Sophoclem: qui patri, hortanti eum, ut conetur vincere virtute, & id auxiliãte Deo, respondit superbè & stolidè: Ignavis esse opus auxilio divino: se etiam sine Deo quæque perficere posse. Porrò tumẽs

animus

animus hac fiducia, quòd sua sapientia & consilio suo res tantas effecerit: item quòd sua illa fortuna sit munitus adversus omnes casus: tali fiducia tumens animus, non tantùm Dei obliviscitur: sed contemnit etiam præ se alios: vult coli, nequaquam familiari consuetudine: vult consilia sua anteferri: promittit sibi licentiam faciendi quod libet: ruit in omne genus flagitiorum & scelerum: & fiducia sapientiæ, virtutis ac felicitatis, audet majora viribus: quibus tandem evertitur. Et accedunt alia peccata, morositas, asperitas erga amicos, crudelitas etiam. Hæc est revera periodus sapientiæ, virtutis, & felicitatis humanæ: sicut exempla ostendunt, non tantùm Ethnicorum: sed etiam in Ecclesia. Intueamur Samsonis & Davidis: inveniemus similia: qualia acciderunt magnis illis Viris Ethnicis. *Res secundæ pariunt securitatem: quæ obliviscitur DEI & suiipsius:* Das sich einer nicht mehr kennet/man denckt nicht/das er auß m Dreck oder Kott dahin kommen sey. Fortuna quos nimiùm fovet, stultos facit. Et primus ac præcipuus & maximus gradus stultitiæ est oblivisci Dei: non recordari suæ conditionis, quo loco fueris, & ex quo loco ascenderis. Dernach securitatem sequitur φιλαυτία, amor & admiratio sui, & fiducia sui: quæ trahit secum infinitum agmen & chaos reliquorum scelerum. φίλαυτος *sit* ἰδιοθελεύτης: qui sua tantùm consilia præfert: aspernatur aliorum admonitiones: fit pertinax in tuendis suis: asper in consuetudine humanæ vitæ: delectatur assentationibus: fit crudelis, iracundus: sicut Alexander interficit etiam amicos. Deinde animus incenditur injustis cupiditatibus: imò his cupiditatibus extruditur ad res pernicioſas movendas: Da bleibt einer im steckē. *Plerũq; incidũt in acerbas calamitates:* in quibus commonefacti clamant cum Oedipo Euripidæo: Ego qui excellui omnes Reges sapientia, nunc quid sum, nisi

evanescens umbra, vel cadaver, vel volatile somnium? Da folget denn pœnitentia. Harum rerum exempla considerentur in his historiis Ducum Græciæ, quos hactenus recensuimus. Sæpè cogito de fortuna Caroli V. Imperatoris: cujus exemplum simile multa secula non habuerunt: certè parem fortuna ipse neminem habuit. Ipsius fortuna fuit formidabilis cùm aliis Regibus tum ipsi Solymanno Tyranno Turcico: qui fortunæ Caroli cessit, reducto exercitu in Pannoniam, cùm ei processisset obviam. Et scribunt, Ajacem Bassam, Virum sapientem, Legato Gallico, interroganti, cur Solymannus cessisset, respõdisse: Non fuisse consulendum Imperatori tanto: ut periclitaretur fortunam istius juvenis: ut res & Imperiũ totius Asiæ committeret prælio unius diei. In summa, fortuna ejus fuit mirabilis. Et fuit initiò semper moderatus. Franciscus Rex Galliæ dimissus ex custodia Hispanica, domum reversus, extruxit arcem ad ejus formam, in qua captivus detentus fuerat: & in ea curavit depingi historiam suæ captivitatis ad Ticinum: & asscribi jussit: HODIE MIHI, CRAS TIBI. In illa arce hospitio excepit Carolum: ibi Carolus sua manu subscripsit: HOMO SVM, HVMANI NIHIL A ME ALIENVM PVTO. Et revera magna fuit ejus fortuna: propterea Italici pictores pinxerunt eum sedẽtem in sella & dormientem, dum ejus Duces acquirunt victorias: & fortunam dormienti astantem, & pellentem muscas, ne quietem turbarent: volentes significare, Das er ist sehr fortunatus gewesen. Hæc ejus fortuna post bellum Germanicum tota est mutata. Horum exempla mementote. Et ad has regulas accommodate similia in historiis. Vñ mercket des Senecæ dictum in Troade:

*Violenta nemo imperia continuit diu:*
*Moderata durant: quoq; fortuna altiùs*
*Evexit, ac levavit humanas opes:*

Hòc

*Hòc se magis supprimere felicem decet,*
*Varios q; casus tremere, metuentem Deos*
*Nimium faventes. Magna momento obrui*
*Vincendo didici.* Das ist der periodus rerum humanarum. Et conspiciuntur hæ vices rerum evidentiùs in exemplis illustribus. Illi habent admirabiles successus, ingentem gloriam, excellentia dona Dei: idcircò cùm his abutuntur: cùm moderationem non adhibent, quam Deus exigit: ideo perturbati, calamitatis exempla de se illustriora præbent.

*Idem Peucer. in lib. de Divinat. pag. 67. b.*

Nec minima est inconstãtiæ rerum humanarum causa: quòd *vix ulli in rebus secundis sunt moderati.* τικτει γὰρ τοι νέον ὕβριν. *Animi, prosperis & ex sententia succedentibus rebus, opinioneq; & spe duraturæ in perpetuum prosperitatis ac beatitudinis elati, gestiunt, lasciviunt, & luxuriant: suscipiuntq; multa non mandata, neq; ad sese pertinentia, sine necessaria causa: vel manifestis injuriis afficiunt imbecilliores. Parit enim superbia omnis impetus immoderatos: hi ad inferendam aliis injuriam incitãt.* τῆς γὰρ ὕβρεως ἔγγονος ἡ ἀδικία, ut præclarè Plato: hanc è vestigio insequitur νέμεσις δίκης ἄγγελος, id est, conscientiæ lætæ judicium: quod perpetratorum scelerum atrocitatem exaggerans, & ante oculos assiduè versans, quatit, agitat, perterret, lacerat, dementiaque animos afficit. φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πόντα κολούειν, út est apud Herodotum. Et in sacris literis dicitur: Superbis resistit Dominus. Item: Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles.

Nihil est, sicut Vbertus Folieta piè monet, quod animos

nominum ab officio magis abducat: quàm res secundæ, bonaq́; fortuna. Hæc solet animos hominum inflare, spiritusq́; quosdam elationis & arrogantiæ plenos secum afferre. Quæ res facit, ut cùm amplitudo fortunæ nō satis æquis oculis ab omnibus aspici soleat, si ad illam superbiam præterea arrogantiam adjunxerit, intolerabilis res fiat, summoq́; in omnium odio versetur. *Philippus Camerarius in Oper. succis. Centur. 1. cap. 12. pag. 48.*

Die *Imperia* gehen zu boden / wenn man stoltz wird. *Ex superbia oriuntur dissensiones: ex dissensionibus, bella: ex bellis, vastationes. Philip. in Postil. Pez. part. 4. pag. 649.*

## REGVLA
### De successuum felicitate.

*Successus reddunt homines insolentiores.*

*Vix ulli sunt in rebus secundis moderati: & per se etiam in magnis successibus difficile est magnam potentiam moderari, & continere intra metas. Nō quiescit magna potentia eorum —: qui victorijs & successibus acquirunt & adipiscuntur vires: tum per se exercitus non facilè quiescit: & crescit animus Ducibus in prælijs & militibus, ut majora animis spondeant, & immoderatis spebus devorent tota regna & provincias.* Wie man sicht / wenn es einem wolgehet: *tum animo concipit ingentes spes, tanquam jam exploratam habeat victoriam —. Peucer. in lect. Chron. 14. Iun. Anno 72.*

Qui

*Qui propter successus in bellis fit insolentior: aut cogitat se efferre ferocia —: non est diuturnus.* Idem 4. Cal. Quint. 72.

*Homines infatuantur successibus: incipiunt superbire, & insolescere: confidunt sibiipsis. In summa: Nemo fit melior perpetuis successibus. Postea veniunt pœnæ.* Philip. part. 1. Postil. pag. 656.

Perseus habuit clypeum, vel Gorgonem: quo vertit alios in saxa. Et prohibitum est ei, ne aspiceret suum clypeum: id est, non admiraretur suam potentiam & vires. Idem introspiciens in Gorgonem, vertitur in saxum: id est, *post res secundas homines fiunt superbi.* Illa considerarunt homines sapientes, exemplorum assiduitate commonefacti. *Philippus in Locis Manlij, pag. 176.*

Cyrus lib. 8. παιδείας in ultima oratione dicit: Habui successus magnos: sed semper tēperavi mihi, ne fierem insolēs: & ne lætarer evolando: *Nimia lætitia sæpè causa — est magnæ calamitatis.*

*Est multò facilior virtus, patiētia in reb. adversis: quàm moderatio & æquabilitas in rebus secundis.* Fortuna, quem nimiùm fovet, stultum facit. Res secundas decet superbia. Omnes ita magni atq; humiles sumus, ut res se dant nobis. Luxuriant animi rebus plerunque secundis. *Strigel. lib. 1. Ethic. pag. 40.*

Hochmutt pfleget gemeiniglich auff grosses Gutt vnd Reichthumb zu folgen / nach laut des Sprichworts: Gutt macht Mutt. Als bald einem ein wenig Heilerlein zugehen / pfleget jhme auch das Müttlein vnd Dünckel zu wachsen. Das Güttlein macht ein Müttlein. *Mathes. in Syrac. c. 5. p. 24.*

Summæ

Summę levitatis & pusilli etiam ingenij est, pro secundo rerum successu seipsum extollere: quasi fortunam in consilio habuerit: certusq; sit eam nunquam in posterum adversam fore. *Francisc. Patrit. lib. 4. de regno, tit. 18. pag. 286.*

# EXEMPLA.

I. Regulæ hujus exemplum illustre est Themistocles: qui cùm excelluerit sapientia, & Græcos principes celeritate & dexteritate consiliorum antecelluerit: tamen postea fortunæ prosperitate mutavit ingenium & mores: & priorem laudem omnem corrupit & turpitudine vitæ & infelicibus consilijs; & se in periculum adduxit: ut coactus sit desperatione sibimet inferre violentas manus. Illa exempla diligenter consideremus: & non tantùm cogitemus de mutabilitate fortunæ: sed de mutatione sapientiæ & virtutis. Sapientia, quæ in senibus debebat crescere & augeri, languescit & fit minor. Virtus ipsa senescit & mutatur. **Das ist ja zuerbarmen.** Ita cogitemus, omnem sapientiam humanam, virtutem omnem, quæ in senecta debebat crescere, nullam unquam esse felicem sine Deo. *Peucer. in lect. Chron 26. April. An. 72. Strigel. Ps. 73. pag. 7. sic de eodem: Nihil tam fœdum, tamq; flagitiosum cogitari potest: quod non ausint impij in flore omnium rerum perpetrare.* Themistocles post victoriam Salaminiam adeò sibi indulsit: ut aliquando sedens in vehiculo, à quatuor nudis mulieribus in forum traheretur.

II. Athenienses elati magnitudine successuũ, victoriæ & potentiæ, ceperunt insolescere, & movere multa non necessaria bella, admiscere se negotijs multis ad ipsos non pertinentibus; non continebant se intra metas: sed ingentia sibi despondebant ipse perpetuæ fortunæ & perpetuorum successuum. **Das nicht allwege wird von statten gehen.** Illa sunt usitata in genere humano: ut docent exempla omnium pene historiarum. Propter has causas nec durabilis esse, nec considere res Athenienſium potuit. *Penc. in Chron. 14. Iun. An. 72.*

III. Timotheum Athenienſem & Platonis ſocium pinxerunt Athenienſes dormientem, & Fortunam (quia fuit valde fortunatus) ei ea cum ſtantem, & implentem rete. Poſtea verò venit ſemel in concionem, & dixit. Hoc ego feci, & non fortuna. Illis dictis, dixerunt eum ſemper fuiſſe infortunatum. *Philip in Loc. Mant. pag. 176.*

IIII. Quid fuit Alexandro Magno mollius? quid juſtius? quid humanius? ante captam Babylonem. Certè nihil fuit pulchrius in toto regno ipſo Rege Alexandro: cùm adhuc eſſet ſanus, & nondum inflatus fortunæ favore. Sed quidis fuit poſt captam Babylonem, poſt victum Darium, ultimum Regem Perſarum? Fuit verius beſtia, quàm homo: non Rex, ſed tyrannus crudelis. Nam totum ſe dedidit voluptati, libidinibus, belluationibus: voluit ſe adorari tanquam Deum aliquem: noluit ſe appellari filium Philippi, ſed Iovis Hammonij: interfecit Clytum ſenem optime meritum: interfecit Parmenionem & ejus filium: & alia multa crudeliter & turpiter fecit. Videtis in Alexandro exemplum harum Regularum. *Eſt multò fortior virtus, patientia in rebus adverſis; quàm moderatio & æquabilitas in rebus ſecundis. Strigel. lib. 1. Ethic. pag. 39.*

V. In An-

V. In Anglia Thomas Volsæus, Regis sacellanus, lanij filius, sed ingento, prudentia, doctrina, & in rebus agendis industria excellens, summum gratiæ & autoritatis locum apud Regem jamdudum adeptus, Cardinalis & Archiepiscopus Eboracensis, & cedente ei Guilielmo VVaramo, Cancellarius regni à Rege creatur, An. Ch. 1515. Has excellentis ingenij & fortunę dotes, insolentia & superbia fœda inquinabat. Itaq; vetus quidam ipsius familiaris & condiscipulus, renovare cum eo veterem amicitiam, eaq; frui cupiens, cùm superbè ab ipso, negante unquam sibi eum notum fuisse, rejiceretur: discedens, Miseret me, inquit, istius Cardinalis: qui nec seipsum, nec veteres amicos ampiùs novit. *Chytræus in Chronico Saxoniæ lib. 7. pag. 213.*

VI. Scripserat ad Archidamum Philippus, parta victoria ad Chæroneam, superbiùs & asperiùs. Rescripsit itaq; Archidamus hæc inter alia: Si tuam ipsius umbram rectè metiaris: eam unico pilo haud majorem reperies: quam ante victoriam. *Hippolytus à Collib. in Consiliario suo, pag. 228.*

VII. Singulari jactantia in Sertorium usus est Metellus. Paululum enim quippiam in pugna aliquando superior, ita gloriabundus exultavit: ut Imperatorem se appellari permiserit: & serta capiti suo imposuerit; convivia in veste triumphali celebraverit; ac Victoriæ Deæ trophæa erexerit: quibus pro rebus irrisioni omnibus erat: cùm nulla ex parte Sertorio, nec virtute nec rebus gestis, conferri posset.

VIII. Pompejus, Magni Pompeij filius, jactantior etiam habitus est. Nam cùm bis una æstate in re nautica superior emicuisset: se Neptuni filium nuncupari voluit: Imperatorum paludamentum ex purpureo colore in cœruleum mutavit: quali Deum illum amiciri fabulantur. *Francisc. Patrit. lib. 4. de regno, tit. 18. pag. 286.*

# REGVLA

## De Ruina, Superbiæ comite.

*Signum secuturæ ruinæ est insignis insolentia.* *Strigel. Proverb. 16. pag. 78. Et lib. 2. Ethic. Arist. pag. 528.*

*Superbiam comitatur error in consiliis: errorem infelicitas.*

*Superbiam pœna comitatur.* *Philip. lib. 2. Chr. p. 101.*

*Sævitiâ in causa injusta, & fiducia successuũ stolidè ferocientẽ insolentiâ propè comitatur Adrastia.* Dea Vindex Superbiæ nominatur Nemesis & Adrastia. *In Chron. Philip. lib. 5. pag. 557.*

Veteres dixerunt, νέμεσιν *comitem esse Superbiæ.* Et

scriptura testatur, *Superbiam puniri à Deo.* Luc. 16: Quicquid est sublime in mundo: abominatio est coram Deo. Et Petrus inquit: Deus superbis resistit. *Strigel. 1. Samuel. 11. Et lib. 2. Eth. pag. 40.*

*Superbia, quæ sese admiratur & magnifacit propter certas dotes, earumq; fiduciam habet sine timore Dei, & alios homines ex alto despicit, comes est Nemesis divina. Idem 1. Paral. 21.*

*Omnis superbiæ exitus est infelix.* Das ist *universale. Ordinatione divina comitatur vindicta animi elationem & Superbiam. Superbus omnis contemnit & Deum & homines: suscipit & adoritur majora viribus: quibus tandem opprimitur.* Hinc Artabanus hortatur Xerxen ad modestiam: ne fiducia virium & potentiæ suæ insolescat: ne propter regni amplitudinem & exercituum magnitudinem efferatur & superbiat, & contemnat præ se alios: sed sit memor inconstantiæ rerum humanarum, & vindictæ divinæ. *Deum* enim *adversari superbis omnibus: ac punire & deijcere superbos. Eminentia, elata omnia sunt Deo invisa: & puniuntur divinitus.* φιλεῖ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολάζειν. *Solet Deus superba omnia punire. Superbis Deus resistit.* Deposuit potentes de sede, &c. *Peucer. in lect. Chron. die 8. Martij, Anno 1572.*

*Peccatum nullum est: in quo Deus minùs connivcat: quàm in arrogantia: nec quod ei sit intolerabi-*

*lius,*

*liùs, acriusq; & diutiùs plectat.* Id dictum Chilonis Lacedæmonij comprobat: qui interrogatus, quid in cœlo ageret Deus, Alta, inquit, deprimit, & humilia extollit. Maria virgo in suo Cantico illud ad homines applicans, Deus, inquit, exercuit potentiam brachio suo: dispersit superbos cogitatione cordis ipsorum: detraxit potentes de solijs: & exaltauit humiles. AEsopus hoc etiam innuit in suo de testudine Apologo: nimirum nihil esse hominibus modestia salutarius. Hæc dolens & impatienter ferens, quòd semper humi reperet, & cupiens in aëre volare, ut aves, rogavit aquilam, ut se eveheret: quæ primùm id recusavit, de periculo admonens, quòd sine alis volare cuperet: verùm, illius importuna petitione victa, pedibus eam attollit: ac tandem, sive testudo per se volare expeteret, sive lassa esset aquila, nec amplius sustinere illam posset, demittit: quæ delapsa in terram, fracta est: ut doceãtur homines, intra suæ vocationis terminos potiùs sese continere, mediocri sorte, cum benevolentia Dei conjuncta, contentos: quàm cum Dei offensione, ampliorem appetere, & in cœlum conniti, ut Babylonicæ turris ædificatores. Poëtæ, qui fictionum involucris veritatem sæpè complexi sunt, fabulis tum de Icaro, qui cereis pennis altiùs volãs in mare decidit, tum de Phaëthonte, qui cùm Solis currũ & equos regendos suscepisset, fulmine dejectus est, nihil aliud docere voluerunt: quàm *temeritatis & ambitionis exitum esse infelicem*. *Ioh. Spinæus lib. 2. de Tranquillitate animi, pag. 63.*

Maria dicit in Cantico suo: Fecit potentiam in brachio suo, &c. Deposuit potentes de sede, &c. Quomodo dispergit Deus superbos? *Aut punit eos errore consilij, aut infelicitate eventuum. Quando homo fit superbus: tum certò impendent ei pœnæ. Sunt autem duæ sum-*

*mæ pœnæ superborum*. *Una, error in consiliis. Altera, infelicitas eventuum in rebus gerendis.* In consilijs capiendis sæpè sapientissimi errant, ut dicitur: ἁμαρτάνει ὁ σοφὸς σοφώτερος: aut etiamsi consilium est bonum: tamen optimè cogitata pessimè cadunt. Ergo petamus à Deo non tantùm regi eventus: sed etiam consilia: quæ non sunt salutaria: nisi Deo adjuvante. *Strigel. lib. 2. Ethic. pag. 40.*

*Adrastia vel Nemesis non sinit insolentiam abire impunitam*. *Philippus in Cordiali Abrah. Bucholcer. pag. 122. b.*

Superbia ex sex viciis conflata est. 1. Est cœcitas, non agnoscens peccatum & propriam infirmitatem. 2. Securitas carnalis, ut, esse sine timore Dei. 3. Confidere sua sapientia, potentia, aut donis qualibuscunq; sine agnitione & fiducia auxilij divini. 4. Arrogare sibi majorem autoritatẽ, quàm convenit, & extra vocationem erumpere. 5. Invidentia & contemptus aliorum. 6. Impatientia, repugnans voluntati divinæ.

Κόμπος ὕβριν τίκτει: ὕβρις τιμωρίαν. **Hohmut macht Trutz / Trutz bringet Straffe.** Latini vocant injuriã atrocem. Sunt autem duo genera injuriarum apud Græcos: Petulantia est in levioribus: Contumacia in sævioribus. Pertinet huc & Superbia. Hæc omnia complectitur ὕβρις. Est ergo ὕβρις, nullas leges, nulla vincula disciplinę curare.

Diabolus interrogatus in Italia, in quadam muliere obsessa, quodnam esset maximum peccatum, post longum silentium tandem alta voce exclamavit: Superbia. *Peucer. in lect. Chron. Anno 1570.*

*Quamprimum incipiunt homines superbire, & fiunt securi: tum veniunt pœnæ.* Fortuna quem nimiùm fovet, stultum facit. Item: Luxuriant animi rebus plerunq;

secun-

secundis. Virtus est excellens quiddam, & radius divinus: sed extinguitur negligentia & remissione. Syracides inquit: Quo quisq; est major: eò gerat se submissiùs. Hoc dictum Carolus V. sæpè repetivit: & *quamdiu in magnis Viris est modestia: tantisper conjuncta est virtus & sapientia. Mutatis moribus, mutatur etiam fortuna.* Qualis est sententia Mimi: Fortuna vitrea est, cùm splendet, frangitur. *Philip. in Postill. per Pezel. edita, part. 1. pag. 654.*

**Es gehet für vnd für also / wenn man trotzet vnd pochet / so kommen Straffen.** *Idem part. 4. pag. 624.*

*Superbia etiam rectè facta contaminat. Strigel. 1. Paral. 21.*

Plato 4. de Legib. Superbus à Deo deseritur. Desertus autem perturbat omnia: & paulò pòst pœnam superbiæ persolvens, sibijpsi & familiæ & universæ Reip. pestem perniciemq; accersit.

Siracides dicit, & verè dicit: Superbia est invisa Deo & hominibus.

Aesopus interrogatus, quid Deus in cœlo ageret? Respondit: Ille frangit magnas ollas, & ex frustis alias novas componit. Significare voluit, quòd Deus de sede potentes deponat, & humiles exaltet. *Philip. in Locis Manl. pag. 182.*

Proverb. 16: Antecedit calamitatem superbia: & ruina comitatur elationem animi.

## EXEMPLA.

I. Rex Aegyptius circumnavigavit totam terram habitabilem: sicut fuit olim studium Regum inquirere fines terræ, discere doctrinam Cosmographiæ. Ille Rex venit in insulam Thulam: & cùm nihil restaret amplius: fecit finem peregrinationũ; deditq; insulæ nomen Thulæ. Postea rediens in Aegyptum, interrogavit oraculum: Num esset aliquis major ipso. Oraculum reprehendit eum: quòd se extolleret & magnificaret suprà quàm hominem conveniret, ac respondit: πρῶτα θεὸς, μετ' ἔπειτα λόγος, πνεῦμα σὺν ἄνθρωποις. Hoc dictum in historia Regis Thulæ in Suida re-

peritur. Puto esse versum ex Sybillinis, tres personas Divinitatis comprehendentem. Vlteriùs est oraculum locutum: Tu miser homo egredere è templo, & malè peribis. Occisus est igitur statim à suis egrediens. Sic dedit pœnas superbiæ. *Philip. in Loc. Manl. pag. 177.*

II. Pausanias adolescens, eques & Dux Spartanus (qui fuit summus in illa pugna, qua Lacedæmones vicerunt ad Plateas decem millia, plurimosq; trucidarunt) sedet in convivio; in quo unà aderat Simonides: qui existimabatur tunc temporis sapiens esse: sicut & magnus vir fuit. Ille itaq;, fortassis ut derideret Simonidem, dixit ad eum: Simonides, dic aliquid sapienter. Hic nihil aliud respondit, nisi, ὦ Παυσάνια, μέμνησω ἄνθρωπον σε εἶναι. O Pausania, memineris te hominē esse. Ille ipse Pausanias paulò post captus, in carcere necatus est; & mater ipsius primum lapidem ad ostium carceris admovit: ut filius inclusus ibi fame necaretur. *Idem pag 178.*

III. Cùm jam potentia summa esset Antigoni; conjunxerunt se adversus eum cum Ptolemæo & Seleuco Cassander & Lysimachus: quos tamen ita sprevit Antigonus: ut diceret, se dissipaturum esse eos, tanquam agmen avium, quæ Spermologi nominantur. Quanquam autem aliquot magnis prælijs Antigonus vicerat; tamen tandem in acie multis vulnerib. acceptis extinctus est, cùm attigisset annum octogesimum. Hic Antigonus quoq; propter successus prosperos sese & filium Demetrium REGES nominavit, & Diademate regio uti cepit. *Idem lib. 2. Chron. pag. 101.*

IIII. Nicanoris Ducis Syriaci tanta fuit superbia: ut extenso brachio contra templum juraverit: se hoc templum igne deleturum esse. Sed huic Nicanori in acie interfecto, præcidi victor Iudas Macabæus caput & brachia jussit, & suspendi ea ante templum: ut conspiceretur exemplum pœnæ hominis superbi.

V. Arbogastus Dux seditionis contra Theodosium Imperatorem venit Mediolanum: & barbaricè minatus est, se templa mutaturum esse in equorum stabula. Sed vicit Theodosius ingenti prælio seditiosos: quorum alter Arbogastus inclinata acie, in fuga sibi mortem conscivit, velut Saul: alter Eugenius captus jussus est interfici, & legibus pœnas dare.

VI. Sic Nahas Rex Ammonitarum cùm superbè minatus esset, se dextros oculos civibus Iabes effossurum esse, paulò pòst trucidatur: & pœnas superbiæ & crudelitatis graves justasq; persolvit. *Strigel. 1. Samuel. 11.*

VII. Prudentius in Psychomachia superbiæ & humilitatis his versib. de modestia concionatur:

*Desine grande loqui: frangit* DEVS *omne superbum.*
*Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.*
*Discite supercilium deponere: discite cavere*
*Ante pedes foveam, quisquis sublime minatur.*
*Per vulgata viget nostri sententia Christi:*
*Scandere celsa humiles, & adima redire feroces.*

Hanc concionem illustrat exemplo Davidis: qui superbissimum Cyclopem, & convicia evomentem adversus Ecclesiam populi Israël, vicit, & ante oculos prostravit.

*Vidimus horrendum membris, animisq; Goliam*
*Invalida cecidisse manu: puerilis in illum*
*Dextera fundali torsit stridore lapillum:*
*Transjectamq; cavo penetravit vulnere frontem.*

Ille

*Ille minax, rigidus, jactans, truculentus, amarus,*
*Dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,*
*Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras,*
*Experius pueri quid possint ludicra parvi,*
*Succubuit teneris bellator turbidus armis.* Idem 1. Samuel. 17.

VIII. Apud Ovidium *lib. 6. Metamorph.* inquit Niobe:

*Sum felix: quis enim neget hoc? felixq; manebo:*
*Hoc quoq; quis dubitet? tutam me copia fecit:*
*Major sum, quàm cui possit fortuna nocere:*
*Multaq; ut eripiat: multò mihi plura relinquet:*
*Excessêre metum mea jam bona.*

Sed hæc fœmina uno die omnib. liberis orbata, & propter luctum in saxum conversa, re ipsa comperit: vires hominũ longè esse minores divinis: & metuendum esse DEVM: qui vindice dextra haud dubiè humanos properat punire furores. *Idem lib. 7. Ethic. Aristot. pag. 528.*

IX. Cùm Ajax vir heroicus & pręstans à patre discederet in bellum Trojanum: pater discedenti hanc admonitionem subjecit: Mi fili, geras te præclarè, sis fortis, & fac digna nostra familia Aeacidarum, quæ semper fuit fortissima in bellis: sed ita, ut à DEO petas victoriam. Sed patri rectè monenti, ut homo amens, respondit Ajax: Timidis & ignavis opus est auxilio DEI: ego verò sine DEO vincere possum. Quæ verò pœna secuta est hanc superbiam? Ajax cùm superatus esset ab Vlysse in judicio de armis Achillis; adeò impatienter tulit hanc, ut videbatur, injuriam: ut furens ambitione & vindictæ cupiditate sibi necem conscisceret. Hic fuit exitus tanti viri: & fuit justa pœna superbiæ. *Idem lib. 1. Ethic. pag. 309.*

X. Narrat Herod. *lib. 2.* tantam fuisse superbiam Apryis Tyranni Aegyptij: ut dixerit, sibi nec Deorum neq; hominum quenquam regnum eripere posse. Sed hic superbissimus Tyrannus, interfector Ieremiæ, cùm regnallet quinq; & viginti annis, ab Amasi strangulatus & regno exutus est *Id. lib. eod. pag. 419.*

XI. M. Antonius habet medium imperium Romanum: vult habere totum: est superbus: postea fit supplex: & cùm nil impetrat: seipsum interficit. *Philip. in Cordialis Abrah. Bucholceri, pag. 21. b.*

XII. Philippus Macedo post victoriam ad Cheroneam, passus est sibi sacrificari, ut DEO: & postea statim mortuus est. DEVS punivit illam horribilem impietatem: quòd homo se æquat DEO: quòd vult sibi tribui honores divinos. *Id. in eod pag. 170.*

XIII. Iulius Cæsar cùm sibi censuram vendicaret, hoc est, præfecturam morum: cognomen Patris patriæ (quod ante eum primus Ciceró meruit) statuamq; suam inter Reges locaret: & in curia sede aurea uteretur: divinosq; sibi nonnullos honores fieri pateretur: inexpiabile odium incidit: potissimum cùm eò arrogantiæ venisset: ut, quæ loquerctur, pro legibus haberi vellet: nec adeuntes se (etiam universum Senatum) honore dignaretur ullo, assurgere contemnens. Quæ res invidiam sibi maximam movit. Cùm etiam accederet rumor, regio nomine se oblectari: licet se Cæsarem, non Regem esse, plerisq; asscntatoribus responderit: quia tamen aliqui migraturum omnibus cum divitijs aut Alexandriam, aut Ilium, cùm Parthorum se regnum Imperio adijcere significaret, clàm incusabant: maturata est dudum in eum concepta conspiratio, per sexaginta conjuratores: quorum principes C. Cassius, M. Brutus, & Decius Bru-

tus fuerunt. Hi Idibus Martijs Cæsarem in curia (licet & ab aruspice Spurinna, & Artemidoro, pluribusq; prodigiis admonitus esset) viginti tribus vulneribus interfecerunt, anno ætatis suæ sexto & quinquagesimo. *Cuspin. in Vita C. Iulij Cæsaris, pag. 5.*

XIIII. Bellerophon fuit Corinthius, filius Glauci: qui fuit Rex vel Dominus Corinthi; quæ olim dicta fuit Ephyra. Fuit vir præstans robore corporis & animi. Dictus est Bellerophontes: quasi dicas, galeatus interfector. Cùm à Præto Argivorum Rege exceptus esset hospitio; uxor Præti amore ejus capta, solicitavit eum ad stuprũ: & repulsa ab eo, accusavit innocentem apud maritum; qui cùm domi suæ eum interficere nollet, propter jus hospitij; quod ab illo tamen violatum esse credebat: misit eum ad socerum in Lyciam, traditis literis; quibus jubebatur interfici. Unde proverbium est, de literis Bellerophontis; quales nos dicimus, literas Uriæ. Sed aliquoties ad difficiles pugnas à Rege Lyciæ ablegatus, cùm semper victor rediisset: postremò ad Chimæram interimendam missus est. Quem laborem etiam, nactus Pegasum equum, feliciter superavit. Ibi superatis periculis omnibus, Rex Lyciæ virtutem ejus admiratus, alteram illi ex filiabus cum regni parte uxorem dedit. Quod cùm audisset Præti conjux, Schenobæa (hoc enim nomen ei fuit) sibijpsi mortem conscivit. Verùm Bellerophontes felici rerum successu elatus, cùm in cœlum evolare cum Pegaso conaretur: immisso à Iove œstro, equo excussus est; & fracto tarso, seu pede imo, postea claudus mansit in omni vita. Incidit etiam in Melancoliam. Vagatus est solus in agris, ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans, ut inquit Homerus Pegasum Iupiter transtulit in cœlum, & inter sidera reposuit. Videtis, quomodo misceantur poëticæ phantasiæ: sed tamen subest aliquid historicum: & involutæ sunt res pulcherrimæ. Pegasus significat heroicam fortitudinem & prosperitatem in rebus magnis gerendis. Sed quòd voluit Bellerophon penetrare in cœlum, ut videret, quid ibi rerum Iuppiter ageret, significatur, quòd factus fuerit insolentior; & quòd propterea punitus sit à Deo: sicut Phaëthon & Icarus tentantes ea, quæ erant supra vires humanas, finguntur decidisse ex alto. Et est usitatum dictum, quòd *Adrastia seu Nemesis divina puniat insolentiam.* **Wenn man stoltz wird/ so kommen gewißlich die straffen.** Deus superbis resistit: humilibus dat gratiam.

XV. Alexander occupata Monarchia fit insolens, temulentus, crudelis. Ideo dat pœnas. Fuit ebrius, quando interfecit præstantissimos Duces & consiliarios suos. Ipse tandem ex ebrietate incidit in morbum lethalem. Inter cætera, quæ Hermolaus conjurationis in necem Alexandri autor, pro causa adjecit, illam dixit: Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique ut Deum: Tu Philippum patrem aversaris; & si quis Deorum ante Iovem haberetur, fastidires etiam Iovem. (*Q. Curtius lib. 8.*)

XVI. David in rebus secundis plùs sibi indulget. Ideo punitur.

XVII. Pompejus movet bellum non necessarium. Et vincitur à Iulio Cæsare. Sit igitur omnibus infixum Salomonis dictum: Beatus homo, qui semper timet: id est, qui reprimit insolentiam: coërcet errantes impetus: metuit judicium Dei: nihil sciens ac volens facit contra Dei voluntatem petulanter. *Philip. in Postilla per Pezelium edita, part. 1. pag. 580 & c. Item part. 3 pag. 600. Et part. 2. pag. 906.*

XVIII. Giraldus quidam cujusdam Paulus Aemylius in Franciæ Annalibus meminit. Hic cùm prospera fortuna perpetuò usus, & propterea securus, & felicitate quasi ebrius interrogasset quodam die amicos, domi suæ convivas, num alium se fortunatiorem in Italia cognoscerent, & quid ad perfectam felicitatem sibi deesse putarent? respon-

dit ali-

dit aliquis, ipsi deesse, id quod esset præcipuum, nimirum modestiam & humilitatem ad gratiæ divinæ conservationem: sine qua nulla esset vera neq; constans felicitas; nec iram & judicium DEI ab ipso longè abesse; cùm arrogantia ejus tanta esset. Quod miser ille brevi pòst expertus est. Nam exules, qui ejus opera urbe ejecti fuerant, clàm nocte reversi, eum cum uxore & liberis comprehensum, & in turrim conjectum, coram oculis universi populi Florentini, dolore ac commiseratione tam subitam & insolentem fortunæ conversionem prosequentis, fame necarunt. *Iohan. Spinæus lib. 2. de Tranquill. animi, pag. 63.*

XIX. Nabuchodonosor, qui dicebat: Hæc est illa Babylon, quam ego feci: opprimitur horribili furore: vagatus est instar pecudis. Hanc insaniam præcessit etiam alia insania: cùm erexit statuam: & voluit eam coli.

XX. Hercules ita insanit: ut interficiat conjugem & filios. Hi sunt *heroici furores: qui sunt pœna insolentiæ: quæ existit in magnis virís ex admiratione sua virtutis. Philip. in Post. per Pezel. ed part. 2. pag. 906.*

XXI. Erat Dux quidam VVirtembergensis: qui in omnibus suis actionibus solebat esse vehementior. De hoc dicebat Fridericus Imperator: **Wenn das Ende gut ist/ so ists alles gut.** Ipse Imperator fuit modestus vir: adeò ut etiam ignavus propterea esse videretur. Significabat, finem ostensurum esse: vehementiam illam VVirtembergensi tandem nocituram esse. Sed VVirtembergensis curavit sibi fieri penulam ex crassiore lino, **ein Fränckisch Kleydt oder Kittel**: & jussit addi fimbriam ex lamina aurea: quæ constitit magno precio. Venit in consilium Principum. Interrogatus, quid significaret illa vestis, respondit: **Wenns Ende gut ist/ so ists alles gut.** Ita risit admonitionem Imperatoris. Verùm captus fuit postea in bello: quod ei vaticinatus fuerat Imperator. *Idem part. 3. pag. 620.*

XXII. Refert Herodianus, Plautianum præcipuæ autoritatis pòst Severum & filios ejus Cæsares, superbia ita redditum trucem & horribilem cum supremæ dignitatis insignibus, dum incederet: ut non modò non adiretur à quoquam: sed etiam qui fortuitò occurrebant, ab eo verterent oculos. Quin & anteambulones aliquot, quacunq; iter faceret, denunciabant: ne quis in proximo consistere, neve illum contueri, auderet: sed averterent universi oculos, terramq; despectarent. Postremò autem cùm & ipse tollere Severum & filiũ Antoninum decrevisset, mandato dato de illis occidendis Saturnino: voluit adorari ab illo tanquam Imperator. Verùm statim sensit pœnas divinæ vindictæ: & detectus, confossus est cum sua superbia.

XXIII. Contigit idipsum Amano: qui honoris prærogativa à Rege Assivero donatus, ultrò voluit se adorari: & cùm Mardochæus, qui Iudæus erat, noluisset id agere; machinatus interitum universis Iudæis, in erecta cruce, quam Mardochæo paraverat, suspensus est.

XXIIII. Heliogabalus Romanorum Imperator voluit Senatum inter sacrificandum, quo alios Deos nominare solebant, Heliogabalum ante alios nominare. Verùm tandem ex sua stultitia & fœdis moribus præmium meritum recepit, à militibus, tanquam Imperator fœdissimus, sublatus & necatus. *Pet. Greg. Tolos. lib. 6. de Rep. cap. 12. pag. 342 343.*

XXV. Timotheus, **ein grosser Fürst zu Athen/ und ein Herr des gelehrten Mannes** Isocratis **hat gesaget: Er richte alles durch seine eigene**

Krafft/Stärcke vnt Thugendt/ [illegible] derhalte also viel Siege/vnd neme sehr viel Jnseln vnd Landtschafften ein/nicht ohne gefehr/ oder durchs Glück/ sondern durch seine eigene Geschicklichkeit. Nach dieser Rede aber hat sich das Glück gar mit jhm gewendet/ das er auch in allem seinem Fürnemen hernach kein Glück noch Segen mehr gehabt. *Matthesius in Syrac. cap. 7. pag. 34. b. 35.*

# CCXCV.

*EXperientia satis superq; testatur: ex luxu, delitiis & mollicie, semper nasci superbiam, insolentiam & arrogantiam: quæ vicia mox regna & urbes in manifestam perniciem trahere solent. Philip. Camerar. Centur. 2. Operar. succisiv. cap. 30. pag. 181.*

*Ubi luxus, insolentia, & alia vicia regnare consuevêre: & veluti pro virtutibus habentur: fieri non potest: quin divitiæ & opes prodigaliter consumantur: ex quo egestas oritur: unde varias mutationes sequi necesse est.* Non absq; ratione igitur Appius Claudius, contra Valerium, à Dionysio Halicarnassæo, ita differens, introducitur: Eos, qui ventri & fœdissimis voluptatibus indulgentes, patrimonium suum absumpserunt, dedecus & detrimentum Reipublicæ existimandos esse: & Rempublicam magnum facturam quæstum: si ipsi ultrò ex urbe excedant. *Inprimis autem conviviorum luxuria, & vestium,* ut inquit Seneca, *ægræ civitatis indicia sunt.* Hoc monuit Aristoteles: *Fiunt,* inquit, *in Republica mutationes: cùm homines sua consumunt, prodigè viventes. Hi enim tales res novas quærunt:*

*& aut ipsi tyrannidi imminent: aut ad eã alios vocãt.* Hæc quoque Salustius respexit, ubi ita dicit: Hi, quibus opes nullæ sunt, bonis anvident: malos extollunt: vetera odere: nova exoptant: odio suarum rerum mutare omnia student. *Idem pag. 183. 184.*

*Luxum & voluptates non solùm Reipublicæ, sed etiam ipsismet luxuriosis & voluptuariis, perniciosas esse constat. Idem pag. 185.*

Quomodo luxus & voluptates, aliaq; vicia, florentissimum Imperium Romanum everterint: cùm aliæ querelæ passim leguntur: tum Seneca infelicitatem sui temporis, pluribus locis, præsertim in suis epistolis ad Lucilium, deplorat. Inter alia autem ita monet: Id agere debemus: ut irritamenta viciorum quàm longissimè profugiamus. Indurandus est animus: & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vim Hannibalis hiberna solverunt: & indomitum illum nivibus & alpibus virum, enervaverunt fomenta Campaniæ. Armis vicit: vitijs victus est. Debellandæ sunt imprimis voluptates: quæ sæva quoq; ad se ingenia rapuerunt. *Idem pag. 187. 188.*

## EXEMPLA.

I. Exemplum memorabile habemus in Capua Campaniæ urbe florentissima: quæ cùm insolentis arrogantiæ, proterviæq; vicio laborare cepit: exitium sibijpsi accersivit. Testatur autem M. Tullius, Campanos semper fuisse superbos, bonitate agrorum & fructuum, magnitudine urbis, salubritate & pulchritudine: ex eademq; copia & rerum omnium affluentia natam arrogantiam: quæ alterum urbi Romæ Consulem è Capua postulavit; eamq; luxuriem natam: quæ ipsum Annibalem, armis invictum, voluptate vicit & enervavit, &c. Eleganter igitur appellat Capuam domicilium superbiæ, ac sedem luxuriæ; aitq;, ingenerari hominibus mores, non tam à stirpe generis ac seminis: quàm ex ijs rebus: quæ ab ipsa natura loci, & à vitæ consuetudine suppeditantur: quibus alimur & vivimus. Hic luxus, ex superbia & voluptatibus natus, effecit: ut tandem Capua, illa æmula imperii, à Romanis obsessa, & fame expugnata, Senatu secuti percusso, civibus reliquaq; multitudine sub hasta venditis, urbem

ac agrum omnem publicârint, eamq; everterint: ita ut nunc sparsim nihil nisi ruinæ tantæ insolentiæ & arrogantiæ spectentur.

II. Eundem calamitosum exitum, ob luxum & prosperitatem, experti sunt Sybaritæ. Sybaris enim urbs, teste Strabone, sita fuit ducentis à Crotone stadijs, ab Achæis condita, in medio duorum fluviorum, Crathidis & Sybaridis; conditor ejus Iseliceus. Tanta autem rerum prosperitate urbs ea excelluit: ut quatuor vicinis gentibus imperârit; & viginti quinq; urbes dicto audientes habuerit: & trecenta hominũ millia in bellũ contra Crotoniatas eduxerit; domicilijsq; super Crathidẽ stadia quinquaginta compleverit. Sed luxu Sybaritarum ac petulantia factum est: ut septuaginta dierum spacio, universam eis istam felicitatem Crotoniatæ eriperent. Captam enim urbem, immisso flumine, aquis obruerunt. De Smindyridæ luxu ita Aelianus scribit: Sybarita ille adeò in luxuriam mollitiemq; prolapsus est: ut cùm omnes Sybaritæ delitijs vacarent, vitaq; diffluerent; hic omnes longè post tergum relinqueret. Proinde quodam tempore, in rosarum foliis recumbens, somnumq; in ijs carpens, expergefactus dixit: se pustulas ex nimia lecti duritie inflictas habere, &c. Rectè itaq; Aelianus ibidem dicit: Dictum vulgare & in omnes homines evulgatum ait: Sybaritis & ipsi Sybari nimium luxum exitialem fuisse. Ab hac mollicie & luxu fluxerunt plura proverbia; utpote Sybaritica mensa. Item συβαρίζειν, id est, luxu delitijsq;, Suida teste, adeò notabilem esse; ut quicquid effœminatum, quicquid molle, quicquid accurata & ambitiosa luxuria paratum esset, Sybariticum diceretur. Præterea, Sybaritæ per plateas, contra fastuosiùs ingredientes per viam, seseq; veluti ostentantes. De Sybariticis autem delitijs plura scripsit Plutarchus, Athenæus, Aristophanes, & alij; inprimis autem Lampridius Sybariticum convivium & missus describit: quo Heliogabalus usus sæpenumero fuit; ad quos cupidum lectorem remitto. Paulò pòst, cùm Sybaritæ semper novas voluptates & gulæ irritamenta invenirent: à Crotoniatis devicti, & urbs illa luxuriosa cum suis voluptuarijs eversa est; & quidem eo anno, sicut Lampridius scribit; quo imissum ex oleo & garo reperissent: quem ob id Sybariticum vocabant. Vnde postea aliud proverbium, videlicet, Sybaritica calamitas, ortum est; quando de improvisa & ingenti ruina & calamitate mentio incidit.

III. Colophonijs etiam ipsis ferunt intolerandam luxuriam, perniciem & interitum attulisse. Etenim etiam illi splendidis vestibus superbiebant: & intemperantia mensæ supra modum abutentes, ad injurias contumeliasq; proclives erant.

IIII. Ad hæc Bacchiadarum regnum apud Corinthios cùm ad summum potentiæ gradum pervenisset: tandem per immoderatam luxuriam dissolutum est.

V. Inter alias historias, Mulealsis Regis Tunetarum nota est; qui ungventorum odore in fuga agnitus, captus, & à filio excœcatus fuit. De quo ita scribit Bodinus: Hic Mulealses, cùm ob luxum & intemperantiam de regno dejectus esset: tametsi exul in Italia & Germania vagaretur: ac de opibus Caroli V. Imperatoris, in quo spes omnes collocârat, omnino desperaret; nihilominus ad pavonis unius, quo vescebatur, condimenta, vix aurei nummi centum sufficiebant: ut Iovius scribit. Et ut svavitatem ac dulcedinem, quæ ab harmonia proficiscitur, jucundiùs molliusq; hauriret; oculos velabat: quòd duobus sensibus duplicem voluptatem simul percipi non posse didicisset. Sed non sine ultione divina, ferro candenti oculorum humores sensim exiccante, jussu filiorum obcœcatus est.

VI. Eundem fructum voracitatis & voluptatis sensit Vzuccio Fagiolanus.

Cùm

Cùm enim, teste Lovio, is Lucam, ad Castruccium securi percutiendum, maturaret: illiq; inter prandendum, Pisanos contra eum arma corripuisse, nunciaretur: nihiloq; secius, tanquam primo nuncio parùm credens, uti erat cibi capacissimus, & maximè vorax, per singulas tempestivas ejus convivij dapes, usq; ad bellaria convesci pergeret: eo quidem atrocis animi decreto; ut remotis demum mensis Castruccium captivum securi percuti juberet: atq; inde Pisas ad seditiosos opprimendos properanti agmine reverteretur. Sed cùm a secundis mox tertijsq; nuncijs increbescente fama, Pisis res peditas esse, civitatemq; miro consensu rebellasse, renunciaretur: Lucenses ad tanti exempli nomen, pari studio recuperandæ libertatis, liberandiq; Castruccij, ad arma concitantur: carcerem refringunt: vinctum adhuc compedibus Castruccium educunt: &, quod ejus fato debebatur, Principem civitatis salutant. Vguccio mox, desperatis rebus, cum prætorianorum satellitum manu, ad Canem Scaligerum Veronam aufugit; à quo licet summo honore fuerit receptus; tamen fieri non potuit: quin in sua calamitate nonnunquam mordacibus dictis incesseretur. Vt tum accidit; cùm in convivio Canis de edacibus illato sermone loqueretur; & Vguccio, se juvenem quaternas altiles capos, & totidem perdices, assos etiam hædi clunes, & elixum vitulæ infarctum pectus, præter salsamenta, recta in cœna exedere solitum, narraret: Petrus Navus è convivio, vir salsus, Non est, inquit, Vguccio, cur hæc à te juvene comesta multum admiremur: postquam senex, nec planè dentibus instructus, duas urbes integras uno prandio absumpseris. Erat enim fama, Vguccionem, si ab inchoato prandio temperasset, satis in tempore ad sedanda nascentis tumultus initia, Pisas regredi, & utramq; urbem sibi incolumem servare potuisse.

VII. Memorabilis quoq; & elegans historia extat apud Nicetam Choniatem. Alexius enim Comnenus, Imperator Græcus, in festo Natalis CHRISTI, cupiens Legatis Cæsaris Henrici VI. Friderici I. filij (qui ab eo Ammerigus vocatur) terrorem suo luxu injicere: & à petitione tributi eos deterrere: gemmatam vestem induit: & reliquos omnes auratas & laticlavi vestes induere jussit. Quo spectaculo Alemanni adeò non obstupuerunt: ut eorum cupiditas illo splendore magis etiam inflammaretur; & Græcos ut ignavos homines, & servilibus delitijs deditos, quamprimum oppugnandi occasionem optarent. Cùm autem astantes Romani (ita Græcos appellat) eos hortarentur; ut gemmarum splendorem, quibus Imperator instar prati nitebat, aspicerent: & media bruma veris svavitatem oculis perciperent: negabant Alemannos talia spectacula desiderare: neq; muliebria ornamenta admirari solere: quæ fucis, flammeis, in auribus radiantibus, viris impensè studeant. Cæterùm tempus instare, ajunt: ut, muliebribus ornamentis sepositis, aurum ferro commutent. Nam si legatio foret irrita; nec Imperator Regis sui & Domini postulatis annueret: necesse eos habituros pugnare cum hominibus: qui non gemmis ut prata niteant: neq; rotundis margaritis intumescant: aut amethystis purpuræ & auro intertextis, pavonis instar, glorientur: sed qui Martis alumni iræ flamma oculos suffusi, non secus quàm gemmæ radient; & totos dies sudorem fundant, margaritis splendidiorem. Huc usq; Nicetas.

VIII. Non dissimilem historiam recensет Iustinus historicus. Cùm enim Galli legatos ad Antigonum Regem Macedoniæ misissent: qui sub specie pacis castra ejus specularentur; eos Antigonus pro regali munificentia, ingenti apparatu epularum, ad cœnam invitavit. Sed Galli expositum grande auri argentiq; pondus admirantes,

atq; prædæ uberitate sollicitati, infestiores quàm venerant, revertuntur. Quibus & elephantus, ad terrorem, veluti inusitatas barbaris formas, Rex ostendi jusserat: naves onustas copijs demonstrari: ignarus, quòd quibus ostentatione virium metum se injecere existimabat: eorum animos ut ad opimam prædam sollicitabat. Itaq; legati ad suos reversi, omnia in majus extollentes, opes pariter & negligentiam Regis ostendunt: referta auro & argento castra esse: & neq; vallo fossavé munita: sed quasi satis munimenti in divitijs haberent: ita eos omnia officia militaria intermisisse: prorsus quasi ferri auxilio non indigerent: quoniam abundarent auro. Hac relatione avidæ gentis animi satis ad prædam incitabantur. *Hactenus Philip. Camerar. cap. & pag. suprà citatis.*

# CCXCVI.

*Mutationem fortunæ plerunq; sequitur animi & mentis perturbatio: error in consiliis: pavor & trepidatio in corde: & mutationes voluntatum in animis hominum.*

*Mira res est in illis elatis animis: quòd in subitis consternationibus rapiantur extra se, & animos despondeant: præsertim si antea usi sint fortuna & perpetuis successibus: non possunt enim ferre res adversas.*

*Fortuna inclinante, populorum animi plerunq; labuntur.* *Francisc. Patrit. lib. 1. de Regno tit. 12. pag. 49.*

*Inprimis difficile est sapientibus viris, consulere Principibus & populis, in attrita & adversa fortuna:* es gehet schwer zu: *quia adversa fortuna & calamitates admodum frangunt & perturbant animos hominum, & reddunt intolerabiles: ut facilè offen-*

*dan-*

*dantur & ad iram provocentur.* Animus calamitatib. fractus non est lætus: etiam ferocia adversis casibus frangitur, mutatur & hebescit: wie Sophocles sagt: Non ut vigebat, ita manet mens integra in calamitatem conjectis: sed periculis movetur loco; sicut docent exempla. *Vix ullum vidi etiam ex magnis bellatoribus: quem non adversa fortuna consternârit & admodum terruerit: si non timidiorem reddidit: tamen circumspectiorẽ.* *Peucer. in lect. Chron. die 12. Martij, Anno 1574.*

*Difficile est Principibus & populis consulere post calamitatem: quia calamitatibus & rebus adversis animi redduntur irritabiles: aures difficiles & delicatæ: quæ facilè offenduntur. Si quis errata liberiùs reprehendat: exprobrari sibi suspicantur infortuniũ: si moneantur liberiùs: suspicãtur se contemni.* Talia ac idũt plerũq; in calamitate constitutis. Et sicut partibus exulceratis mel acerbum est, quod tamen sua natura dulce est, dolor exacerbatur in vulneribus melle: ita animus adversis casibus consternatus, veris & prudentibus consilijs & monitis offenditur: & tantò magis offenditur; quantò subjectiones sunt liberiores: si non sunt quadã lenitate, & propemodum ad assentationem composita suavitate & mansuetudine temperatæ. *Idem ibidem.*

*Ji, qui sunt ingentis spiritus, & hujusmodi, ut omnia, quæ optant, sperent: postquam cuncta retrò ferri, & contra animi sententiam evenire experiuntur: ita plerunq; animis concidunt: ut non sit fa-*

cilè

*cile ad æquitatem eos erigere*. *Augerius Busbequius Epist. 4. pag. 272.*

Appianus: οἱ λόγισμοὶ πρὸς τοῦτων ἀτυχημάτων βλάπτονται: Adversis casibus consilia & rationes perturbantur.

Idem: οὐκ ἐθέλουσι οἱ φρόνιμοι τοῖς λόγοις σωφρονεῖν: Non consistit mens & ratio cum magna consternatione.

Sophocles: Neq; enim ictus infortunio, compos manet mentis: licet antea sapuerit vel maximè.

Euripides in Hecuba: In adversis rebus non facile est hominibus bona loqui.

Plutarchus in vita Phocionis mox initiò: Res adversæ morosos semper reddunt multitudinis animos, irritabilesq́;: & qui leviſſimam ob causam iras concipiunt: aures quoque difficiles ac delicatas: & quæ ab omni sermone vehementiori lædantur. Peccata enim increpans aliquis, exprobare infortunium videtur: & liberè si loquatur, contemnere. Et quemadmodum vulneratas & exulceratas corporis partes mel offendit: ita sæpenumerò verus & prudens sermo, nisi admixtam habeat lenitatem & obsequium, mordet & exasperat adversam fortunam expertos. Vtq́; oculus inflammatione laborans, umbrosos & obscuros colores libenter inspectat: splendidos & luminosos aversatur: ita civitas rebus parùm prosperis utens, meticulosior est & delicatior: quàm ut perferre liberi oris sermones possit (cùm quidē hi maximè tum requirantur) quòd correctionem eorum, quæ peccantur, status rerum non admittit. Itaq́; versari eo tempore in Republica, periculosiſſimum est. Nam & qui grata populo loquuntur, unà pereunt: & qui secus faciūt, ab eo perduntur. Quemadmodum igitur Sol, neq; eodem, quo cœlum, motu fertur: neq; prorsus tamen contrario: sed obliquo ac deflexo cursu leniter incuruis circuitionib. convertitur: quibus temperat omnia quàm rectiſſimè & conservat: ita in Republica etiam administranda rectus nimis & ubiq́; populari sententię repugnans tenor, durus est & inhumanus: rursusq́; ad perniciem

proclive

proclive est obsequi per omnia: & unà cum peccantibus abripi se pati. Quæ verò & morem gerit aliquando potentibus, & gratificatur aliquid, gratiamque rursus commodi publici causa reposcere novit, gubernatio hominum, multis rebus placidè atq; utiliter, si non pro imperio omnia exequi cogãtur, subservientium: ea demum ut salutaris, ita & perdifficilis est laboris, gravitatem habens cum mansuetudine conjunctam. Quæ duo si inter se commiscentur: nulla profectò modorum aut sonorum cõcinnior dici potest suaviorq; harmonia. Quo modo etiam Deus temperare mundum dicitur, non cogendo, sed necessitatem obtemperandi persuadendo deliniens.

## EXEMPLA.

I. Pompejus victus in pugna Pharsalica à Cæsare, fugiens in castra se recipit tanta animi consternatione: ut ne fari quidem potuerit. Nihil potuit tunc reperire consilij. Non fuisset ei difficile colligere reliquias exercitus, & castra munire. Habebat enim numerosissimum exercitum: & longè erat viribus superior Cæsare: sed impediebatur pavore. Plutarchus dicit, quòd non meminerit tunc prioris dignitatis suę, & se esse illum Pompejum Magnum.

II. Demetrius Antigoni filius cùm magnis honorib. afficeretur ab Atheniensibus, cùm floreret successibus: postea mutata fortuna, cùm vinceretur à Regibus cæteris, & victus confugeret ad Athenienses urbe excluditur. Plutarchus eo in loco de honoribus, qui offeruntur Regibus, ita inquit: Quòd Reges & Principes de benevolentia erga ipsos multitudinis statuunt ex abundantia honorum sibi oblatorum; levissimum ac ferè vanum sequuntur judicium. Etenim his honoribus, quorum pulchritudo à voluntate eorum, qui offerunt, æstimanda est, fidem metus derogat: cùm ij & metus causa & benevolentiæ decerni possint. Itaq; qui sapiunt; ij non ad statuas, picturas, divinosq; honores, sed ad suas ipsorum actiones respicientes, illis aut ut honoris causa delatis fidunt: aut ut necessitate extortis diffidunt: intelligentes, populum sæpè, tum maximè, cùm honores decernit, odio habere eos: qui nimios honores, & immodicos, idq; ab invitis accipiunt.

III. Perseus ultimus Rex Macedonię, victus à L. Aemylio Paulo Romano Cõsule ad Ridnam Macedoniæ urbem, cùm vivus veniret in manus Consulis: supplex ad Consulis genua provolutus, tantas edidit animi abjecti significationes: ut Consul iratus repulerit eum pedibus. Vicerat antea aliquot prælijs Romanos exercitus: & insolenter victorijs usus fuerat.

IIII. De Francisco Rege Galliæ dicunt: quòd solitus sit ijs, qui post captivitatem eum incitarent ad prælium, dicere: Tu non interfuisti prælio ad Papiam. Semper occurrit exemplum illius infelicis prælij.

V. Et Landgravium etiam scimus post calamitatem concidisse: ut nihil ma-

quis amplius conceperit, ne dum cogitârit, Et similia exempla habetis in historijs. Peucer. ut suprà.

# CCXCVII.

FOrtunæ instabiles sunt vices, & repentinæ commutationes. *Aelian. de varia hist. lib. 4.*

*Res humanæ, quamlibet florentes, facillimè evertuntur, deserente Deo. Contrà, benedicente Deo, res exiguæ magna incrementa accipiunt. Solet enim Deus ex parvis magnos facere: & ex magnis parvos. Ideo in secundis rebus nihil in quenquam superbè aut violenter consulere decet: nec præsenti credere fortunæ: cùm quid vesper ferat, incertum sit.* Strigel. 2. Samuel. 3.

*Fortuna generis humani incerta est & instabilis. Multi accidunt errores in consiliis: quibus præcipitamur in certum & quasi præsentaneum exitium: quia plerũq; errores in cõsiliis sunt causæ proximæ magnarum calamitatũ, movendo non necessaria bella, stulta aliqua persvasione, aut fiducia propriæ potentiæ.* Peucer. in lect. Chron. die 8. Septemb. Anno 1571.

*Scitis ludos fortunæ. Sæpè calamitates irruunt postremò. Immodica fortuna solet habere tragicos exitus:* Es hat zu letzt einen harten stoß/ gehet selten gleich hienaus/ in eodem tono / wenns so hoch angefangen ist. *Philip. in Cord. Abrah. Bucholc. pag. 302.*

Vana

*Vana est salus hominis: quia & voluntas humana Euripo mutabilior est: & vita fugacissima est: & fortuna facilius mutatur, quàm musca, quantumvis celeriter volans.* Strigel. 1. Sam. 2.

*Ingens felicitas nec diuturna est: nec sine aliqua insigni calamitate.* Philip. lib. 3. Chron. pag. 165.

Rectissimè ille apud Livium dicit: Nemini compertum esse, quid serus vesper ferat. *Talis enim status est humanarum rerum: ut innumeris telis fortunæ objectæ sint: adeò ut in rebus prosperis nemo sese efferre, in duris autem & adversis nemo animo prorsus abjecto esse debeat.* Hæc res olim prudentioribus viris magnopere curæ fuit: sicut apud Senecam Tragœdum (in Thyeste) videre licet: cujus admonitio memorabilis est talis:

*Vos quibus Rector maris, atq; terræ,*
*Ius dedit magnum necis, atq; vitæ,*
*Ponite inflatos tumidosq; vultus.*
*Quicquid à vobis minor extimescit:*
*Maior hoc vobis Dominus minatur.*
*Omne sub regno graviore regnum est.*
*Quem dies vidit veniens superbum:*
*Hunc dies vidit fugiens iacentem.*
*Nemo confidat nimiùm secundis:*
*Nemo desperet meliora, lapsus.*
*Miscet hæc illis, prohibetq;, Clotho,*
*Stare fortunam: rotat omne fatum.*
*Nemo tam Divos habuit faventes:*
*Crastinum ut posit sibi polliceri.*
*Res Deus nostras celeri citatas*
*Turbine versat.* Phil. Camerar. Centur. 1. Oper. succis. cap. 12. pag. 44.

Quod vulgò dici ſolet, *nimia felicitate homines majorem hoſtem non habere*, veriſſimum eſt. Ea enim illos effrenatos, ſuiq́ue præſidentes, ad malum audaces, & proprij commodi novis rebus turbandi cupidos facit. *In Hypomneſ. polit. Gvicciard. part. 2. pag. 83.*

Sapienter veteres pictores, ut inſtabilitatem fortunæ oſtenderent, eam in pila ſedentem pingebant: non Deam aliquam, quæ nusquam eſt, ſignificantes: ſed mutationem conditionis humanæ, & varios rerum eventus. *Franciſc. Patrit. lib. 1. de regno, tit. 12. pag. 55.*

Salutaris eſt doctrina Iohannis Sarisberienſis Epiſcopi Carnotenſis: Noverca virtutis, inquit, proſperitas: beatulis ſuis ſic applaudit, ut noceat: & infelici ſucceſſu, ſic in via fortunatis obſequitur: ut in fine perniciem operetur: convivis ſuis ab initio propinans dulcia: & cùm inebriati fuerint: lethale virus miſcet: &, ſi quid deterius eſt, quò ſpecie ſui clareſcit ampliùs: eò ſtupentibus oculis denſiorem infundit caliginem, &c. Quare non ſine ratione Dionyſius Halicarnaſſæus, memor viciſſitudinum rerum humanarum, introducit Minucium ad Marcium, more Ethnico, inter alia ita loquẽtem: Nulli mortalium Dij certam futurorum ſcientiam dederunt: nec poſt homines natos invenias quenquam: cui omnia ex animi ſententia ſucceſſerint: ita ut nulla in re fortuna ei ſit adverſata. Monet itaq́ue rectè Valerius Maximus, caduca & fragilia, puerilibusq́; conſentanea crepundiis eſſe, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt, inquit, ſubitò: repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixæ radicibus conſiſtunt: ſed incertiſſimo fortunæ flatu, huc atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improviſo decurſu deſtitutos, in profundo cladium miſerabiliter immergunt. Itaq́ue neq́; exiſtimari, neq́; dici debent bona, quæ inflictorum malorum amaritudine deſiderium ſuum duplicant, &c. *Philip. Camerar. Centur. 2. Oper. ſucciſiv. cap. 57. pag. 350. 351.*

Quàm parva temporis intervalla homines in excelso fastigio collocant? & eosdem rursus ad extremam miseriam ac calamitatem rediguntʔatq; eos maximè,qui in aulis Principum agunt? Hi enim similes sunt suffragiis: quæ in publicis consiliis dari solent. Nam ut illic pro eorum, qui consulunt, voluntate, quæ modò ænea fuerunt,mox aurea dantur: ita qui regias Principum sequuntur, pro Regis voluntate, nunc beati, mox miseri fiunt. *Polyb. lib. 5. pag. 433.*

Si alicui ex Romanorum Ducibus vel Imperatoribus,ob res feliciter gestas, & hostibus devictis, triumphus à Senatu decretus esset, & is in curru triumphali maxima pompa urbem ingrederetur: eodem curru carnifex minister publicus vehebatur,qui ponè coronam auream (Zonaras lib. 2. annalium) gemmis distinctam sustinēs, eam admonebat,ut respiceret: id est,ut reliquum vitę spacium provideret: nec eo honore elatus superbiret. Appensa quoque erat currui nola & flagellum: quibus notabatur, ipsum in eam calamitatem incidere posse: ut & flagris cæderetur, & capite damnaretur. Nam qui ob facinus supremo supplicio afficiebantur, nolas gestare solebant: ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. *Philip. Camerar. Centur. 1. Oper. succis. cap. 12. pag. 46.*

Prudentissimè dictum est à veteribus: Fortunam cùm blanditur,tunc vel maximè metuendam. Parciùs obsequēti fortunæ potiùs fidendum esse: quàm usquequaque faventi. Transmutat enim incertos honores, nunc mihi, nunc illi benigna. Nulli præstat velox fortuna fidem,inquit Horatius. *Iansonius lib. 5. Mercurij Gallobelgici, pag. 447.*

## EXEMPLA.

I. Lacedæmonij cùm Thebanorum Domini essent: adeò rursus ab illis fuerunt subacti: ut Thebani non solùm in Peloponnesum pervenirent: verùm etiam Eurotam transirent: & Lacedæmoniorum terram devastarent: & propemodum civitatem etiam ipsam cepissent: nisi veritus esset Epaminondas: ne universi Peloponnesij conspiratione facta pro Spartà dimicarent.

II. Dionysius Tyrannus à Carthaginensibus interceptus,cùm nullam spem sa-

lutis restare videret: planè animo consternabatur: & pedum viam meditabatur. Verùm cùm ex familiaribus quidam Hellopidas nomine diceret: O Dionysi, quàm speciosum sepulchrum est ipsa Tyrannis: pudore suffusus animum recepit: & cum paucissimis multa millia superavit: ditionemq; suam ampliorem effecit.

III. Amyntas Macedo, cùm ab accolis finitimisq; Barbaris victus, regnum perdidisset: statuebat apud animum suum, regionem etiam in universum relinquere: tantùm ut vitam salvam & incolumem servare posset. Dum in his anxius ageret; quidam ad eum dictum Hellopidæ protulit. Itaq; occupato illeloco, collectisq; militibus, recuperavit imperium.

IIII. Dion Hipparini filius in exilium missus à Dionysio, cum bis mille militib. eum rursus expugnavit. Ita effecit, ut in quo statu ipse fuisset antea: in eum jam suæ calamitatis autorem detruderet. *Aelian. de Var. hist. lib. 4.*

V. Dionysius Tyrannus Corinthi, multas variasq; vitæ vicissitudines expertus, ob extremam mendicitatem, tandem stipem ab hominibus cogendo, tympanaq; pulsando & modulando vitam exegit. *Idem lib. 9.*

VI. Regulus post multas victorias venit in manus & potestatem Carthaginensium: quorum Dux erat Xantippus Lacedæmonius. Ibi scribitur vigilijs & media necatus esse Regulus. Insigne exemplum fragilitatis & inconstantiæ rerum humanarũ. Nam qui paulò antè fuerat victor: nunc fit captivus. Sic brevis hora, ut inquit Seneca in quadam Tragœdia, permutat ima summis. Et fortuna vitrea est, cùm splendet, frangitur. *Strigel. lib. 1. Ethic. pag. 83. Vide Polyb. lib. 1. pag. 53.*

VII. Crœsus est exemplum insigne infirmitatis humanæ, & inconstantiæ rerũ humanarum, & instabilitatis fortunæ in rebus humanis: qualia exempla multa vidimus hisce nostris annis aliquot.

VIII. Ludovicus Rex Vngariæ miserè interficiebatur à Turcis.

IX. Rex Galliæ Francisc̃us florens opibus, opinione virtutis, autoritate, victorijs, & illustribus quidem, quas paulò antè pepererat de Heluetijs, duobus prælijs: victus ille capitur.

X. Expugnatur Vrbs Roma.

XI. Christiernus Rex Daniæ regno exuitur, moritur in captivitate miserè.

XII. Multi Principes Germaniæ, florẽtes autoritate & celebritate nominis, pelluntur sedibus: exuuntur principatibus suis: aliqui interficiuntur: alij miserè pereunt. **Das sind jemmerliche** exempla. Illa cõgruunt ad Regulam: Summisq; negatum Stare diu. **Vnd es gehet allwege so:** Deus resistit superbis; humilibus dat gratiam. Deus excelsa omnia humiliat. Sicut in hanc sententiam multa dicuntur apud Herodotum. Hæc monere nos debent: ut in omni vita simus modestiores: ut cõtineamus nos intra metas vocationis: & illa faciamus cum petitione auxilij divini: quæ sunt vocationis nostræ. *Peucer. in lect. Chron. d. 8. Sept. An. 1571.*

XIII. Rehabeam cùm venisset in Sichem, tanquam futurus hæres & successor patris: non solùm maximam regni florentissimi partem tridui spacio amisit: sed etiam in eas angustias redactus est; ut magis de fuga & incolumitate propij corporis, quam de recuperatione regni solicitus esset.

XIIII. Sic Xerxes, qui in Græciam duxerat exercitum decies centum millium hominum: post pugnam ad Salaminẽ parva cymba fugiens redijt in Asiam: & aliquantò pòst ab Artabano interfectus est. *Strigel. 2. Paral. 10.*

XV. In rebus humanis ima permutantur summis: Irus & est subitò, qui modò Cræsus erat. Vt filius Persei Regis Macedonũ ultimi factus est scriba Senatus Romani. Aurelianus verò filius æditui in Pannonia factus est Imperator Romanus. *Idem* 1. *Samuel.* 2. Nec minimum fortunæ ludibrium fuit, Persei legitimum filium, ad spem imperij tot gentium ac nationum educatum, cernere ferrariam artem exercentem, necessarij victus quærendi gratia. *Francisc. Patrit. lib.* 1 *de regno, tit.* 12. *pag* 55.

XVI. Pompejus dixit, se supplosione pedis terram impleturum militibus. Putabat se habere studia gentium & provinciarũ adversus Iulium: sed postea desertus est.

XVII. Iulius etiam putavit, se ita regnaturum, septum autoritate, ut nemo posset nocere: tamen interfectus est a suis, quos servaverat & evexerat. *Philippus in Cordial Arab. Bucholc. pag.* 137.

XVIII. Princeps Palatinus senior, magnus & præstans vir, dicitur tamen mortuus dolore animi; quòd vidit inclinatas esse voluntates hominum ad juniorem Principem; & se desertum. Senes dolent, quòd vident se contemni & negligi: ideo etiam Deus mandat, ut honore afficiantur. *Idem ibid.*

XIX. Bellisarius Dux Iustiniani fuit: vir amans religionis veræ; justus in administratione: munificus & liberalis, ut factus sit pauper: sua liberalitate magnas opes, quas poterat servare, effudit. Repressit Saracenos, Gothos in Italia: pacavit Africam. Fuit Capitaneus Iustiniani: **Der hat jhme lassen die Augen außstechen.** Bellisarius postea mendicus sedit in loco publico, petivit stipem. **Das heissen** vices fortunæ. **Vnd sind jme vielleicht die Augen darumb außgestochen:** quia ejus vxor fuit inimica conjugi Iustiniani. *Id. pag.* 150.

XX. Bajazetes Imperator Turcicus à Tamerlane Scytha victus, miserabile fortunæ ludentis spectaculum toti Asiæ præbuit. Nam catenis vinctus aureis, inq; cavea ferrea cancellata per Asiam circumductus, & passim ostentatus, victori equum ascendenti dorso subdito scabelli usum præstitit: exemplo fortassis Saporis Persarum Regis: qui Valerianum Romanum Imperatorem similibus injurijs insolenter exagitatum, ad mortem adegit. Sed & inter convivandum acerbissimè insultantem exprobrãtemq; venationis studium barbarico truculentoq; fastu, assiduè audivit: & coniugem Lazari Despotæ filiam, quàm unicè dilexerat, pocillatricis loco ad mensam famulantem spectavit. *In Chron. Philip. lib.* 5. *pag.* 644.

XXI. Legimus legatum Mauritij Imperatoris ferociam Cagani Regis Avarum, commonefactione rerum humanarum mitigasse. Retulit enim illi historiam de Sesostri Rege Aegypti. Is solitus fuerat vehi in curru aureo: qui à quatuor Regib. captivis trahebatur. Cùm autem unus ex illis Regibus sæpè respiciens rotam intueretur; interrogatus à Sesostri cur toties respiciat? Intuens, inquit, rotæ volubilitatem, in qua citò ea, quæ summa fuerant, fiunt ima, cogito de fortuna nostra. Hac admonitione motus Sesostris factus est moderatior: & Reges liberavit.

XXII. Simile aliquid accidisse legimus: cùm Iustinianus Cæsar Gelimerem Vandalorum Regem vinctum catenis unà cum uxore & regia familia in triumpho duceret: qui in conspectum Imperatoris ductus, pleno ore risit. Cùm itaq; eum ingenti dolore perculsum mente captum esse putarent: ferunt illum dixisse; se ridere fortunæ humanæ vicissitudines: ut qui modò Rex fuisset, jam serviret. *Philip. Camerar. in Oper. succis. Centur.* 1. *cap.* 12. *pag.* 47.

XXIII. Vgolinus Giradescus Pisanus, ut Paulus Aemylius memoriæ tradidit

(*lib.*

(*lib. 8, de rebus gestis Francorum*) ut pote Guelpharum partium princeps, initio Gibellinis partim pulsis, partim perculsis, eò potentiæ domi pervenerat: ut nutu omnia administraret: patriæq; Dominus & esset & haberetur: divitijs, nobilitate, ingenij fama, autoritate vigens, uxore, filijs, nepotibus, & omnibus in vita bonis appetendis circumfluens. beatus, felix & cæteris & sibi visus, eorumq; cogitatione perfruens, lætus, fidens etiam illorum commemoratione gaudebat. In festo frequentiq; natalis sui celebrandi convivio, ad quod omnes suos invitârat adhibueratq;, dum fortunam suam ipse fando effert, admiratur, cœloq; æquat: ausus est quendam ex intimis amicis Marcum, quid tandem abesse videretur, interrogare. Ille vel reputatione rerum humanarum, quam fluxæ, fallaciq; specie, quàm volucri orbe circumagantur, vel mente divinitus admonita, SOLA, inquit, IRA NYMINIS PROCUL DIVQUE ABESSE A TAM SECUNDIS REBUS NON POTEST. Et necesse erat congesta in unum hominem, nondum alteram fortunam expertum, bona excipi calamitate ingenti. Guelphorum viribus consenescentibus, Gibellini armis correptis, ædes ejus circumfistunt, oppugnant: unum ex filijs, unumq; nepotum, vim arcere conatos, occidunt: ipsum & duos præterea filios, tres nepotes, comprehensos in turrim inclusêre, obseratis foribus, clavibusq; in Arnum propinquum flumen dejectis. Ibi fame in oculis, in gremio suo, carissima pignora, parens moriens morientia vidit. Vociferanti exposcentiq;, ut humanis supplicijs exigendis inimici contenti essent, sacræ confessionis sacrosanctiq; viatici potestas facta non est. *Hactenus Aemylius, referente eod. Camerar. cap. eod. pag.* 48.

XXIIII. Anno 1588. d. 26. Sept. Vlstochij in Anglia, Robertus Dudlæus, Comes Lycestriæ, auratæ periscelidis, & S. Michaëlis eques auratus, vir ætate gravis, deposita Gubernatoris & Capitanei generalis persona, cùm pridem ex Hollandia, Ordinibus ob proditionem, quam moliri dicebatur, exosus, redijisset, non sine veneni suspicione, vehementi vomitu morti succubuit. In hoc Lycestrio, ejusq; majoribus, si quo in alio ullo unquam tempore, fortunæ visa est inconstantia: *quæ nunc familiam aliquam ex ipso eruit pulvere, elevat & ad sidera tollit: nunc eandem deprimit, & in extremam necessitatem adducit.* Proavus enim illius, infimæ conditionis homo, arte faber lignarius fuisse dicitur. Cujus filius, avus Roberti, Edmundus nomine, altiorem paulò gradum nactus, & sub Henrico VII. Scutifer creatus est: sed ab eodem Henrico de peculatu damnatus, ab ejus filio Henrico VIII. in crucem actus est. Reliquit Edmundus hic filium Ioannem: quem fortuna multò majoribus dignitatibus auxit. Sub Eduardo enim Rege primò Comes Varvicensis, deinde Dux Monthumbriæ, aut (ut quidam scribunt) Northumbriæ factus, magna erat apud Regem puerum autoritate. Sed cùm ætate pueri abusus, Eduardum Semerum Ducem Somersetanum, Regis avunculum, ac regni Gubernatorem, tollendum, unà cum fratre Admirallio curasset: extincto post Eduardo Rege, filium suum in regni successorem, per matrimonium, quod cum filia Ducis Suffoltiæ contraxerat, exclusis Henrici VIII. filiabus, constituit. Quo nomine à Maria regnum adepta, capite damnatus, & mulctatus est. Robertus itaq; in summa opulentia & fastu natus, vidit se paulò pòst miserrimum, patre, fratribusq; ac rebus omnibus orbatum, mortiq; unà cum patre addictum: sed ab eadem Regina Maria postea vita & libertate donatum. Iterum voluente rotam fortuna, ab Elizabetha ad regnum provecta, in tantam favoris prærogativam admissus est: ut solus penè moderari omnia in Anglia videretur. Nam & Baro Denbihensis, & Co-

mes Lyceſtrenſis, & Magiſter equitum à Regina conſtitutus, per totos ferè triginta annos univerſum Angliæ regnum ſua habuit in poteſtate. Cumq; jam per omnes honorum gradus illum fortuna circumduxiſſet: iterum præcipitem è faſtigio diſtulit: gloriam, quam apud ſuos nactus erat, apud exteros Belgas amiſit; & cum ignominioſiſſima infamiæ nota in ſua reverſus, miſerrimè periit. *Mercurius Gallobelgicus lib. 1. pag. 50.*

XXV. Paulus Aemylius cùm poſt captum Perſeum Regem Macedoniæ, ultimum ex poſteritate Antigoni, & redactum Macedoniam in formam provinciæ, redijſſet Romam ad triumphum: amiſit immatura morte duos filios; quorum prior quatuordecim annos natus, quinq; ante patris triumphum diebus obijt; alter duodecimum annum ætatis agens, tertio die poſt triumphum deceſſit. Addit Plutarchus eo in loco hanc memorabilem ſententiam de fortuna & infortunio Aemylij: Enimverò genius aliquis videtur eſſe: cujus partes ſint, magnæ atq; nimiæ felicitatis partem aliquam carpere: atq; ita temperare humanam vitam: ſed (quod eſt apud Homerum) cum eo optimè agitur: cujus res utramq; fortunam ſentiunt. *Vide Plutarch. in Aemilio.*

XXVI. Plutarchus de Pompeio, victore pyratarum, & Mithridatis, & plurimarum aliarum gentium, redeunte cum magna gloria ad triumphum Romam, inquit: Enimverò, quicunq; eſt is genius: qui magnis atq; amplis fortunæ muneribus triſte aliquid admiſcere ſolet: is jampridem domi illius delitеſcens, minùs jucundum ei reditum machinatus fuerat. Etenim per ejus abſentiam Mutia Vxori pudicitiam imminuerat. *Plutarch. in Pompeio.*

XXVII. Alexander Farneſius, Dux Parmenſis, cùm florentiſſimum totius orbis emporium, urbem munitiſſimam Antuerpiam, præter omnium hominum ſpem occuparat: fertur à quodam non infimi nominis Viro admonitus, bello valediceret: pacem deinceps coleret: gloriam ejus ad apicem, ſummumq; faſtigium perveniſſe; majorem gloriam in Belgio ſibi comparare non poſſe. Solere fortunam, cùm ad ſummum pervenit, rotam voluere: nec diu in eodem ſtatu permanere. Quòd ſi adminiſtrationem hujus Ducis in Belgio poſt captam Antuerpiam conſideremus: certè vaticinium illud verum fatebimur. Qui enim antea nil niſi vincere nôrat: mutata pòſt fortuna, multas florentiſſimas urbes, oppida, arces, quæ non difficilè defendi potuerant, amiſit: adeò ut ſpes, quam Regij de Gelria, Tranſiſelania, Friſia, vicinisq; locis recuperandis conceperant, jam prorſus labefactata evanuerit. *Ianſonius lib. 5. Mercurij Gallobelgici, pag. 500.*

XXVIII. Pellebatur in exilium Demoſthenes: ut pleriſq; claris viris Athenis cõtigit: eiq; crimini dabatur: quòd aurum dono ab Harpalo accepiſſet. Egreſſus non longo ſpacio urbem, inimicis quibuſdam ſuis fortè obvias occurrit; qui primò trepidus aliquantulum ſubſtitit: illi rectà proficiſcentes, blandis placidiſq; verbis eum compellant, conſolantur: & officium viaticumq; ſinguli pollicentur. Ingemuit tunc Demoſthenes, dicens: Quo nam pacto exilium æquo animo ferre poſſum, cùm ea urbe trudar, in qua tales inimici ſunt, quales amicos in alijs urbibus difficile eſt invenire? Sed cùm pro patria deinde ſe optimè geſſiſſet; mortuo Alexandro, omnium penè civium conſenſu revocatus eſt: miſſiq; eſt ab Athenienſibus longa navis Aeginam uſq;; ut eum reveheret. Cui obviam profecti ſunt ſacerdotes & magiſtratus omnes feſto cultu, & multitudo omnis per ſexum & ætatem diſpoſita. Sed ut res mortalium fluxæ ac labiles ſunt: non diutiùs patriæ commodis frui potuit. Nam afflictis Græciæ fe-

bus, cùm malè pugnatum ad Cranonem esset: Antipater & Craterus quasi præfecti præsidij in urbem accepti sunt: qua ex re Demosthenes, & qui cum eo contra Macedones senserant, urbe profugi, capitis sententia damnati sunt. Ad quos insequendos Antipater Archiam Tyrium Tragœdum misit: qui cùm accepisset, Demosthenem in Calabriam perveniſſe: illuc se contulit: & Troëzenem concessit. Hæc urbs Neptuno sacra, Posidonia, hoc est, Neptunia olim dicebatur: juxta eam in insula Calvaria templum Neptuni antiqua religione colebatur: ad quod fugientes, intacti inviolatiq; erant. Illuc penetraverat Demosthenes. Archias præsidio militum septus templum violare neutiquam ausus est: sed illum verbis blanditijsq; pellicere conabatur. Demosthenes autem illi nequaquam auscultans, venenum, quod ad ejusmodi casus secum paratum habebat, ex calamo, vel (ut alij scribunt) ex annulo circulove aureo sorpsit: & sic Antipatrum Archiamq; execratus, veneni vi enectus est. Athenienses ut primùm per temporum difficultatem potuerunt, statuam ei publicè erexerunt, his verbis subscriptam: Si pares ingenio vires Demosthenes habuisset; nunquam Græciã subegisset Macedo. *Francisc. Patrit. lib. 9. de regno, tit. 18. pag. 614.*

XXIX. Referebat nobis adolescentibus Antonius Panhormita, literatorem quendam Germanum, quo puer ipse usus esset magistro, consenuisse Panhormi in Sicilia, profitendis literis. Cumq; & senio jam & inopia conflictaretur: ex insperato profectos è Germania nobiles viros; qui eum reduxerunt in patriam: mortuis jam agnatis omnibus: qua via non illorum bonis tantùm domesticis hæres successit: verùm etiam aliquot oppidorum dominatus: quibus maiores ejus præfuerunt. *Ioh. Ioȝ. Pontanus lib. 1. de Fortuna, pag. 276. b.*

## CCXCVIII.

*EXperientia testatur, in uno rerum genere quosdam esse fortunatissimos: in alio autẽ non item.*

*Hypomnes. Gvicciard. pag. 108. part. 1.*

### EXEMPLVM.

Vt de me loquar, multis in rebus in tertium hunc usq; Februarij diẽ 1523. prospera fortuna usus sum: similes tamen successus non expertus in mercatura & honoribus, quos ambio. Vltrò enim & meo quodam quasi fato se mihi offerunt, cùm eos non ambio: at confestim ut eos persequor, recedere à me, & quasi me aversari videntur. *Idem ibid.*

## CCXCIX.

*IN dissidiis publicis dogmatum & seditionibus, calamitas Reipublicæ prodest hominibus scelera-*

*tis. Quò enim horum quisque est audacior & confidentior: eò citiùs crescit, & evehitur altiùs.* *Tom. 7. Intimat. Vviteberg. pag. 382.*

*Turbulenti homines cùm in pace nihil bonæ spei inveniant: ad commovendos status, & tranquillitatem publicam, incumbunt. Sic & Principes Civitatum, suis commodis studentes, excitare seditiones consueverunt.*

*Quemadmodum anguillæ non capiuntur, nisi turbato stagno: ita homines obscuri & ignobiles, non crescere possunt: nisi mota Republica. Nam in dissensione civili, etiam pessimus & perditissimus quisq; honorem consequitur.*

*In publicis dissensionibus, quò quisq; est tenuior: eò ad tumultuandum redditur audacior, paupertatis fiducia.*

*Omni tempore vel in seditionibus extulit sese improbissimorum hominum audacia, & crevit eorundem potentia:* secundum versum veterum: ἢ δὲ δι' χοσασίην κῆλα πάγκακα ἔμμορε λαοῖς: *vel propter seditiones attracti sunt homines peregrini: qui domi inter se conflictantes oppresserunt: ut historiæ omnium temporum testantur.* *In Chron. Philip. lib. 4. pag. 410.*

*In dissidiis publicis ferè profert & effert sese pe-*

*tulātia & improbitas levium & malorū ingeni[illegible]*
*Peucerus in præfat. in Tom. 2. Oper. Philippi.*

Xylander in Plutarch. in vita Alexandri sic vertit versum Græcum, suprà citatum:

*Pessimus ad summos etiam conscendit honores:*
*Cùm res dissidiis & seditione laborant.*

Alij sic: *Pessimus ut quisq; est: ita crescere honoribus, orta*
*Seditione solet.* Vēlita:
*Quisq; malus, rebus motis, sortitur honores.*

Similitudo ab Angvillis sumpta, suprà recitata, est Aristophanis, qui ait:

ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρωμένοι πέπονθας,
ὅταν μὲν ἡ λίμνη κατασῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν.
ἐὰν δ' ἄνω τε κάτω τὸν βόρβορον κινῶσιν
αὖθις, σὺ λαμβάνεις. ἦν ταὐτὸν πόλιν ταράττῃς.

*Namq; id, quod ijs, anguillas qui captant, usu tibi venit:*
*Vt unda stabilis si siet, nil quicquam capere possint.*
*Sin susq; deq; concitaverint lutum in palude:*
*Captura præsto est, ut lucrum tibi mota civitas.*

## EXEMPLA.

I. Vt piscatores, inquit Aristophanes, non capiunt anguillas, nisi prius agitato & turbato stagno; ita Cleon quoties inconcessam aliquam utilitatem aucupatur, prius turbat civitatem. Nam injusta obtineri non possunt: donec legum & judiciorū autoritate audacia frenatur. *Philip. lib. 1, Epist. per Peuc. ed. pag. 249.*

II. Marius adjunxit sibi collegam Tribunum Sulpitium, bello jam moto contra Syllam. Hic Sulpitius sic describitur; quòd nulli fuerit secundus ullo genere exquisitæ malitiæ: ita ut non sit quærendum, quem superârit in ullo genere: sed in quo ipse sese vicerit.

III. Pysistratus invasit Tyrannidem in urbe Attica, laborante Græcia bello & motibus intestinis.

IIII. Gabinius, Ammonius, Clodius emerserunt, ejecto Cicerone in exilium. *In Chron. Philip, lib. 4, pag. 410.*

V. Tales fuit Iohannes quidam, oriundus ex oppido Galilææ Gischala: qui ut creseceret, & autoritatem consequeretur: contra Iosephum, qui optimè de Iohanne isto meritus, eum ad summos honores evexerat, seditionem excitat: & nihil non in perniciem ipsius machinatur. *Vide Iosephum de bello Iudaico lib. 2. cap. 43. Vel juxta alios cap. 26.*

*Seditio-*

# CCC.

*SEditiones nunquam cedunt feliciter.*

*Plena est universa mundi historia exemplorum, congruentium ad Regulam. Qui gladium accipiet, gladio peribit.* Strigel. 2. Samuel. 20.

*Postquam semel propositum est exemplum ab ordinaria potestate discedendi: multi homines seditiosi tragicos tumultus in Rempub. excitant. Sed tandem vincit palàm furiosos fortuna ordinariæ potestatis.* Qui enim potestati resistit: ordinationi Dei resistit: & pœnam sibi accersit. *Strigel. 1. Reg. 16.*

*Conspirationes semper fuerunt infelices ipsis autoribus, eorumq; conjuratis.* *Buchol. in Chronlog. pag. 394.*

Extat in cap. 24. Proverb. Salomonis insignis sententia de vitando contagio seditiosorum: Time Dominum, fili mi, & Regem: & cum seditiosis ne miscearis: quia subitò veniet exitium eorum: & ruinã seditiosorum quis novit? Sunt autem seditiosi: qui injustè recusant obedire suæ potestati: & plùs peccant, cùm etiam arma injusta capiunt contra potestatem: ut Absalon, Cassius, Brutus & similes. Simus igitur cauti, ne seditiosa consilia adjuvemus: quia scriptum est: Qui potestati suæ resistit: ordinationi Dei resistit: & judiciũ sibi accersit. *Strigel. 2. Samuel. 18.*

Wer vber sich hawet / dem springen die Spähne in die Augen. Gewalt one Rath / fellet mit seiner Macht vñ That.

## EXEMPLA.

I. Comminationem de pœna seditiosorum histo: iæ omnium temporum confirmant: ubi in seditione mota ab Absalone contra patrem Davidem viginti millia civium seditiosorum in acie trucidantur: Absalon ipse miserè perit.

II. Sic Ionica seditione à Dario oppressa, Aristagoras interfectus est: & Istiæus cruci affixus.

III. Et ab Imperatore Adriano trucidata sunt trecenta millia Iudæorum: qui duce seditioso Ben Cosban restituere politiam Iudaicam conati sunt.

IIII. Mota seditione à rusticis Anno Christi 1525. ad quinquaginta millia seditiosorum passim occubuerunt.

V. Anno 1535. Rex Anabaptisticus movet seditionem in vibe Monasteriensi, prætextu religionis: falsò jactat divinas revelationes; indulget libidinibus: interficit conjugem. Tandem captus candenti ferro laceratur; & cavea ferreæ inclusus, ad summam turrim urbis exponitur pensilis. *Strig. 2. Sam. 18.*

VI. Vicit Theodosius ingenti prælio seditiosos: quorum alter Arbogastus inclinata acie, in fuga sibi mortem conscivit, ut Saul; alter Eugenius captus, jussus est interfici, & legibus pœnas dare.

VII. Anno Christi 1080. Rudolphus Dux Sveviæ, quem Episcopi incitaverãt adversus Henricum Quartum, & Imperatorem elegerant, autore Pontifice Romano, in prælio ad Mersburgum amisit dexteram: & æger ex vulnere in oppidum illatus est: ubi cùm decumbenti manus, quam amiserat, allata atq; ostensa esset: conversus ad Episcopos incitatores dixit; Videte Domini, hæc est manus; qua fidem dedi Domino meo Henrico Imperatori. Nunc cogitate, an justam causam defectionis habuerimus. Nec post eam vocem diu superstes fuit: sed ex vulnere mortuus est. *Idem. 2. Sam. 20.*

VIII. In bellis contra Henricum Quartum Imperatorem ostendit DEVS illustribus & tragicis summorum Principum exemplis: adesse se ordini politico & legitimis magistratibus: hosq; tegere ac tueri; & injustas ac seditiosas molitiones elidere ac pessundare, juxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Dederunt enim pœnas, quotquot seditiosorum consiliorum fuerunt autores & socij, ex ordine utroq; Politico & Ecclesiastico. Nam & in autores Pontifices atque Episcopos scelera redierunt sua; plurimi enim ex his in acie interfecti sunt; & veteribus Principum in Saxonia familijs extinctis, devenerunt Principatus ad alienos. *In Chr. Phil lib. 4. p. 428.*

IX. Rosa homo privatus collegit exiguas copias; & se opposuit potestati Mediolanensi. Cùm verò esset captus: extraxit gladium militis, qui eum ducebat; & se transfodit. Exutis autem ejus vestibus, invenerunt in marsupio testamentum his verbis scriptum: Domine DEVS, tu causam meam cognovisti, quòd sit justa; & si in ea mori debeam: tu dabis mihi propter eam vitam æternam: aut locum aliquem apud Catonem. *Philip. in Locis Manl. pag. 281.*

X. Tumultuatur Thibni; & factiosos homines sibi adjungit; ut regnum invadat. Sed vincit eum fortuna Amri: qui legitimo modo à tribulibus electus fuerat. *Strigel. 1. Reg. 16.*

XI. Vngariam seditiosæ multitudinis impetus Anno Christi 1514. concussit. Selymo enim Turcarum Tyranno implicito bello Persicõ, Thomas Cardinalis Strigoniensis svadet, utendum esse facultate rei benè gerendæ contra Turcos, ex Tyranni absentia. Sed quia Regi, negligenti & regni administrationem, & curam rei bellicæ, deerant nervi ad tantum apparatum: conulit, ut congregetur sub signo crucis, usitato olim Pontificibus more, exercitus: qui spe veniæ pro delictis perpetratis gratis militer. Consilio divulgato, immensa subitò eaq; promiscua ex varijs gentibus multitudo convolavit: quæ nil solicita de Turcico bello, protinus latrocinari, vicos populari, expu-

gnare

gnare villas, vastare agros, nobiles & sacerdotes capere, atq; omni cruciatu interficere incipit. Illius se multitudinis ducem facit quidam Georgius Sechelus, adjuncto sibi fratre Lucatio. Hic maximum terrorem exquisitissimis supplicijs nobilitati, regno ingentia damna infert: donec Lucatij fratris copijs, ad Pestum à nobili Pannone Bornemissa fusis, ipse etiam deinceps ab eodem difficilimis & periculosissimis prælijs ad Dagalacum & Agriam attritus, tandem superventu Iohannis Transylvaniæ Vaivodæ, copijs ad occisionem delectis, prope Temesum flumen, in conspectu oppidi Temesvari, vivus cum fratre capitur. Pœnas seditiosi conatus supplicij genere novo barbaricoq; & auditu horrendo luit. Nudus enim & catenis vinctus, coronaq; ferrea candenti redimitus, equuleo imponitur. Venis incisis sangvis potandus præbetur fratri Lucatio: his clausis, rursus mittuntur in eum viginti ex socijs, tridui inedia macerati: qui dentib. eum lacerant: & carnes arrosas devorant. Tandem extractis visceribus exenteratur: corpus in frusta concisum, aheniseq; & verubus coctum, comedendum militibus apponitur: qui hoc pastu sanctissimi, ad unum omnes cum Lucatio fratre immanibus supplicijs necantur. *In Chron. Philippi, lib. 5. pag. 700.*

XII. Sellum conspiravit adversus Zachariam Regem Israël, eumq; interfecit. Sellum vicissim interfectus est à Manahem: cùm regnum tenuisset mense tantùm uno.

XIII. Phakeo conjurationem inter fecit Pekaiam. Peka vicissim ab Osea jugulatus est.

XIIII. Osea ultimus Rex Israëlitarum vinctus abductus est in Assyrios. Ita suo interitu & exemplis confirmarunt has regulas: Per quæ quis peccat, per eadem punitur. Item: Qui gladio ferit, gladio perit. *Bucholc. in Chronolog. pag. 394.*

# CCCI.

*ORta seditione, postea seditiosi inter se dimicant: se mutuò perdunt. Philip. in Cord. Abr. Buchol. p. 165.*

*Vix unquã bona fide seditiosi inter se cohærent.*

Quod ait Esaias, cap. 48. non esse pacem impiis: idem quoque Salomon Proverb. 1. monet: *ne inter se quidem impiis probè convenire. Est enim hoc judicium DEI: ut impios impiorum manibus puniat.* Hinc Samson Iudic. 15. vulpium caudas connexuit, ut aversæ discurrerent. Quòd caudæ cohærent: est impietate convenire: cætera dissentiunt. Ita Salomon ait: ipsi quoq; contra sanguinem suum insidiantur. *Philip. Prov. 1. in edit. 1. p. 8. b.*

Qui

*Qui populi sunt soliti vivere bellis, præda vel latrociniis: vix pacem inter se, vel cum vicinis ferre possunt & colere. L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 140.*

*Inter malos societas facilè debilitatur: maximè si ab una eorum parte æqualis prædæ distributio non fuerit servata. Idem pag. 143.*

## EXEMPLA.

I. Cadmus consevit terram dentibus Hydræ: enata est gens armata: quæ inter se pugnavit: perdiderunt se mutuò. Id est: quando semel facta est mutatio regni; postea oritur seges armatorum inter se dimicantium.

II. Mota seditione contra Iulium, illo interfecto, postea seditiosi inter se certârunt & perierunt.

III. Sic post mortem Alexandri, mota semel seditione inter Principes, conflictabantur inter se: quilibet volebat esse superior: nullus extinctus est naturali morte: interfecti sunt, ut latrunculi; præter unum atq; alterum. *Philip. ut suprà.*

IIII. Sciarram Banditarum Principem, Battistella Collega ipsius & ipse Dux inter Banditas, ad epulum invitat; conveniunt, sunt hilares initiò. Tandem Battistella ex improviso Sciarram primùm, inde socios ejus trucidat: & capita Romam ad Pontificem mittit: ut secundum sententiam & veniam delicti, & præmium interfectori promissum recipiat. *Lansonius lib. 6. Mercurij Gallobelgici, pag 572.*

V. Sic in Abimelech & Siccinitis apparet. *Philip. ut suprà.*

# CCCII.

*Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis, etiam in hac vita.* Herodot. lib. 2. ἀτὰρ μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ ὑμωρίαι παρὰ τοῦ θεοῦ. Mitigantur quidem pœnæ ijs, qui ad Deum redeunt: ut Davidi, Iosaphat, Ezechiæ, Manassæ & aliis: quorum exempla congruunt ad regulas: Invoca me in die tribulationis, & eripiam te. Item: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, & ut vermiculus: eritis candidi ut nix. Verun-

tamen

tamen huic Regulæ assentiendum est: nec propter pauca exempla impunitas speranda. *Strig. 1. Reg. 2.*

*Etsi non omnia scelera in hac vita puniuntur: tamen regulare est, atrocium delictorum comites esse atroces pœnas, etiam in hac vita*——. *Idem ibid.*

*Semper atrocia scelera insignibus exemplis punit Deus: moderatis verò & justis plerunq; dat tranquilliorem cursum. Et quanquam hos etiam fortuiti casus opprimunt: sunt enim multæ arcanæ causæ: tamen illa manifesta regula non aboletur: videlicet, semper erinnyas & sævas calamitates comites esse atrocium delictorum*——. *Philip. Tom. 1. Epist. per Peuc. ed. pag. 246.*

*Frustrà speratur impunitas atrocium scelerum*—— *propter exigui temporis moram. Quod enim differtur, non auffertur:* ut ait Tibullus de pœna perjurij:

*Ah miser & si quis primò periuria calat:*
*Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Hujus sententiæ exemplum suppeditat Ioab: qui cùm semper fuisset inquietus & turbulentus: & specimen crudelis naturæ ostendisset, trucidando præstantes Viros Abner & Amasam: ad extremum pœnam talionis persolvit. Nemo igitur peccet spe impunitatis: sed omnes metuant Deum:

——*qui vindice dextra*
*Haud dubiè humanos properat punire furores.* Strigel 1. Reg. 2.

*Manifestum est, divinitus atrocia scelera atrocibus pœnis puniri. Perjuri, latrones, tyranni, in-*

*ceſti, pleriq; omnes tandem hærent in pœnis. Differuntur interdū pœnæ: ſed tamen plerunq; tandem opprimunt ſontes: & pauciſſimi placidos exitus habēt.* Exempla Tyrannorum interfectorum adeò crebra leguntur: ut ſcriptum ſit:

*Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci*
*Deſcendunt Reges & ſicca morte Tyranni.*

De homicidis quotidiana exempla ſunt in cōſpectu. Et quanquam initiò polluti injuſta cæde effugerunt manus Magiſtratuum: tamen poſtea ad pœnam retrahuntur. Hæc univerſalis experientia illuſtre teſtimonium eſt præſentiæ Dei in Imperiis. Sic Ioram, urgente eum judicio Domini, obviam procedit ipſi Iehu: & ſeſe mactandum offert. Si enim toleraſſet obſidionem in urbe munita Ieſreel: retardaſſet impetum Iehu: & novi interea motus in regno extitiſſent. Occurrit autem Iehu in agro Naboth: ut locus ſit teſtis ſeu monitor de ira Dei. Nam parentes Ioram juſſerant in eodem loco interfici innocentem virum Naboth. Cùm igitur Deus in agro Naboth puniverit Ioram, qui ſceleris veſtigium fuerat: voluit homines & de magnitudine perpetrati ſceleris, & de judicio divino commonefieri. Denunciata fuit antea pœna per Eliam, 3. Reg. 21. cujus atrocitas inde æſtimari poteſt: quòd Ioram uno die non ſolùm regno & vita, ſed etiam ſepultura privatus eſt. Nam potentes potenter tormenta patientur: ut dicitur in libro Sapientiæ cap. 6. Et Seneca in Hercule furente exclamat:

*Iudex futurus ſanguine humano abſtine,*
*Quicunq; regnas: ſcelera taxantur modo*
*Maiore noſtra.* Idem 2. Reg. 9.

**Verſus** oraculi apud Herodotum:

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων ὑσίρ οὐκ ἀποτίσῃ.
*Nullus homo pœnam ſceleris rem effugit unquam.*

**Menander:** εἰμαρμένον γὰρ πᾶσι κακῶν βουλευμάτων

κακὰς

κακὰς ἀμιβὰς δῦναι καρπᾶσθαι βροτούς.
*Fatale prorsus est, malis mortalium*
*Pœnas rependi pessimas conatibus.*

Fatale, id est, à Deo ita ordinatum est: ut malorum consiliorum malos vicissim fructus homines decerpant.

Quatuor sunt causæ, propter quas vagantur pœnæ in genere humano universaliter.

PRIMA est nota soli Ecclesiæ: ut satisfiat ordini justitiæ in Deo.

SECUNDA, ut pœnæ sint commonefactiones, quòd sit Deus, & qualis sit: & ut moneat nos, quò vitemus causas, propter quas attrahuntur pœnæ. Hanc causam Græci vocant νουθεσίαν.

TERTIA est utilitas manifesta, ut conservetur genus humanum: quia nisi pœnis coërcerentur malefici: non posset consistere genus humanum. Hanc Græci nominant τιμωρίαν.

QVARTA, ut exemplis pœnarum invitentur alij ad majus studium modestiæ. Hanc nominant Græci παράδειγμα.

Exemplum hujus Regulæ est tota mundi historia: pœnæ idolatriæ, perjuriorum, seditionum, libidinum, tyrannidis, furtorum.

Congruit cum hac Regula dictum Herod. lib. 2. pag. 68. ubi sic inquit de bello Trojano: Troja propter adulterium Paridis eversa est: ὅπως ἐκφανὲς τοῦτο τοῖσιν ἀνθρώποισι γένηται, ὡς τὰ μεγάλων ἀδικήματα μεγάλας εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τοῦ θεοῦ. Id est, ut manifestum fieret hominibus: quòd *magnorum delictorum magnæ pœnæ à Deo propositæ sint. Strigel. lib. 1. Ethic. pag. 34.*

*Omnia atrocia scelera habent pœnas in hac vita.*

Textus dicit clarè de homicidis: Qui acceperit gladium, gladio peribit. Aut semper ita fit: idq; est regulare: aut certè pauciſſimæ sunt exceptiones, ubi Deus sua magna misericor-

dia vel remittit vel mitigat pœnas. David cùm punitus est, sustentatur à Filio Dei: tamen oportet illum ingentes pœnas sustinere tristiores morte. Idem cogitemus de alijs etiam sceleribus: Væ qui spolias, quia spoliaberis. Sic de incestis & horrendis libidinibus & de perjuriis manifesta testimonia sunt, quòd Deus illa puniat. Scortatores & adulteros punit Deus. *Philip. in Postill. per Pezel. ed. part. 2. pag. 280.*

Non dubium est: quin *Deus atrocia scelera puniat atrocibus pœnis in hac vita*—. Ad vitandas igitur pœnas, tum æternas, tum præsentes in hac vita, est præstanda disciplina. *Omnis atrox violatio disciplinæ punitur.* Nulli homicidæ possunt effugere supplicium in hac vita: etiamsi faciant compensationes cum judicibus quoquo modo: tamen Deus tandem punit, quod homines non puniverunt. Possem multa exempla commemorare. *Idem part. 3. pag. 6.*

*Experientia ostendit, Atrocia peccata puniri in hac vita, etiam in conversis: etiamsi eis mitigat Deus pœnas. Idem part. ead. pag. 7.*

*Deus servat hanc suam Regulam*—: *Nulla*— *ætas, nulla civitas, nulla domus est sine exemplis. Idem pag. 614.*

## CCCIII.

*INsitus est animis humanis error, penitusq; affixus, & ex corruptæ naturæ vicio mox ab origine contractus: ut ex eventu judicent de providentia: & si justiorem causam opprimi videant calumniis, aut ty-*

*rannide:*

rannide: ut vel negent Deum affici cura rerum humanarum: vel de causa dubitent: eosq; qui succumbant, causa inferiores, & à Deo abjectos esse: qui vincunt, causam sequi ac tueri meliorem, statuant. *M. Matthæus Blochingerus in oratione habita in promotione Magistrorum, die 10. Martij, Anno 69.*

*Judicant homines ex adversis vel secundis reb. Philippus lib. 2. Chron. pag. 47.*

*Plerunq; de hominibus & consiliis ex fortuna judicatur. Strigel. 2. Samuel. 3.*

*Multa judicant homines ex adversis vel secundis rebus. Idem 1. Paralip. 11.*

*Quò se fortuna, eodem se inclinat favor hominũ: & de causis & de justitia causarum plerunq; fit judicium ex eventu magis: quàm ex rationibus, quæ antecesserunt. Et quod magis mirum est, non tantùm vulgi affectus, sed etiam sapientum judicia mutat fortuna. Propter fortunæ varietatem sapientes mutant judicium.* Das gehet so gemeiniglich. *Deseritur & patrocinio destituitur causa bona: si deseratur à fortuna: & victoribus plerunque justior causa tribuitur: victis verò tribuitur contraria.* *Peuc. in lect. Chron. die 19. Junij, Anno 1574.*

*Consilia plerunq; eventis ponderari* docet Plautus in Pseudolo:

*Centum doctũm hominum consilia sola hæc devincit Dea*

*Fortuna: atq; hoc verum est: proinde ut quisq; fortuna utitur:*
*Ita præcellet: atq; exinde sapere eum omnes dicimus.*
*Benè ubi quod consilium discimus accidisse: hominem catum*
*Eum esse declaramus: stultum autem illum, cui vertit malè.*
Strigel. 1. Reg. 13.

Ovidius:

*——careat successibus opto,*
*Quisquis ab eventu facta notanda putat.*

*Plerunq; hoc facimus: ut consilia eventis ponderemus: & cui bene quid processerit: multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus. Sic fit, ut sæpenumero quæ à consilio profecta sunt, fortunæ, & quæ à fortuna, consilio tribuamus.* *In Hypomnes. polit. Guicciard. part. 2. pag. 87.*

## EXEMPLA.

I. Pompejus in fuga è prælio Pharsalico Mytilenen delatus, cùm apud Cratippum Philosophum multa de fortunæ adversitate disputasset; desperatione extrema negat esse providentiam; eò quòd in causa justiore, ut ipsi videbatur, à DEO desertus esset.

II. Hodie qui Christiani esse volunt, quanto numero, & quantis agminib. deficiunt ad Turcicam Sectam, capti splendore opum, & successuum magnitudine? Atq; ex his constat robur militiæ Turcicæ. Longè acerbiùs enim hi, sanguine Christiano creati, & lavacro Baptismi abluti Apostatæ, nos oderunt, & oppugnant infestiùs: quàm ex ipsis Turcis nati. *M. Bloching. ut suprà.*

III. Ieroboam haud dubiè condemnavit virum DEI vanitatis & stultitiæ: quia tali genere mortis periisset: quod solet esse pœna peccatorum manifestorum: & securè contemnens judicium DEI, cumulavit idola: donec tandem ipse & universa domus ejus funditus extirparetur. *Strigel. 1. Reg. 13.*

IIII. In captivitate Babylonica DEVS multa testimonia præsentiæ suæ in Ecclesia ostendit: ut confirmarentur pij adversus alios: qui vociferabantur, Iudæos, cùm amisissent regnum, patriam & templum, nihilo magis curæ esse DEO: quàm alias gentes. *Philip. lib. 2. Chron. pag. 47.*

V. Consentaneum est, Abnerũ inter alia argumenta suasoria illud etiam usurpasse, quod ab eventu sumitur, & quo homines maximè moventur. Infelix gubernator fugiendus est tanquam pestis patriæ. Nihil autem Isboseth feliciter gessit: sed insigni calamitate patria ab eo affecta est. Quare deserto & relicto Isboseth sequamur

Davidem,

Davidem, cui omnia cedunt, omnia prona sunt. Hoc argumentum etsi crudele est: tamen ad persuadendum efficacissimum est. *Strigel. 2. Samuel. 3.*

VI. Non dubium est, Palæstinos, interfecto Saule & filijs ejus, vociferatos esse, nihilo magis curæ esse Deo Iudæos: quàm alias gentes. Sed Devs paulò pòst has blasphemias refutavit illustribus & gloriosis victorijs Davidis. Is enim Palæstinos sic domuit; ut facilè appareret, Devm adesse populo Israël: & priorem cladem fuisse pœnam certorum delictorum. *Idem 1. Paral. 11.*

VI. Quæ à Romanis gesta sunt, omnia ornantur, proclamantur, celebrantur, tanquã recta & justa: contrariæ partis, quæ victa fuit, res gestæ, tanquã injustæ, accusantur, vituperantur, condemnantur. De historia bellorum Punicorum, in quo Pœni, qui succubuerunt, accusantur, & Romani, penes quos fuit victoria, excusantur, recitata est a sapientib. fabula de Leonibus. Leones magno agmine veniunt in urbem: & casu prætereunt tabernam pictoris: ubi artifex multas tabulas exquisitè pictas proposuerat venales. Inter illas tabulas vident unam; in qua conspicitur, expressisse eum pugnam inter Leones & homines: in qua pugna homines devictis Leonibus alijs compedes injiciunt, alijs catenas; alijs diffringunt fauces; alijs alio modo vim faciunt. Visa hac pictura, inquiunt Leones: Aliter hæc fuissent picturi Leones: si pingere didicissent. Sic de Carthagine judicarunt scriptores. Si Carthaginenses vicissent: aliter fuissent historiam bellorum Punicorum scripturi, quàm Romani. Præterea si repetantur historiæ Romanæ ab initio: reperientur multa, quæ nullo modo excusari possunt: & præsertim posterioribus temporibus; quibus cum potentia crevit ambitio, superbia, luxus. Tunc enim facti sunt insolentiores; & multa fecerunt insolenter & tyrannicè: quæ omnia tamen excusantur à scriptoribus.

VII. Refert Augerius Busbequius sermonem: quem cum Chiausio quodam hac de materia instituerit. Verba *epist. 4. pag. 282.* sunt hæc: Injecta fortè Bajazetis mentione; cepit Chiausius in eum inclementiùs invehi; quòd arma sumpsisset contra fratrem. Ego contrà dicebam: videri mihi miseratione dignum: cui inevitabilis necessitas imposita esset, aut capiendorum armorum: aut certæ pestis subeundæ. Sed cùm Chiausius nihilominus exectari pergeret: Vos, inquam, immanis facinoris reum facitis Bajazetem. At Selimum, hujus Imperatoris patrem, qui non modò contra patris voluntatem, verùm etiam salutem, arma tulit, nullius criminis arguitis. Rectè, inquit Chiausius: nam rerum exitus satis docuit; illum, quod fecit, divino fecisse instinctu: & cœlitus fuisse prædestinatum. Tum ego: si hoc more agetur: quicquid quamvis pessimo consilio susceptum, si bene cedat, rectè factum interpretabimini; & Dei voluntati asscribetis. Devm facietis autorem mali; neq; quicquam bene aut segniùs factum, nisi ex eventu pendetis. Sumus aliquamdiu in hoc sermone commorati: cùm uterq; non sine animorum & vocis contentione, quod proposuisset, defenderet. Collecta utrinq; plura sacræ scripturæ loca: Nunquid potest vas dicere figulo, cur me ita finxisti? Indurabo cor Pharaonis. Iacob dilexi: Esau odio habui. Atq; alia, ut veniebant in mentem, &c.

*Semper*

## CCCIIII.

*SEmper causæ eventorum magis movent: quàm ipsa eventa. Strigel. 2. Samuel. 19.*

### EXEMPLVM.

Cùm Davidem afflictum & confectum luctu legis: existimato, eum non tam ex miseria, quàm ex culpæ recordatione commoveri. Deinde, ut pater φιλόστοργος acri dolore afficitur propter filij tragicum interitum: qui fuit initium mortis æternæ maximeq; miserabilis. Nam post sensum iræ DEI nullus dolor major est: quàm qui percipitur ex infelicitate liberorum. Postremò, ut bonus Princeps deplorat civium suorum cladem: quos non aliter quàm partes & membra sui corporis complexus est. Has causas non considerans Ioab, cum Rege expostulat. *Idem ibidem.*

## CCCV.

*MAgnis cladibus impendentibus Deus aufferre solet salutares Principes: ideo plerunq; obitus Principũ immaturos publicæ calamitates sequuntur.*

*Notum est experientiæ testimonio: quotiescunq; in perturbatione Rerumpublicarum, è medio tolluntur homines illustres, pietate ac virtute præstantes: sequi paulò pòst insignes rerum conversiones. Tom. 3. Declam. pag. 147.*

*Inter signa calamitatum futurarum est interitus bonorum virorum*, ut Esaias inquit: Iusti colliguntur, ne spectatores sint futurarum calamitatum. *Tom. 1. Intimat. pag. 217. b.*

Magno-

*Magnorum virorum mortem sequuntur fatales pœnæ.*

*Magnorum gubernatorum interitus sæpe denunciant posteritati pœnas. Tom. 3. Declam. pag. 32.*

*Experientia docet, magnorum virorum amissiones trahere secum tristes ruinas. Abrah. Bucholc.*

*Obitus sapientum & bonorum doctorum semper fuerunt* κρίτικοι: *& magnas mutationes Rebuspublicis attulerunt. Strigel. in orat. de Egidio Mechlero.*

*Cùm propter alias causas multas dolere pium est, cùm honesti homines, & Deum rectè colentes, ex hac vita mortali evocantur: tum verò etiam propter omen: quia significantur impendentes calamitates: quibus præripit Deus magna ex parte suos cultores:* ut scriptum est: Iusti colliguntur, ne videant mala ventura. *Tom. 1. Intimat. pag. 222. sub An. 1548.*

*Quia multi pij auferuntur è medio: apparet secuturas esse calamitates publicas: quibus hi singulari beneficio Dei præripiuntur. Tom. cod. pag. 224. b.*

*Solent profectò bonorum virorum mortes sequi magnæ publicæ calamitates: quas ut effugiant ij, qui fideliter in sua vocatione servierunt: divinitus ante ingruentia publica mala ex sua statione ad æternam quietem & lætitiam evocantur:* ut inquit Esaias: Iustus perit, & non est qui recogitet in corde

ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, & non eſt qui intelligat. A facie enim malitiæ collectus eſt juſtus. *Tom.eod.p.389. ſub Anno 1552.*

*Interitus piorum & pars eſt calamitatis. & ſignum venturarum pœnarum:* ſicut apud Eſaiam ſcriptum eſt: Iuſti colliguntur, ne videant ſecuturas calamitates publicas. *Tom. eod. pag. 402.*

*Pij præripiuntur malis.* Eſaias dicit, *Quando impendet publica calamitas: aufert Deus pios: & eripit eos impendentibus malis.* Vadunt ad pacem, in cubiculum, Er leget ſie ſchlaffen: pij obdormiunt, ne ſint ſpectatores calamitatū. Sicut melius eſſet nos omnes mori: quàm eſſe ſpectatores crudelitatis Turcicæ. *Philip. in Cordiali Abrahami Bucholceri, pag. 163.*

*Ferè fit, ut magnatum funera—, Rerumpublicarum— mutationes & intertrimenta ſequantur.* Nec mirum: everſa namq; columna domum collabi, remoto gubernatore navem perire, & oleo conſumpto lumen paulatim extingui neceſſum eſt. *Ianſonius lib. 4. Mercurij Gallobelgici, pag. 360.*

*Uſitatum eſt, ut ab interitu ſummorum Principum, magnæ fiant rerum converſiones.* Philippus Cominæus *in præfat. in Comment. de reb. geſt. Lud. & Caroli, pag. 3.*

*Non tantùm per defectiones Solis aut Lunæ, per Stellas crinitas, per columnas ignis in aëre volantes, & alia ejusdem generis oſtenta, inſignes mutationes regnorum & Rerumpublicarum prænuncian-tur: ſed etiam per magnorum virorum interitum—.*

Eſt

Est enim illa Platonis vox vera, & testimonio experientiæ confirmata: ὅταν μέλλῃ κακῶς πρᾶξαι πόλις, ἐξέλε τοὺς ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐκ ταύτης τῆς πόλεως ὁ θεός. *Quando Reipublicæ impendet mutatio: Deus bonos viros ex ea evocat.* Strig. 2. Sa. 4.

*Constat piorum præmaturos obitus aut exilia, venturi excidij præludia esse.* Rodolph. Gualt. Homil. 108. in Marcum, pag. 165. b.

*Docet omnium ferè temporum experientia: magnorum virorum obitu, mutationes insignes denunciari solere.* Bucholcer. in Chronolog. pag. 82.

*Semper urbium excidia antecedunt viri magni & heroicis donis instructi: qui aliquandiu pietate, sapientia, consilio, fide, virtuteq; sua rebus perturbatis opitulantur: & quasi humeris suis domum ruinosam sustinent ac fulciunt: Verùm his columnis loco suo motis: totum ædificium collabi necesse est.* Bucholc. in Chronolog. pag. 422.

Pausanias de Cleombroto Rege Spartanorum obtruncato in pugna Leuctrica: μάλιστα γὰρ ἐπὶ παίσμασι μεγάλως ἐθέλῃ προσφορᾶσθαι τὸν ἡγεμόνα ὁ δαίμων.

Esaias: Dominus auferet bellatorem, judicem & prophetam.

Salomon: Propter delicta terræ citò alij post alios fiunt principes.

Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel, cap. 3: *Peritura urbis, aut malorum imminentium, vel futuræ labis, hoc*

*primum indicium est: si decedant Viri Consulares, vel etiam graviores fœminæ.*

Iohannes Major:

*Invidit Deus ingratis: pœnæq; secutæ*
*Funera magnorum sæpe fuêre virûm.*

M. Laurentius Span:

*At nos magna manent venturæ incommoda pœnæ:*
*Servamurq; novis turba premenda malis.*
*Vtq; Deus, quoties populum punire solebat,*
*Qui sua spernebat iussa tremenda ferox,*
*Instantis signum pœnæ non certius ullum*
*Præmisit, sanctos quàm rapiendo viros:*
*Sic homines nostro eripuit tot tempore sanctos,*
*Præ foribus pœnas monstret ut esse graves.*

*Tom. 1. Intimat. pag. 391.*

## EXEMPLA.

I. Loth jubetur exire ex Sodomis: quo educto, urbs tota igne cœlitus demisso subversa est.

II. Item reliquiæ Ecclesiæ segregantur ab impia multitudine Ierosolymitana quæ perijt, à fœcibus illis: quas destinaverat DEVS ad mactationem. A facie enim mali præripitur justus. *Philip in Cord. Bucholc. pag. 165.*

III. Post mortem Iosaphat, pij & felicis Regis, secuta est irruptio Arabum in regnum Israël.

IIII. Mortem Iosiæ Regis subsecuta est captivitas Babylonica. *Vide Bucholceri Chronolog. pag. 422.*

V. Epaminondæ Thebano mortuo, paulò pòst Thebæ funditus deletæ sunt ab Alexandro Magno.

VI. Mortuo Theodosio Imperatore Constantinopolitano, secuta est infusio Gothorum, Vandalorum & Hunnorum in Pannoniam, Italiam & Hispaniam.

VII. Stillico Dux de Ambrosio sæpè dixit: Italiam extincto Ambrosio perituram esse. Nec vanum fuit hoc vaticinium. Nam mortuo Ambrosio, statim Gotti & Vandali Italiam ubiq; vastarunt.

VIII. Augustini mortem non solùm vastationes, sed etiam dira supplicia & extinctio veræ doctrinæ subsecuta est.

IX. Post mortem Lutheri mox tristia bella Principum orta sunt: deinde nova & atrocia diffidia docentium.

X. Censoris mortem, cujus summa fuit in urbe Roma autoritas, denunciasse magnas calamitates Italiæ impendere, quæ postea secutæ sunt, urbe à Gallis capta, Plutarchus notat *in Vita Camilli.*

XI. Post mortem Iohannis Hunniadis & Matthiæ Regis, Turci occuparunt regnum Vngariæ.

XII. Scribitur de quodam Episcopo, qui propter vitæ & morum integritatem ac honestatem, Regula Ecclesiæ appellatus est, cùm & vehemens & gravis esset, & Imperatori quoq; & hujus conjugi formidabilis: & in magnis rerum confusionibus, & doctorum ambitione & mutuis altercationib. pati & dissimulare multa posset: & sua modestia motus impediret multiplices: & secuturas certaminum miserias prævideret: de eo igitur scribitur: quòd paulò ante mortem demonstrans capilli caniciem, quam nivem appellaret, dixerit: Hac nive liquescente, magna luti copia exorietur. Significans tempora turbida propter vehementiam & inhumanitatem aliorum: qui etiam hodie, ut ipsi celebrentur dogmatum autores, veterum scripta, dicta & facta contemnere solent.

XIII. Post Friderici III. (patris Maximiliani I.) obitum, qui nonagesimo tertio anno post mille quadringentos obiit, pestilitas nonagesimo quarto & quinto, multas civitates & villas penè desertas reliquit.

XIIII. Post mortem verò Maximiliani, tam crudelis, tam sæva, tam stupenda biennio post oritur pestis: quæ oppida integra deprehenditur, ac deserta facit: adeò ut frumenta magis non secta maneant, a nemine; colligantur: nullam arcem, nullum castrum, nullum oppidum, villam, vicum absq; tabe relinquat. Aestimatur tertia pars hominum in Austria esse hac peste sublata. *Ioh. Cuspinian. in Vita Maximiliani Cæsaris, pag.* 613.

XV. Mortuo Salomone, populus Israëliticus in duas partes divisus, intestinis & mutuo bellis contriverunt.

XVI. Defuncto Philippo Bono, quibus non calamitatibus bellisq; Burgundicæ dominia provinciæ sunt involutæ? *Iansonius lib.* 4. *Mercurij Gallobelgici, pag.* 360.

XVII. Mathusalem prophetantem de ira Dei, ac mundi primi interitu, Epicuræi sannis ac probris confectati sunt: & comminationes ejus, ut aniles fabulas, deriserunt. Sed eo è vivis sublato, mox ostendit se vaticinorum ejus certitudo: quando totum genus mortalium aquis diluvij obrutum & suffocatum est. Obijt enim Mathusalem in ipso penè momento interitus primi mundi. *Buchole, in Chronol. pag.* 82.

XVIII. De Metello Macedonico traditur: quòd, cùm Scipionem Africanum, quo cum illi privatæ inimicitiæ intercesserant, domi peremptum audisset, in foro exclamârit: Concurrite ô cives, mœnia nostræ urbis conciderunt. *Rodolph. Gualterus Homil.* 108. *in Marcum, pag.* 165. *b.*

# CCCVI.

*Derivationes fluminum nunquam fuerunt felicitertentatæ.*

Homines frustrà nituntur contra decretum Dei. Mardonius apud Herodotum lib. 9. inquit: ὅτι δὲ θεὸς ἀνὴρ ἐπίδοξος, ἀμήχανον ἀπεργάσαι. Non vult Deus tentari vel moveri à nobis majora viribus, & impossibilia, aut non necessaria. Pausanias de talibus mentionem faciens lib. 2. ita concludit: Tam scilicet est difficile, divinitus attributam certis rebus naturam humana arte superare.

# EXEMPLA.

## *De mari rubro cum Nilo iungendo.*

Herodot. *lib.* 2. refert, Necaonem, quem alij Sesostrim vocant, alij Psammetichum, Aegypti Regem, ad transvectionem mercium Orientis, conatum esse alveum e mari rubro in Nilum ducere: sed eundem, cùm in eo opere, audacter magis quàm infeliciter suscepto, supra centum viginti millia hominum interijssent, destitisse in medio opere, hoc interpellatum oraculo; eum id opus barbaro præmunire. Idem referunt de Sesostri & Dario. Sic enim scribit Basilius *in quarta Homelia sex dierum:* Quòd Aegyptus sit positione loci inferior mari rubro, ipso facto ostenderunt, qui conati sunt duo maria jungere, Aegyptium & Indicum, cujus pars est rubrum mare. Hanc ob causam de conatu suo destitit Sesostris Rex Aegyptius, & post hunc Darius Medus. *Monsterus*: Darius perfecit illam fossam, sed opportuniore loco summaq; arte. Et cùm navigare illuc cuperet, aperiebat fossam; rursusq; cùm esset usus, clausit flumen, quod in fossam deduxit. Habet fossa latitudinem cubitorum septingentorum, profundum quantùm satis sit navigio decem millia ferenti.

Fuerunt qui Africam ab Asia disjungere voluerunt, id terræ intercidere meditati; quod inter rubrum & nostrum (scilicet mediterraneum) pelagus medium est: cujus latitudinem non amplius, quam mille & quingentûm stadiorum esse dixerunt. Primusq; omnium Sesostris Aegypti Rex id efficere cogitavit. Mox Darius Persa rum. Deinde Ptolemæus sequens, qui fossam eduxit, latitudine centum pedum, altitudine triginta, longitudine passuum triginta septem millium & quingentorum. Ultra progredientem metus inundationis deterruit, excelsiore tribus cubitis rubro mari comperto, quàm terra Aegypti. Plinius omissam fossionem asserit: namque immissum aquam Nili corrumperet: quæ sola potum præbet Aegyptijs. *Aeneas Sylvius in Cosmographia sua.*

## *De Isthmi Corinthiaci perfossione.*

Demetrius, Cæsar Dictator, Caligula, Nero, ausi Isthmum Corinthiacum perfodere: sed nulli processit. Dion testatur, tempore Neronis sanguineos rivos conspectos, multaq; foedera ejulatus atroces edidisse, atq; ita territos operarios cessisse *Pausanias l. b.* 2: Quicunq; Peloponnesum Insulam facere conatus est: morte oppressus, opus imperfectum reliquit. Quæ sanè Isthmus fodi ceptus fuerit, operis extant vestigia.

gia. Saxosa ejus pars omnino tentata non fuit: quare situs adhuc sui naturam servat. Iulius Cæsar proximo ante mortem anno deduxit colonias Carthaginem & Corinthum. Tentavit perfossionem Isthmi: ut jungeret duo maria: & Peloponnesum alveo navigabili a Græcia avelleret. Sed frustrà hoc tentavit. Recentiores Græci contra irruptiones Turcicas extruxerunt ibi longum murum. Illum demolitus est Mahometes II. qui Constantinopolin occupavit.

## *Gnidiorum Isthmus.*

Gnidij appendicem Carię contra Harpagum demoliri conabantur, ad quingentos passus duntaxat: verùm perrarum saltus lædebat oculos fodientium. Apollo consultus respondit: ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργῶτε, μήτ' ὀρύσσετε· Ζεὺς γὰρ ἔθηκε νῆσον, εἰ ἠθέλετο. Id est: Isthmum ne perfodite, neq; muro cingite: quia si DEVS Insulam eo loco esse voluisset, condidisset.

## *Caspij maris & Euxini coniunctio.*

Refert Plinius ex commentarijs Claudij Cæsaris, cogitasse Seleucum I. cognomento Nicanorem, cum mari Caspio conjungere Bosphorum Cimmerium (seu, ut alij, mare Euxinum) triginta septem milliarium alveo. Verùm priusquam id perficeret: jugulatur à Ptolemæo.

## *Danubij & Rheni coniunctio.*

De Carolo Magno legimus, cùm is Danubium Rheno jungere esset aggressus, Pegnesij aquis Alemanno sociatis, spectra & operas dissipasse, & fossas expletas arena depulisse operarios. Vestigia perfossionis adhuc extant & occurrunt iter facientibus Augustam versus, circa urbem VVeissemburgum.

## *Perfosio Isthmi ad montem Atho.*

Xerxes subditorum suorum opera Isthmum ad montem Atho perfodit: & navibus transitum faciebat: verùm eas non iterum reducebat.

## *Tanais & VVolgæ coniunctio.*

Turci cùm Anno 1569. tentassent Tanaim & VVolgam fluvium navigabili alveo conjungere, perfosso monte Schlopenburgo, qui interjacet, & ad sex milliaria se extendit: magna clade à Moscis repulsi sunt.

## *Pons ex Calabria in Epirum.*

Ex littore oppidi Hydrunti in Calabria Apolloniam versus, mare non ampliùs centum millibus passuum expanditur: quod pedestri continuare transitu pontib. junctis primus Pyrrhus Epiri Rex cogitavit: post cum M. Varro: utrumq; curis alijs impedientibus, ut Pausanias *cap.* 10. *lib.* 3. scribit. Cæsar voluit molibus jactis transitum facere ex Italia in Epirum, sequens Pompejum: sed cùm id non succederet: pontibus periculum fecit. Xerxes supra Hellespontum similia tentavit. De utroq; conatu Lucanus *lib.* 2:

*Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem*

*Construxisse*

*Constructisse vias, multum cum pontibus ausus*
*Europamq; Asia, Sestumq; admovit Abydos,*
*Inceßitq; fretum rapidi super Helleßponti.*

Libet huc asscribere, quæ de ejusmodi conatibus irritis, præsertim circa derivationes fluminum, Philippus Camerarius *in Operis subcisivis* recenset: Sic enim ille *cap.* 81. *pag.* 392. Quemadmodū fatendum est, Romanos perpetuo labore & sudore mancipiorum, quorum infinitus numerus apud illos instar brutorum fuit, ejusmodi stupenda opera minori difficultate, & exiguis sumptibus, longeq; alio modo, quàm quo apud nos fieri necesse est, & instituere & absolvere potuisse: ita *sæpe, cùm veluti naturæ vim inferre voluerunt, operam & oleum*, ut est in proverbio, *perdiderunt.*

## *Fossa ab Averno Ostiam usq;.*

Hoc sanè evenit, teste Cornelio Tacito (*lib.* 15. *annal.*) Severo & Celere magistris & machinatoribus, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare, & viribus principis Neronis illudere. Namq; à lacu Averno navigabilem fossam, usq; ad ostia Tiberina depressuros promiserant, squallenti littore, aut per montes adversos. Neq; enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quàm Pomptinæ paludes: cætera abrupta aut arentia: ac si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis causæ. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno juga connixus est; manentq; vestigia irritæ spei. Hujus fossæ ceptæ ab Averno Ostiam usq;, ut navibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per CLX. milliaria, latitudinis, quà contrariæ quinqueremes commearent, meminit quoq; Suetonius *in Vita Neronis.* Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubiq; esset custodiæ in Italiam deportari, etiam scelere convictos, nō nisi ad opus damnari præceperat.

## *Isthmi perfossio.*

His autem non contentus, etiam in Achaja Isthmum perfodere aggressus (ut idem autor tradit) prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubaq; signo dato, primus rastellō humum effodit, & corbulæ congestam humeris extulit. Verùm illi accidit sicut alijs complurib⁹: qui sæpiùs ante eum id ipsum, repugnante natura, infausto exitu, conati sunt facere: eorumq; semper irriti labores fuerunt. Inter quos fuit Demetrius Rex, C. Cæsar Dictator, Cajus Princeps, Caligula, Domitius, & alij: quorum mentionem post Plinium (*lib.* 4. *cap.* 4.) facit (*in commentarijs super Suetonium*) Lævinus Torrentius. Hujus rei quoq; Sabellicus (*decad.* 3. *lib.* 8. *de rebus gestis Venet.*) meminit: ubi etiam scribit, Venetos quindecim dierū spacio, totam Isthmi longitudinem, quæ ab Aegæo ad Ionium mare quatuor habet passuum millia, quanquam murorū ambitus aliquantò eam reddit ampliorem, muro & duplici fossa, munivisse. Vnde proverbium, Isthmum perfodere, veluti de laboribus & conatib. ingentibus, sed vanis & irritis, ortum suum habere cepit. Herodotus quoq; (*lib.* 1.) memoriæ tradidit: Gnidios Isthmum, quà angustissimo spacio, nempe quinque stadiorum, spectabat continentem, perfodere molitos, ut insulam facerent (hi sunt incolæ Cariæ, & coloni Lacedæmoniorum, quorum regio spectat mare, quod vocatur Triopium) cæterūm ictos scopulos in fodientium oculos resilijsse. Cùm autem oraculum Delphicum hanc ob rem consuluissent, ita respondisse Pythian:

ἰσθμὸν δ' μὴ τυγχάνε, μήδ' ὀρύσσε.
Ζεὺς γὰρ κ' ἔθηκε νῆσον, εἰ κ' ἐθέλετο.
*Neque cingite Isthmum mœnibus, neq; fodite.*
*Nam si Iovi id visum, locasset in salo.*

Cæterùm Xerxis Regis Persarum opus magis faustum fuit: dum Athon perfodere aggressus est. Est autem Athos, teste Herodoto (*lib.* 4.) mons ingens & nobilis, ad mare pertingens: ab hac parte hominibus cultus; ad continentem desinens in speciem Chersonesi, id est, peninsulæ, cum Isthmo duodecim stadiorum. Hoc incolitur à Calogeris, qui sunt Monachi Græci, & sequuntur ritus traditos à Basilio. Hanc fossam, inquit Herodotus, Xerxes, ut ego conjectura colligo, jactantiæ gratia deprimi jussit, potentiæ ostentandæ cupidus ac memoriæ relinquendæ. Nam cùm liceret nullo negocio naves per Isthmum transportare: jussit Isthmum intercidi ad mare recipiendum, in fossam tantæ latitudinis: ut duæ triremes pariter illuc agitari possent. Deniq; Nicanor Seleucus aggressus est Isthmum (qui dirimit Euxinum & Caspium mare) perfodere; nec perfecit, a Ptolemæo Cerauno interfectus; ut Erasmus notavit in Adagijs.

## *De Nilo in mare rubrum derivando.*

Eodem modo nonnulli Reges Agypti, immensis fossis ductis, longitudinis quatuor dierum navigationis, latitudinis, ut per eam possent duæ simul agi triremes, in quibus fodiendis, sub Rege Neco, centum viginti millia Aegyptiorum, teste Herodoto (*lib.* 2) perierunt: quarumq; vestigia in hodiernum diem (ut mihi ij, qui illis in locis fuerant, retulerunt) prope Sues conspiciuntur, efficere voluerunt: ut ex Nilo fluvio in mare rubrum vel Arabicum sinum navigaretur. Verùm eorum cepta irrita fuerunt: sicut quoq; Cleopatræ Reginæ, quæ opus arduum & ingens ibidem aggressa est. Intenderat enim (*Plutarch. in Vita Antonij*) per Isthmum, qui rubrum mare ab Aegypto distinguit, videturq; Asiæ & Africæ limes esse, qua is maximè utroq; mari arctatur, & strictissimus CCC stadiorum latitudine patet, classem transferre in Arabicum sinum, cum exercitu & magnis opum copijs, ibique servitute & bello evitato habitare. Sed ab Arabibus, circa Petram habitantibus, impedita fuit.

## *Euphratis in Tygrim derivatio.*

Eodem modo Trajanus, teste Dione, fossam aggressus est; per quam Euphratem in Tygrim derivaret: simul etiam ut navigia ponti faciendo deveheret. Sed ubi Euphratis alveum Tygri multò excelsiorem esse comperit: ab incepto destitit: veritus videlicet, ne Euphrates conversus in declivioremem partem fluxu extenuaretur.

## *Mosellæ atq; Araris coniunctio.*

Non absimilis conatus fuit veteris Romanorum Ducis, imperante Nerone; qui Mosellam atq; Ararim, facta inter utrumq; fluvium fossa, convertere paravit: ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arari subvectæ per eam fossam, mox flavio Mosella in Rhenum, exin ad Oceanum decurrerent: sublatisq; itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque littora fierent. Deterruit Gracilis Belgicæ legatus: ne legiones alienæ provinciæ inferret; studiaq; Gallorum affectare diceretur: formidolosum id Imperatori dictitãs: *quo plerunq; prohibẽtur conatus honesti.*

Refert Iohannes Marius propter juges pluvias, quę egestam humum in foſſam rejecerant, inchoatum opus omiſſum fuiſſe. Hæc Ricardus Dinothus (*in adverſarium*) ex Tacito refert. Verùm ſi quis exactiorem hujus conatus deſcriptionem requirit: is reperiet eam in Belgij hiſtoria Ludovici Guicciardini.

## *Danubij cum Rheno coniunctio.*

Ne autem planè priſcis & exteris exemplis inhæreamus: audiamus quoq́; quid noſtri Imperatores ſæpenumero conati ſint. Carolus enim Magnus perſuaſus a quibusdam fuit: hominum labore effici poſſe: ut à Danubio in Rhenum navigaretur: ſi inter Rhedoneſium (**Regnitz**) & Alemanū (**Altmühl**) flumina Nariſcorum, ut Aventinus (*lib. 4. annal. Boior.*) memoriæ tradidit, ubi uligo paluſtris erat, foſſa duceretur: quæ navium capax foret: in quam paluſtres aquæ ſubſidentes utrinque flumini committerentur. Nam Rhedoneſius Bambergæ, inquit, Mœno, hicq́; Rheno Moguntiaci miſcetur. Alemanus verò millia paſſuum octo a patria mea in Danubium profluit, juxta oppidum **Kelhaim**. Fit igitur juſſu Regis à maximo Bojorum, Francorum, Suevorumq́; numero foſſa lata trecentos pedes, longa millia paſſuum duo. Totum autumni tempus in tam præclarum opus utileq́; abſumptum eſt: quod à pago ad pagum **Graben**, inde Vvenſenburgium verſus tendebat. Sed invidit fortuna labori: qui invito cœlo ceptus erat: prodigiis, portentisq́; iram ſuam natura rerum oſtendit. Immenſi acerui frumentorum, & omnis generis granorum reperti in campis: quæ ſi pecus guſtârat, è veſtigio peribat: farina inde facta ſub manibus evaneſcebat. Noctibus auditæ ſunt voces mugientium & laſcivientium, confuſi ſtrepitus cum ſuperiorem foſſam. Accedebant continui imbres in loco alioqui paluſtri. Ideo quicquid terræ interdiu egerebatur: noctu humo relabente ſubſidebat. Hujus rei quoq́; meminit Amoinus *de reb. Franc. Ajunt prope VVyſſenburgum adhuc apparere veſtigium profundæ foſſæ.*

## *Multaviæ & Danubij.*

Quin etiam ſimile vel majus opus inchoavit Carolus IIII. Imp. (quamvis qua ratione fieri hoc potuerit, ex ſitu loci & horum fluminum curſu colligere non poſſim) qui Multaviam, quod flumen montis radices, in quo regia arx Pragæ ſita eſt, alluit, & Bohemici regni Metropolim interfecat, cum Danubio conjungere voluit: ſicut videre licet apud Dubravium, in Bohemicis hiſtoriis. Quid multis? ***eiuſmodi conatus, ſi non omnes, pleriq́; tamen infauſti reperiuntur.*** Statuit enim DEVS, ut Regius Propheta (*Pſal. 103.*) ait, mari & fluminib. ſuos terminos, quos non transgrediuntur, & ijs manendum conſiſtendumq́; illis eſt, quàm diu illi placuerit. Id teſtatur Propheta Hieremias (*cap. 5*) ubi dicit: An me non timebit populus, qui pono terminos maris arenam? Hoc ipſum oraculum Delphicum, cujus ſuprà mentionem fecimus, non ignoravit. Et recenſetur à Ruffino (*lib. 2. cap. 30. Eccleſ. hiſtor.*) elegans hiſtoria, de inundatione Nili: quæ deſtructo templo Serapis, cujus Ethnici iram verebantur, contigit. Moris enim erat in Ægypto: ut menſura aſcendentis Nili fluminis ad templum Serapis, in quo Alexandriæ colebatur, deferretur, velut ad incrementi aquarum & inundationis autorem. Subverſo autem ejus ſimulacro, igniq́; conſumpto, omnes ſimul negabant, Serapin injurię memorem aquas ultrà affluentia ſolita largiturum. Sed ut oſtenderet DEVS, non in Serapin, qui multò Nilo poſterior, ſed ſe eſſe, qui aquas fluminis

tempo-

temporibus suis juberet excrescere: tanta ex eo & deinceps fuit inundatio: quantam fuisse priùs ætas nulla meminerat. Et ideo ulna ipsa, id est, aquę mensura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum DOMINVM in Ecclesia cepta deferri. Hæc gesta ubi religioso Principi Theodosio nunciata sunt: extentis ad cœlum palmis, cum ingenti fertur exultatione dixisse: Gratias tibi CHRISTE, quòd absq; urbis illius magnæ pernicie tam vetustus error extinctus est. *Camerar. cap. 39. pag. 167.*

## *Volgæ & Tanais.*

Hæc ita esse ante plusculos annos Turcæ quoq; experti sunt: qui adductis maximis copiis militum & mancipiorum, Rhen vel Volgam flumẽ (teste Ptolemæo, Sarmatiæ Asiaticę maximum, inq; mare Caspium se exonerans, quòd à Tartaris Elatach, ab Armenis autem Thamar appellatur) in Tanaim (qui fluvius Europam ab Asia dividit, & ab incolis Don, ab Italis autem Tana vocatur, inq; Pontum Euxinum sese effundit) perfosso monte altissimo, derivare conati sunt. Verùm non tantùm inedia, labore immenso, & venenatis animalibus, in regione inculta & deserta, impediti à cepto opere Turci fuerunt: sed etiam a Moscis magna clade affecti, & tandem Tartarorum dolis in reditu circumventi, ad internecionem delecti sunt. Manebunt itaq; fines & termini maris, fluminumq;, quos DEVS posuit, invitis hominibus, qui frustrà eos suis viribus, refragante ipso, transferre conantur. Idipsum Aegyptij suis hieroglyphicis (*Pierius lib. 25.*) designare voluerunt: cùm lutram & vitulum marinum eodem vinculo colligarunt. Hæc enim media sunt animalia inter terrestria & aquatica: vinculumque illud ostendunt: quo terræ applicitæ sunt aquæ, saisequ. coërcentur finibus. *Hactenus Camer. in Oper. Succis. Centur. 1. cap. 81. pag 392. & seqq.*

## *Gorgani montis in Apulia à continenti avulsio.*

Strabo autor est, Diomedem conatum fuisse promontorium Gorgani fossa ad mare perducta dividere, & à continenti avellere. Sed domum accersitus cùm hoc, tum alia varia opera inchoata reliquit. *Leander in sua Italia pag. 378.*

# CCCVII.

*HOmines frustrà nituntur contra decretum Dei. Nemo potest Dei voluntati resistere, etiamsi infinitas artes in hoc comminiscatur. Iosephus lib. 2. antiquit. cap. 5.*

*Omnes conatus humani contra decretum Dei sunt infelices & irriti. Strigel. 2. Reg. 10.*

*Omnes conatus humani sunt irriti: nisi à Deo gubernentur & iuventur.* Idem 1. Paralip. 8.

*Consilia & conatus humani, Deo non juvante, sunt irriti: at voluntas Dei est immota, & aeterna. Ita sæpè eventus consiliorum propter Ecclesiæ salutem impediuntur: & Dei consilium in gubernatione Ecclesiæ manet immotum.* Idem Psal. 33. pag. 256.

*Irriti sunt conatus humani: nisi adjuventur & provehantur divinitus.* Idem Psal. 44. pag. 349.

*Quod à Deo decretum est: id nulla creatura mutare aut impedire potest.* Sicut dicitur Esa. 46. Consilium meum stabit: & voluntas mea fiet. Et Psal. 33. Consilium Domini in æternum permanet: & cogitationes ejus à generatione in generationem. *Idem in Dialect. lib. 2. pag. 670.*

Quod Deus decrevit: non potest ab hominibus mutari: ut verissimè dixit Mardonius apud Herodotum: ὅτι δὲ θεῷ γενέσθαι ἐκ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποφυγέειν. Et Pindarus loquens de consilio Dei inquit: Fatum nec ignis, nec æneus murus arcere potest. *Idem 2. Paralip. 10.*

*Sæpe regnis & Rebuspublicis clades divinitus immittuntur: vel fataliter inevitabiles imminent: & omnino sunt subeundæ: quicquid contrà sani consilij capiatur, fiat & opponatur.* L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 219.

# EXEMPLA.

I. Sæpissimè conati sunt Iudæi contra DEI decretum, templum & politiam suam instaurare: verùm conatus eorum semper irriti fuerunt: magnaq; cum ipsorum clade & internecione ab incepto opere desistere coacti sunt. Memorabile autem est, quod illis Iuliani Apostatæ tempore accidit: sicut post alios Sozomenus (*lib. 5. cap. 21. Eccles. hist.*) refert. Nam cùm is odio Christianorum (sicut ***omnis Apostata est contemptor & osor sui ordinis***) eos hortatus fuisset: ut suam politiam denuò instaurarent: eisque defensionem & immunitatem promisisset: mox convenit ingens multitudo Iudæorum: & magna spe, sumptibus & opibus templum Hierosolymitanum ædificare cepit. Verùm cùm fundamenta jacerent: magno terræ motu, dehiscente terra, inter fulmina totum opus disjectum est: & multa millia Iudæorum ruinis oppressa. Porrò non minùs memorabile est, quod temporib. Adriani Imperatoris accidisse scribit Dio: cujus verba, ut res meliùs intelligatur, huc inserenda duxi. Interea Hierosolymæ, inquit, pridem eversa, rursus habitari eam jussit Adrianus: atq; urbem Aeliam Capitolinam appellavit. Iovi item ex adverso templi ædem excitavit. Bellum hinc & grave & diutinum natum est. Magno enim dolore afficiebantur Iudæi, atq; indignabantur, peregrinos in civitate secum habitare: & illud quoq; gravius ferebant, externa sacra fieri: & externorum imagines in ipsa constitui. Quievêre tamen ab armis & cædibus, Adrianum veriti: qui per ea tempora vicinis in locis constiterat. Nihilo tamen seciùs inter se ea studiose fabricare non cessabant: quibus, quoties belli necessitas posceret, uti possent. Postquàm verò longiùs Adrianus abfuit: palam in arma vertuntur: quanquam aperta acie cum Romanis congredi non ausi sint: auxilia tamen sumebant, muro & cavernis subterraneis specus fodientes, atq; cuniculis omnia munientes: ut, quoties violarentur, liberos haberent ad fugam exitus, invicem quoque subter terram clanculum commeare. Specus & subterraneas vias supernè, quibusdam in locis hiantes, ad ventos & lucem excipiendam perforaverunt. Impetus eorum Romani primò contempsêre. Verùm postea quam universa provincia tumultuata est: & qui ubiq; gentium erant, cum eis conspiraverunt: tunc cognovêre atq; intellexerunt: quàm grave & periculosum bellum exortum foret. Multa enim mala in Romanos, partim clam, partim apertè edebant. Ascisere multos etiam externorum, prædæ & lucri cupiditate: & ferè, ut ita dixerim, universus terrarum orbis ex motu Iudæorum concussus fuit. Tunc ergo Adrianus minimè cunctatus, præcipuos Romanorũ Duces adversus eos misit. Quorum primus Iulius Severus in Iudæam ex Britannia vocatus. Hic minimè ausus est prælium committere. Nã & multitudine longè impar erat ad decertandum: & hi de salute desperaverant. Igitur divisos adortus, carptim, ut quosq; poterat comprehendens, pro multitudine militum atq; tribunorum, tum ab alimentis & commeatu intercluso, tardiùs quidem, sed minore cum periculo, penitus oppressit. Pauci admodum evasêre, atq; à cæde superfuerunt. Arces eorum quinquaginta celeberrimæ diruta sunt. Vici ad nongentos & octuaginta quinq;, qui frequentes & nominatissimi erant, direpti & mox igne combusti sunt. Varii in excursionibus & prælijs ipsis ad quinquaginta millia cæsi sunt. Reliqua vis fame, morbis, ac igni ingens multitudo absumpta est. Sic ferè omnis Iudæa desolata est. Quam clademeritum ante bellum multa ipsis denunciaverant. Nam Solomonis sepulchrum, quod illi in supremo cultu & reve-

rentia habent, sponte & nullo impellente discussum corruit. Lupi atq; hyenæ passim per urbes incedentes ululabant. Non fuit inculenta Romanis victoria: siquidem multi eorum occubuêre. *Haetenus Dio.* Accidit hoc post natum Christum Anno 138 post eversam Hierosolymam à Tito ann. 63. Idem tentarunt Iudæi, prosperiori quidem aliquantisper successu, sed furore quodam nefando acti, paulò antè sub Trajani imperio: ut idem Dio refert. Constituto enim Andrea quodam Duce, Romanos & Græcos sine discrimine obtruncarunt: nec cæde contenti, humanis carnibus vesci cepêre. Horum intestinis, stillante adhuc sanguine, cincti, tum pellibus obvoluti, multos per medium usq; ad verticem dissecuêre: plures bestijs dilaniandos obiecêre: alios inter se digladiari coëgerunt: ut ducenta & amplius hominum millia eo furore & armis Iudæorum interierint. Ingens item cædes ab eisdem in Aegypto patrata fuit. Nec minore clade Cyprij affecti fuêre: siquidem in ea insula, duce Artemione conspirantes Iudæi circiter ducenta & quadraginta capitum millia trucidarunt. Qua facti atrocitate, Iudæus de cætero legibus & pœnis Cyprium attingere prohibetur, si vel vi tempestatis, vel per errorem illuc delatus fuerit, seu capite damnatus, statim morte multatur. Sed inulta cædes non mansit. Nam Trajanus, misso cum exercitu Lusio cum antecedentibus alijs Ducibus, Iudæos, qui per universum ferè terrarum orbem tantum cædis ediderant, profligavit. Eodem modo Ammianus Marcellinus (*lib* 22.) mentionem facit Iudæorum tumultuantium. Scribit enim, cùm Marcus Imperator Palæstinam transiret, Aegyptum petens: eum fœtentium Iudæorum & tumultuantium tædio sæpè percitum, dolenter exclamasse: O Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inquietiores inveni? Qualis autem fuit obsecro impostura cujusdam? qui anno post natum Christum 434. in Creta insula Iudæis persvasit: se eos non secus, ac Moises Israëlitas, per mare rubrum salvos in continentem & terram promissionis ducturum. Innumera igitur multitudo ad præcipitium quoddam convenit: ex quibus nonnulli vana spe ducti, sese in mare conjecerunt: qui, aut hausti undis, aut scopulis illisi, perierunt: pauci tamen à fortè adnavigantibus nautis servati fuêre. Ita impostoris hujus, qui deinceps per ludibrium Moises Cretensis appellatus est, fraus detecta est. Hanc historiam recenset (*lib. 7. cap. 37. hist. Eccles.*) Socrates. Sic legimus in Itinerario Beniamini Tudelensis: quod Benedicti Ariæ Montani opera ex Hebraica translatum in Latinam linguam habemus: suo tempore, quod incidit in annum reparatæ salutis nostræ 933. Davidem quendam Elroi, ex magicis libris insignem impostorem evasisse; tantamq; autoritatem sibi apud Iudæos conciliasse; ut illis persuaserit: se a Deo missum esse: ut expugnata Hierosolyma eos à jugo gentium liberaret: ideoq; obtinuerit Messiæ nomen. Cùm autem Rex Persarum hoc resciviset: eumq; captum ad se adduci jussisset: suis præstigiatricibus artibus omnium cum admiratione liberum ex carcere evasisse: & circumvoluto suo sudario, maximo flumine, quod Gozan appellat, frustra insequentib. Persis, trajecto, eademq; die dierum decem via confecta, incolumem evasisse. Hac audacia impostoris illius, Regê Persarum commotum, ad omnes Synedriorum primores scripsisse: ni conatus Davidis impedirent: omnes Iudæos, in Persia degentes, deletum iri. Hac comminatione illos perculsos, talem epistolam ad Davidem misisse: Scias volumus, liberationis nostræ tempus nondum venisse: neq; signa nostra fuisse adhuc spectata. Non enim vento fortis efficitur vir. Quamobrem prædicentes injungimus tibi, abstinere omninò ab istiusmodi consilijs, ausis & conatibus. Sin minùs, ab omni Israël ejectus esto. Sed illum neq; his neq; a-

liorum

liorum monitionibus obtemperare volentem, in suo temerario ausu perrexisse: donec à socero suo, largitionibus corrupto, cubans domi suæ in lecto fuerit confossus. Atq; consiliorum & callliditatis illius vanæ hic exitus fuit. *Hæc Philippus Camerar. in Operis succisiuis, cap. 42. à pag. 189. vsq; ad 193.* De irritis Iudæorum conatibus Strigel. *in explicat. Psal. 21. pag. 153.* hæc refert: Constat Iudæos post Titum, aliquoties conatos esse politiam suam restituere. Adriani Imperatoris tempore, ut refert Euseb. *lib. 4. cap. 6.* Iudæi horribilem seditionem moverunt, collecto exercitu trecentorum millium hominum ex fugitivis & seditiosis Iudæis. Dux hujus multitudinis fuit homo furiosus; qui præcipuè in Christianos magnam crudelitatem exercuit; qui sibi nomen tribuit Ben Cochab, id est, filius stellæ. Nam ut autoritatem augeret: detorquebat ad sese vaticinium: Orietur stella ex Iacob. Postquàm verò tristis eventus ostendit impostorem fuisse: nominatus est à scriptoribus Ben Cosbe, id est, filius mendacij. Cùm autem hæc seditiosa multitudo Iudæorum, Palestinam & Syriam vicinam depopularetur: Adrianus Imperator aliquot prælijs eam dissipavit. Postea reliquiæ confugerunt in oppidum Bitheram seu Bethoron; quod situm est in limite tertis Ephraim. In id oppidum inclusus Dux cum parte copiarum, toto triennio & sex mensibus obsidionem toleravit. Tandem consumpto exercitu, partim in eruptionibus, partim pestilentia & fame, oppidum expugnatum est: & Dux sibi ipse mortem conscivit: & qui reliqui erant, interfecti sunt. Hic fuit exitus crudelissimi Tyranni; qui gloriatus fuerat, se stellam esse: de qua dicit vaticinium: Orietur stella ex Iacob. Postea Iulianus, odio Christiani nominis, concessit Iudæis, rursus urbem & templum condere. Inchoatum est opus, collecta ingenti pecunia sed turbine, terræmotu, & globis flammarum, ædificatio impedita est: & magna multitudo hominum saxis & ruderibus quassatis oppressa est. Narrat etiam Theodoretus *lib. 3. cap. 20.* passim vestibus populi figuras crucis prodigiosè impressas esse. Absterriti ergo Iudæi cœlestibus signis, inchoatum opus reliquerunt: quia DEVS decrevit, ne politia Iudaica restituatur. Vult enim conspici exemplum iræ ab omnibus gentibus: quòd Filij contemptum horribilibus supplicijs puniat. Vult etiam sepultam esse politiam Moysi: ne confirmetur opinio de cæremonijs: homines lege seu cæremonijs justos esse. Ac ne quis de fide historica Theodoreti dubitet: asscribam verba Ammiani Marcellini, qui *lib. 23.* de Iuliano sic inquit: Imperij sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondá apud Hierosolymam templum, quod post multa & interneciva certamina, obsidente Vespasiano, postea à Tito ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alipio dederat Antiochensi: qui olim Britannias procuraverat præfectus. Cùm itaq; rei eidem fortiter instaret Alipius: juvaretq; provinciæ Rector: metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum. Hocq; modo elemento obstinatius repellente, cessavit inceptum. Hæc Marcellinus, qui sub Iuliano stipendia fecit, militaribus honoribus summis perfunctus.

II. Verissimè Baptista dicit: Nemo potest sibi quicquam sumere: nisi sit ei datum de cœlo. Vt cùm est certamen de Imperio inter Antonium & Augustum: irriti sunt conatus Antonij: quia non juvantur à DEO. Talia sunt exempla innumerabilia.

III. Demosthenis fuit honestum consilium: cùm adversus Macedonas defendere Græciam conaretur: sed fuit infelix: quia non juvabatur divinitus.

IIII. Sic filij Ephraim conantur Israëlitas inducere in terram Canaan; quam sciebant semini Abrahæ promissam esse. Sed non respondent honesto consilio eventus: quia DEVS decreverat, alio modo se eductorum esse Israëlitas ex Aegypto. *Strigel. 1. Paralip. 8.*

V. Conatur Salomon interficere Ieroboam: & filio Rehabeam tradere regnum integrum: sed non sunt hi conatus valentiores; quam consilium DEI. *Idem 2. Paralip. 10.*

VI. Series Monarchiarum est fatalis & necessaria necessitate consequentiæ: quia DEVS per Danielem & alios Prophetas promulgavit decretum de initijs, incrementis, & ruinis quatuor Monarchiarum, Chaldaicæ, Persicæ, Græcæ & Romanæ. Quanquam igitur Darius ultimus Rex Persarum, multa molitus & machinatus est ad impediendum Alexandri cursum: tamen, quia DEVS decreverat, ut Alexander transferret Monarchiam a Persis ad Græcos: non potuit ejus cursus impediri ulla humana sapientia & potentia. *Id. in Dialect. lib. 2. pag. 670.*

VII. Sic Carthaginenses gesserunt tria bella Punica: quæ à Livio & Polybio describuntur: sed non potuerunt impedire crescentem potentiam urbis Romæ: quia decretum erat; ut Romani potirentur imperio orbis terrarum. Hannibal Dux Carthaginensium callidissimus, & aliquantisper felix, tribus magnis cladibus affecit Romanos, ad Trebiam fluvium: ad Lacum Thrasimenum: & ad Cannas oppidum Apuliæ: sed harum trium cladium tristissima fuit Cannensis: in qua sunt trucidata quinquaginta millia Romanorum: & tanta multitudo equitum: ut aliquot modij referti sint annulis: qui erant insignia nobilitatis. Post hanc cladem Cannensem tanta fuit consternatio, ut est consentaneum, in urbe Roma: ut si Hannibal exercitum victorem & exultantem duxisset in agrum Romanum: haud dubiè potuisset potiri Roma. Cumq; hoc non faceret Hannibal: objurgatus est à quodam consiliario his verbis: Hannibal, tu quidem scis vincere; sed victoria uti nescis. Anno verò octavo ejusdem belli Punici duxit suas copias Hannibal in agrum Romanum: sed fortuna, ut loquitur Livius, id est, DEVS, impedivit conatus Hannibalis. Nam inusitata & subita tempestas diremit prælium Romanorum & Carthaginensium: nec semel tantùm, sed iterũ: adeò ut fateretur Hannibal, & agnosceret: se divinitus reprimi: quò minùs caperet Romam. Itaque hac voce & querela usus est Hannibal: Romæ capiundæ alias mentem, id est, impetum, aliàs fortunam Dij non dederunt. DEVS non dedit Hannibali impetum & animum: ut caperet Romam post cladem Cannensem: cùm jam in promptu esset occasio ejus rei. Anno verò octavo dedit quidem mentem: sed eventum aliter gubernavit. Hæc dico, ut intelligatis, quòd DEVS constituit fatalem periodum omnium regnorum; & non permittit: ut regnum aliquod aut Respub. diutiùs duret: aut majores res gerat: quàm ab ipso est definitum aut constitutum. *Idem ibid. & pag. 679. Vide eund. part. 1. Locor. Theol. pag. 164.*

VIII. Pharao edicit, ut soboles masculæ Israëlitarum suffocetur in Nilo, propter vaticinium quoddam de Mose, nondum nato, qui esset liberaturus Israëlem. Nam & puer, de quo sacrorũ scriba prædixerat, elusis regijs observatorib clàm fuit educatus: & vatem non fuisse vanum eventus rei comprobavit. *Vide Ioseph. lib. 2. de Antiq. c. 5.*

IX. Sic clades Græcis à Xerxe divinitus immissa est. *Vide Herodot. lib. 7. pag. 186. 187.*

Aqua-

# CCCVIII.

## *Aquarum eluviones semper aliqua calamitas sequitur.*

Aquarum eluviones sequuntur calamitates triplices:

1. Præsentes
   - Frumenti & pascuorum corruptio.
   - Agrorum & villarum strages.
   - Hominum pecorumq; interitus.
2. Naturales
   - Penuria & fames.
   - Lues & pestilentia.
3. Fatales seu divinæ
   - Incendia urbium.
   - Mutatio Dominorum.
   - Bella.

### *Exempla de Naturalibus.*

I. Pluviæ per totam æstatem: quam fames & pestis secutæ: quibus tertia pars vivêntium absumpta traditur. *Funccius sub Anno Christi* 1315.

II. Sub Mauritio Imperatore Tyberis adeò crevit: ut super muros urbis influeret: secuta est pestis inquinaria. *Paulus Diaconus lib.* 18. *Funccius sub Anno Christi* 590.

III. Aquarum exundationes multæ: in Italia verò maximæ. Pestis ignita exurens homines tertiò pòst anno sequitur. *Funccius sub An.* 1086. & 1089.

IIII. Anno 1316. tanta fuit frumenti penuria: ut Gorlicij homines tenuiores ex mespilis, nec non corticibus, sive (quod vero propius est) ἐκ τῶν ἀκρίδων filiarum panes pinserint. Veniit autem modius olyræ sive roggæ triginta grossis Bohemicis: quod precium tunc apparet fuisse ingens. Chronicon Ducum Silesiæ refert, cepisse famem Anno 1315. duratéq; in Polonia & Silesia in tertium annum: adeò ut parentes à propriis filiis, reliqui à cadaveribus & immundis cibis non abstinuerint. Eundem annum Ditericus Engelhusius notavit extrema dictione hujus versus: Vt lateat nullum tempus famis: ecce CVCVLLVM. Inscriptio monasterij Budissinensis sic habet: Anno Domini M.CCC XVI. incepit tempus magnæ caristiæ per mundum. Famem, ut fit, pestilitas consecuta est magna per totum orbem terrarum: quæ in hac vicinia multos pagos colonis vacuos reddidit. Præcessit eodem anno Nissi inundatio: quæ Gorlicij Spiritus Sancti nosocomium perrupit: pontem urbis & multos alios convulsos abripuit: moletrinis omnib. & ædificiis flumini propinquis multum nocuit: in plateam usq; Nissenicm pertigit. *Annales Gorlicenses sub An.* 1316. In Annalibus vernacula lingua scriptis ea de re ita legitur. Anno 1316. **Ergoß sich die Neysse vberall sehr dermassen/ Darauff folgete in diesem Jahre vberauß grosse Thewrung / aus welcher eine grosse Pestilentz entstanden / Hat bey des Sterben vnd Thewrung biß ins dritte Jahr gewehret / durch die gantze Welt.**

V. Anno CHRISTI 1589. Mense Augusto in Italia, & potissimùm in Marca Tarvasina, tanta cœlestium aquarum vis decidit: quanta retroactis nostra memoria annis nunquam Romæ quoq; Tiberis tanta exundabat aquarum copia: ut cùm intra aluei sui ripas contineri non posset; bis expatiatus tam longè lateq; Vrbem inundaverit: ut scaphis, cymbisq; per multas plateas navigaretur. Imbres autem illi continui incredibile damnum multis Italiæ locis intulerunt: ita ut necesse fuerit, sementi prima & secunda corrupta, tertiò & quartò agros denuò seminari. Tandem accedentibus priori malo noxiis ventis, & nebulis densis, ijsque lethalibus, tota penè messis periit. Quam calamitatem magna subsequentium annorum miseria, fames, annonæq; caritas est subsecuta. *Mercurius Gallo-Belgicus lib. 2. pag. 163.*

VI. Anno 1480. war allenthalben groß Gewässer / der Rhein / die Tyber / der Padus / die Donaw theten grossen Schaden / ersufften Menschen vnd Viehe / vnd folgete aus dem Gestancke ein groß Sterben. *Georg. Nigrinus lib. 6. Inquisit. Pontif. cap. 45. pag. 590.*

*Exempla de Fatalibus.*

## 1. Incendia Vrbium.

I. Romæ post inundationem Tyberis ingens secutum est incendium, Anno V. C. 552.

II. Post inundationem Albis, quæ fuit Anno 1435. Misena sequenti anno magna ex parte crematur, 14. Cal. Iunij. Reliquiæ cremantur 8. Cal. Iulij.

III. Rursus Anno 1445. post inundationem Albis, biennio pòst, Misena conflagrat cum omnibus templis, 6. Cal. Iulij.

IIII. Athesis fluvius in tantum crevit; ut Veronenses muri ex parte aliqua subruerent. Post duos menses eadem urbs magna ex parte incendio cremata est. *Paul. Diacon. lib. 18.*

V. Anno 1537. die 21. Maij exundat Gorlicij Nissus: & officinam fulloniam & eam, in qua ad cotem aquariam arma acuuntur, in molendina Cõsulis evertit, vaccis & equis plurimis submersis. Postea 6. Novemb. noctu incendium ante portam Nissensem vastat totam Hoteranam plateam, duabus domibus exceptis: duravit incendium usq; ad diluculum: & in cellis atq; conclavibus domorum suffocantur homines octo. *Annales Gorlicenses sub Anno 1537.*

VI. Anno mundi 2440. diluvium in Thessalia fuit, non solùm ex imbribus, sed quòd obturatis montibus casu flumina implerunt: & subsecuto terræmotu, apertis ostiis montium, aquæ in alueos regressæ sunt. Incendium in Græcia sub Phaëtonte Rege factum, post terræmotum Thessaliæ. *Funccius sub A. M. 2440.*

VII. Tiberis exundatio, & incendium Romam vastarunt. *Idem sub An. mundi 3724. ab V. C. anno 512.*

## 2. Mutatio Dominorum.

I. Post inundationem Albis, quæ fuit Anno 1537. biennio pòst Duce Georgio & Friderico eodem mense mortuis, imperium illarum terrarum ad fratrem ejus Henricum translatum est.

II. Anno 1573. in Vortlandia & Misnia stupendæ eluviones fuerunt. In ipsa urbe Misena d. 13. Aug. torrens Trebisa in tantum intumuit: ut vi fluminis cadavera in cœmiterio ex terra cruta jacerent nuda. Sequenti anno 1574. mutatur status Scholæ VVitebergensis, veteribus Professoribus abductis in carcerem: novis in eorum locum succedentibus.

III. Inter alia prodigia, quæ mortem Iulij Cæsaris antecesserunt, recitatur & exundatio Padi.

*Proluit insano contorquens vortice silvas*
*Fluviorum rex Eridanus: camposq; per omnes*
*Cum stabulis armenta tulit.* Virgil.

IIII. Mortem Nicolai III. Pontificis præcessit inundatio Tyberis: quæ tanta fuit: ut aram in fano Mariæ rotundæ quatuor calceos supergrederetur: quod statim aliqui præsagium esse Pontificis paulò pòst morituri existimarunt. Factum id est Anno CHRISTI 1281.

## 3. Bella.

De aquarum inundationibus atq; effluxibus, nota est vox sacrarum literarum, Apocal. 17. vers. 15. *Aquæ multæ, populi multi. Nec effusas unquam impunè intumuisse aquas, aut frustrà ventos, insolentiore tumultu increpitasse, suis nullæ non gentes experimentis, moxq; insecutis cladib. didicerunt, etiam nostra, imò recentissima memoria, incursionib. peregrinorũ exercitum, direptionibus, incendiis, cæde vastatis omnibus.* Exempla sunt in conspectu. *Peucer. de Divinat. pag. 354. b.*

I. Anno 1449 post inusitatam Pegnesi amnis exundationem, qui castrum Noricum interluit, cepit bellum inter Albertum Marchionem Brandeburgensem, cognomento Achillem Germanicum, & civitatem Noribergam.

II. A fine hujus belli, exactis annis quinquaginta, cùm iterum insolitùm intumuisset Pegnesus: pugnatũ est à Noricis, cum Casimiro Marchione Brandeburgẽse.

III. Tandem & ab hoc bello, elapsis annis quinquaginta, cùm tertiò sese effudisset Pegnesus; bellum secutum est inter Noricos & Albertum Casimiri filium. *Idem pag. 429.*

IIII. Exundationes illas magnas in Thuringia & alibi, anni 1524. secuta est seditio rusticana.

V. Anno 1529. exundationes flũminum multis in locis magna damna dederunt. Paulò pòst Solymannus Turcorum Tyrannus Viennam obsidione cinxit.

VI. Anno 1552. 13. Ianuar. Rhenus & alij fluvij adeò intumuerunt: ut multi pagi, domus, & pontes aliquot lapidei, ut ad Marpurgum, VVeilpurgum, Fronhaurolum V.

VII. Anno 1569. in orientali Phrygia stupendæ exundationes præcesserunt Albani tyrannidem.

VIII. Anno V.C. 357. ante N.C. 395. Lacus in Albano nemore sine ullis cœlestibus aquis, causavè alia, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam crevit. Tarquinenses novi hostes facti, Romanorum agros depopulabantur.

IX. Anno V. C. 561. aquæ ingentes fuerunt: unde & Tyberis loca urbis plana inundavit. Minutius à Ligaribus in extremum periculi adductus, vix Numidarum industria liberatus est. Antiochus Hannibale sollicitante bellum contra Romanos suscepit.

X. Anno V. C. 617. ante N. C. 135. M. Aemylio, C. Hostilio Mācino Coss. Lacus Fucinus per millia passuum quinq; quoquo versum inundavit. Consul Mancinus devinctus, & Numantinis deditus est. *Iulius Obseq. in lib. de prodigiis.*

XI. Anno 1432. in profesto Mariæ Magdalenæ, vel si mavis ipso die Braxedis virginis, hoc est, 21. Quintil. quę erat feria secunda, Nissus auctus pluvia lenta & jugi, quæ proximo die Dominico, hoc est, 20. Quintil. ab hora undecima totum diem & noctem sequentem duraverat, in tantam hora decima octava excrevit altitudinem: quantam non viderat ulla ætas: adeò ut Gorlicij penè irreparabile damnum daret: Nissi pontem rumperet, eiq; vicinum Spiritus Sancti monasterium, aggerem fluminis, molestrinas duas, unam quatuor rotarum: alteram in Clephisvvalde, è regione auri fodinæ: & domos privatas flumini proximas, aliaq; ædificia quàm plurima funditus diruerent: horrea ad flumen sita cum bladis & fœno, patibulum & sacella quædam cum balneis Nissensibus & dimidia parte plateæ Hoteranæ subverteret, & uno secum impetu abriperet: deniq; habitantibus ad ripam civibus plurimùm incommodaret. Irrupit autem & intra mœnia cò usq;: ut ad tertiam in platea Nissensi domū, quam tunc Gutmannus quidam incolebat, pertingeret. Submersi sunt multi mortales; quosdam utriusq; sexus, qui maturè domibus suis egredi neglexissent, occupatis jam undarum fluctibus, piscatores per tecta domorum extractos cymbis impositos servâsunt. Sequenti anno 1433. Hussitæ rursum in has nostras terras faciunt impressiones: & latrociniis, rapinis & cædibus passim grassantur. Fuit & magna caritas annonæ eodem anno. *Annales Gorlicenses.*

XII. Ante prælium Otthonis cum Vitellio, inter alia prodigia etiam Tiberis exundavit: quam exundationem pleriq; in ostentum infelix rapuerunt: eo quidem factum tempore; quo maximè turgent fluvij: sed nunquam ita excreverat; neque ulla unquam eluvione tantum damni dederat *Plutarchus in Ottone, pag. 927.*

XIII. Anno 1552. **waren hin vnd wider grosse Fluthen / sonderlich in Hessen thet die Löhne viel Schadens / zubrach viel Brücken / auch die zu Marpurg vnd Weilburg / Darauff folget der Fürsten Verbündniß vnd Krieg wider den Käyser.** *Georgius Nigrinus in Inquis. Pontif lib. 7. cap. 4. pag. 668.*

# CCCIX.

1. *Parelia nunquam conſpiciuntur impunè.*

*Plures Soles ferè viſos conſtat, cùm nova eſſent fœdera conſuta: aut ſtructæ adornatæq; conſpirationes, vel ad rapienda imperia, vel eos, qui præſiderent, de faſtigio deijciendos: aut omnino, niſi aliqui res novas molirentur, à quibus impenderent innovationes, turbatinesvé etiam in religione. Velut indices hi occultorum conſiliorum, atq; in perniciem regnorum clàm conciliatarum ſocietatum, in cœlo eminent, nitentq; obvij omnibus.* Vtq; εἴδωλα illa, quantumvis expreſſam Solis referant faciem, fulgeantq; Solis inſtar; clarè nitideque adeò, ut ſuo illum ſplendore nonnunquam obfuſcent, durentque, quantumvis diu, tamen diſſipantur tandem, & diſpereunt: ita ferè conjunctiones, confœderationesq;, opprimendorum eorum cauſa, qui rerum potiuntur, initæ, in nervum erumpunt ac diſſiliunt: ipſisque exitio ſunt autoribus: quantumvis arctis devinciantur ac muniantur vinculis, feliciterq; principia procedant. Vincit nativus ſplendor: εἴδωλα aſciticiis picta coloribus pereunt. *Peucerus de Divinat. pag. 353. b. Iohannes Garcæus in Meteorologia pag. 472. b.*

*Exempla pareliorum, & eorum quæ conſecuta ſunt, vide apud eundem Peucerum in lib. de Divinat. pag. 354. Et apud Garcæum in Meteorologia à pag. 476. uſq; ad pag. 481. Et Petr. Gregor. Toloſ. lib. 21. de Rep. cap. 7. pag. 1320. uſq; ad pag. 1324.*

2. *Quicquid non fit usitatè, etiamsi naturales causas habeat, aliquid significat.* *Hemmingius in Syntagmate, pag. 72.*

*Quicquid in cœlo insolitæ formæ apparet: haud dubiè existimatur portendere ingẽtem cladem & casum: sed Cometæ semper atrocia & tristia.* *Camerar. in lib. de Ostentis.*

*Quicquid in cœlo, terra, mari fit, non solito, neq; usurpato more: divinitus pro signo proponitur quarundam singularium consecutionum.* *Idem lib. 1. pag. 292.*

*Quẽ admodũ*, ut Græci ajunt, *nemo comatulus est, qui molliculus non sit: ita profectò de sidere liceat loqui:* οὔτις κομήτης, ὅσις οὐ κακοῦ φέρῃ. *Idem pag. 301.*

*Hoc volo sermone isto accipi: divinam quandam vim esse universa administrantem, regentem, informantem, efficientem. Quæ, quamdiu nobis noto & consueto ordine progrediuntur, esse placida & tranquilla omnia: sin quid, ut ita loquar, titubet, aut exorbitet: instare casum rerum quempiam pro illius novitatis natura, in quamcunq; partem.* *Idem lib. 2. pag. 315.*

*Sentiamus, nihil esse, quod præter consuetum solitumq; modum in mundo existat: quin aliquem item portendat insolitum, singularemq; casum.* *Idem pag. 318.*

Cometas,

*Cometas, quotiescunq; exardescunt, mutationes aliquas, clades, aut calamitates portendere, certum est omniũ temporum annotatis & documentis.* *Peucer. de Divin. pag. 13. b.*

*Non mortes tantùm infligere, atq; exitia, pestiferis aëre infecto consertoq; halitibus, æstusq; commovere, ac procellas, & terræ motus, torrefacto aëre, corporibus ceu ustulatis, & humore epoto, atq; in fumum soluto: sed bella seditionesq; concitare, omneq; violentum, sævum, exitiale, mortiferum, cruentum, incertum, varium, mobile, inferre, quotiescunq; enituerint, consensu gentium certum est.* *Idem pag. 356. b.*

*Si historiæ recentes & antiquæ evolvẽtur: incendia Cometarum nunquã sine terrore ingẽti illuxisse, nunquam sine calamitatibus deflagrasse, apparebit.* *Idem pag. 357. b.*

*Nunquam crinita sidera emicuerunt sine maximis significationibus.* *Ioh. Garcæus in Meteorol. pag. 22.*

*Exempla conspectorum Cometarum vide apud Camerar. de ostentis lib. 2. pag. 345. cum sequentibus. Vide & Peucerum de Divinat. pag. 358. 359. Item Garcæum in Meteorologia à pag. 34. usq; ad pag. 50. Item pag. 24. & 25. Et Petr. Gregor. Tolos. lib. 21. de Rep. cap. 6. à pag. 1310. usq; ad 1319.*

3. *Tremores concussæ terræ magna bella semper pernicios asq; seditiones denunciasse, historiæ tradũt.* *Peucer. de Divinat. pag. 355.*

*Terræmotus ſemper magnas calamitates denunciant:* ſicut Plinius teſtatur, cùm inquit: Nunquam urbs Roma tremuit: ut non futuri eventus alicujus id prænuncium eſſet. *Garcæus in Meteorol. pag. 392.*

*Exempla Terræmotuum vide apud eundem Garcæum pag. eadem. Item longum eorundem catalogum à pag. 411. uſq; ad pag. 434. Iulij item Obſequentis librum de prodigiis.*

## CCCX.

*MAgnas Regum, ac Principum, res ſæpe numinibus ac cœlo teſte, præſagiri certum eſt. Franciſc. Patrit. lib. 9. de regno, tit. 9. pag. 591.*

*Nonnunquam, etiam maxima bella ſideribus portenduntur: vel horrendo aliquo cœli ſigno. Idem ibid.*

*Sæpe etiam futuri Principum, mores divinitus portenduntur. Idem pag. 593.*

*Præſcij etiam Reges & Imperatores divinitus nonnunquã fiunt: quo loci quove letho perituri ſunt. Idem pag. 594.*

*Conſtat regios ortus atq; obitus, & regia conſilia, regiasq; electiones DEVM ſemper præſidem habere.- Idem ibid.*

*Magnas vel toti genti vel civitati calamitates venturas plerunq; præcedunt aliqua extraordinaria ſigna vel portenta. L. Danæus in Aphoriſ. polit. pag. 212.*

EXEM-

# EXEMPLA.

I. Trallibus in templo victoriæ subitò enatam palmam sub Cæsaris statua ante Pharsalicam pugnam, multi scriptores testantur: quæ quidem futuræ victoriæ manifestum indicium dedit.

II. Sic etiam Octavio primùm post Cæsaris mortem Romam intrante, ut hæreditatem adiret, stella cum sole tota die visa indicavit, illum felicissimum Imperatorem fore.

III. Cùm Philippus Macedo Græciam invasit; cœlum sanguinea specie apparuit; quo nihil mortalibus terribilius unquam visum fuit.

IIII. Terrificum quoq; sidus emicuit, antequam Pompejus & Cæsar in Pharsalicam aciem concurrerent.

V. Cyro antiquiori inter quietem visus est Sol ante pedes esse: verùm ipse ter frustrà conatus est manibus appetere; deinde cùm se converteret; Sol elapsus abijt. Hoc somnium cùm ad magos relatum esset: responderunt, triginta annos Cyrum regnaturum; ficq; per triplicem appetitionem portendi. Quod ita contigit. Nam ad septuaginta annos pervenit; cùm quadraginta natus regnare cepisset.

VI. Dejotarus Rex propositum quoddam ac constitutum iter ingressus, redijt, admonitus aversо aquilæ volatu; & conclave illud, ubi mansurus erat, proxima nocte corruit.

VII. Etrusci aruspices consulti, an prælium in Persas ineundum esset, responderunt ex Tarquinianis libris in titulo de rebus divinis relatum [illegible]: quòd face in cœlo visa committi prælium vel similè quicquam non oporteret. Sed cùm eis minùs fides adhiberetur; infeliciter pugnatum est: & Imperator Iulianus lethali vulnere transfixus perijt: ut Ammianus Marcellinus scribit.

VIII. Cicero Cælium scripsisse ait, Hannibalem, cùm columnam auream, quæ esset in foro Iunonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretq;, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, pertercbraviſſe: cumq; solidam invenisset; statuisset; tollere: ei secundùm quietem visam Iunonem prædicere: ne id faceret; minariq;, si id feciſſet: se curaturam, ut eum quoq; oculum, quo bene videret, amitteret: idq; ab homine acuto non esse neglectum. Itaq; ex eo auro, quòd exterebratum esset, buculam curasse faciendam; & eam in summo columnæ collocasse.

IX. Imperium Octavij nonne ex insomnio prædictum est? Comitabatur Cicero Cæsarem in Capitolium proficiscentem: & pristinæ noctis somnium comitibus fortè narrabat: puerum facie liberali demissum cœlo aurea catena, ad fores Capitolij constitisse: eiq; Iovem flagellum tradidisse: deinde repentè viso Octavio: quem ignotum adhuc plerisq; avunculus Cæsar ad sacrificium acciverat, affirmavit ipsum esse: cujus imago ei inter quietem observata fuerat. Hæc visio post obitum Cæsaris recitata à Cicerone Senatui populoq; Romano, effecit: ut Octavius ante tempus Consul designaretur. Sed cùm cerneret deinde Cicero Octavij mentem à Republica alienam, imperioq; intentam: & proinde Antonio adhæsisse: exclamavit in Senatu; Rempublicam à se delusam: qui illum ex insomnio Iunonium puerum dixerat: & ad Octavium scripsit cum magna loquendi libertate elegantem epistolam, cujus initium est; Si per tuas legiones mihi licitum fuisset venire in Senatum.

X. Phalaridis Tyranni mater, cùm in ventre eum gestaret, visa est in somnis quietem videre Mercurium patera, quam dextra teneret, sanguinem fundere. Quo tempore ferveſceret, adeò: ut tota domus sanguine redundaret. Quod quidem somnium diram Phalaridis immanitatem ostendit.

XI. Agrippinæ Neronis matri consulenti, imperaturus ne esset filius? responderunt Chaldæi; fore, ut imperaret: sed matrem occideret: quibus illa, Occidat, inquit, dum imperet.

XII. Scriptum est etiam in veteribus Romanorum historijs: Tarquinio Priſco regnante, masculini sexus genitale ex igne emicuisse subitò: & cùm illic sederet Ocrisiâ, una ex ancillis Tanaquilis Reginæ, forma conspicua: se tactam exclamans, repentè gravida apparuit. Ita Servius Tullius natus est; qui regno deinde successit. Sed cùm in cunis cubaret: confestim ei caput exarsit: quo viso, Tanaquil, quæ futurorum præscia habebatur, exclamavit, puerum esse alendum: ut qui ex ejusmodi ostentis magnus admodum futurus portenderetur. Creditumq; illum Laris familiaris filium esse. Proinde Compitalia, & ludi Laribus primùm instituti sunt.

XIII. A Chaldæis Alexander monitus est imminere ei fatum: si ad Babylonem accederet. Et cùm monita sprevisset: & jam penè in urbem accessisset: vidit complures corvos in aëre acerrimè colluctantes: quorum aliqui ante ejus pedes prolapsi ceciderunt: ipse tamen nihilominus nimia quadam fiducia fretus & omen & præsagiũ contempsit. Et intra paucos enectus dies periit.

XIIII. Et Cæsari Spurina vates prædixit, Idus Martias ei fatales esse. Et cùm jam adventasset: Cæsar per jocum ad illum ait: Ecquid scis, Idus Martias jam venisse? tum ille: Ecquid scis, illas nondum præterijsse?

XV. Iulianum quoq; Cæsarem Hetrusci vates monuerunt: ut Phrygiæ locum caveret: si sibi suisq; cruentam mortem evitare vellet. Fato quisq; suo functus est: cùm minùs peritorum monitis fidem habuerit. *Franciſc. Patrit. locis ſuprà allegatis.*

XVI. *Quoties ingentes ſunt eventuræ calamitates vel civitati vel nationi: ſolent ſignù prænunciari.* Etenim Chijs ante cladem illam, qua ab Histiæo vincebantur & evertebantur, ingentia signa contigerunt. Vnum, quòd ex choro centum juvenum, quos miserant Delphos, duo omnino redière: nonaginta octo pestilentia absumptis. Alterum, quòd sub idem tempus, paulò ante navalem pugnam, tectum supra pueros literas discentes corruit: ita ut ex centum viginti pueris unus omnino evaserit. Hæc eis signa Deus præmonstravit. *Herodot. lib. 6. pag. 163.*

# CCCXI.

*PVblica, quando incipiũt fieri privata, degenerãt. Plerunq; ita fit cum rebus ſalutaribus, quæ olim fuerunt aliis quoq; communes: vt vbi earum vſus eſ-*

*se communis amplius non permittitur: sed iis, qui prius illis usi sunt salutariter, interdicitur: ea ipsa plerunq; evanescant: & nullū amplius usum præbeant.*

## EXEMPLA.

I. Retulit nobis nuper quidam: nonnullas thermas salutares Germaniæ, quas & nominavit, dum non omnibus volentibus uti, gratis, sed exacto pretio permitterentur, plane exaruisse: sublato autem illo iniquo vectigali, vel pensione, concessoq; libero usu omnibus, valetudinis curandæ gratia advenientibus: rursus ex fontibus, uti antea, copiosè manare cepisse.

II. Eadem olim quoq; accidisse scribit Athenæus, in Palude quadam, Alexandri Pyrrhi Regis temporibus. Nam fabas Aegyptius per biennium fructum ibi feraciter admodum protulisse, & crevisse. Alexandro postea custodiam statuente; neque carpere solùm eos, qui cupiebant, prohibente: sed ad lacum etiam accedere: paludem illam exiccatam esse: nec fructum postea amplius tulisse; quamvis aquam locus habuerit.

III. Res huic similima fuit (pergit Athenæus) & ea, quæ in Edapso accidit. Ibi enim, differens ab alijs aquis, aqua quædam frigida, ex fonticulo scatens, apparuit, non procul a mari: quam ægri bibentes plurimùm juvabantur. Quare efficiebatur: ut multi ex longinquis regionibus illuc ad bibendum accederent. Cùm verò Duces Antigoni Regis hanc parciùs dispensare cepissent: aliam multùm differentem bibentibus dari jusserunt; quo statim fonticulus exaruit.

IIII. In Troade etiam licebat volentibus Tragasæum salem ante id tempus capere. Cùm autem Lysimachus tributum imposuisset: continuò evanuit. Cumq; postea locum ob admirationem immunem iterum reliquisset: sal iterum crevit.

V. Ut autem ad recentiora exempla redeamus: non dissimile recenset Iacobus Maierus in Annalibus Flandriæ: quod Slusæ, Anno 1441. accidit. Conchæ hoc anno, inquit (Muschelen vulgò) apud Slusam, postquam earum collectioni impositum esset quoddam genus vectigalis, non comparuerunt: sed cessaverunt affluere: quæ res loco certi miraculi habita. Nam postquam sublatum est tributum: rursus advenerunt. Pauperrimi ijs vescuntur loco piscium.

VI. Verùm ne exempla tam longè petamus: si non tutius esset externa, quàm domestica, teste Cicerone, referre: possem indicare locum: & ea referre: quæ plusculos ante annos ibi acciderunt. Cùm enim acida aqua, admodum salutaris, illo in loco ex fonte perenni scaturiens, à multis ægris & sanis expeteretur: & is, qui scaturigines in suo fundo haberet, spe lucri adductus, eas observaret: certoq; precio constituto indigentibus impertiri nollet: mox fons ille acidus, alioquin perenni aqua ebulliens, exiit: & ita locus aquæ vacuus mansit: donec remotis impedimentis gratis rursus expetentibus præberetur: & omnibus accedentibus liber accessus ususq; concederetur.

VII. Huc pertinet quod Petrus Quinqueranus de Mannu refert. Cùm, inquit, Neapolitani Regis locum marina roratione solennem muro clausissent: ne aditus ad

colligendam eam pateret inopibus: nisi penso vectigali: inhibitus est statim mane descensus: reserata sunt claustra: tum verò Manna fluxit, tempore suo. Occlusus iterum fuit locus, atq; tertiò: atq; vicissim apertus: in summa, nulla unquam Manna in occlusum defluxit: in reseratum larga. *Philip. Camerar. Centur. 2. Oper. succisiv. cap. 69. pag. 401. 402. 403.*

# CCCXII.

*QVando Deus puniturus est sceleratos: eripit eis mentem & consilium: & tradit eos in reprobum sensum: hoc est: sinit eos errare in consiliis: & ruere in exitium suum & aliorum.*

*Quando impendent fatales pœnæ: homines abjecti à Deo singularibus furoribus attrahũt sibi exitia. Philip. lib. 3. Chron.*

*Deus non priùs punit: quàm sceleratorum mentibus errorem injiciat. Strigel. in orat. de Ieremia.*

*In pœnis furor est summa pœna: & auget calamitates. Idem ibid. Peucer. in lect. Chron. die 4. Novemb. Anno 1570.*

*Homines furiosi nec bonam conscientiam habẽt: nec moderata consilia. Ideo furenter suas in clades ruunt: sibi quas noxiis consiliis accersiverunt. Idem. 1. Samuel. 20.*

Es ist Gottes art also/wenn er die Leute vmb jrer Hoffart willen stürtzen wil/so macht er sie erstlich zu Narren/vnd blendet sie. Darnach wenn sie geblendet sind/sind sie bald geschendet/das sie sich in jhrer Klugheit müssen beschmeissen. Solches heist die Weisen zerstrewen/in jres Hertzen Sinn/

Denn

Denn er führet sie mit jhrer eigen Weißheit in das Verderben/das sie jre Anschläge auff das genawest vñ beste machen. Wenn sie es denn auffs beste beschlossen haben/vnd sagen/ So vnd so wollen wirs angreiffen/so spottet vnser HErr Gott jhr/Wolan/spricht er/gut also/jr seid auff der rechten Bahn/nur flugs her. In dem Stoltz leßt er sie hienan gehen/ Aber plumbs liegen sie da auff einem hauffen. Also stösset er sie/vnd fellet sie in jhrem stoltzen Sinn. *Luther. in festo Visitat. Mariæ, pag. 56.*

*Ante fatales imperiorum mutationes præcedunt ferè in animis Principum amentiæ & cupiditatum immodicarum implacabiles furiæ: quibus impelluntur autores: ut moveant vel irritent non necessaria bella—. Suntq; errores consiliorum, & furores stolidarum cupiditatum simul primæ & proximæ peccatorum in magnis Principibus pœnæ, & causæ ruinæ atq; interitus. Cœcitas enim aberrantia parit consilia turbata ratiocinatione. Cupiditates feruntur extra metas: nec parcũt conjunctißimis ctiã. Ex his bella, vel domestica, vel, post præconsumptas domi vires, externa—: quibus implicitos opprimunt aut clades insignes: aut ruinæ perpetuæ. In Chron. Philip. lib. 5. pag. 544.*

*Primus gradus pœnarum, quas impij merentur, est amißio lucis in mente: quæ parit infinitas dubitationes & errores: quibus fascinati non solùm ludunt fingendis cultibus & opinionibus de Deo: sed etiam*

*in gubernatione vitæ, & in deliberationib. cùm politicis, tum œconomicis horribiliter hallucinantur.* *Strigel. in orat. de studio Theolog. habita Ienæ, 9. Martij, An. 1552.*

*Impendentibus pœnis crescit furor impiorum.* *Idem 2. Paral. 24.*

*Plerunq; homines singulari petulantia fatales pœnas attrahunt.* *Philip. lib. 2. Chron. pag. 129.*

*Plerunq; fit, ut homines, eorum appropinquantibus malis, prudentiam inprimis & salubriora consilia, quorum ope imminentes calamitates vitare potuissent, amittere & negligere soleant, efficiantq;, quod miserrimum est, ut quod accidit, etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Præsagium autem Principum ruinæ* (ut Cominæus prudenter monet) *nullum est certius: quàm ubi Deus mentem illis ita imminuit: ut sapientum consiliis repudiatis, provehant homines novos, stolidos, vecordes & assentatores: qui omnia ad ipsorum gratiam faciant & loquantur. Nam simul atq; hæc eveniunt Principi: ipsi à Deo ruinam & perniciem imminere certò statuere possumus.* *Philippus Camerar. in Oper. succisivis, Centur. 1. cap. 56. pag. 249.*

*Cùm fatales pœnæ & calamitates impendent: non audiunt homines recta monentes: non locum dant salutaribus consiliis: sed plerunque illorum*

*obse-*

*obsequuntur affectibus : qui suadent deteriora*—. *Peucerus in lect. Chron. die 4. Novemb. Anno 1570.*

*Quando impendent ruinæ regnorum & Rerumpublicarum : talia consilia agitantur : quæ cedunt in communem perniciem*—. *Fata urgent homines, & rursum urgentur ab illis*, dixit quidam Poëta non malus hujus ætatis. *Strig. in Chron. part. 2. pag. 211.*

*Regulare est illud, quòd DEVS, quandocunq; impios trahit ad pœnas, primùm auffert eis mentem.* Quod Germani hoc ferè proverbio efferunt : Quem DEUS excœcaturus est : huic primùm oculos claudit. *Bucholcer. in Chronolog. pag. 174.*

Homerus :

*Hunc Deus, ut pereat, privabit lumine mentis.*

Versus qui citantur in oratione Lycurgi contra Leocratem :

*Iratus ad pœnam Deus si quos trahit :*
*Aufferre mentem talibus primùm solet :*
*Caliginemq; offundit : ut ruant suas*
*Furenter in clades : sibi quas noxiis*
*Accersierunt ultrò consiliis mali.*

Lucanus lib. 9 :

*Hoc placet, ô Superi, cùm vobis vertere cuncta*
*Propositum, nostris erroribus addere crimen :*
*Cladibus irruimus, nocituraq; poscimus arma.*

Mardonij Persæ dictum, apud Antaginum Thebanum cœnantis : ὅτι δὲ θεὸς γνώεσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ : ἀμήχανον ἀποβέψαι ἀνθρώπῳ : οὔδε γὰρ πισὰ λέγωσι ἐθέλει πιθέσθαι οὐδείς. Quod decretum est à Deo, ab hominibus non potest averti : neq; rectè consulentibus quisquam vult obtemperare. *Herodot. de expeditione Xerxis in Græciam, in Calliope.*

EXEM.

# EXEMPLA.

I. Crœsus non audit salutares monitus Lydi cujusdam; qui ne irritaret Persas, suadebat: sed fatali impetu fertur; & se & regnum Lydorum evertit.

II. Xerxi dissuadebat expeditionem in Græciam prolixa oratione Artabanus: sed frustrà. Nam Xerxes fisus suis viribus, expeditionem illam suscipit. *Vide Herodot. lib. 7.*

III. Crœsus dissuadet Cyro bellum contra Massagetas, tanquam non necessarium, proposita illi hac memorabili sententia: Humanarum rerum circulum esse: qui eosdem diu felices esse non sinat. Sed nihil impetrat: proponit ipsi suam calamitatem; in quam, cùm simili de causa bellum suscepisset, incidisset. *Vide Herodot. lib. 1. circa finem.*

IIII. Dеvs Pharaonem indurat: eiq; mentem eripit: ut non considerans decem horrendas plagas, tamen singulari cœcitate & amentia, denuò persequi Israëlitas instituat; & cum toto exercitu in medium mare & præsens exitium præceps ruat.

V. Apud Herodot. in Clio Astyages Harpago, cui carnes proprij filij in cœna apposuerat, exercitum contra Cyrum commendat: per quem punitur.

VI. De Nabochodonosore ait textus apud Daniel. cap. 4: **Vnd das Menschlich Hertz sol von jm genommen/ vnd ein Viehisch Hertz jm gegeben werden.** Ibi Lutherus ad marginem: **Weißheit muß am ersten weg genommen werden/wenn ein Herr fallen sol.**

VII. Israëlitæ ter defecerunt à Regibus Babylonicis, à Phulassare semel, à Salmanassare bis. Phulassar abduxerat totam tribum Nephthalin. Ipsi tamen non terrentur: sed rursus deficiunt; donec à Salmanassare universæ tribus decem in captivitatem Babylonicam abducuntur, deleta Samaria. *Vide 2. Reg. 15. & 17.*

VIII. Cùm obsessa Ierosolyma à Nabuchodonosore, excidium & urbi & templo imminerent: Rex & cives obstinati noluerunt audire conciones Prophetæ Ieremiæ suadentis deditionem. Eadem facta sunt in ultimo excidio urbis Ierosolymæ.

IX. Vrgentibus fatis Rempub. Romanam, cùm exortum esset bellum civile inter Iulium Cæsarem & Pompejum: quo mutata est forma Reipub. in Monarchiam: frustrà à Cicerone & alijs moderatioribus, periculum intelligentibus, pacis æquæ conditiones proponebantur. *Vide Plutarch.*

X. Ahitophelis consilium, de obruendo Davide noctu, datum Absaloni, erat optimum: & si successisset, ut consuluerat Ahitophel: haud dubiè oppressus fuisset. Sed impeditur hoc consilium: & excœcatur Absalon divinitus; ut pœnas daret impiorum conatuum: quibus patrem à regno expulerat.

XI. Cùm Alexander cum exercitu in Asiam transiret contra Persas: Memno Rhodius unus ex Ducibus Persicis suasit, ne dimicaretur: sed ut agri vastarentur: atq; ita hostes privarentur commeatu: ne progredi possent: simul ut bellum à Persis totis viribus in Macedoniam transferretur. Hoc consilium fuisset optimum: sed fatale erat excindi Persicum regnum. Ideo Darius non obtemperabat: sed præferebat cæterorum Ducum consilium; qui suadebant, ut dimicaretur. *Diodor. lib. 17. Biblioth.*

XII. Dеvs cùm Amasiæ impietatem & in virum Dei contumeliam puniret:

immisit

immisit menti ejus δυσβουλίαν & amentiam: ut Ioram Regem Israël bello non necessario petulanter lacesseret & provocaret: in quo tandem capitur. *Buchole. in Chronolog. pag.* 384.

# CCCXIII.

## *Violata & aperta sepulchra secuta est fortunæ mutatio in magnis Principibus.*

Placet sepulchra mortuorum non violari: sed ea veluti sancta DEOq; sacrata venerari: quod Romano ac Pontificio jure multis legibus sancitum esse videmus. Solon quoq; inter præclaras leges suas etiam statuit: ne quis in defunctos maledicere auderet: pium namq; esse dicebat; sanctos eos putare: qui è vita discesserunt: & eorum urnas violare inexpiabilis religionis arbitrabatur. *Francisc. Patrit. lib. 5. de Repub. tit. 10. pag. 253.*

Nonnulli apud veteres sepulchra sua tanti fecerunt: ut ne inferri etiam posteros permitterent. Hinc est illud Horatij:

*Mille pedes in fronte trecentos Cippus in agrum*
*Hi dabat hæredes monumentum ne sequerentur.*

Extant etiam temporibus nostris vetustissimi lapides, qui hoc testantur. Nam post nomina ac titulos sepulcrorum ejusmodi notæ inveniuntur: H. M. H. N. S. Quæ quidem significant: Hoc monumentum hæredes ne sequantur. *Idem pag. 254.*

## EXEMPLA.

I. Cambyses Saim urbem ingressus refodit cadaver Regis Amasis: quod multatum verberibus cremari jussit. Expeditiones, quæ secutæ sunt, infeliciter successerunt contra Aethiopes, Macromos & Ammonios. *Herodot. lib.* 3.

II. David Rex curat exhumari ossa Saulis & Ionathæ. Non multò pòst ruit in adulterium: quo perpetrato, omnia in eo facta sunt languidiora.

III. Augustus Cæsar curavit sibi aperiri sepulchrum Alexandri Magni Alexan-

d ix: & attrivit apicem nasi. Severus Imperator etiam aperuit: sed vetuit, ne deinceps aperiretur.

IIII. Alexander Magnus ingressus est sepulchrum Cyri: & legit inscriptionem: curavit eam sibi explicari. Dicitur autem hæc fuisse: QVISQVIS ADES MORTALIVM, AVT VNDECVNQVE VENIS: VENTVRVM ENIM TE SCIO: CYRVS EGO SVM, QVI REGNVM PERSICVM CONSTITVI: NE IGITVR MIHI INVIDEAS TANTILLVM TELLVRIS: QVO CORPVS MEVM TEGITVR: NOLI ME IRRIDERE. Hæc facta sunt non multò ante obitum Alexandri. Franciscus Patritius hoc Alexandri factum ita narrat: Alexander Macedo Darij victoria potitus cùm in Persas venisset: Polymachum Pellæum virum nobilem, quòd Cyri sepulchrum demolitus esset, necari jussit: motus præcipuè epigrammate jam dicto, Græcis literis inscripto. Hæc verba Alexandri mentem commoverunt: ut instabilitatem fortunæ cognosceret: & manes defuncti Regis ultione violati sepulchri impio sanguine parentaret. *Lib. 5. de Repub. tit. 10. pag. 253.*

V. De Carolo V. Imperatore affirmant: quòd Spiræ ingressus sit in criptam: in qua asservantur cadavera Imperatorum aliquot: inter quæ Rudolphi ejus: qui primus in hanc familiam decus & dignitatem intulit. Inde reversus obstupuisse dicitur, & mandasse: ne cuiquam unquam deinceps illa sepulcra aperirentur. *Pencer, in lect. Chron. d. 9. Febr. An. 1572.*

VI. Xerxes Darij filius, effosso vetusto Beli monumento, vitream urnam reperit, ubi jacebat in oleo mortuus: non tamen plena fuit urna: vacuumq; à summis labris fere palmæ spacium habuit. Adjacebat urnæ columna exigua: in qua scriptum continebatur, eum, qui sepulchrum aperuisset, neq; repleviset urnam, pessimè habiturum. Quo lecto, Xerxes expavit: & oleum celerrimè jussit infundi. Non tamen impletum est. Qui iterum infundi jussit: nec sic incrementum accepit: donec frustratus omni labore infundendi, cessaret: clausoq; monumento summa cum mœstitia discederet. Neque verò falsum eum habuerunt: quorum prænuncia significatrixq; extiterat columna. Nam quinquaginta myriadum exercitu adversus Græcos conscripto, magnam cladem accepit: reversusq; turpissima morte vitam finivit, noctu in stratis à propria filia peremptus. *Aelian. lib. 13. ex Herodoti lib. 3.* Nunquam sanè curiositas & cupiditas, conjuncta cum avaritia & superstitione cognoscendi res futuras, neq; gentilibus, neq; ijs, qui Christiani perhiberi voluerunt, impunis vel innoxia fuit: *ut ait Philippus Camerar. Centur. 2. Oper. succis. cap. 11. pag. 60.*

VII. Cicero sepulchrum Archimedis Syracusani effodi curavit: ut ipsemet gloriatur *in 5. Tuscul. fol. 241.*

VIII. Otto III. Imperator Aquisgrani ossa Caroli Magni spectavit Anno Christi 1001. De quo facto Georgius Fabricius, in libris de origine stirpis Saxonicæ ita scribit: Ossa Caroli Magni quo in loco essent Aquisgrani condita, certò non constat: & scire Imperator Otto III. percupiebat. Erat autem tum nullus monumentorum luxus: cùm sibi ea homines erigerent moribus & virtute: non saxo & marmore. Ideo ut quod vellet, cognosceret: pavimentum perfodi jussit: donec invenirentur in capulo regio. Crucem auream, quam de collo suspensam gestaverat, & partem vestimentorum nondum corruptam, apud se retinuit: reliqui omnia reponi suo loco mandavit. Displicuit hoc factum sapientioribus: qui non sine piaculo sepul-

chra

chra violari fletebant: & Carolus ipſi in ſomnis apparuiſſe ſcribitur, vultu vindicta, minatur fore, ut non diu viveret; qui vita functum inquietare non dubitaſſet. Hactenus Fabricius. Mortuus eſt autem Otto Imperator anno ſequenti poſt, ætatis ſuæ 28. Imperij 17.

IX. Supra portas urbis celeberrimas in loco edito atq; conſpicuo ſepulchrum ſibi extruxit Semiramis. atq; his literis inſcripſit: SI QVI REGVM BABYLONIS POST ME FVTVRORVM FVERIT PECVNIAE PENVRIA: APERTO SEPVLCHRO SVMAT QVANTVMCVNQVE LIBVERIT, PECVNIAE DVNTAXAT INDIGENS: ALITER NE APERIAT. NON ENIM, SATIVS FVERIT. Hoc ſepulchrum tam diu fuit immotum: dum regnum pervenit ad Darium. Is indignum eſſe ratus, ſe neq; ati quippiam his portis (ideo autem non utebatur, quòd ſupra caput ipſius tranſeuntis mortuus ſitus eſſet) neq; ſumere pecunias repoſitas, & eas ipſum provocantes: reſeravit monumentum; in quo non quidem pecunias invenit: ſed literas ita dicentes: NISI PECVNIA ESSES INEXPLEBILIS, ET TVRPIS LVCRI CVPIDVS: HAVD APERVISSES VRNAS DEFVNCTORVM. *Herodot. lib.* 1.

X. C. Iulio Cæſari futura cædes evidentib. prodigiis denunciata eſt. Paucos ante menſes cùm in Colonia Capua deducti lege Iulia coloni, ad extruendas villas ſepulchra veteriſſima diſijcerent: idq; eò ſtudioſiùs facerent: quòd aliquantum vaſculorum operis antiqui ſcrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ ſepultus, inventa eſt conſcripta literis verbisq; Græcis hac ſententia: Quando oſſa Capys detecta eſſent, fore ut Iulo prognatus, manu conſanguineorum necaretur, magnisq; mox Italiæ cladibus vindicaretur. Cujus rei, ne quis fabuloſam aut commentitiam putet, autor eſt Cornelius Balbus familiariſſimus Cæſaris. *Sueton.*

XI. Carthaginenſium Duces Annibal & Himilco Agrigentum obſidentes, militibus mandârant, ut ſepulchra eruerent: eaque ruina aggerem ad mœnia ducerent. Nec ſegnis ad imperium multitudo, facilè deduxêre opus. Ibi inter eruendum ingens quædam religionis reverentia, & Deorum pavor cepit exercitum. Nam Theronis ſepulchrum miræ molis artisq; opus, fulminis ictu concuſſum tremuit. Quo portento procurato, nonnulli vates cùm ad eruendum properare multitudinem vidiſſent: obſiſtere prohibereq, ne id committeretur, conati ſunt: moxq; repentè peſtilentia invaſit caſtra; quæ multos abſumpſit; nec paucam turbam in varias afflictiones, gravesq; calamitates diſtortam traxit: in quibus Hannibal Dux interijt. Tum ex his, qui in vigilijs pernoctabant, nonnulli vidiſſe ſe per noctem manes & ſimulachra vita defunctorum per umbram vagantia. Himilco ab eruendis ſepulchris deſtitit: mox Dijs ſupplicia peregit; Saturno infantem immolavit: Neptuno turbam ſacerdotum ſummerſit. *Herodot. lib.* 3.

Habemus tamen exemplum Regis cujusdam: cui violare ſepulchra religio erat. Fuit is Ludovicus XI. Galliarum Rex: ſicut id recenſetur à Roberto Gaguino in hiſtor. Francorum, lib. 11. cap. 12. ex quo apparet, Regem illum mortuorum famam, abolitis odijs, qualiscunq; eorum vita fuerit, illibatam habere voluiſſe. Fuit Agnes, inquit, quæ Bella nuncupata fuit, Ludovici patris pellex. Ea in Divæ Mariæ templo, quod in caſtello Lociarum eſt, ſepeliri voluit. Datoq; ſacerdotibus annuo

proventu, in medio templi choro sepulchrum sibi extrui impetravit. Ad eum locum aliquando divertens Ludovicus, est scisitatus, cujus hoc esset monumentum. Est, inquit quidam ex clero, Agnetis illius, quam propter formæ decorem Bellam vulgus appellabat; sed quia nobis impedimento est sepulchrum: vellemus cum tua venia in alio aliquo sacello reponere. Non æquum, inquit Rex, postulatis. Quanquam enim illa dum vixit, mihi sit multùm adversata: multeris tamen bustum contra leges non violabo. Sed nec vos arbitror illius cadaver sine largo ejus munere hic collocasse. Servate beneficii, quod viventi promisistis. Nec vobis fas esto hinc movere sepultam. Vt autem illius causa obnoxiores DEVM orare sitis: accipite dono sex millia librarum. Et hæc dicens, jussit nummos sacerdotibus tradi; quos in perpetuos templi reditus impenderent. *Philip. Camer. in Op. succ. Centur. 1. cap. 3. pag. 11.*

XII. Monumentum ne violandum quidem esse, Sertorius edocuit. Nam cùm Tigennam Mauruſiæ oppidum expugnasset; in qua nobile sepulchrum Antæi ab incolis esse dicebatur: verùm cùm præ magnitudine fidem transcenderet: id Sertorius dirui jussit: corpusq; reperit septuaginta cubitorum, ut Plutarchus refert. Quod cùm instauraretur: summopere admiratus est: & quàm primùm sepulchrum instaurari jussit: famamq; rei auxit: ne violati monumenti reus haberetur. Tigennam Antæi uxorem fuisse perhibent: quam Hercules superato interemptoq; viro, complexus est: exeaq; filium Syphacem genuit; qui postea de matris nomine urbem condidit. Scribunt etiã Cosmographi: idem Antæi sepulchrum augustum sanctumq; adeò fuisse: ut si aliqua pars ejus erueretur: confestim pluvia & imbres sequantur: nec priùs desinant: quàm demolita instauretur.

XIII. Simile quiddam referunt de Strati Poëtæ monumento: quod ad Pompejopolim Syriæ urbem, quæ quondam Solöe vocabatur, fuit in edito quodam tumulo. In quo quidem jacti lapides è vestigio in jacentem resiliunt; divino potiùs miraculo: quàm naturali aliqua ratione. *Francisc. Patrit. lib. 5. de Rep. tit. 10. pag. 254.*

# CCCXIIII.

*EXperientia testatur, eos, qui statuis, prædictionibus, tabulis, & aliis superstitionibus fidem nimis facilem adhibuerunt, licet nonnũquam illis aliquantisper impune fuerit, non rarò etiam prosperè cesserit: tamen tandem tristem eventum, ac perniciosum exitum sensisse: idq; ferè innumeris historiis demonstrari absq; difficultate posset. Philip. Camerar. Centur. 2. Oper. succis. cap. 11. pag. 63.*

EXEM-

# EXEMPLVM.

Memorabile inprimis est exemplum: quod Constantinopolitanis in obsidione & occupatione luctuosissima postremâ Anno CHRISTI 1453. accidit. Non enim solùm multis inanibus superstitionibus, veteribus & novis, quarum auxilio vim Turcici exercitus propellere sperarant, eorum animi occupati fuerunt: sed etiam oraculo, vel vaticinio veteri, nimiam fidem attribuerunt: quod tale fuit: Fore aliquando, ut ab hoste potentissimo occuparetur major pars urbis: verùm cùm is perveniset in locum celebrem: qui à tauro æneo nomen habuit: eum tunc à civibus & incolis coadunatis repulsam passurum: & ex urbe ejectum iri. Freti itaq; hoc vaticinio, cùm Turcæ post frequentem oppugnationem, pulsis propugnatoribus, mœnia transscendissent: tunc major pars civium in Taurum confluxit: reliquosq; attraxerunt: sperantes hostem inde repulsuros: & patriam in fatali loco urbis conservandæ servaturos. Verùm aliter evenit. Nam tanta consternatio fuit civium: tantaq; impressio hostilis: ut potiùs per adversam portam, versus mare, ad naves fuga sibi salutem quærerent: quam fortiter Turcis resisterent. Imò hoc oraculo freti custodes portam fugienti agmini occluserunt: atq; ut cogi non possent ad eam denuo reserandam: claves extra muros projecerunt: ita ut vanitas hujus vaticinij, cum ipsorum excidio, & urbis direptione, mox apparuerit. Quocirca nonnulli sunt in illa opinione: hoc vaticinium crusam præbuisse: ut cives & milites in defendendis mœnibus patriæ minùs constantes fuerint: ac potiùs ad fatalem illum, & illis salutarem locum, ut sibi persuaserant, intempestivè se recipientes, desertis propugnaculis, festinârint: hostiq; aditum in mœnia hac ratione maturiùs patefecerint. *Idem ibidem.*

# CCCXV.

*OMnis timidus est Homicida.*

πᾶς δειλὸς φονικός, & ψοφοδεὴς. **Was so einen** perversum timorem **hat/ ist heimisch vnd mördisch.** *Philip. in Postilla per Pezel. ed. part. 2. pag. 536.*

*Omnis naturâ timidus, simul est suspicosus & crudelis: quia ex timiditate nascitur suspicacitas. Suspicacitas autem in naturis timidis & obtrectatricibus ex se gignit suspiciones falsas. Postea inflammatæ suspicionibus corripiunt odia: & cupiditate vindi-*

*ctæ exardescunt: quærunt prætextus & occasiones tollendi & ulciscendi eos: quos suspicantur vitæ aut imperio insidiari. Timiditas parit suspicionem. Suspicio impellit animos ad omne genus pessimarum artium & pessimorum conatuum: & inprimis est pernicioſum malum in gubernatoribus.* Peucer. in lect. Chron. die 8. Augusti, Anno 1573.

*Omnis natura timidus est suspicax & crudelis. Ex timiditate oritur suspicio: ex suspicione verò crudelitas. Suspicaces enim cùm facilè credant, & delationibus leviter assentiantur, & avidissimè arripiant, & promptè admittant calumnias, quæ deferuntur: citò inflammati concipiunt odia: & cupiditate vindictæ exardescentes quærunt prætextus & occasiones tollendi & ulciscendi eos: quos suspicantur vitæ aut imperio insidiari.* Idem.

*Omnis timidus est homicidialis*, Ein verzagter Mann schlägt nicht ehrlich. Nam non honorem, sed necem quærit, & muliebri impotentia vindictam. *Philip. in Postil. per Pezel. edita part. 4. pag. 87.*

Δειλὸς, timidus & malus: quia *omnis timidus est malus.* Quare timidi sunt mali? Quia, ut dicit Plutarchus in vita Artaxerxis, *omne timidum est propensum ad cædem faciendam.* Tutius est dimicare cum forti milite: quàm cum timido: quia miles fortis est contentus vulnere: sed timidus homo, quia metuit sibi, conatur hominem prorsus è

medio

medio tollere: ne sit superstes vindex aliquis injuriæ. *Srigel. lib. 2. Ethic. pag. 278.*

*Istud plerunq; vicium, quod ex impotentia eorum animi oritur, qui iracundiæ & ulciscendi libidini moderari nesciunt, nunquam in excelsam & generosam indolem, sed ferè in naturas timidas, ignavas & degeneres cadit. AntiMachiavellus lib. 3. pag. 475.*

## EXEMPLA.

I. Artaxerxes Mnemon neque consilio valuit: sed timidus natura, & animo abjecto: & idcirco crudelis; quia *timidus omnis crudelis*: sicut ait Plutarchus in vita ejus. *Timiditas est homicidialis*: & facit, ut leni strepitu terreantur homines. Alacritas animi verò est mansueta & lenis, & sine suspicione, non indulgens suspicionibus. Animus excitatus & alacer non facilè capitur suspicionibus: nec indulget suspicionib. Sed *timidus animus est homicidialis. Omnis timidus crudelis.* **Kein verzagter Mann thut keine freydige That.** *Peucer. in lect. Chron. d. 1. August. An. 1573.*

II. Darium etsi vocaverat ad regnum Bagoas: tamen ut *semper in metu sunt homicidæ*, hunc quoq; metuens, veneno tollere Darium conatus est. Sed re indicata, Darius Bagoam venenum, quod in eo convivio Regi daturus erat, bibere coëgit. *Philip. lib. 2. Chron. pag. 92.*

III. Mauritius Imperator bella gessit cum quodam Rege barbaro: à quo prælio superatus est: & maxima ejus exercitus pars fugata: captiq; sunt plures duobus millibus militum. Barbarus obtulit Mauritio singulos redimendos uno nummo. Hic propter nimiam avaritiam noluit. Barbarus secundò obtulit: & hic secundo recusavit. Quare Barbarus motus iracundia, universum multitudinem captivorum trucidavit. Tandem post exiguum temporis spacium, vidit Mauritius in somnis imaginem Salvatoris nostri, in sublimi cruce pendentem: & juxta eum stantem multitudinem trucidatorum, ipsum accusantium. Visum est igitur Mauritio, se à CHRISTO vocari. Accedit igitur ad CHRISTVM, sic interrogantem eum: Maurici, utrum vis luere pœnam pro captivis his interfectis in hac vita, an in altera? Ille supplex procumbit, rogans ut sibi parceret in altera vita: ac in hac potiùs sumeret pœnas. Tunc CHRISTVS: Ergo si vis in altera vita non puniri: in hac vita lues tuorum peccatorum pœnas: ideoq; tradam te in potestatem Phocæ: ut interficiat te cum tota familia. Manè expergefactus Mauritius, ac nimiùm illo somno perterritus, ad se vocat Philippum (*L. 3. Chr. P. pag. 272.* hic Philippus appellatur Philippicus, quem ex carcere eductum Mauritius interrogaverit) quem antea suspectum habuerat: dixitq; ad eum: Philippe, sæpè habui te suspectum: quòd affectares meum regnum: jam verò te omni suspicione libero. Hac nocte mihi revelatum est in somno, me interficiendum

esse

esse a Phoca. Quæritur igitur, qualis esset? Ibi Philippus inquit: Nihil est quòd verearis à Phoca: est enim homo timidus. Ibi statim Mauritius subjecit: *Si timidus est, homicida est. Omnis enim timidus est homicida, & crudelis.* Paucos post dies annunciatum est Imperatori, Phocam cum exercitu venire ad interficiendũ ipsum. Imperator fugit ad amicum: sed retractus est ex fuga: & priùs in conspectu ejus trucidati sunt filij. Postea cùm infans quæreretur: dixit Mauritius, eum esse apud nutricem. Missum est ad illam, ut afferret ei infans. Nutrix misericordia mota erga Imperatoris filium, ipsum abdit in loco quodam secreto: & suum pro eo adfert. Pater agnovit suum non esse: nec voluit alium infantem pro suo interfici. Dixit igitur ad Phocam: Iste non est meus: parcas alieno innocenti sanguini: & jubeas adferri meum. Coacta est igitur nutrix adducere Imperatoris infantem: qui adductus, patre etiam intuente, est transfossus. Demiq; cùm & conjugem adductam ante oculos suos videret interfici, exclamabat Mauritius: Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Tandem & ipse Mauritius decollatus est, repetito iterum hoc versiculo Psalmi: Justus es Domine: & rectum judicium tuum. *Philippus in Locis Manl. pag.* 118. *Item in Locis Theolog. pag.* 457. *Item in Postil. Pezeliana. part.* 4 *pag.* 87.

IIII. Isacius Angelus Imperator Constantinopolitanus, fuit natura timidissimus: & idcirco truculentus ac sævus. *In Chron. Philip. lib.* 4. *pag.* 457.

V. Nihil fuit in VVenceslao, Caroli IIII. Imperatoris filio, hominis simile, præter speciem: quanquam & ea fuerit distorta atq; deformis, Thersiti quàm Principi similior. Ingenio fuit hebeti ac sordido, nullarum rerum, nisi voluptatum, intelligente. Animo non à Republica tantùm, sed penè ab omni honestate alieno, at timido, & ad immanitatem usq; sævo ac truculento. πᾶν γὰρ δειλὸν φονικὸν & φοφοδες. *Lib.* 5. *pag.* 614.

VI. Claudius Cæsar, qui post Caligulam præfuit Imperio Romano, fuit timidissimus: sicut narrat de eo historia apud Dionem: Erat usq; adeò timidus: ut perterritus sæpenumerò nequiret, quid sibi faciendum esset, animadvertere. Et cùm audisset Vinicianum & Furium Camillum, præsides provinciarum, contra se conspirasse: tantus invasit illum timor: ut voluerit deponere Imperium. Fuit suspicax: & facilè credidit delationibus. Chæream interfectorem Caligulæ interfecit: non quòd Caligulam interemisset: sed quòd suspicaretur illum, cùm Caligulam sustulisset, non etiam vitæ suæ insidiari. A Messalina & cæteris domesticis, qui timiditatem ejus nôrant, impulsus est sæpenumerò: ut multos sine causa interimeret. Hi enim cùm scirent, eum timidum esse, & delationibus fidem adhibere: quem oderant, deferebant calumniosè: ut à Claudio interimeretur. Ita interfectus est C. Appius Syllanus: qui offenderat Messalinam conjugem Claudij. Et Narcissus, cùm recitasset somnium de hoc Appio: quòd in somnis vidisset Claudium ab hoc Appio interfici: & accessissent exaggerationes Messalinæ: Appius Claudij jussu interfectus est. Plures alios calumnijs oppressos interemit. *Dion in Claudio.*

VII. De Valentiniano scribitur, eum, cùm naturâ in iram vehementiùs effervesceret, ad pavores tamen irritos aliquoties abjectiùs pallere solitum, &, quod nusquam erat, inconsideratè metuere. Hæc quidem ira fervidior illi mortis etiam tandem causa fuit: cùm in Quadorum legatos vehementiùs excanduisset.

VIII. Cajo

VIII. Caio Caligula vix alius aut immanior, aut timidior fuit. Nam in expeditionibus adeò trepidabat metu: ut ad solam hostium mentionem cohorresceret.

IX. In Nerone, Tyranno immanissimo, non minor ignavia quàm sævitia fuit. Neq; enim ullam expeditionem adijt; verùm omnia militiæ munia legati, strenuè ac fortes sanè viri, administrabant: dum iste cithara ludicrum in modum canens, & inter histriones aut igasq; pudore vulgato, publicis theatris se imperiumq; dedecorat Cæterùm, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione, nunquam timore vacuus. *Anti Machiavellus lib. 3 pag. 476. 477. 478.*

# CCCXVI.

*PLeruṅq; ita accidit: ut sævi & iracundi Principes, molles quoq; atq; ignavi sint: generosi & fortes, lenes & humani. Adhæc sævos Principes nunquam ferè bono & miti obitu vitam claudere: DEVMq; ita meritò statuere: cùm nemo possit humano sanguine ludere: quin jus divinum inprimis violet: quo cædes prohibentur.* Quis ergo miretur, sævos & sanguinarios Principes tetrum dirumq; finem vitæ habere, qui omnia jura naturalia, divina atq; humana violent? *Anti Machiavell. lib. 3. pag. 476. 477.*

# CCCXVII.

*HOmicidæ nō sunt diu superstites, nō diu vivunt. Strigel. part. 2. Chron. pag. 87.* Id etiam de Lupis homicidis Physici asserunt.

Psalmus 55. inquit: Viri sanguinum & dolosi, non attingent dimidium dierum suorum: id est, non diu vivent: non diu erunt superstites. Homicidæ & Sophistæ cruenti, sunt viri sanguinum & dolosi, **Blutthunde.** *Idem ibid.*

## EXEMPLA.

I. Cambyses motus falsa suspicione jussit interfici fratrem. Duxit uxorem sororem suam: & lacrymantem propter fratris necem, excandescens gravidam interfecit. Hanc domesticam crudelitatem alij furores secuti sunt. Cùm Prexaspes reprehendisset ejus temulentiam: dixit se ostensurum esse, sibi mentem etiam inter pocula integram esse: ac jussit in convivium adduci filium Prexaspis: quem collocatum ad limen jussit puerum sinistram manum capiti imponere: & arcum intendit: ac ad cor adolescentis sagittam direxit. Quod cùm vulneratset icto pectore: hærens in corde spiculum pati monstrat: eumq; ridens interrogat, satis nè certam manum haberet? Pater sibi metuens, artem laudat. Sed talis cùm esset Cambyses: aliquantò post divinitus punitus est. Cùm enim in equum ascenderet: decidens ex vagina gladius ferit ei femur. Ex eo vulnere paucos post dies mortuus est: cùm regnasset annos septem, menses quinq; *Philip. lib. 2. Chronic. pag. 62.*

II. Ex Iulij Cæsaris interfectoribus nullus supervixit triennium.

## CCCXVIII.

*MVtatio habitus seu vestitus usitati plerunq; affert mutationem vitæ, morum, & tandem etiam status publici.*

*Principium mutationis morum à vestitu incipit.*

*Inter corruptelas Rerumpublicarum, meritò affectatio sive novitatis sive peregrinitatis in vestitu numerari debet. Philip. in Locis Manl. pag. 343. Et Tom. 1. Declamat. pag. 589.*

*Vestis sæpe est signum modestiæ & honestatis: vel econtrà. Idem in ijsd. pag. 344.*

*Levitas in vestitu est signum, & significatio levitatis in moribus, & in aliis vitæ actionibus. Idem pag. 347.*

*Animadverterunt docti viri, sermonem, habi-*

*tum,*

*tum, inceſſum, & alios motus corporis, tanquam actionem eſſe animi: in qua velut in ſpeculo cujuſq; natura cerni poſſet.* Sic & Eccleſiaſtes dicit: Amictus, riſus, & inceſſus, produnt hominis ingenium. *Idem Philip. in Locis Manl. pag. 342. Et Tom. 1. Declamat. pag. 588.*

*Mutatio habitus argumentum eſt mutationis ingeniorum. Affectatio peregrini habitus innuit plerunq; peregrinos mores. Peucer. in lect. Chron. die 26. Aprilis, Anno 1572.*

*Quando mutatur veſtitus, eſt ſignũ futuræ mutationis. Mutatio veſtitus eſt parvum quiddam: & tamen ſignificat magnam levitatem in aliis rebus. Philip. in Cordiali Abrah. Bucholceri, pag. 123.*

*Mores gentis noſtræ unà cum habitu mutatos, & quotidie mutari, nimis multa argumenta ſunt. Tom. 7. Intimat. VViteberg. pag. 647.*

*Novitatis in veſtitu affectatio multas ex ſe alias peſtes gignit: & plerũq; animi vicia prodit atq; alit. Tom. 1. Declamat. in orat. de veſtitu, pag. 583.*

*Qui tantopere monſtroſa veſte delectantur: animos etiam monſtroſos habent. Tom. eod. pag. 586.*

Capnio quando videbat novitates in veſtitu, ſolebat dicere: Si eſſem juvenis, curarem mihi fieri calceos cum roſtris in poſteriori parte pedis: ut etiam autor eſſem novi exempli. *Philip. in Poſtil. Pezel. part. 4. pag. 328.*

Wenn Adam jtzt widerumb von den Todten auffſtehen ſolte / oder die alten Teutſchen / welche feine lange / ehrliche / vnd einfeltige Kleydung getragen / So würden ſie ſich vber

solchem Fürwitz nicht allein wundern / sondern vns auch anspeyen/das wir Teutschen vns so garstig in Kleydung haltē. Vñ ist desto närrischer/ deñ man mit Kleydung solchen pracht vnd Fürwitz treibet / do doch die Kleydung ein memorial vñ erinnerung der Sünden ist. Denn Gott hatte Adam vnd Hevam nacket erschaffen / vnd wenn sie in der Vnschuld blieben/ hetten sie keiner Kleydung bedurfft/were jnen auch kein vbelstand oder schande gewesen/das sie nacket gangen/Sondern hetten also im Paradeiß ohne Sünde/ohn alle böse Gedancken/ gelebet. Do sie aber in Sünde gerathen / da sind jhnen Kleyder verordnet/damit sie sich bedecken musten/welches jhnen eine stetige erinnerung des Fals sein solte. Denn damit wurden sie erinnert/ das sie in jhrem Stande nicht geblieben / wie sie von Gott erschaffen / vnd derwegen die Kleydung trugen / wie ein Gefangener eine Ketten oder Strick am halß oder Armen offtmals tragen muß / zur anzeigung/ das er ein Gefangener sey / vnd den Todt verdienet habe. *Sigfridus Saccus in Postilla, pag. 339.*

Homerus ait, honestum habitum ad existimationem augendam conducere. Nostis enim versum:

*Namq; viro vestis magnum decus addit honesta.*

Neq; id ad vestis precium pertinet. Non enim gemmæ, aut aurum, aut purpura, quarum rerum usu in civitatibus benè constitutis, etiam interdictum est honestis hominibus, magnoperè ornant viros: sed quia pro ingeniis ac morib vestitum ferè quisq; sumit, magnam commendationem habet honestus habitus: quòd eo boni viri delectari judicentur. *Tom. 1. Declamat. pag. 588.*

Quanta mala secum trahat affectatio novitatis in vestitu (qualia sunt: contemptus legum: feritas & mollicies animi: peregrinæ luxuriæ approbatio, & alia) vide in orat. de vestitu. *Tom. 1. Declamat. pag. 590. &c.*

Vnsere majores haben getragen Spitzen an Schuhen/ Jtzt nimpt man sie von Schuhen / vñ setzt sie auff die Köpff/

der

der Türcke tregt sie auch. Quid ergo fiet? Er wird ein mal kommen/ vnd vns für die Köpffe schmeissen/vnd sagen: Wie das du meine Tracht tregest? *Profectò est præsagium magni ominis.* Fabricius.

Magnæ ruinæ & calamitatis signum est habitus Germaniæ, qui nunc est. Sie gehen daher in Kappen / als wer Germania nicht jhr patria, vnd wolten davon ziehen: Es wird etwas folgen. Demonax cùm videret quendam ex numero elegantiorum purpuram suam ostentantem: apprehensa veste ejus eiq; monstrata, ad aurem se admovens, Atqui, inquit, hoc antè ovis gestabat, & ovis erat. *Lucianus.*

Clemens Ianitius de vestitu Polonorum:

*Aut Turcæ turba ista favet: quia gaudet amictu*
*Illius: aut omen res habet ista malum.*

Vestitus tripliciter inservit usui hominis. Nam 1. tegit deformitatem corporis: tegit eas partes, quas natura tegendas esse docet. 2. fovet calorem innatum: & munit corpus adversus frigus & æstum. 3. addit corpori ornatum. Vnde proverbium: Vestis virum facit. Et noti sunt versiculi:

*Vir benè vestitus in vestibus ipse peritus*
*Creditur à mille: quamvis idiota sit ille;*

Vetus est proverbium: Vestis facit virum. Sed nunc potiùs est dicendum: Vestis ex viro fœminam facit.

Recepta jam in certis locis de vestitu opinio tantum valet: ut non possit, nisi cum aliqua immutatione Reipublicę, vel tumultu aut saltem cum indignatione aliquorum, in alium observationem transferri. *Petr Gregor. Tolos. lib. 4. de Rep. cap. 11. pag. 232. Et paulò pòst:* In mutatione receptorum & distinctorum cognitorumq; habituum & ornamentorum, ut certè quando nostra nobis displicere incipiunt, & aliena nimiùm placere, fit verissima, imò præsumptio urgentissima: & aliorum ritus nos facilè secuturos: & nostros relicturos.

De vestitu pias cogitationes habuit Gulielmus Perkinsi, in Armilla aurea, ubi dicit: Non est mirandum, Prophetam Isaiam tam acerbè invehi in excessum vestitus & lasciviam. Quia est 1. Profusio donorum DEI: quæ in alios bonos usus conferri possent. 2. Est indicium & quasi vexillum superbiæ: qua quis se aliis vult præferri. 3. Est signum ocij & ignaviæ. Qui enim in cultu corporis multum operæ impendunt: ij plerunq; aliarum rerum negligentes, & laboris impatientes sunt. 4. Est argumentum levitatis: quæ quotidie aliquid novi invenit: aut saltem imitatur. 5. Est confusio ordinum & officiorum: quæ in vita DEUS constituit: quia homines plebeij more nobilium se amiciunt. Ideo pergit paulò pòst: In vestitu debet esse decor sanctus: decor iste apparebit: si observentur vestiũ finis, qui sunt quinque: 1. Necessitas, ut corpora muniantur contra injurias caloris & frigoris. 2. Honestas, ut tegatur nudi corporis deformitas: quæ secuta est peccatũ. 3. Cõmoditas, qua pro ratione vocationis, & opificij, & vitæ modo, vestes aptantur: hinc alia aliis decora. 4. Frugalitas, qua habitus est juxta proportionẽ facultatum. 5. Distinctio personarum, id est, sexus, ętatis, officiorũ, temporum, actionum. Nam alius habitus virum, alius fœminam, alius juvenem, alius senem decet. Ideoque indecorum est, à viro geri instrumentum fœminæ, vel contrà. *Hucusq; Armilla.*

Rudolphus quoque Gvalterus *Homil. 101. in Matth. pag. 198.* vestium usum facit triplicem, nempe, Honestatis, Necessitatis, Pietatis. Ibiq; contra luxum vestium ita loquitur: Cæterùm hic sese exerit nostri ingenij perversitas: qua fit, ut multi nulla vel honèstatis, vel necessitatis, vel etiam salutis propriæ cura habita, ex eo proterviendi & superbiendi occasionem arripiant: quod ipsos ad pietatem & humilitatem debebat erudire. Est hæc intolerabilis & nulla venia digna levitas: argumentum deniq; evidens: eos qui illud faciunt, de peccatis suis & eorum emendatione adhuc nunquam seriò cogitavisse: neq; rationis satis compotes, sed phreneticorum similes esse: qui catenas & compedes, quibus vin-

cti sunt, pro torquibus & armillis aureis ostentant. Accedunt alia multa: quibus istorum scelus aggravatur. Nam primò contra CHRISTI doctrinam peccant: qui ne de vestitu necessario soliciti simus prohibet. Quis ergo eos illum magni facere putaverit, quibus tantum à curis severioribus otij est, ut de petulāti & immodico ornatu, sive luxu potiùs, tantopere laborent? Deinde CHRISTUM ludibrio habere videri possunt: quando illius in cruce nudi pendentis merito se confidere dicunt: cùm ipsi vestitu luxurioso, & ad fastum atq; libidinem composito sese ostentent. Violatur præterea charitatis lex: quando luxui & superbiæ traditur: quod egenis debebatur: & hoc divitis illius peccatum fuit: qui cùm ipse quotidie lautiùs epularetur: & molliùs atque splendidiùs vestiretur: ad fores suas jacentem Lazarum negligebat. Nec est, quòd hic sibiipsis blandiantur: qui interea eleemosynas aliquas faciūt: ut illo sanctiores haberi possint. Cùm enim simul luxuriari pergant ex eo: quo multorum, qui adhuc egent & nudi oberrant, inopiam sublevare poterant: satis apparet, quàm procul adhuc absint à perfectione Christiana: cujus exemplar in vidua illa CHRISTUS proponit: quæ ex suo victu in corbonam conferebat: cùm ipsi ne superflua quidem omnia egentibus largiantur. Accedit his scandalum multiplex. Nam qui vestitu superbo & molli utuntur: in multis libidinem accendunt: & turpissimarum cogitationum materiam præbent: multos ad imitationem similis petulantiæ provocant: ut sibi idem licere putent: neque ipsis inferiores haberi velint: multos item impatientes reddunt: ut sortem suam indigniùs ferant: & adversus DEUM, veluti iniquum suorum bonorum dispensatorem, murmurent. Quæ ergo pœnæ talibus sufficient, quando satis est cum mola asinaria ad collum alligata in maris abyssum demergi, quàm unum ex CHRISTI pusillis offendere? Comitatur hæc omnia impensarum magnitudo, cum jactura rei domesticæ, & simul cum solicitudine, quam CHRISTUS à

suis discipulis vult alienam esse conjuncta. Nam qui interea ad rem attentiores sunt: & tamen alios sui ordinis & loci homines sibi imitandos esse existimant: curis anxiis torquētur: & soliciti quærunt: unde sibi ista comparent: quæ cœca & superba libido dictat. Qui verò luxui jam assveverunt: nō minori solicitudine discrutiantur: dum cogitant, qua ratione peregrinitatis & novitatis studio, quo tales titillari solent, possint satisfacere. *Hactenus Gvaltherus.*

## EXEMPLA.

I. Alexander M. cùm in Parthiam castra movisset: ibiq; primùm barbaricam vestem induisset: Macedones summa molestia affecti sunt. Et hinc factum est: ut Ephestionem, novum habitum valde commendantem, eoq; itidem utentem, φιλαλεξάνδρον, id est, amicum Alexandri, Craterum autem, qui patria vestimenta retinere maluit, φιλοβασιλέα, id est, amicum Regis appellaret Alexander. *Vide Curt. l. 6.*

II. Augustus cùm videret Romanos peregrino vestitu delectari: sentiens quantum in ea re mali inesset, longa oratione cives objurgavit: & ad togæ usum revocavit, illum etiam Virgilij versiculum citans: Romanos rerum dominos, gentemq; togatam. *Tom. 1. Declam. pag. 585. Sigfridus Saxeus sic de eodem:* Xerxes Augustus, hat sich in Kleydung sehr schlecht gehalten/ vnd nur getragen/ was jm sein Gemahl/ Schwester vnd Töchter bereitet. Hat auch pflegen zusagen: *Vestitus insignis & mollis, superbiæ vexillum est, nidusq; luxuriæ.* In Postilla p. 206. Augustus Cæsar habitum vestitumq; priscum reducere statuit: negotiumq; dedit Aedilibus: ne quem post hac paterentur in foro circoq;, nisi positis lacernis togatumq; consistere. *Petr. Greg. Tolos. l. 4. de Rep. cap. 11. pag. 239.*

III. Pausanias, qui valde à virtute bellica commenditur, & cujus virtus præcipuè spectata est in bello Græcorum contra Xerxen, paulò pòst penè naturam exuit. Ostendit hoc primùm mutato habitu patrio, & assumpto cultu Persico: qui in primis in eo reprehenditur: & scribitur, mutationis initium fuisse à mutatione habitus. Ea re non tantùm odia cæterorum Græcorum incurrit: sed & in suspitiones apud suos gives semet ipsum adduxit graves. Postea accesserunt alia: quæ suspiciones auxerunt. *Peucer. in lect. Chron. d. 26. April. Anno 1572.*

IIII. Apud Virgilium cùm mollicies objicit Trojanis Turnus: à veste conjecturam facit. Ait enim: Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ. *Tom. 1. Declam. pag. 587. Et in locis Manl. pag. 342.*

V. Lacedæmonij hospitem Milesium cùm alijs delitijs affluentem, tum in vestitu sumptuosiorem, quàm pro Spartana consvetudine, jusserunt civitate excedere, ac domi Milesia exercere. *Tom. 1. Decl. p. 592. In Loc. Manl. pag 344.*

VI. David, cùm legatis suæ gentis à vicino quodam Rege vestes per contumeliam decurtatæ essent, ac barba contra morem rasa esset, jussit ut extremo regni oppido se tenerent: nec prodirent in publicum: donec barba crevisset. *Declam. Tom. 1. p. 594. In Loc. Manl. ibid.*

VII. Scribit

VII. Scribit Xenophon in institutis Lacedæmoniorum, Lycurgum præcepisse, ut pueri in publico, manus intra vestes continerent: ut tacentes discerent: nè circumspectarent; nec dejicerent oculos ab his, quæ ante pedes essent. Et quidem hæc magnarum virtutum tyrocinia quædam esse existimavit. Ait enim Xenophon, ideo hæc instituta esse: ut ad verecundiam pudorem ac modestiam à prima statim pueritia assuefierent. *Ibid. utrinque.*

VIII. Constat olim in Rebuspublicis clarissimos cives acerrimè vetera instituta defendisse. Nam, ut alia majora omittam, Romæ quoties sumptuariæ leges perlatæ sunt, ut majorum more vestiret civitas? Cato quanta contentione Legem Oppiam tuetur apud Livium, quæ modum sumptibus mulierum præscribebat? *Tom. 1. Decl. pag. 585. Et in Loc. Manl. pag 342.*

IX. Atq; hic venit in mentem mihi fabulæ cujusdam Germanicæ. Audisse enim vos de patribus vestris opinor: Regem Turcarum jussisse sibi omnium gentium habitus pingi. Cùm itaq; pictor plurimarum gentium vestitum depinxisset: tandem pingit nudum hominem, & juxtà varios pannos. Postea accersex à Rege jussus interpretari picturam, cùm exposuisset cætera: dixit, nudum illum, Germanum esse: cui certa forma vestitus pingi non possit: quia quotidie novam excogitet. Doleo unam hanc nationem, quæ gravitatis atq; constantiæ laudem alioqui sibi vendicat, hac parte levitatis insimulari posse. Cogit enim res ipsa fateri, apud nos incredibilem varietatem vestitus esse. *Tom. 1. Decl. pag. 586. In Loc. Manl. pag. 343.*

X. Audivi in terrâ Svevica Principem fuisse, summa prudentia ac pietate præditum, Eberardum Barbatum: sic enim vocant. Ad hunc ajunt venisse juvenem quendam petentem sacerdotium: fortè huic ventus aperuit vestem: ut videret Princeps scissas militari more caligas. Id nunc nemo tegere studet: tanta est impudentia: in illo casus retexerat. Ibi Princeps, ut erat acerrimus exactor custosq; disciplinæ morum, ita commotus est: ut quanquam loqui Latinè non soleret: tamen ira ei hæc verba expresserit: Vade ira: quasi diceret: ego sum iratus tibi, propter vestem, non ad sacerdotium convenientem: vade, ne tibi aliquid deterius accidat. Sic illum, quia ei succenserat, è conspectu suo abire jussit. Ac tantùm abfuit, ut sacerdotium conferret: ut etiam vehementer objurgatum dimiserit: quòd in Principis conspectum venire eum scurræ habitu, quòd ambire sacerdotium ausus esset, cum hac significatione impudentiæ ac levitatis: à qua longissimè abesse Sacerdotes decet, O censuram dignam laude. *Tom. 1. Declam pag 596 In Loc. Manl. pag 341.*

XI. Honestissimus quidam Dux habuit Nobilem apud se, sic vestitum, ut nunc est moris: ad quem dixit: Quæso mihi gratificare: eas ad sartorem: & finas te vestiri ex optimo panno, meo more: & depone scissas istas vestes. Ille inquit: Meo arbitrio me vestiam. Respondit optimus Dux: Et meo arbitrio te pellam ex mea aula: & statim oportuit illum discedere ex aula. *pag. 342.*

XII. Quidam Princeps, cùm sibi vestem extraneam confici curasset: interrogatus à suo Consiliario, quare tam peregrina veste uteretur? dixit, nihil referre, quæ sit vestitus forma. At ille subjecit: Vestis indicat Principem esse talem virum: qui suis Consiliarijs nolit obtemperare. **Das dürfft er jme ins Angesicht sagen.** *p. 346.*

XIII. In vicino quodam oppido templum ingrediens, vidi quendam Cantorem ad pulpitum stantem, & rogarum tum brevi tunica: ut vix nates tegere posset. Ita impudenter ille nebulo astabat in conspectu DEI: cùm honestæ matronæ ad sacram Do-

mini Cœnam accederent. Si ego fuissem Consul illius loci: cõiecissem illum seu ram in carcerem. Cogitate quantum doleant animi nostri: cùm videmus turpitudinem in vestitu. *Luxus in vestitu, & in epulo, multa secum vitia trahit.* Ibid.

XIIII. Jtzo gibt es entweder flucht ge vnd furchtsame Femen/ oder nasse vnd tolle volle Brüder/ vnd ist der grössert theil also beredet/ weñ ein Deutscher einen breiten Frantzösischen Hut/ einen spitzen vñ Spannischen Bauch am Wammes/ vnd ein Welsches par Hosen vmb die Beine hat/ es stehe sonsten wie es wolle, so sey er schon ein gewaltiger Kriegßman. Was neben anderm Vnwesen diese leichtfertige weise in Kleydern bedeute/ das haben vernünfftige Christen leichtlich zuermessen. Die Leut in Griechenland/ die jetzund vnter dem Türcken sitzen/ haben vor alters/ ehe vnd der Türck jhr Land hat eingenommen/ eben gleichförmige mores vnd sitten an sich gehabt/ vnd sich vor jhrem Vntergang vnd verderben gern auff frembder Nationen Sitten vnd Weise gekleidet/ vnd mancher nicht nur einer/ sondern zweier/ dreyer oder mehrer Nationen Kleydung auff ein mal an sich getragen. Da das vernünfftige kluge Leute gesehen/ haben sie als bald geweissaget/ das bedeute nichts guts/ sondern auff diese leichtfertige Verkleidung werde gewißlich bald frembde Volck ins Land kommen/ vnd der Türck vber die Griechen Oberhand gewinnen/ Jn massen auch vnlängst hernach geschehen ist. Obes den Deutschen mit jhrem verkerten thun gelingen werde/ das wird die zeit offenbaren. Gott helffe vnsern lieben Nachkömlingen/ vnd erbarme sich vnser in Gnaden. *Georg. Mylius Conc. 7. de Turcis, pag. 91. b.*

XV. Carolus, qui fuit pater Alberti Neapolitanorum Regis, cultu adeò brevi subducto; uti solebat: ut vix pudenda nates; contegeret: indeq; spectantibus moveret risum: cùm alioquj magnis virtutibus esset admirabilis. *Iovius, in elog.*

XVI. Hermannus Buschius, Poëta & in Academia Marpurgensi Professor celeberrimus, fortè fortuna per forum descendens, magnam turbam civium præterijt: & quia domestico habitu indutus fuit, nemo debitum ei honorem detulit. Quod videns Buschius, statim domum reversus est: & depositâ veste tenui, togâ admodum pralustri se induit: forumq; è vestigio revisit: ibi ei omnes assurrexerunt: omnes capita retexerunt: omnes reverentiæ signa dederunt. At verò doctus ille vir nihil talia moratus est: sed iterum domum se recepit: & togam pedibus conculcavit, dicens: Es tu Buschius, vel ego sum? Vehementer offensus est excellens Vir præpostero hominum judicio: quos animadvertebat non homini, sed vesti deferre honorem.

XVII. Ludovicus Pius Francorum Rex & Imperator Augustus, anno Imperij sui 16. Christi 830. Synodum habuit: in qua varietates vestium, luxusque gemmarum, auri & argenti nimia pompa, Ecclesiasticis interdicta sunt. Vtinam nostris temporibus Ludovice viveres.

XVIII. Fuit Andronico Iuniore imperante Constantinopoli tanta vestitus mutatio in aula Constantinopolitana: ut non Græcorum ampliùs conventus, sed Latinorum, Mysiorum, Triballorum, Syrorum, Phœnicum colluvies esse videretur: prudentioresq; non obscurum omen vel mutandi, vel affligendi Imperij inde acceperint.

XIX. Inter præsagia transferendi Imperij Persarum à Dario in Alexandrum Magnum recensebant: Darium principio Imperij vaginam acinacis Persicam jussisse mu-

tari

tari in eam formam, qua Græci uterentur: protinusq; Chaldæos interpretatos: Imperium Persarum ad eos transiturum: quorum arma esset imitatus.

XX. Pari modo fertur, Alexandrum victoria Darij potitum, purpureum diadema dissimctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedisse: vestemq; Persicam sumpsisse: & quamvis ille se spolia Persarum gestare diceret: tamen verè cum illis mores induisse: & superbiam habitus, animi insolentiam secutam fuisse manifestum fuit: & proinde exosum Medorum habitum, & militum Medorum beneficia; unde & milites & amici tantum in eum odij conceperunt: ut illi eum relinquerent: isti veneno mortem moliti fuerint.

XXI. Ludovicus Germaniæ Rex, externos habitus edicto prohibuit.

XXII. Iohannes Ducas, Imperator Orientis, decreto sanxit: ne quis subditorum uteretur vestibus Assyrijs, Babylonicis, Italicis, varijs artificijs confectis, sericis: nisi is, quisquis esset, cum omni familia in ordinem cogi, ac notari ignominia vellet: sed his contenti essent: quas Constantinopolitanæ novæ Romæ provinciæ ac manus præberent.

XXIII Videtur & Deus super usu peregrinarum vestium ad iram provocatus: dum apud Sophoniam cap. 1. Et visitabo, inquit, super Principes, & super filios Regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina. *Petr. Greg Tolos. lib. 4. de Rep. c. 11. pag. 232. 233.*

XXIIII. Adrianus Imperator, Romulum secutus, aliquando edixit: ut Senatores saltem & Equites Romani semper in publico togati essent; nisi è cœna reverterentur. *Idem pag. 239.*

# CCCXIX.

*Luxum in vestitu sequitur paupertas.* Coguntur enim sæpe ob impensas in superflua, aut ob pannos pretiosiores precio magno emptos, immobilia vendere, furari, vel dolosè negotiari: qui talia vestimenta supra dignitatem & facultates appetunt. *Petr. Greg. Tolos. lib 4. de Repub. cap 11. pag. 234.*

Neque tantum mulieribus indulgendum est: ut permissio vestitus elegantioris transeat in luxum, & in maritorum aut parentum detrimentum: quorum marsupia & facultates facilè ea nimia indulgentia exhaurirentur. *Idem pag. 235.*

Hinc fuit Romæ aliquando lex vestiaria lata à Tiberio Cæsare: ne quis vir serica veste uteretur: neque aurea vasa, nisi ad rem sacram, haberet. Cautum & decreto, Octavio

Frontone præfecturâ functo, à Q. Halerio Consulari: ne vestis serica viros fœdaret. Cæsares, Theodosius, Arcadius, & Honorius, pallia tunicasque sericas, holoserica vestimenta, auratas & sericas paragundas, privatis prohibuerunt. Imperator Tacitus auro clavatis vestibus interdixit. Isabella & Ferdinandus Hispaniæ Reges, juvenibus, qui literarum studiis operam dabant, usum longarum & sericarum vestium, promissorumque capillorum, ademerunt. Edixit Octavianus Cæsar, ne quisquam, nisi Senator, quique in magistratu esset, purpuram gestaret: quam jam vulgò gestari videbat. Julius Cæsar conchiliatæ vestis & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies, usum ademit. *Idem pag. 234.*

Fuit apud Romanos salubris, & juxta indigentiam & necessitatem temporum suorum utilis lex Oppia: quam tulit C Oppius Tribunus plebis, Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Gracchо Coss. anno ab V. C. 540. in medio ardore Punici belli: Ne qua mulier plus semuncia auri haberet: neu vestimento versicolori uteretur: neu juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propiùs inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur. *Idem pag. 235.*

## CCCXX.

*QVando mutantur tempora: tunc etiam mutatur Musica: & quando mutatur Musica: mutantur item tempora.*

Plato inquit, *Respublicas mutari, si contingat Musicam mutari.* Neq; id abs re dictū est. Sed hoc multò verius est: *mutatione studiorū mutari Respublicas.* *Tom. 1. Declam. pag. 478. in orat. de ordine discendi.*

In

In cantilenis veterum fuit magna gravitas: fuit etiam in Viris magna tum gravitas. Da aber die Reuter Liedlin auffkommen sind/ secuta sunt bella plurima. Nos jam non delectamur gravitate ista: sed magis amamus Italicas cantiones. Est magna levitas: & eæ cantiones nos levitatis convincunt. *Vitus Winshemius Viteberga in publica prælectione.*

Qualia ἀκροάματα sunt, quibus delectantur homines: tales esse mores, & tempora, & Respublicæ solent: quemadmodũ Plato disputat, *Musicas leges sine mutatione legum publicarum non mutari.* *Tom. 5. Intimat. Viteberg. l. 3. b. sub Anno 1563.*

Scribit Plato: *Quando Musica mutatur: simul cum hac mutari Respublicas solere.* Cujusmodi enim numeris in cantu, gravibus aut mollibus, delectantur homines: ijsdem etiam moribus se esse prædítos ostendunt. Tales autem sunt Respublicæ: quales sunt domus singulorum civium. *Tom. 7. Intimat. pag. 647. sub Anno 1568.*

Non aliud causæ esse puto, cur Socrates apud Platonem, Musices mutationem Reipublicæ periculosam esse statuat, & novos cantus excretur: nisi quòd juvenes novis modulationibus illecti, animo distrahuntur: virtutes negligunt: & à rebus seriis avocãtur. *Franc. Patr. lib. 2. de Regno, tit. 15. p. 130.*

Civitatum hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum servare modum: quarum mores lapsi ad molliciem, pariter sunt immutati in cantibus: aut hac dulcedine corruptelaq; depravati, ut quidam putant: aut cùm severitas eorum ob alia vitia cecidisset: tum fuit in auribus animisque mutatis, etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longeq; doctissimus, valde hanc labem veretur: *negat* enim *mutari posse Musicas leges, sine mutatione legum publicarum.* *Cicero lib. 2. de Legib. pag. 177. b.*

Ingeniosè inquit Plato: Probare Poëtam mutationem carminis: nō verò artis. Et addit Epiphonema graviſſimum: quod non ſolùm de Imperiis, ſed etiam de Eccleſia perpetuò verum eſt: οὐδαμῶς κινδύνται μουσικῆς τρέφειν ἄνευ πολιτικῶν νόμων. *Mutata Muſica*, hoc eſt, *mutatis ſtudiis: & genus doctrinæ in Eccleſia, & forma Reipublicæ mutatur*: ut quidem omnes omnium gentium hiſtoriæ teſtantur. *Tom. 6. Intimat. 2. b.*

*Non eſt dubium, quin maxima ſemper fuerit Harmoniæ in Republica vis ac poteſtas*: ut non modò Platoni, verùm etiam Ariſtoteli quoque placuit. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Rep. cap. 2. pag. 642.*

## EXEMPLA.

I. Cujus rei memorabile exemplum habemus de Republica Cynæthenſium Arcadiæ populorum: qui neglectis canendi legibus, urbanitatem ac humanitatem cum feritate commutarunt: & graviſſimis bellorum civilium fluctibus tam diu jactati ſunt: quoad Reipublicæ ac civium interitus ſequeretur. Id quidem mirum omnibus viſum eſt; quamobrem ex omnibus Arcadibus ſoli Cynæthenſes tam feroces ac barbari eſſent: quousq; Polybius (*lib. 4.*) omnium primus animadvertit, propter defertum Muſicæ ſtudium id illis accidiſſe: cùm ſanctiſſimis majorum legibus accuratè caveretur: ut omnes cives ad annum uſq; trigeſimum in ea ſtudia diligenter incumberent. Qua quidem ratione primi legumlatores ſapienter Arcadiæ populos feroces ac barbaros, ut qui montes accolunt, ad humaniorem & mitiorem vitæ cultum pertraxerunt.

II. Idem propè relinquitur judicandum de Gallis: quos Iulianus Imperator, qui Transfuga appellatur, barbaros ac feroces, & libertatis ſtudioſiſſimos appellat, *in epiſtola ad Antiochum Miſopogona*. Qui nunc tamen nullis Europæ populis humanitate cedunt: nulli magiſtratibus tractabiliores: nulli Principibus magis obſequentes: optimè certè ſunt à natura, meliùs etiam à diſciplina inſtituti: & maximas ſuaviſſimè canendi laudes omnium finitimorum judicio aſſecuti dicuntur. Illud etiam animadverſione dignum; quòd omnes ferè Gallorum cantus ac moduli, quibus etiam num ruſtici ſummopere delectantur, Ionici ſunt aut Lydij: quem Muſici quintum & ſeptimum appellant. A quibus tamen Ariſtoteles ac Plato pueros & fœminas abſtinere, ac Dorijs modis exerceri voluerunt: quem noſtri primum tonum vocant: ut miſta modeſtiæ gravitate, quæ hujus moduli propria eſt, imbuerentur. Ionicos autem ac Lydios, incredibilem vim ad molliendos animos habere putant. Rectiùs in Aſia minore Ionici ac Lydij prohibeantur: cùm cœlo Aſiatico nihil mollius ſit. Vtiles

tamen

tamen esse judico populis montanis, & qui ad Aquilonem positi sunt: quorum natura, propter locorum ac cœli intemperiem, ferocior & agrestior est. Eam ob rem Ecclesiæ Christianæ Duces olim ac Pontifices in sacris laudibus cantus Ionicos ac Lydios vetuerunt: Doriosq; solùm probaverunt: quibus etiam num in sacris precibus sæpiùs, quàm reliquis uti solemus. Et quemadmodum fera animantia solent à mansvetarijs, unguibus ac dentibus detractis, exarmari: sic etiam Ionici ac Lydij cantus, hominum ferocium & crudelium animos, feritate detracta, multò mitiores ac tractabiliores efficiunt. Quod quidem Gallis contigisse puto: qui hujus imperij leges non tam diu pertulissent; nisi mores illorum, quos Iulianus Imperator feroces ac servitutis impatientissimos fuisse tradit, flexibiles Musica reddidisset. *Hactenus idem Bodinus, Gallus de Gallis, loco suprà citato.*

# CCCXXI.

*Reconciliationes sunt lupinæ amicitiæ.* Λύκων φιλίαι εἰσὶν αἱ διαλλαγαί. *Menander.*

*Rarò est diuturna concordia inter eos: qui antea quoquomodo fuerunt inter se inimici, & postea reconciliati.* *Philip. in Cord. Abrah. Bucholc. pag. 65.*

*Reconciliatæ amicitiæ fides semper lubrica atq; infirma haberi solet.* *Francisc. Patrit. lib. 7. de regno, tit. 9. pag. 465.*

Etsi prudentes & minimè malitiosi homines, memores dicti, Inimicitias mortales, amicitias verò immortales esse debere, irritati, ita solent exercere simultates & odia: ne præcidant sibi cum adversariis omnem spem concordiæ & reconciliationis: nam videmus interdum coalescere amicitiã inter eos, qui antea fuêre hostes infensissimi: tamen longè aliter sese res habet in malignis, lividis & fastu tumentibus hominibus: qui aliter suam autoritatem imaginantur cõsistere non posse: nisi ex despicientia & detractione aliorum. Hacq; re veluti opsonio, vel, ut de Salamandra dicitur, igne pasci videntur. Huc respicere monitionem veterum arbitror:

*Inimico reconciliato cum cautione aliqua fidendum esse. Experientia* enim *docuit, inter exacerbatos hostes, reconciliatæ amicitiæ fidem* (de degeneribus & vindictæ cupidis, non generosis & heroicis naturis loquor) *plerunq; lubricam atq; infirmam esse. Siquidem rarissimè suspicio inimicitiæ tollitur per reconciliationem: quoties nuper ea contigerit.* Neque enim, ut Fazellus *(de rebus Siculis poster. decad. lib. 3. cap. 2.)* dicit, facilè propagata odiorum sementis stirps interit: quippe ut gratię in odium deflexus facilis, ita *Odij ad gratiam difficilis est transitus: ravoq; animus, quem semel indignatio subit, sincera fide excolitur: aut cum quo vehementes primùm inimicitias gessit, affectuosè postmodum in gratiam redit.* Id ipsum Ethnico more Antoninus Diadumenus admonuit patrem suum Macrinū, in sua epistola, quæ à Lampridio ejus vitæ inserta est, cujus initium est tale: Patri Augusto, filius Augustus. Non satis, mi pater, videris in amore nostro tenuisse tuos mores: qui tyrannidis affectatæ conscios reservasti, sperans eos vel amiciores tibi futuros, si ijs parceres: vel ob antiquam familiaritatem dimittēdos: quod nec debuit fieri, nec potuit. Nam primùm omnium jam te exulceratis suspicionibus amare non possunt. Deniq; crudeliores inimici sunt, qui obliti veteris familiaritatis se inimicissimis tuis junxerunt, &c. Ob hanc rem jure nostro *(c. accusatores in 2. & gl. ibid. 3. q. 5. Didac. Covar. cap. 18. n. 3. in pract. quæst.)* aliquis, mox post reconciliationem, non censetur judex, aut testis idoneus, qui paulò antè erat inimicus: cùm adhuc dubium sit, an remanserint quædam reliquiæ odij: sed expectandum est, ut amicitia longo tempore sit con-

firmata:

firmata: & sint obliterata, oblivioniqúe tradita omnia simultatum vestigia. Vnde etiam Cicero in non uno loco *amicitias reconciliatas esse suspectissimas* docet. Inprimis autem, ubi (pro Milone) inquit: Ego cùm omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione & fide: tum eas maximè: quæ essent ex inimicitijs revocatæ in gratiam: propterea quòd integris amicitijs officium prætermissum, imprudentiæ, vel ut graviùs interpretemur, negligentiæ excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur: nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet. Rectè itaq; Divus Hieronymus (ad Rustinum) profitetur: se reconciliatas inimicitias purè colere: & non juxta Plautinam sententiam, altera manu lapidem tenere, panem offerre altera. Et alibi (in Ruffinum lib. 1.) monet amicos post reconciliatam simultatem, etiam leves ut suspiciones fugiant: ne quod fortuitò fecerint, consultò facere putentur. *Philip. Camerar. in Op. succisivis, Centur. 1. cap. 92. pag. 454.*

Meritò laudatur Pomponius Atticus à Cornelio Nepote: qui ab eo se audivisse scribit: quòd cum matre nonagenaria, quam ipse, natus annos sexaginta septem, extulit, nunquam in gratiam redijsset: neq; unquam cum sorore, quam propè æqualem habuit, fuisset in simultate. Tacitè innuens, plus esse non rediisse in gratiam: quàm non fuisse in simultate. Matrem enim nunquam offenderat: inter ipsum & sororem etiam, si quid incidit offensarum, nunquam exierunt in simultates: quæ tamen inter fratres & sorores frequenter acerrimæ solent existere. *Idem cap. eod. pag. 462.*

Hinc est adagium Pythagoræ: χύτρας ἴχνος συγχεῖν ἐν τῇ τέφρᾳ: id est: Ollæ vestigium in cinere turbato. Plutarchus in Symposiacis interpretatur: nullum evidens iracundiæ vestigiū oportere relinqui: sed simul atq; deferbuerit atq; resederit animi tumor: omnem præteritorum malorum memo-

riam penitus tollendam esse. *Erasm. in Adag. Chil. 1. Centur. 1. Adag. 2. pag. 18.*

*In veteribus gravibusq; odiis firmam pacem constituere, quòd ea vel suspicione vel ultionis cupiditate impediatur, difficile est. In hypomnes. polit. Guicciard. part. 2. pag. 36.*

Vt concordia sincera statui possit: offensas priùs è medio aufferri oportet: ne amicitia ὑπόκρισις sit in societatibus, & fœderibus mutuis. Nam & chirurgi, ut sanatio vulnerum sit stabilis, pus omne removeri priùs oportere sciunt: antequam cutis intercisa conglutinetur. *Pezel. in Genes. cap. 21. pag. 381.*

Bias Prienensis ita ajebat oportere homines in usu amicitiæ versari: ut meminisset, eam ad gravissimas inimicitias posse converti. Quod quidem præceptum prima specie nimis fortasse calidum videatur, inimicumq; simplicitati, qua præcipuè familiaritas gaudet: sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, perquàm utile reperietur. *Valerius Maximus lib. 7. cap. 3. pag. 601.*

Circumfertur passim dictum Augustini, quod est:

*A medico indocto,*
*A cibo bis cocto,*
*Ab amico reconciliato,*
*Libera nos Domine.*

Horatius in epistola ad Florum lib. 1:

*—— & malè sarta*
*Gratia nequicquam coit, & rescinditur.*

## EXEMPLA.

1 Glauco filius Neptuni ex Astydameia filia Phorbantis, genuit filium nomine Lepream: qui cum Augea consilium iniit, de vincendo Hercule; cùm certaminis & laborum suorum mercedem ab eo repetivisset. Proinde ut verisimile est, infensus

Herculi

Herculi Lepreas erat ex hac consultatione. Interjecto deinde tempore, Iovis filius ad Caucones proficiscitur; intercedente autem per obtestationes Astydameia, Herculis simultates, quas cum Lepreâ exercebat, dissolvit. Iuvenilis igitur quædam æmulatio inter hos accidit: ut dico mutuò contenderent, & aquarum exhaustione, & uter prior tantum comedere posset. In quibus omnibus superatus Lepreas. Et inde certamen aliud ortum inter eos est, uter bibendo plus posset; é quo rursum inferior discessit Lepreas. Tandem ira & indignatione commotus, sumptis armis, ad solitariam pugnam Herculem provocat. Persolvit igitur pœnas eorum, quæ cum Augea tractaverat; pugnando enim interfectus est. *Aelian. lib. 1.*

II. Inter Antonium & Augustum graves inimicitiæ ortæ sunt; quanquam semel & iterum essent reconciliati. *Cuspinian. in vita Octaviani, pag. 7.*

III. Inter Imperatorem Carolum V. & inter Regem Galliæ, potest esse pax; sed amicitia nunquam esse potest. Quando enim animi non cohærent; levi occasione erumpunt odia. *Philip. in Cordiale Abr. Bucholceri, pag. 205. b.*

IIII. Albertus Austriacus conjugis intercessione redijt in gratiam cum Ottone Bavarorum Duce: qui avunculum illius Comitem de Hairla interfecerat. Sed nec stabilis, nec diuturna fuit hæc reconciliatio. Nam Otto non ita multò pòst evocatus ad regnum Vngariæ, impetum fecit in Styriam, armata manu in Vngariam descensurus. Id prohibere Albertus conabatur. *In Chronico Philip. lib 5. pag. 561.*

V. Henricus Guisius venerat in offensionem Regis Gallici Henrici III. cui etsi apud Carnutes, præsente Regina matre, multisq; Principibus alijs esset reconciliatus: omniumque rerum præcedentium ἀμνησίαν Rex promulgari jussisset: Regi tamen tanquam amico suo reconciliato, non confidebat: nec ad Comitia Blesensia, à Rege indicta accedebat. Nec fefellit eum sua ista diffidentia. Nam persuasus tandem ut veniret, à Rege trucidatur. *Vide Mercurium Gallo Belgicum sub An. 1588. lib. 1. pag. 31. 64. 66.*

VI. Ludovicus XI. Rex Galliæ, & Carolus Burgundus inimici, post privatam collocutionem sunt reconciliati. Quia verò Carolus Ludovicum invitum coëgerat ad societatem belli contra Leodienses: Carolus in magna erat solicitudine: & metuebat, ne Rex vel ad hostem transiret; vel priùs quàm urbs caperetur, profugeret: aut in ea propinquitate contra se moliretur aliquid. In vicino igitur horreo, quod medium erat inter ipsum & Regem, collocat circiter trecentos equites; qui pariete effracto, ut minori periculo, cùm opus esset, erumperent, diligenter observabant, quid circa Regem ageretur. Ita semper metuebat Carolus: ne si Rex discederet: bellum aliquod excitaret. Atq; hic videre licet, quàm sit misera conditio summorum Principum: & quàm inter eos nulla queat esse firma voluntas aut amicitia. Fecerant hi duo pacem ante dies quindecim. eamq; jurejurando sanciverant: & tamen ut alter alteri fidem haberet, fieri non potuit. *Philip. Cominæus in Comment. de reb gest. Lud. & Car. lib 3. pag 91. 95.*

VII. Aliud exemplum *de Italo quodam, vide infrà in Regula de nimia vindictæ cupiditate.*

VIII. Nobiles duo Hispani, quorum alteri nomen fuit Petrus Tortellus, alteri Hieronymus Ancii, post commissum duellum, in eas postea exarserunt simultates: quas ne ipse Cæsar dirimere potuit. *Totam historiam, quæ lectu est jucundissima, prolixè descriptam, vide Centur. 2. Operar. succisiv. Camerarij, cap 21.*

# CCCXXII.

M*Agni Domini quantum de ira, tantum etiam de gratia remittunt.*

## EXEMPLVM.

Maximilianus I. Imperator in puniendis delictis lenissimus, in vindicanda avaritia militum acerrimus fuit. In bello Veneto, cùm capta Vincentia, quidam injussu suo in aliquot civium ædes prædandi causa impetum fecissent: statim illam totam cohortem oppressit; & plures ducentis secum percuti jussit: ut eo exemplo ostenderet, non omnia victoribus in victos licere. *Philip. in Loc. Manl. pag.* 275.

# CCCXXIII.

S*Æpè de aliorum laboribus fructum alij percipiũt.* Die Pferde die den Hafern erwerben/essen jein am wenigsten, *Camerar. in fabulis Aesopicis, pag.* 107.

## EXEMPLA.

I. Novi duos Canonicos, admodum sordidos. Horum alter reliquit plus quàm 30000. aureorum. Hujus verò mortui hæredes fuerunt, Episcopus Trevirensis, & alius vicinus Princeps: qui pauperi, cognato Canonici, tria millia aureorum dabant: & reliquam hæreditatem ipsi inter se participabant. Sic sordidus benè collocavit suam parsimoniam: alijsq; satis opulentis reliquit: quæ ipse tanta avaritia congesserat. *Philip. in Locis Manl. pag.* 363. De hoc Canonico Philippus *pag.* 114 in Theogn. paulò distertiùs ita dicit: Fuit Canonicus VVormatiensis, homo nobilis, Curtisanus, sapiens, ein trefflicher Mañ/ Silberberger/ est familia nobilis in Episcopatu Trevirensi: ego novi eum: sæpè veniebat ad nos Heydelbergæ: ibi erat hospes Doctoris, apud quem ego eram: erat ἀσθενικὸς & podagricus: & erat valdè dives: habebat annuos reditus aliquot millia: quia creverat Romæ ex multis sacerdotijs: tamen ita parcus erat: ut non haberet familiam: non coquebat domi: non habebat ancillam: sed tantùm famulum: quem malè cruciabat. Cogebatur eum famulus gestare cùm ægrotaret: & præterea non diu retinebat unum famulum: sed subinde novos habebat: ne, si unus aliquis fieret ipsi familiarior, obligaretur ei, & cogeretur aliquid dare honorificentius. Is quando valde ægrotabat: jubebat adferri pelvim

plenam

plenam aureis: & volutabat manus in auro: & isto spectaculo leniebat suas miserias. Cùm esset mortuus: reliquit amplius triginta millibus aureorum pecuniæ: quàm sibi dividebant Palatinus & Episcopus Trevirensis. Tria millia dabantur ipsius cognatis. **Ist eben/als wenn man das Geld in cloacam geworffen hette.** Episcopo Trevirensi nihil satis erat. **Das ist der** Trevirensis: qui acceperat pecuniam à Gallo: ut inclinaret rem in electione Imperatoris ad Gallum. **Der war des** Canonici **Erbe.** Et ut posset honestè fieri: adjungebat sibi bonum senem Palatinum: qui etiam libenter accipiebat pecuniam: **Er schlugs auch nicht aus.**

II. Novi alium Canonicum, viventem in his terris Saxonicis: qui accepit hæreditatem Doctoris Henningi, æstimatam duodecim millibus aureorum: & ipse jam antea ex suis facultatibus plus habebat: ita ut post mortem reliquerit ultra viginti millia aureorum. Miser ille Canonicus in tantis vixit sordibus: ut supplicationes soleret conscribere, etiam pro uno grosso. Hæredem autem constituit spuriam quandam impudicam mulierem: quæ tantam hæreditatem cum suis similibus brevi tempore decoxit. *Idem ibidem.*

III. Philippus Rex Macedonum, relictam opulentiam Græciæ, confectis mutuo Marte & viribus suis Civitatibus, ipse interveniens occupavit. *Camer. ut suprà.*

IIII. Cùm in hinnuleum fortè fortunà unum eodem tempore Leo & Vrsus incidissent: uterq; illo potiri volens, acerrimè secum conflictari cœperunt: atq; ita unus afflixit alterum: ut oborta vertigine, ambo in terra prostrati jacerent. Vulpecula autem, quæ eventum pugnæ expectavisset: cùm videret illos esse viribus defectos: hinnuleum relictum in medio ipsa illis semiapertis oculis intuentibus abstraxit. Quòd cùm illi prohibere non possent: Infelices nos igitur, intercidentibus verbis, inquiunt, Vulpeculæ causa dimicando perimus. *Idem ibidem.*

# CCCXXIIII.

*CONstat neminem, qui magistratum Collegæ abstulit, annum supervixisse. Iul. Obseq. in lib. de prodigijs, in fine.*

## EXEMPLA.

I. Cùm Tiberius Gracchus, promulgata lege de dividendis agris, armis urgeret causam: & Octavio Tribuno Collegæ adversanti suæ causæ, Tribunatum abrogasset: deniq; contra leges sibi prorogare magistratum conaretur: occisus est in Capitolio à Satureje Collega Scipionis Nasicæ.

II. Sic abrogarunt L. Iunius Brutus Consul Tarquinio Collatino.

III. P. Tarquinius, P. Marullo.

IIII. Tullius Bruto & Cassio pugnam adversus Cæsarem & Antonium molientibus.

V. P. Titius Prætor propter dissensiones Collegæ magistratum abrogavit: & ante annum est mortuus. *Idem ibidem.*

# CCCXXV.

*PRæstat magistratus esse perpetuos, quàm annuos. Quia tam brevi spacio, id est, annuo, nihil rectè geri potest. Priùs enim imperium deponere necesse est: quàm quid gerendum sit intelligatur: aut rebus perceptis & planè cognitis, cùm operi manus admovere ceperis: repentè novus magistratus aderit: qui manum de tabula: tum huic alius, atq; alius identidē substituetur: novi omnes. Ita Respublica magistratibus rerū gerendarū usu peritis semper caritura est.* *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 4. pag. 680.*

Hinc Tiberius Imperator, cùm amici quererentur, illū potestates ac imperia perpetua feciſſe, reposuit illud: Hirudines, quę multo sanguine hausto rūpuntur, quiescere: recentiū morsus esse acerrimos. Sic novos magistratus, quicquid sanguinis est ac medullarum, aviditate summa haurire: ut veteri proverbio dicitur: Non parcit populis regnum breve. *Idē pag. 682.*

## EXEMPLA.

I. Scipio cùm intellexit, successorem sibi datum: pacem cum hostibus fecit: majore hostium commodo, quàm facturus fuisset: nisi vereretur victoriarum spem ac fructum sibi à successore ereptum iri: ut sæpe dixisse fertur.

II. Bellum verò Mithridaticum annos viginti protractum est, propter eam, quam dixi, imperatorum successionem: dum interim occasione rerum feliciter gerendarum oblata ac deserta, hostis imperium longè lateq; propagaret.

III. Epaminondas ac Pelopidas, quorum potestas eo momento desierat, quo prælium cum hostibus conserendum erat, cum summo Reipublicæ detrimento

imperium

imperium á se deferi non posse perspicerent: prælium commiserunt: ac victoriam clarissimam reportarunt: quæ Thebanos & socios ab interitu servavit: & Lacedæmonios ingenti clade affecit. Domum reversi cùm triumphare debuissent: majestatis accusantur: & capitis damnantur: quòd exercitus ac imperia post tempus lege definitum retinuissent. *Idem pag. 681.*

# CCCXXVI.

*QVando peccata cumulantur: crescunt etiam & cumulantur pœnæ.*

*Crescentibus peccatis, inde usq; ab initio crevit servitus, & imperiorum asperitas. Strigel. 2. Reg. 15.*

*Crescentib. peccatis, crescunt pœnæ universaliter. Peucer. in lect. Chron. die 11. Martij. Anno 1570.*

*Crescentib. novis peccatis, etiã pœnæ novæ crescũt. Lutherus in Genes. cap. 9. pag. 126.*

Regula Iurisconsultorum: *Grassantibus multis malis opus est exemplo.*

## EXEMPLA.

I. Nostro tempore inusitata genera morborum & calamitatum vulgata sunt: & Sudor Angelicus, Locustæ populantes latè agros An. 42. per Poloniam & Silesiam. *Lutherus ut suprà.*

II. Divinitus concitatur adversus Roboam, Sesak Rex Aegypti: qui acie victum profligat: & urbem oppressam diripit: aufert ex templo universa armamenta templi: quæ Salomon parârat & conservârat: item aufert universos thesauros Salomonis: quos jure hereditario à patre, & dono à vicinis Regibus acceperat. Ita crescentibus peccatis crescunt pœnæ universaliter: pacis tempore, onera multiplicia, servitus dominiorum, tributa, dura & inclementia imperia, fames, exundationes, incendia, bella: belli tempore deteriores pœnæ venerunt, vastationes totarum regionum & gentium, latrocinia perpetua, deletiones legum, disciplinæ, judiciorum, excidia totarum familiarum, dissipationes & distractiones. Tales pœnas mox à Salomonis morte & sensit & sustinuit populus Iudaicus. Et quanquam causæ conferuntur etiam in præsentes ἀποφ ἀφ, quæ tunc extiterunt ab ipso Rege: tamen præcipuæ causæ fuerunt idolatria Salomonis & Roboam: quia unius pœnæ sæpe multæ sunt causæ. *Peucer. ut suprà.*

III. Inter-

III. Interfecto Sardanapalo, qui ex Assyrijs Regibus ultimus tenuit Monarchiam: postea Phul Belochus præfectus Babylonicus tenuit Babylonem & Niniven: & regnavit annos 48. Arbaces verò Medus dominatus est Medis & Persis. Etsi autem hactenus Chaldæi & Assyrij non intulerunt bellum Israëlitis & Iudæis: tamen deinceps decem tribus Israëliticas, & postea tribum Iuda assiduè afflixerunt. Nam hic Phul Belochus, id est, eversor vastans, intulit bellum Regi Israëlitico Menahem: cumq; fecit sibi vectigalem. Hæc fuerunt initia servitutis: quæ paulatim crevit usq; ad periodum Ita nunc videmus crescere servitutem: quia peccata crescunt: nec dubium est, impendere toti Europæ fatalem mutationem: ut Iohannis Hiltenij & aliorum prædictiones significant. *Strigel. ut suprà.*

# CCCXXVII.

ACcidit hoc in civilibus dissensionibus: *ut moderati à vehementioribus opprimãtur.* Vt dici solet: ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μή ποτε γλυκὸς δράκων. *Phil. lib. 2. Chr. p. 77.*

*Talia plerunq; in civilibus dissensionibus accidũt: quando imperia, respublicæ, civitates conturbantur: crescentibus seditionib. intestinis, & civilibus odiis: qui autores sunt consiliorum moderatorũ, plerũq; plectuntur ab utrisq;: incurrunt in odia apud utrosq;:* **Wie es pfleget mit den** *neutralibus* **zuzugehen:** *& plerunq; moderati à vehementioribus opprimuntur:* sicut dictum est: ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μή ποτε γλυκὺς δράκων: Serpens nisi devoret serpentem, nunquam fiet Draco: id est: *nunquam in Republica crescit aliquis autoritate, dignitate, opibus & potentia: nisi collegas devoret ipse & sustollat. Peucer. in lect. Chron. 6. Decemb. An. 1572.*

**Wenn einer wil** clarus **werden: muß er jhr viel vorhin aufffressen.** *Philip. in Postil. per Pezel. edit. part. 3. pag. 286.*

EXEM-

# EXEMPLVM.

Erat inter triginta Tyrannos unus Theramenes: qui, ut natura erat astutus, & antea mutationes quasdam rexerat: & arte deduxerat rem ad deditionem, profectus Spartam legatus, ad pacem petendam, ne urbs deleretur. Hic cogitans, illam sævitiam non posse esse diuturnam, & cogitans præstantiam & virtutem in exulibus, & maximè in Thrasybulo, Aristarcho, & alijs: hortatur Critiam ad moderationem, cum quo consilijs & animo consenserat, & cui amicus fuerat: hortatur eum ad moderationem. Critias ergo metuens Theramenem, qui & natura erat sævus: & cupiebat injurias acceptas à populo ulcisci publicis cladibus: quia erat aliquando sententia populi multatus exilio. Ille Theramenem metuens, & cupiens populum ulcisci: statim decurrit ad consilia contra Theramenem similiter crudelia: & Theramenem, convocata plebe, accusat: quòd moliretur aliquid contra statum præsentem: & quòd periculum sit, ne populum concitatum pertrahat in suas partes, & opera populi adjutus, hunc statum convellat & evertat. Hanc accusationem cùm instituisset: exercitũ delectum ex 3000. civium & conscriptum armat occultè: & judicium armatis circumsepit & munit. Extat accusatio Critiæ contra Theramenem apud Xenophontem: in qua nihil memorabile extat, præter hoc unicum dictum, quod sæpe citatur: πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι: id est: omnes mutationes Rerumpublicarum pariunt cædes. Hoc argumento conatur stabilire & munire & tueri præsentem Tyrannidem: & concitare collegas ac armatam multitudinem: qua circumsepserat judicium: ne paterentur labefactare, aut quoquo modo dissolvi istum præsentem statum triginta Tyrannorum: quem statum videbat esse accommodatum ad multitudinis impetus reprimendos & coërcendos. Et si fuissent usi rectè illa potentia: profuisset ille status initiò nimiæ ferociæ & licentiæ populi retundendæ & infringendæ. **Aber sie habens mißgebraucht.** Theramenes, qui cogebatur causam dicere inter armatos, respondit, excusans se, se nihil moliri contra collegas: & sua consilia non esse contraria præsenti statui: sed potiùs salutaria: quia injusta sævitia non possit esse diuturna: & nosse se magnitudinem animi & præstantiam in exulibus, & maximè in Thrasybulo: qui si collegisset multitudinem exulum: non sit amissurus occasionem rerum gerendarum, recuperandæ patriæ: & multitudine exulum aliud agi nihil; quàm instrui & armari Thrasybulum & reliquos contra patriam: & domi immanitate & atrocitate cædium devastari patriam, cives abalienari, qui summæ rerum præessent: propterea se existimare, se non debere haberi pro proditore: sed potiùs pro cive salutari: cùm ipse spectaret hoc, ut urbs servaretur: non ut everteretur: & requirere se nihil aliud nisi moderationem: propterea quòd violentia illa non sit futura diuturna. Allegat & legem, quam recens tulerunt: ne Collegæ, aut ij qui in catalogo 3000. scripti essent, sine judicio interficerentur. Critias, qui plebem jam Therameni applaudentem metuebat, subitò excitato tumultu exclamat: se delere nomen Theramenis ex catalogo Collegarum: hunc condemnare se capitis: & non ferendum esse eum: qui adversaretur decreto triginta Tyrannorum, suffragijs maximæ multitudinis comprobato. Ac mox jubet accedere lictores, & captum Theramenem interficere. Ibi Theramenes proripiens se fuga, confugit ad aram. Sed Critias abstractum ab ara jubet deduci ad supplicium. Propinatur ei bibenda cicuta: sicut moris fuit Athenienſibus: quam cùm bibisset, & ali-

quantulum, quod in poculo reliquum erat, effudisset: jocans inquit, se hoc propinare Critiæ. Hic fuit exitus Theramenis: hoc veneno epoto mortuus est: & interfectus est tantùm ideo: quòd improbaret sævitiam injustam; quæ sine judicio & legibus & cognitione usurpabatur in optimos quosq; promiscuè & sine discrimine; quemadmodum dicit, se aliud nihil improbasse: quam hanc injustitiam: quòd injustè cives ejicerentur facultatibus suis, aut interficerentur, qui nihil deliquissent contra leges. *Pencerus ut suprà.*

# CCCXXVIII.

*MEdiatores utrinq; accipiunt plagas.*

*Non inusitatum est, eos, qui adhibentur ad conciliationes, utriusq; partis odia incurrere: & utrinq; plagas accipere.* *Philip. Tom. 2. Epist. per Peucer. ed. pag. 1.*

Thucydides in descriptione seditionis Corcyreorum: τὸ ἐν μέσῳ ἀμφοτέρωθεν κτεινόντες Qui in medio versantur, utrinque occiduntur (lacerantur.)

Rex Alphonsus solitus est dicere de Mediatoribus: eos similes esse habitantibus in mediis ædibus: qui perfunduntur lotio à superioribus: & læduntur fumo ab inferioribus. Sic *plerunq; Mediatores utrinq; læduntur:* sicut vespertilio laceratur à muribus & avibus. *Idem in Loc. Manl. pag. 431.*

Hoc quod tribuitur Alphonso, ita quidam ex Aristotele citat & ad neutrales accommodat: Qui in medijs ædibus habitant, ab imo infumantur: desuper autem sordibus defluentibus commaculantur.

## EXEMPLVM.

Id accidere sibi quoq;, Philippus conqueritur in Epistola ad Carolum V. Imperatorem, die 19. Martij, Anno 1541. scripta. Nostri, inquit, me accusant: quædam languidiùs à me defensa esse. Et fateor, me quædam studio pacis & concordiæ, quæ disputari duriùs poterant, concessisse alteri parti. Quid ad communem concordiam utilius esset, quàm quod de autoritate Episcoporum respondimus? Non pugnavi de

ijs cerernoniis: de quibus hactenus collocuti sumus; cùm tamen quædam sine gravi causa flagitarentur. Sed in contentione de autoritate Synodorum ut essem acrior: & veritate, & publica Ecclesiæ necessitate movebar. Eędem me causæ moverunt: ut cùm de privata absolutione moderatam & utilem sententiam proposuissemus: tamen Ecclesijs necessitatem enumerationis imponi nollem. Hic intelligo me accusari apud Cæs. M. V. tanquam durum & pertinacem. *Tom. 2. Epist. pag. 1.*

## CCCXXIX.

*SApientes vel maximè errant: cùm fiducia suæ sapientiæ movent non necessaria. Et errata exigua in initio, postea ruinam ingentem trahunt.*

Exemplum hujus Regulæ est Pompejus.

## CCCXXX.

*NAturâ putantur homines post factum sapere rectiùs. Philip. in Epist. ad Camerar. pag. 99.*

Die Rath-Herren sind immer klüger/ wenn sie vom Rathhause herunter gehen/ als wenn sie hienauff gehen.

## CCCXXXI.

*ETiam prudentissimos quosque non semper rectè sentire, testantur exempla. Anti Machiavellus lib. 1. pag. 153.*

*Nemo omnibus horis sapit: & ut corporum, sic animorum vices sunt: ac sapientissimi quique in absurdas ineptasq; opiniones nonnunquam imprudentes incidunt. Idem pag. 149.*

*Sæpe accidit, ut prudentes etiam viri labantur & errent in dicendis sententiis: quando vel gratia, vel odio, vel æmulatione quadam impulsi, diversum ab aliis sentiunt. Deinde non semper sumus eodem animi vigore. Nam quæ fiunt à prandio consultationes, inter decreta referri non debent. Idem pag. 151.*

## EXEMPLA.

I. Exemplum insigne extat apud Cominæum. Carolus, ultimus Burgundiæ Dux, pace cum Leodijs facta, Dinantum, quod est in Leodiorum finibus, oppidum, obsidione cinxit. Dinantijs jam expugnatis, serum auxilium venit Leodiorum manus, contra datam Carolo fidem. Carolus victoria elatus in Leodios exercitum ducit. Sed ultrò citroq; missis nuncijs his conditionibus ita inter eos convenit: ut anni superioris pactiones servarent: ut trecentos obsides darent ante horam octavam insequentis diei: eorum nomina scripto edita sunt. Iam multus erat dies: cùm obsides nondum dedissent. Carolus perquirit sententias: quid sit agendum. Burgundiæ Mareschallus, & ei proximus, Contæus, sententiam rogati, censuerunt, in eos debere impetum fieri: quando datam fidem fefellissent: neq; ullo tempore pulchriorem occasionem offerri posse. Comes S. Pauli contrà suadebat: si illos adoriretur: fore, ut existimationis jacturam subiret: tantam hominum multitudinem in retam aciem, non posse tam facilè statui re: mittendum itaq; legatum: qui de voluntate ipsorum referat. Vicit in consilio sententia mitior. Itaq; mittitur legatus: ei in itinere obsides fiunt obvij. Si Mareschallum & Contæum solos habuisset in consilio Carolus: quanta (obsecro) Leodiorum cædes facta esset? qui obsides ex pacto tradere quidem volebant: sed id non potuerant intra constitutum spacium præstare.

II. Scipio Africanus Consul designatus, cùm bellum adversus Annibalem ceptum non aliter finiri posse diceret: quàm si ipse in Africam exercitum transportasset: & acturum se id per populum apertè ferret: si Senatus adversaretur: Q. Fabius Maximus sententiam rogatus, oratione ad tempus parata, deterrere Senatum & populum ab eo consilio conatus est: Naturâ quippe prius esse, tua cùm defenderis, aliena ire oppugnatum: neq; in Africa priùs bellum gerendum: quàm in Italia pax esset. Deinde magnum impendere periculum: si, exercitu in Africam transvecto, victor Annibal ad urbem ire perget. Postremò uni Consuli, in cujus capite periclitetur Respublica, & exercitui, adversus duos extra Italiam dimicaturo, fortunam publicam & majestatem Imperij committendam non esse. Scipio adversus hæc respondit: Satius esse ardere Africam bello, quàm Italiam: coactum iri à se Annibalem pugnare in sua terra: deniq; ad dignitatem populi Romani & famam pertinere: non ad defendendam modò Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri Romanis animum esse. Ad sum-

mam,

mam, hæc & alia ita ardenti animo dixit: ut quanquam Fabius autoritate & inveterata prudentiæ fama magnam Senatus partem & seniores maximè movisset: Scipionis tamen sententia vinceret. Ac re ipsa quidem Fabij sententia tum multò deterior erat: quemadmodum eventus docuit. Nam paulò pòst legati ab Carthagine venerunt, Annibalem revocantes ad ferendam patriæ opem: eumq; cùm, sicuti prædixerat, ex diutinæ Italiæ possessione detractum, propè manu conserta, restitantem ac tergiversantē, in Africam Scipio traxisset: non modò prælio, sed etiam bello vicit. Itaq; consilio & virtute Scipionis huic tam ancipiti bello finis impositus est: & pax Italiæ reddita: quam hostibus & armis vacuam Romani, vivo Annibale, visuri non erant. Quippe nec is Italia excedere, neq; illi, post cladem ad Cannas acceptam, prælij fortunam experiri statuerant. Quamobrem, ut dixi, etsi gloria rerum gestarum & prudentia cæteros civitatis Principes Fabius anteiret: tamen, sive ætatis vicio, sive cunctatione ipsius ingenio insita, sive obtrectatione atq; invidia adversus crescentem indies gloriam Scipionis, peccaret: ejus tum sententia neq; consilio, neq; usu valuit. *Idem loco citato.*

# CCCXXXII.

*Animi irritati contumeliis, difficulter frenare iram & vindictæ cupiditatem possunt: præsertim donec fortuna est indulgentior. In Chronico Philippi lib. 5. pag. 596.*

Plutarchus: Homines offenduntur contumelijs magis, quàm ulla alia re: quia convicia videntur proficisci ex odio, & malitia nimia. Contra violentas injurias vi & armis conceditur defensio etiam hostibus.

## EXEMPLA.

I. Ludovicus Bavarus, cùm Romā venisset, amoto Pontifice Iohanne XXII. consentientibus Cardinalium suffragijs, Nicolaum IIII creavit Pontificem. Sed cùm novum Pontificem non posset defendere: miser ille Nicolaus mox à discessu Ludovici, Avenionem missus, in carcere vitam finijt. *Ibid.*

II. Sylla cùm Athenas obsideret: varijs ludibrijs ab Aristio Tyranno, qui Athenas tenebat, affectus est. His irritatus Sylla, cùm urbem tandem cepisset: sævijt promiscuè in omnem sexum: ita ut sanguis interfectorum instar torrentis per plateas urbis in suburbium profluxerit. *Vide Plutarch. in Vita Sylla.*

III. Cassius Chærea vir fortissimus, contumeliosè tractatus à Caligula, quæsivit occasionem interficiendi Caligulam. Id quod etiam præstitit, Caligula è theatro exeunte. Hic enim Cassium, quoties accedebat, licet fortissimum virum, mulierem

vocabat: & signum dabat Cupidinis seu Veneris, aut aliud ejusmodi. His contumelijs irritatus Cassius, non quievit priùs, quàm Caligulam interficeret. *Dion in Calig.*

## CCCXXXIII.

*VT ferè successus prosperi inter initia augent animum: sic contrà adversi casus eundem sauciant ac conterrent: ut rem eandem timidiùs deinceps aggrediatur, & urgeat segniùs. In Chronico Philip. lib. 5. pag. 630.*

### EXEMPLVM.

Sigismundus Imperator non redijt ad bellum Turcicum, cùm impeditus domesticis bellis, accensis à Pontificibus: tum absterritus, ut opinor, memoriâ geminæ cladis: ut quanquam truces & barbaros hostes persequi atq; ulcisci maximè cuperet: non auderet tamen fortunam periclitari tertiò, bis gravi cum detrimento rerum suarum & publicarum elusus. *Ibidem.*

## CCCXXXIIII.

*FAma quodammodo videtur non semper veritatem perspicere & audire. Quam ob causam sæpenumero fallit: & tum ad gratiam blanditur: tum etiam mendacia spargit. Aelian. lib. 1.*

### EXEMPLVM.

Veterum Græcorum ætate, summa gloria floruerunt, Gorgias Leontinus Philolai filius, & Protagoras filius Democriti. Sapientia verò tantum abfuerunt: quantum à viris pueri. *Ibidem.*

# CCCXXXV.

*ETiam clari & præstantes virtute viri, sæpe splendidam serviunt servitutem, magnificamq; vivunt miseriam: dum non parum abest, quin sint in extrema constituti mendicitate.* Hinc proverbium Germanorum: **Junge Reuter/alte Bettel Leute.** Vsurpatur tamen plerunq; de ijs: qui nolentes, non volentes, sunt mendici.

## EXEMPLA.

I. Aristides filius Lysimachi, qui multa præclarè domi militiæq; gessit: & Græcis tributum imperavit: at ille non tantum post obitum reliquit: ut exequiis celebrandis sumptus esset. *Aelian. lib.* 11.

II. Phocion etiam egenus erat: attamen cùm Alexander ei mitteret centum talenta: interrogavit, Quam ob causam hæc mihi donat? Qui cùm responderent, quoniam te solum ex omnibus Athenien sibus bonum honestumq; virum judicat Sinat igitur, inquit, me talem esse.

III. Pel pidas, cùm objurgarent eum amici: quòd pecuniariæ rei ad vitam tuendam conferentis, nullam curam gereret: Et, inquit, mehercule utilis est: verùm huic Nicomedi: intento digito in hominem quendam claudum & mutilum.

IIII. Scipio quinquaginta quatuor annorum spacium emensus, neq; emit, neq; vendidit quicquam. Adeò paucis fuerat contentus. Cùm autem quidam ei scutum eleganter apparatum ostenderet: dixisse fertur: Atqui Romanum civem par est in dextra spem ponere: non in sinistra.

V. Ephialtes Sophonidæ filius pauperrimus fuit: tamen cùm amici decem talenta ipsi dono darent, non accepit: Hæc (inquiens) me cogerent, si quidem reverenter vos haberem, aliquid præter jus concedere: sin minùs vos observarem, ingratissimum videri.

VI. Epaminondas etiam pauper erat. Cùm autem Iason ei quinquaginta talenta aui i mitteret: Injuriam, inquit, mihi facis Sed quinquaginta drachmis à cive mutuatus, ut essent pro viatico, profectus est in Peloponnesum. Cùm verò nuncium allatum esset: satellitem ejus pecunias à captivis accepisse: Mihi, inquit, da scutum: tu verò tibi cauponam eme, in qua vivas. Non enim ulteriùs pericula adire voles, cùm dives sis factus. *Idem Aelian. ibid. Idem de eodem lib.* 5: Epaminondas unam solam habeb .t vestem, eamq; sordidam. Si quando verò eam misisset ad fullonem: ipse le

domi

domi continere ob indigentiam alterius cogebatur. His facultatibus præditus, tamen cùm sibi Persarum Rex magnam vim auri dono misisset, non accepit. Idem cùm patriam (*ut refert Francisc. Patrit. lib. 9. de regno, tit.* 10. *pag.* 595.) bellica gloria illustrasset: quæ ante eum non victorijs, sed cladibus insignis erat: adeò pecuniarum contemptor fuit; ut sumptus etiam funeris ei defuerit: nisi publica pecunia suppeditaretur.

VII. Alcibiades ambitione quadam munificus, complura, magnaq; munera Socrati dono misit. Sed recipere noluit. *Idem Aelian. lib. 9.*

VIII. Fabritius cœnabat lætus fictilibus suis.

IX. Seranus agresti mensa. Qui tamen & quales, tum cives, tum Imperatores?

X. XI. Atilius & Cincinnatus ab aratro ad summos magistratus vocati sunt.

XII. Atilio Regulo fortissimo viro exiguus fundus satis fuit.

XIII. AEmilius Scaurus, Romani Senatus sua ætate princeps, in parva pecunia claruit.

XIIII. AEmilijs sesdecim uno tempore unam domunculam fuisse, & fundum unum, apud Valerium legimus.

XV. Pauli, qui Persen duxit ante triumphum, tam exilis census fuit: ut post mortem satis non esset ad uxoris dotem redhibendam.

XVI. Cn. Scipionis filia ex publico dotata est.

XVII. Quid? quòd Publio Scipioni funus de publico exolutum, ob rei familiaris angustias.

XVIII. Menenio item Agrippæ justa à populo facta, collatis in capita sestantibus.

XIX. Valerio Publicolæ mortuo funebris lectus & rogus defuisse dicitur. *Ioh. Iovian. Pontan. lib. posteriori de Fortitud. pag. 76. b.*

XX. Hieronymo, Christianæ religionis acerrimo assertori, non domus, non fundus fuit. *Idem ibidem.*

XXI. Agrippâ, vir tanti nominis ac dignitatis apud Romanos, cùm decessisset, præ inopia publica etiam impensa elatus est.

XXII. Et Mummius, qui Achajam vicit, & Corinthum evertit, omnemq; Italiam tabulis ac signis implevit, in tanta inopia decessit: ut facta rerum omnium auctione, integram filiæ dotem non reliquerit. *Francisc. Patrit. lib. 9. de regno, tit.* 10. *pag.* 595.

XXIII. Plautus Comicorum Poëtarum facetissimus, propter annonæ difficultatem, ad molas manuarias pistori se locavit: & ibi quotics ab opere vacaret: scribere fabulas & vendere consuevit.

XXIIII. Cassius quoq; Severus, Orator egregius, cùm annis quinq; & viginti exulasset, in summa inopia diem obijt, vix panno verenda contectus.

XXV. Ammianus quoq; Marcellinus scribit, Persei Regis legitimum filium, post adversæ fortunæ calamitatem, artem ferrariam, ob quærendum victum, exercuisse. *Idem lib. 3. de Repub. tit.* 1. *pag.* 112.

*Plerunq;*

# CCCXXXVI.

*PLerunq; solet accidere: ut indulgentes affectibus, consilium deterius sequamur. Magna autem vis est affectuum, præsertim amoris. Nullus enim affectus rationi minùs obtemperat. Sabinus in 7. Metamorph. Ovidij.*

## EXEMPLVM.

Medea, incensa amore Iasonis, deliberat, & secum quasi colloquitur, disputans, quid amor, quid ratio suadeat: in qua disputatione illud inprimis observandum est, quòd inquit: Video meliora proboq; quo: Deteriora sequor. Fingitur enim animus Medeæ tam variis cogitationibus distrahi. Primùm quidem disputat ac fatetur: non esse honestum, ut ipsa sit magis propensa erga exterum, quàm erga parentem. Sed huic argumento opponit contrarium: videlicet, se non posse non favere Iasoni propter egregias ipsius dotes, propter ætatem, genus, virtutem & formam: seque vocat immaniorem omni bellua; si his dotibus nihil moveatur. Deinde argumentatur à necessario: illum miserè periturum, nisi adjuvetur. Quod argumentum ratio refutat ab honesto; etiamsi ille amari mereatur: tamen propterea nihil scelerate faciendum contra patriam. Item ab eventu: esse incertum, qualem ille gratiam sit relaturus ei pro tanto beneficio. Et ab itineris periculo: esse difficilem ac periculosam navigationem ex Colchis in Græciam. Quæ argumenta refelluntur hoc modo: sed non apparere, eum fore ingratum; item, amplexum ejus amoturum esse omnem periculi metum. Hæc est summa disputationis. *Idem ibidem.*

# CCCXXXVII.

*PLerunq; fit, ut scelerate factis honesti & speciosi tituli prætendantur. Sabinus lib. 7. Metamorph. Ovid.*

Ovidius inquit de Medea 7. Metamorph.

*Speciosaq; nomina culpæ*
*Imponis Medea tuæ.*

## CCCXXXVIII.

*FAmiliare est magnis Dominis, ut fallaces prætextus prætendant consiliis & institutis suis: simulantes, se in commune prospicere velle subditis: cùm omnium maximè ad domesticas rationes suas omnia referant: quas mirificis tamen artibus occultant atq; dissimulant. Nec verò alia est vulgi decipiendi ratio: quàm ut spe lucri capiantur: perinde ut pisces hamo inescari & capi videmus.* Pezelius in Genes. cap. 34. pag. 657.

### EXEMPLVM.

Fallam atque inanem fuisse spem lucri, quam Hemor civibus suis faciebat, & cui nimiùm illi inhiabant, eventus postea ostendit. *Idem ibid.*

## CCCXXXIX.

*VVlgus non facilè regitur: cujus tanta petulantia, tantaqué ferocia est: ut in neminem magis insurgat: quàm in illos: quorum imperio parere debet.* Sabinus Metam. 2.

*Vulgus aut nimiùm colit: aut nimiùm odit.*

*Vulgus ut totum affectibus rapitur: sic nihil illo inconstantius & mutabilius est. Aut enim nimiùm extollit, & ad Deos usq; evehit homines mortales, in quib. illustrior virtus relucet: aut maligné nimis*

*mis odit & conculcat eos, à quib. se læsum arbitratur.* *Rudolph. Gvalther. Homil. 32. in Lucam, pag. 85. b. Item Homil. 205. pag. 540. b.*

*In judicio vulgi nihil ferè est medij. Aut enim insano laudis & honoris studio ad Deos usq; evehit, quos homines scire debebat: aut odiosè nimis eosdem insectatur & deijcit.* *Idem Homil. 6. in Marcum, pag. 9. b.*

*Judicia hominum rarò mediocria. Aut enim nimiùm ad dextram, aut nimiùm ad sinistram declinant: aut altiùs sanctos extollunt: aut humiliùs deprimunt.* *Brentius Homil. 29. in Lucam, pag. 85.*

*Nihil incertius, nihil magis turbidum est voluntatibus populi: levi momento huc illuc fertur.* *Philippus in Cordiali Abrah. Bucholceri, pag. 107. b.*

*Studia vulgi cum benevolentia & favore Principum consistunt, mutantur. Vulgus enim illos colit & admiratur: quos scit in gratia & autoritate esse apud Principes. Et rursus hos odit ac detestatur: quos videt gratia & favore Principum excidisse. Deseruntur etiam ab amicis tales: neq; quicquam illis post effusam Principum gratiam fidum est.*

*Nihil est vulgo incertius, nihil fallacius, nihil inconstātius. Aut te ardēter amat: aut capitaliter odit.* *Strigel. part. 2. Chron. pag. 41.*

*Subitæ sunt mutationes judiciorum & volun-*

*tatum in pectoribus humanis. Hodie benè sentis de aliquo, & amas eum, & effers laudibus in cœlum: cras, propter futilem suspicionem, aut aliam causam non gravem, incipis eum odisse & execrari.* *Idem in Dialect. pag. 662.*

*Populus quia bestia est multorum capitum, vix in unam saltem sanam convenit sententiam: & in eam condescendens, non diu in ea perseverat: mutationibus & suspicionibus obnoxius: sine ratione actus instituens aut perficiens: ut certè administratoribus Rerumpublicarum illi se credere non sit tutum: aut auram popularem aucupari, vel ea frui, securum. Non enim sibi potest imperare: & quod semel probaverit, vel momento horæ detestari incipit, & contrà: ut satius sit in medio mari, inter hostes, inter feras, quàm arbitrio populi vivere.* *Petr. Gregor. Tolos. lib. 4. de Rep. cap. 3. pag. 153.*

*Bestia multorum capitum populus est: mobile vulgus & invidum: si frena laxentur, fastidit statum bonum præsentem: & ut simul suspicios um est, se lacessitum bona administratione existimans, jugum excutere nititur, libertatis, seu potiùs agendi, quod velit, sine ratione studiosus. Ideo innovationi vacat: & rejectis bonis & ingenuis rectoribus,*

*melio-*

*meliores adhiberi postulat. Vocat autem meliores: qui magis ei indulgeant. Contingit autem illi: ut dum in hac electione peccat: servus deinceps servire cogatur: & fugiens fumum, ut dicitur, in ignem incidat.* *Idem lib. 22. cap. 2. pag. 1379.*

*Vulgi sententiæ lubricæ mutabilesq; sunt: & nō modò non in diem, sed nec in horam quidem firmæ.* Quocirca de plebe id dici potest, quod in veteri proverbio habetur: Ex incomprehensibili arenæ multitudine funem fieri non posse. *Francisc. Patrit. lib. 6. de Rep. tit. 1. pag. 267.*

*Vulgus mobile est: & facilè probat, quod antea damnârat.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 11.*

De vulgi ingenio extant passim plurima dicta: quale est hoc Virgilianum Aeneid. 2. Scinditur incertū studia in contraria vulgus. Et Phocylides inquit. λαῷ μὴ πίσευ. πολύτροπον ἄστιον ὄμιλον. Populo non credas, quia populus est bellua multorum capitum, ut vulgò dici solet. Et hujus ætatis quidam non contemnendus Poëta dixit: Fallitur, & fallit, vulgi qui pendet ab ore. *Strigel. in Chron. ut suprà.*

Strozius: Heu nihil infidę fas quenquam fidere turbæ.

Cicero: Nullus Euripus habet tam varias agitationes: ut populi voluntates.

Plato ille, quem Callistratus Iurisconsultus (*L. si quis, De nundinis*) summæ prudentiæ & autoritatis virum apud Græcos fuisse dicit, populum ait esse ingratum, morosum, crudelem, invidum, immodestum: ut qui sit ex colluvie turbæ, & stultis insolentibus collectus. Hoc etiam Phocion Atheniēsis animadvertit. Cùm enim oracullo proditum esset: unum esse istic virum: qui cunctorum sententiis adversaretur: populusq; jussisset illum inquiri: Phocion semet prodidit. Igo

sum, inquit, ille, quem oraculum designat. Nam uni nihil placet omnium, quę vulgus dicit. Ob hanc rem, cùm aliquando orationem habuisset: eaq; omnibus placuisset: Quid, inquit, num mali quippiam dixi imprudens? Adeò persuasum habebat, nihil placere populo: quod à recto judicio proficiscitur. Hoc nō ignoravit Iohannes XXIII. Pontifex Romanus. Interrogatus enim (ut Balæus in vitis Pontificum refert) aliquando, quid foret à veritate remotius? Respondit: Vulgi sententia. Quicquid enim laudat, inquit, vituperio dignum est: quicquid cogitat, vanum: quicquid loquitur, falsum: quod improbat, bonum est: quod approbat, malum: & quicquid extollit, infame. Et extat peculiare caput De mobilitate populi in libello Nicolai Hanapi Patriarchæ Hierosolymitani (cap. 115.) ubi virtutum & vitiorum exempla ex utroque Testamento colligit. *Philippus Camerar. in Oper. succis. Centur. 1. cap. 40. pag. 176.*

Verissimè Q. Curtius (lib. 10. de rebus gestis Alexandri Magni) scripsit: Nullum profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum, tantos ciet fluctus: quantos multitudo motus habet: utiq; si nova & brevi duratura libertate luxuriat. Hæc enim, teste Livio (lib. 24.) natura multitudinis est: *Aut servit humiliter: aut superbè dominatur:* Libertatem, quæ media est, nec spernere modicè, nec habere sciunt: & non ferme desunt irarum indulgentes ministri: qui avidos atq; intemperantes plebeiorū animos ad sanguinem & cædes irritant. Hoc Seneca præterea paucis verbis complexus est: Quis, inquit, placere potest populo, cui placet virtus? Huc etiam Demosthenes respexisse videtur, cùm fugiēs exclamaret: O Pallas urbium domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris? noctua, dracone, & populo: ex illa fortè cœcitatem, ex dracone livorem animorum, ex populo instabilitatem & inconstantiam intelligens. *Idem pag. 177.*

Huc

Huc ſpectat monitio Antonij ad Octavium Auguſtum, apud Dionem: Plebs, inquit, ut ex Græcis literis nuper didiciſti, eſt res inſtabilis, inſtar marinorum fluctuum, accedentium & recedentium: quemadmodum & in noſtra Republica ſæpe cultores ſuos plebs in altum ſublatos dejecit in genua, &c. Falluntur itaq́; , vel potiùs admodum decipiuntur: qui præſidia in promiſcua multitudine quærunt: quæ neque alios rectè neque ſe ipſum commodè regere poteſt. Quod animadvertit Demaratus Lacedæmonius: qui Xerxem Græciæ bellum inferentem, & ob innumeras copias tumentem, monuit: Multitudinem indigeſtam & gravem metuendam eſſe ducenti: non enim vires, ſed pondus habere. Nec diu durare, quicquid regi non poteſt. Et rectè quidem. Nam animus carens certis & ſalutaribus ſapientiæ & prudentiæ præceptis, quibus certos fines ſibi præſcribit, quos non transgredi, & hinc inde vagari licet, nunquam ſatiari, ſed ſemper nova abſque certo judicio expetere ſolet. Quod Claudius Sabinus apud Dionyſium Halicarnaſſæum prudenter animadvertit, dicens: Nequeunt hominum expleri amentium cupiditates: etiamſi, quæcunq́; petierint conſequantur: ſed continuò alia majora appetunt: & in infinitum progrediuntur: quod præcipuè multitudini accidit. Quæ enim unusquiſque ſolus, aut pudore proprio, aut ab alio impeditus facere veretur: ea ſi more publico recipiantur, ab eo in ſua voluntate aliorum exemplo & conſuetudine confirmato faciliùs & audaciùs patiūtur. Cùm igitur cupiditates ſtulti vulgi ſint inexplebiles & infinitæ: earum principiis obſtandum eſt: quàm diu ſunt adhuc infirmæ: non autem, quando jam ita ſunt corroboratæ & auctæ: ut evelli nequeant. Omnes enim iniquiore animo ferunt: ſi rebus ſibi conceſſis priventur: quàm ſi rebus ſperatis fruſtrentur. *Idem Centur. 2. cap. 51. pag. 310.*

Multitudo omnis ſimilitudinem quādam maris tenet: quod quidem ſuapte natura planum ac ſtabile eſſe videtur:

ſed

sed ut vēti aut auræ illud cient: ita aut tranquillum aut procellosum erit. Sic etiam multitudo fortunam sequitur: nam aut invidiæ vento concitatur: aut à factiosis civibus instigatur. *Francis. Patrit. lib. 7. de regno, tit. 3. pag. 433.*

Der gemeine Pöbel hat die Arth an sich/ Schilt man einen/ so schilt er auch/ Wie ein Hund pilt/ wenn der ander pellfert. Also gehet es auch/ weñ der Pöbel ins loben kömpt/ so lobet er ins blinde Feld hienein/ auch die er gar nicht kennet. Dieses alles beydes ist eine Anzeigung einer grossen Leichtfertigkeit. *Mathes. in Syrac. cap. 27. pag. 5. b.*

Cleanthis versus, relatos à Clemente Alexandro, ita Latinos fecit Ioach. Camerar. parens meus, b. m.

*Si sapientiam amas, tibi ne sit opinio vulgi*
*Ante oculos, populi neq; sit sententia curæ,*
*Vana, pudore vacans, temeraria: nam neq; prudens*
*Nec iustum est confusæ hominum turbæ, nec honestum*
*Iudicium, inveniesq; bonum hoc contingere paucis.*

Versus Græcos si quis desideret, sunt ejusmodi:

μὴ πρὸς δόξαν ὄρα, ἐθέλων σοφὸς αἶψα γενέσθαι.
μηδὲ φρὸς πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα δόξαν.
οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει σωφρονέειν κρίσιν, οὔτε δικαίων,
οὔτε καλῶν. ὀλίγοισι δὲ πᾶσι τοῦτο κέρδος ἐφεύροις.

Quorum & aliam versionem adscribere placet, confectã à Matthia Bergio, Academiæ quondam Altorfinæ Professore eruditissimo: quæ sic habet:

*Si cordi est verum, placitis ne ducere vulgi.*
*Rara ferè in vulgo sapiens, bona, sobria mens est,*
*Iustaq;. Rari autem, quibus hæc laus contigit. Ergo*
*Turba hominum quò stulta vocat, properare caveto.*

Eodem modo Iulius Scaliger eos, qui à vulgi opinione pendent, eleganti hoc epigrammate depingit:

*Qui pendet ab errore, & opinione vulgi,*
*[illegible] magis, atq; arbore qui pendet ab alta.*
*[illegible] semel evenit, & abiit, id nocet nil:*

At

*At quod dubiis articulis ſtat, inſtat, urget,*
*Vaneſcit, adeſt, eſſe malum id putabo ſolum.*

Poëta quoq; Hetruſcus Petrarcha eadem monet:

*Mentre al vulgo dietre vai,*
*Et la ſua opinione cieca è dura,*
*Eſſer felice non po tu giamai.*

Idem innuebat Pythagoras, cùm inter ſua Symbola hoc poneret: λεωφόρους ὡς τοὺς πολλοὺς μὴ εἰσίχειν: hoc eſt: popularibus viis ne incedito. Quod ita exponit Athenæus: γνώμῃ πολλῶν μὴ ἀκολουθεῖν. εἰκῇ γὰρ ἕκαστος, ὅ, τι ἂν δόξῃ, ἀποκρίνεται τῷ δ' εὐθεῖαν ἄγειν, ἡγεμόνι χρώμενον τῷ νῷ. Multitudinis ſententiam ne ſecteris (nam unusquisque temere ut fors tulit, & pro ut ſibi viſum fuerit, reſpondet ac ſtatuit) ſed potiùs rectam inſiſtas viam, mente uſus gubernatrice. *Camerar. Centur. 2. Oper. ſuccif. cap. 52. pag. 313. 314.*

# EXEMPLA.

I. Iudæi Meſſiæ honorem Iohanni ſponte deferunt; at mox ejus cauſam ſimul omnes deſerunt: quando ab Herode in carcerem detruditur; & in meretricis inceſtæ gratiam indigna morte multatur.

II. Idem CHRISTUS quoq; expertus eſt: quem modò Regem ſuum creare volunt: & promiſſum illum Servatorem eſſe publicè fatentur: modò ad Pilati tribunal ad mortis ſupplicium depoſcunt: & eidem Barrabam, hominum ſeditioſum & recenti cæde infamem, anteponunt.

III. Experti ſunt hoc ipſum Hieroſolymis Apoſtoli: quos primùm ebrietatis inſimulant: mox ob claudi ſanati miraculum pro Diis habere incipiunt. *Act. 2. & 3.*

IIII. Lycaones Paulum ad ipſos venientem excipiunt tanquam DEVM: paulò pòſt lapidant ipſum tanquam cacodæmonem. *Act. 14.*

V. Sic Melitenſes judicant Paulum initiò homicidam: mox mutata mente dicebant eum eſſe DEVM. *Act. 28.*

VI. Senſit & hoc David: quem primùm Sauli præferunt propter cæſum Goliam: at non multò pòſt, eundem à Saule iniquiſſima affectati regni ſuſpicione gravari, & in exilium ejici patiuntur. 2. *Sam.* 5. Et rurſum extincto Saule ad illum certatim confluunt: & ecce (inquiunt) nos ſumus os tuum, & caro tua.

VII. Alibi quoque de illo acriter contendunt cum tribu Iuda: quæ propter cognationem Davidem ſibi proprium vendicabat: at cùm poſt Solomonis obitum filius ejus Roboam, juvenili confidentia inflatus, ad ipſorum poſtulationem duriùs aliquantò reſpondiſſet: mox omnium veterum beneficiorum obliti clamant: Quæ pars nobis in David? Non eſt hæreditas in filio Iſai: ad tentoria tua, ô Iſraël: provide domui tuæ David. 1. *Reg.* 12.

VIII. Similia multa in profanis historiis extant. Athenienses certe Alcibiadem ob bellum in Sicilia male gestum in exilium egerunt, eundem verò revocarunt, cùm Lacedæmonios terra marique visitet; non humanis solùm, verùm etiam divinis honorib. dignum judicarunt. At mox cùm eodem Duce bellum in Asia gererent: & ipse, prædandi studio intentus, cladem accepisset: rursus illum exilio mulctarunt.

IX. Idem Phocionem ignominiose damnatum neq; funere neq; sepulchro dignati sunt: sed paulò pòst ilatum illi posuerunt: & inventis ejus reliquias publicis sumptibus sepulturæ mandarunt. *Philip. Camerar. Centur. 2. Oper. subcis. cap. 51. pag. 308. 309. de Phocione ita ait:* Quamvis is non modo Athenicusium, sed etiam omnium suæ ætatis virorum clarissimus haberetur: & qui quadragies quinquies Athenienſis exercitus Imperator creatus, vitam summa integritate vitæ ac innocentia, sine ullo probrio transegisset: nihilominus calumniator quidam de fece plebis, ausus est ad populum, quem intelligebat Phocioni iratum, rogationem hujusmodi ferre: Vellent, juberent Phocionem aeſocios necari. Hanc vocem populus tanto plàusu excepit: ut omnes assurgerent: ac manibus elatis, cives fortissimos ac innocentissimos capitis damnarent: nec defuerunt, qui sertis & corollis redimiti, cum fervis ac fœminis in comitium profecti sunt: ut sententiam capitalem ferrent. Quare perspecta, Me quidem a vobis, inquit Phocio, damnari facilè patior: sed cur iiti? Ad quem populus, Quoniam, respondit, tibi sunt amici: nec prius furor plebis insanientis cõquievit: quam omnes sine judicio, sine accusatione, sine ulla causa necarentur. Nec verò, inquit Bodinus, cùm hanc historiam ex Plutarcho retulisset, speranduin est: ut plebem, cùm bonis insultare cepcrit, pudor ullus à turpitudine, aut ratio à furore revocare possit.

X. Quid verò de Romanorum plerisq; dicemus, qui modò triumphantes urbem ingressi, modò ex eadem profugere & latebras quærere coacti sunt? Et Imperatores eorundem nunc adoratos, nunc a militibus discerptos, & tãdem rursus in Deorum numerum relatos fuisse legimus. *Hactenus Rudolph. Gualth. Homil. 32. in Lucam, p. 85. b Et Brent. Homil 29. in eund. p. 85. Rursus Gualth. in Marc. Hom. 6. p 9. b.*

XI. Scipio Major, qui Rempublicam bellis Punicis tantùm non extinctam & exanguem servârat: & Carthaginis dominam fecerat: populi Romani injuriis fatigatus, & tandem victus, urbe excessit: & exul voluntarius in obscura villa Linternis mortuus sepulchro inscribi jussit: Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes.

XII. Ejusdem fratrem, quem Asiaticum dixerunt, idem populus peculatus reum egit: & in carcerem duci jussit.

XIII. At Nasica Scipio, post multa in Rempublicam merita, ut populi iniqua de suis virtutibus judicia declinaret, sub legationis titulo Pergamum discessit: & illic quod reliquum fuit vitæ transegit.

XIIII. Apud Athenienses autem populi furentis & ingrati tumultibus Themistocles in exilium actus, ad Xerxem, quem communis patriæ hostem debellaverat, confugit.

XV. Miltiades, qui, Persis in Marathone ingenti prælio victis, Græciam omnem metu atque timore liberavit, à populo in carcerem conjectus, illic expiravit: corpus autem tamdiu sepultura caruit: donec filius Cimon se iisdem vinculis constringendũ tradidit. *Idem Gualth. in eundem Homil. 205. pag. 540. b.*

XVI. Gulielmus in regno Siciliæ patri Rogerio successerat. Sed patrię solùm po-

testatis,

testatis, non etiam virtutis hæres existebat. Inde quos [illegible] prius habuerat reos partim condemnabat exilio; partim carcerem concludebat. Ingressus Majonem quoque Barensem humili ortum genere, qui cùm primùm in curia notarius extitisset, gradatim ad Cancellariatus pervenerat dignitatem, magnum Admiratum instituit. Hic cùm potentia sua abuteretur satis petulanter: imo & in Regem nonnihil moliretur: à Matthæo Bonello, attentandæ libertatis ergò, est trucidatus. Bonellus, quia injusto Rege eadem perpetrarat, metuens & Regis & Siculorum vindictam, nec Regina gravissimè dolente mortem Majonis ignorans, fuga elabitur in oppidum quoddam Cacabum dictum. Populus verò, auditis Majonis sceleribus, jure ipsum percussum jactat: Bonellumq; magnis idcirco afficiendum honoribus clamitat. Atq; ideo Panhormum revocatur: & securus ac absq; omni metu esse jubetur. In ingressu verò civitatis plurima tam virorum, quàm mulierum turba obviam exierunt, cum ingenti cum gaudio usq; ad portam palatij prosequentes. Ibi benignè susceptus est à Rege: & in magnis tum ab ipso, quam à reliquis aulæ proceribus, est habitus honoribus. In Sicilia verò Panhormitq; maximè totus jam apertè populus conclamabat: quisquis Matthæo Bonello nocere tentasset, hostem eum publicum judicari: sesèq; etiam adversus Regem, siquidem ob Admirati mortem in eum severiùs animadvertere præsumpsisset, arma sumpturos. Nam ei debere omnes obsequi: qui publico regni sublato periculo, libertatem omnibus reddidisset. Sed benevolentia hæc Siculorum in ipsum Bonellum non fuit perpetua. Nam tandem ob affectati regni suspicionem in vincula conjicitur. Siculi quoque, quanta priùs diligentia Matthæi Bonelli gratiam appetebant: tanto elaborabant studio; ne viderentur illius amicitias coluisse. Bonellus demum effossis oculis, nervisque super talum incisis, sublatus omnino Solis aspectui, in horrendum detrusus est carcerem, tam suis quàm loci perpetuò tenebris obvolutus. *Prolixiùs hæc recitantur in historia Hugonis Falcandi Siculi de rebus gestis in Sicilia regno, quæ scripta est circa annum Christi* 1160.

XVII. Sejanum potentissimum in aula Tiberij omnes summè coluerunt: cùm floreret gratia & autoritate apud Tiberium. Eundem, cùm allatæ essent à Tiberio literæ, quibus jubebatur Senatus Sejanum in carcerem abripere, omnes variis criminationib. detestati sunt. Sicut describit hinc mutationem animorum erga Sejanum Dion his verbis: Perlectis literis Tiberij contra Sejanum cepêre maledicere, non solùm ij: qui ab eo injuriam acceperant: sed etiam ij: qui eum metuebant antea: pleriq; dissimulabant consuetudinem & amicitiam: quam cum eo habuerant: multi ista commutatione lætabantur.

XVIII. Periclem Athenienses pecunia mulctarunt: rursusque non multò pòst, id quod fieri vulgus amat, ducem delegerunt, omnium ei rerum permisso arbitrio. *Thucyd. lib. 2. pag. 63.*

## CCCXL.

*MVltitudo sæpius facilitate, gratia ac precibus flectitur: quàm [illegible], duritia, odio, atque minis.*

*Francisc. Patrit. lib. 4. de regno, tit. 14. pag. 278.*

## EXEMPLA.

I. Cn. Martius, qui deinde ob quæsitam victoriam Coriolanus dictus est, nullo mansvetudinis studio, nulla facilitate in hominum consvetudine versab.tur: & multis erat adversus: nemini in concione aut communi alloquio cedebat: durus erat semper ac pertinax: & multitudinem omnem odio habere videbatur. Sic quanquam fortitudine & justitia pollebat: tamen repulsam tulit, prælatis ei competitoribus, genere ac virtute longè inferioribus. Eam tamen mitiùs ferre debuit: nec tam crudeliter in patriam sævire. Nulla enim causa esse potest; qua quispiam jure optimo possit patriæ succensere. Odium civium sua culpa contraxerat: cùm multitudinem nullo obsequio mulceret: nullis blanditiis deleniret: sed eam fastu ac pertinacia aspernaretur. Cogitare enim debebat: non tam eos à multitudine præferri: qui genere ac virtute excellunt: quàm negligi eos: qui nec populũ rogandum, nec multitudinem mulcendam colendamque esse censent.

II. Phocion etiam Athenienſis nihil in omni vita popularis gratiæ causa dixit unquam aut fecit: & sæpenumero plebi acerrimè ac cõtumelioſè adversatus est. Proinde minimè admirandum est: si eam aliquando infestam habuit. Nullis etiam facilitatis studiis ad Rempublicam accessit. *Idem ibid.*

## CCCXLI.

*POpulus ira & furore potiùs in consultando movetur: quam consilio: & dum excandescit: seipsum præcipiti decreto à majori parte, sed non saniori concluso, in pericula lethalia, à quibus se eximere nequeat, conijcit.* Quod & sæpe Ducibus sapientioribus, per illum electis, causa mortis fuit, suspicante populo, se proditum: dum suis nollent irrationalibus parere consiliis & decretis. Alij vix suspicionem proditionis evaserunt: donec exitum & sibi utilem, contrarium factum consiliis, reipsa cognovit. *Petr. Gregor. Tolosan. lib. 5. de Repub. cap. 4. pag. 272.*

## EXEMPLVM.

Si apud Herodotum, cùm Acarnenses putarent: apud se non minimam portionem Athenienſium esse: & ipsorum terra vastaretur: ad exeundũ præcipuè Athe-

nienses

mentes urgebant: atque ex omni parte civitas tumultuabatur: & Pericli irascebantur, prorsus immemores eorum: quæ priùs ille sua virtute. Convitiabantur etiã: quòd cùm esset Dux: non tamen eos educeret: existimantes, eum omnium, quæ paterentur, autorem. Quos Pericles videns ex præsenti conditione afflictari, utpote non rectè sentientes de exeundo, ut ipse faceret concionem, non advocavit: nullumque habuit cœtum: ne quid ira magis, quàm judicio peccarent congregati. Et ita civitatem custodivit: &, quàm maximè potuit, quietam tenuit. Equites tamen emisit: ne his qui ab exercitu excurrerent, urbi vicinos agros adorti, prædas agerent. *Idem ibid.*

# CCCXLII.

*OPerariorum atq; opificum in urbe conventicula vel conciliabula, publica aut privata admittere, paci publicæ perniciosum esse solet: eò quòd sæpius compertum sit: factiones seditionesq; periculosas pullulare ex similibus plebejorum congressibus: dum ebrij inter se de Republica disputãt: easdemq; multis urbibus libertatem ademisse: calamitates ingentes attulisse. Abrah. Ortelius in Theatro orbis, in descriptione agri Noribergens. fol. 55.*

*Suspectæ sunt semper coitiones hominum in Republica. Quia quamvis ab initio virtutis causa convenire videantur: tamen facilè, glisscente disciplina, multitudinis numerus addit animos, ad aliquid novi audendum. Metuendum, quod periculosius est, ne in malum prorumpat cœtus: quo se sapientiorem cæteris esse sibi persvaserit. Petr. Gregor. Tolos. lib. 13. de Rep. cap. 3. pag. 891.*

## EXEMPLA.

I. In legibus Longobardorum prohibentur societates aut sodalitates conjuratæ, aut conjurati fratres societatis, vocat: Gvildonia, à willen / voluntate, & thun/ id est, facere, ut nunc Willkuhr dicimus, inquit Amerpachius.

II. Franciscus I. Rex Gillorum abrogavit confraternitas artificum, propter monopolia, quæ in illis faciebant, Anno Domini 1539.

III. Et Fridericus conventicula hæc, etiam ratione seu prætextu parentelæ, vel alterius cujusque rei gratia, prohibuit. *Idem ibid.*

IIII. Noribergæ nulla operariorum aut artificum (qui postremus & plebejus est ordo) admittuntur conventicula; non epulæ solennes: nec convivia festiva multorum: nisi religionis aut exequiarum causa. *Abrah. Ortelius ut suprà.*

V. In aliis civitatibus, ut & in mea patria, mechanicis, quando suos habent conventus, aliquis ex Senatoribus adjungitur: ne habeant ansam aliquid cõtra Rempublicam moliendi.

## CCCXLIII.

*NVlla virtus magis allicit homines ad diligendum: quàm beneficentia.* Vt in secundo libro Cyrus inquit apud Xenophontem: Quos volumus esse socios, venandos esse benefaciendo & benedicendo. *Strigel. 1. Samuel. 11.*

Monita isthæc propono: ut mores hominum, rerum item & consiliorum vim perdiscas: vitamque prudenter agas: non ut à beneficentia abstineas. Præterquam enim quòd generosi & verè excelsi animi ea virtus est: nec nisi à sincero affectu proficisci potest: illud etiam constat: vel unum aliquod beneficium ita ampliter quandoque recompensari: ut de aliis, quæ perdita censebantur, simul satisfiat. Nec dubium est, nobiles actiones Numini supremo, cujus potestati nos homunciones suppositi sumus, apprime placere: nec ut eæ præmio fructuque careant, unquam DEUM permittere. *In hypomnes. Guicciard. part. 1. pag. 18.*

Omnium primum studere oportet: ut ab ijs potissimùm amêre: quibus corporis ac rerum familiarium cũram permi-

seris:

ſeris: quod faciens, vives ſecurior: & amor iſte, cùm inter familiares altiùs egerit radices: latiùs poſtea evagabitur, nõ modò inter populares, ſubjectosque: ſed externos quoque diffundetur. Quem enim quisq; amat: cum, ſi fieri poſſit, vivere perpetuò expetit: nulliq; minùs exercitu opus eſt: quanquam haud ſcio: an ulli majores ſint copiæ: quàm ei: qui plurimùm ametur. Iure igitur videri poteſt dictũ: quod Thomas Pontanus libenter uſurpabat: Amorem nunquam feciſſe ſtipendium. Illud etiam ejusdem eſt non minùs prudens: Amorem inermem quidem incedere: dormire tamẽ loricatum. Ad confirmandum autem, & magis indies augendum familiarium, & eorum, quos intimos habeas, amorem, illud maximè valet: ut amari ſe abs te intelligãt. Vetus enim eſt & prudens: Si vis amari, ama. Quod ex eo potiſſimùm judicabunt: ſi ſecundis rebus ſuis ſenſerint te lætari: dolere plurimùm adverſis. Devinciet autem illorum animos, ac inprimis fidos faciet liberalitas gratitudini conjuncta: quæ in Principibus modum non poteſt excedere: quanquam nec ſemper, nec cum omnibus eadem ſit lex tenenda: nedum aſſveſcunt quotidie accipere: ſi retrahere aliquando manum neceſſitas coëgerit: aut honeſta ratio ſvaſerit: mutent animum: & tanquam injuriam aliquam acceperint: quærant quonam modo valeant ulciſci. Multum etiam conferet humanitas: qua virtute cùm excelleas: neceſſe eſt, non modò ut ab intimis tuis amẽre multùm: ſed à cæteris omnibus. *Ioh. Iov. Pontanus, lib. de Principe, pag. 90.*

## EXEMPLA.

I. Huic regulæ Auguſtus Imperator obtemperavit, vitam dans L. Cinnæ; qui fuerat non modò hoſtis: ſed etiam inſidiator: & hac oratione eum compellans; quæ apud Senecam extat *in lib. 1. de Clementia*: Contendamus, utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas? Poſt hæc detulit ultrò Conſulatum; queſtus, quòd non auderet petere. Amiciſſimum fideliſſimumq; habuit: hæres ſolus fuit illi. Nullis ampliùs inſidiis ab illo petitus eſt.

II. Sic David (*2. Sam. 19.*) poſt ſeditionem rediens, jurat ſe neminem interfecturum eſſe.

III. Laude

III. Laude digna est dissimulatio: qua Saul usus est, nondum confirmato regno. Sed longè majus decus est hæc moderatio in victoria: qua sancit oblivionem injuriarum. Nam victoria est res insolens & superba. Qui igitur animum suum vincit in potestate omnium rerum: huic optimè vivendi ratio comparata est. Cùm itaq; populus Israël diceret ad Samuelem, post victoriam per Saulem novum Regem paritam: Qui sunt, qui dicunt, An Saul nobis dominaretur? tradite nobis viros illos, ut interficiamus eos; Saul respondit: Hoc die nemo interficietur; quia hodierno die Dominus dedit Israëli salutem. Hæc exempla monent nos: ut aliquid remittamus de acerbitate summi juris; & condonemus privatas offensiones publicæ tranquillitati *Idem Strig. ut suprà.*

IIII. Dion bis est pulsus in exilium. Revocatus autem à civibus, & fortiter dimicans, urbem patriam denuò in libertatem restituit. Sed Dion recuperata urbe, singulari est usus clementia: neq; unquam odia justa exercuit: neq; ultus est injurias suorum civium: cùm ab Heraclide esset multipliciter læsus: tamen ignovit ei: quanquam hortabantur eum amici: ut traderet eum interficiendum militibus: sed non voluit hoc facere. Et extat gravis oratio apud Platonem, in cujus fine hoc additur: ***Homines quanquam malos, emendari tamen, & mutari tandem beneficijs***: quo suo judicio fuit deceptus. ***Sæpe enim natura ita sunt distorta: ut beneficijs non tantùm non leniantur: sed magis incitentur, & exasperentur, ac efferentur.*** **Wie der Verß lautet:** Τὴν φύσιν ἀπάξαι ἡ χάρις οὐ δύναται: Vertere naturam gratia nulla potest: **ist alles vergebens.** Id etiam accidit Dioni cum Heraclide: qui absolutus sententia Dionis, & restitutus pristinæ dignitati, non destitit modis omnibus oppugnare: ut Dioni, calumnijs oppresso, abrogaret imperium: & Tyrannidem pertraheret ad se. Dion verò urbe potitus: arce enim potiri non potuit: cepit deliberare de mutanda Reipublicæ forma: quæ erat Democratia: quo Reipublicæ statu, ut Philosophi senserunt omnes, nullus est deterior. In illo conatu videbat sibi adversari Heraclidem. Vt itaq; tolleret eum: dedit eum tandem interficiendum militibus. Ita Heraclides dedit pœnas suæ perfidiæ: fuit vir inquietus, turbulentus: sic enim describit eum Plutarchus. Ita pene solus relictus Dion, quia multos & fidissimos amicos in bello amisit, dedit occasionem Calippo **dem Schelmen/** cui patuit aditus ad Dionem quocunque tempore. Cepit is corrumpere satellites Dionis: qui conducti erant tanquam stipatores ad custodiendum corpus Dionis. Illos cepit odio Dionis inflammare, & occupare illorum animos. Ac perfecit tandem: ut pauci satellites ex Zazynthijs, quos putabit sibi fore fidissimos, ingressi, ceperint cum strangulare. Sed cùm Dion defenderet sese: & id perficere non possent: unus ex prætereuntibus porrexit pugionem: quo eum interfecerunt, adacto eo in illius guttur. Hic fuit exitus Dionis: quem post Epaminondam Cicero summis laudibus effert: quia in Philosophia non minùs excelluit: quàm in artibus bellicis acroparis: conjunxit cum bellicis laudibus Philosophiæ studium. Conjugem ejus Aretas, qui factus est Tyrannus Leontinorum, cum filiabus ejus & filio, demersit in mare. Sed illi sceleris justas pœnas hujus suæ sævitiæ dedit. Iste Calippus, qui Dionem interfecit, mox est obtruncatus anno altero, eo ipso pugione: quo Dionem interfecit. **Vngehets.** Qui gladium acceperit: gladio peribit. *Peucer. in lect. Chron. d. 22. Aug. & 5. Sept. An. 1573.*

V. Cyrus qua tempestate ob inopiam libe alitate uti minimè poterat: benevo-

lentiam

lentiam suorum humanitate conabatur allequi; quippe quibus etiam in faciundo opere adjutor adesset, ac laborum socius. Nam postquam regno Assyriæ potitus est: nullum in eos liberalitatis genus exercere prætermisit: cùm non pecuniam, sed amicos, quibus ipse plurimum contulisset divitiarum, suos esse thesauros duceret. Quanquam non modò familiares, & amicos, sed è subjectis unumquenq; adeò lætaretur copia rerum abundare: ut boni Regis proprium officium, quin & opus esse diceret; etiam civitates beatas efficere. *Ioh. Iovian. Pontan. lib. de Principe, pag 90 b.*

VI. Cæsar Labieno, quanquam transfugæ, pecunias tamen & sarcinas deferendas curavit.

VII. Scipio Hispanos captivos sine precio dimisit; quin & Masinissæ nepotem magnificentissimè donatum.

VIII. Quo genere liberalitatis & ipse Scipio ab Antiocho Rege affectus est, filio absq; precio remisso.

IX. Ptolemæus Rex, fugato Demetrio, quos prælio ceperat, Demetrij amicos unà cum ejus supellectile statim remisit, missis qui dicerent: de imperio & gloria magnis viris certandum esse.

X. Fecit idem Pyrrhus in captivis populo Romano reddendis.

XI. Ea tamen animi magnitudine vinci se minimè passus est Demetrius. Nam classe Ptolemæi superata: eorum, qui ceciderant, corpora magnificè sepeliri, captivos autem omnes liberos abire jussit.

XII. Inprimis mihi clara & nobilis visa est Philippi Mariæ Mediolanensis liberalitas, & animi altitudo: qui captum navali pugna Alphonsum cum duobus fratribus, altero etiam Rege, multis etiam regulis, non modò liberos esse voluit: verùm nullum liberalitatis, comitatis, mansuetudinis genus in eos prætermisit. Quid enim pulchrius, quàm quos armis vicerit, eos liberalitate ac beneficentia devincere? *Idem lib. de Liberalitate, pag. 112. b.*

XIII. Repetam quæ aliquando Alphonsum II. summa cum commendatione referre memini de Roberto Sanseverinio, & viro & Duce fortissimo. Referebat igitur, Robertum hunc, quò voto se damnatum absolveret, profectum Hierosolymam ad CHRISTI sepulchrum: indeq; proficiscenti ad montem Sinan, quo in monte & Divæ Catherinæ monumentum esset, & DEVS Opt. Max. Mosi se ostendisset, describendis tabulis ac legibus Iudæorum generi, factos obviam latrones Alsyrios: qui viam obsedissent: quos cùm aliquantò longiùs arenarum agitatu venientes animadverteret: conversum illum ad eos: qui Soltani sub fide publica eum deducebant, & quinam ij essent percontatum: tum illos metu repentino consternatos, latrones esse Arabas respondisse, vagos, palantes, nulla lege coërcitos. Ibi Robertum confirmatissimo animo cohortatum familiares ac comites jussisse: uti sarcinulas explicarent: prandium enim esse parandum adventantibus, deq; pulvere atq; æstu fatigatis. Ac vultu maximè hilari, ut erat statura, totoq; corporis habitu insignis, processisse illis obviam: & arrisisse venientibus: & comiter etiam eos accepisse: multisq; per interpretes jucundè, familiariter, ac maximè fidenter locutum. Illos autem, quanquam barbaros atq; inhospitales, & majestate viri commotos, & comitate sermonis, prorsi cùm fuissent, donatos ab eo, quibus tum delinire ipsos posset muneribus, & gratias Roberto egisse: quòd ab eo tam comiter accepti essent: & valere hilariter cùm jussisset: discessisse, quam maximè placatis atq; amicis animis. Sub vesperum autem, cùm multum etiam

itineris Robertus pervasisset: conspecto priùs globo perquam pulverulento, admonitum fuisse: adventare aliam latronum manum: qua re illum, &, qui aderant, omnes, summo metu perculsos, de salute jam desperare cepisse. Ecce autem eosdem illos, adactis circùm equis, Robertum capite cùm salutassent, rusticana profectò, non ingrata tamen, ante ejus pedes posuisse munuscula: in ijsq; salitos ex arista petasunculos: ut gentis ejus mos esset. Quibus jucundissimè acceptis: Robertum & metu esse liberatum; & judicasse, nullam gentem tam barbaram, immanem, feram: quæ non & liberalitate caperetur: & gratiam referre pro benefactis studeret: quæq; non ægrè etiam aliquando ferret vinci se beneficentia ac meritis. *Idem de Prudentia lib. 5, pag. 208. b.*

# CCCXLIIII.

*IN divinis terroribus*, ut ait Pindarus in Nemeis, Od. 9. *etiã Deorũ liberi fugiũt.* ᾧ γὰρ δαιμονίοισι φάβοις φεύγοντι ἠρὴ παῖδες θεῶν. Auffert enim Deus spiritum Principibus: & terribilis est Regibus terræ. *Strigel. 1. Sam. 14.*

*Omnium temporum historiæ testantur, non rarò, sed sæpenumero, non tantùm parvas copias vincere numerosissimos hostiũ exercitus: aut pauciores personas superiores esse multis millibus: sed sæpè etiam vehementiorem ventorum sonum, aut nudum adventantis exercitus strepitum, tantum infinitis copiis incussisse terrorem: ut consternati mox in effusam se dederint fugam: & tantùm non præ metu mortui fuerint.* *Laurentius Ludovicus.*

*In bello injustè suscepto sæpe terrores Panici à DEO immittuntur: quibus perculsus exercitus fugit, absq; manifesta tamen causa.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 204.*

Descrip-

Descriptio pavorum, qui in historijs vocantur Panici, & à Pindaro, divini, in quibus etiam Deorum liberi fugiunt, extat apud Esaiam, cap. 13. ubi dicitur: Propterea omnes manus dissolventur: & omne cor virile liquefiet. Et erunt consternati: angustiæ & dolores apprehendent eos: sicut parturiens dolebunt: unusquisq; reformidabit proximum suum: quia facies flammarum erunt vultus eorum, &c.

πανικὸν veteres vocabant subitum animorum tumultū, sed inanem. Veteres enim existimabant, Panem Deum repentinos terrores & animi consternationes immittere, lymphaticis simillimas: usq; adeò impotentes: ut non ratione modò, verùm & mente careant. Sicuti non rarenter usu venit, cùm in exercitu nulla comparente idonea causa, viri pariter atq; equi perturbantur. Cujus rei meminit & Euripides in Rheso: ἀλλ' ἢ κραυγὴ πανὸς πρόμοιρα μάσιγι φοβῆ. Verba sunt Hectoris ad custodes, nunciantes, novum tumultum in castris oriri: atq; is motum Panicum esse respondet. Narratur idem Deus concham illam tortilem ac turbinatam, quę Græcè κόχλον, id est, testudo dicitur, primus reperisse: eaq; personans olim Titanas, contra quos bellabat, in fugam egisse. Hac de re copiosiùs differit, citatis aliorum etiam Græcorū testimonijs, Angelus Politianus in Miscellaneorum annotatione 28. *Erasmus in Adagijs Chil. 3. Centur. 7. Adag. 3.*

Xenophon lib. 3. ἀναβάσεως scribit: Certum esse, neque multitudinem, neq; virtutem militum ad victoriam obtinēdam sufficere: sed horum impressionem hostes nullo modo ferre posse: qui nimirū confisi auxilio divino adversam partem invadant armisq; aggrediantur. *Laurentius Ludovicus.*

Psal. 9 dicitur: Quia convertis inimicum meum retrorsum: impingent & peribunt à facie tua. Hæc phrasis sumpta videtur ex historia, quæ recitatur Exod. 14: Iamq; advenerat vigilia matutina: & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum: & subvertit rotas curruum: ferebanturq; in

profundum. Significat enim facies Domini divinum terrorem: quo animi consternati fugiunt etiã nemine persequente. Hic terror à Græcis δαιμόνιος φόβος ὁ πανικὸν δ ἔθμα appellatur. *Strigel. Psal. 9. pag. 71.*

Ejusdem Panici terroris descriptio extat apud Pausaniam in Phocicis, de Gallis, Duce Brenno, ad templum Delphicum consternatis: ubi inter alia sic inquit: ἐν ὃ τῇ νυκτὶ φόβος σφίσιν ἐμπίπτει πανικός. Τὰ γὰρ ἀπ' αἰτίας οὐδ' ἐμμάτου δείματα ἐκ τοῦτο φασὶ γίνεσθαι. Id est: Cæterùm noctu irruit in eos pavor panicus: siquidem terrores nulla de causa exortos, ajunt ab hoc immitti.

Psal. 33: Dominus dissipat consilia gentium: irritas facit cogitationes populorum.

# EXEMPLA.

I. Extat 2. *Reg* 7. insignis historia, ad hanc regulam pertinens, de fuga Syrorum: ubi dicitur: Dominus infuderat in aures Syrorum sonitum equorum, curruum & maximarum copiarum: ut alij ad alios dicerent: Ecce Rex Israel contra nos mercede conduxit Reges Hitthæorum, & Reges Aegyptios: ut in nos irruant. Et surgentes manè fugerunt: & reliquerunt sua tabernacula, equos & asinos in castris: sicut erant disposita: & vita comite aufugerunt.

II. De Pompejo, viro abundante bellicis laudibus, & qui ter triumphaverat, semel de Afris, iterum de Hispanis, tertiùm de Mithridate, sic scribit Cicero *lib. 7. ad Atticum, epist. 136*: Cn. autem noster (ô rem miseram & incredibilem) ut totus jacet? non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. Mittam illa, fugam ab urbe turpissimam, timidissimas in oppidis concliones, ignorationem non solùm adversarii, sed etiam suarum copiarum. *Strigel. 2. Reg. 7.*

III. Rex Aethiopum Serah suscepit expeditionem contra Asam Regem Iudæ: habuitq; in castris suis millies millia hominum. Sed punivit Dominus Aethiopes coram Asa & Iudà, ut fugerent. Et Asa cum populo, qui ei aderat, persecutus est illos usq; ad Gerar. Et Aethiopes ceciderunt: nec quisquam eorum mansit superstes: sed percussi sunt coram Domino, & coram castris ejus: & magnam vim spoliorum inde tulerunt. Et ipse percussit omnia oppida in circuitu Gerar. Nam pavor Domini irruerat in ea. Hæc gloriosa victoria illustre testimonium est de efficacia fidei & invocationis. Non enim armis Asæ deletus est tantus exercitus: sed divino terrore: in quo, ut Pindarus ait, etiam Deorum liberi fugiunt. *Idem 2. Paralip. 14.*

IIII. Hujus terroris Panici insigne exemplum recitat Iovianus Pontanus *lib. 2. de Fortuna, cap. 15.* Theodosio Augusto satis parva manu cum Arbogasto Franco & Eugenio conserenti, tempestas repentè cœlo immissa opitulata est, tanta ventorum mole, à tergo suo in hostium oculos atq; acies: ut tela ab ijs ipsis emissa retorqueret:

ictusq;

ictusque eorum frustraretur: retroversumque, terga uti darent, cogeret. Hujus rei Claudianus meminit, inquiens:

*O nimium dilecte* DEO, *cui fundit ab antris*
*Æolus armatas acies: cui militat æther:*
*Et conjurati veniunt ad classica venti.*

Vicit igitur Theodosius ingenti prælio seditiosos: quorum alter Arbogastus, inclinata acie, in fuga sibi mortem consciv it, ut Saul. Alter Eugenius captus, jussus est interfici, & legibus pœnas dare. *Idem Psal. 9. pag. 71.*

V. Fabius Aemilianus triginta millib. fudit ducenta millia Gallorum ad Rhodanum.

VI. Pompejus Mithridatis quadraginta millia fudit, non viginti milites desiderans.

VII. Lucullus contra Tigranem ducens vix vigesimam ejus copiarum partem, occidit centum millia: vix centum vulneratis, & quinq; cæsis è suis.

VIII. Summis efferunt laudib. Coclitem illum suum Romani: qui totam legionem solus ad sublicium pontem Tyberinum pugnans sustinuerit, & pontem transire prohibuerit; donec pons à tergo ipsius rescinderetur.

IX. Alexander Magnus ex Europa adversus Darium educebat exercitum, qui constabat triginta millibus peditum, & quinq; millibus equitum: & propter paucitatem copiarum irridebatur. Sed in primo prælio de copijs Darij, quæ, ut Diodorus scribit, circiter quadringenta millia habebant, centum millia peditum, & decem millia equitum cædebat: ipse verò ex suis tantùm triginta duos pedites, centum & quinquaginta equites desiderabat: quingenti vulnerabantur: ut Curtius habet.

X. Trecenti Lacedæmonij toti Xerxis exercitui in angustis vijs ad Thermopylas fortiter esse oppositerunt, ex eoq; viginti millia trucidarunt.

XI. Cùm Miltiades cum undecim millibus, centum millia Persicorum peditum, & decem millia equitum, quodam in loco duobus Germanici milliaribus Athenis distante, in fugam conjiceret: & Brenni copiæ, quas ex Gallia in Græciam ducebat, centum & quinquaginta millia peditum, & sexaginta millia equitum continentes, a parvo Græcorum numero, inter quos ipsæ etiam fœminæ in Aetolia arma induerũt, & satis animose & viriliter cum hoste conflixerunt, ad internecionem cæderentur: scribitur Panicus quidam terror hostib. omnem animũ ademisse eosq; perterruisse, ut quæcunq; saltem aspexerint vel audiverint, terrorem & metum illis incusserint: sicut Pausanias prolixè hæc commemorat. Hanc consternationem ideo terrorem Panicum vocarunt: quia ad Marathonem in fuga Persarum species quædam Panos apparuit: quæ Athenienses, auxilium à Spartanis petentibus, per legatum, quem ablegarant, certam promisit opem: atq; ita, ut pollicita fuerat, hostibus fugæ causa extitit: ob quam operam Athenienses illi peculiare dedicarunt templum, divinosq; honores exhibuerunt.

XII. Sed hujus rei in sacris etiam literis illustria habemus exempla. Abraham, de cujus expeditionibus etiam Ethnici scriptores, ut Eusebius refert, magna volumina conscripserũt (non enim nudus & inermis, ut Monachus mendicando stipem quærens solet, circumvagatus est) trecentis & octodecim domi suæ natis & educatis servis, quatuor Reges, Ciliciæ, Assyriæ, Babyloniæ & Persiæ, ultra quadraginta milliaria hostiliter insecutus, in fugã conjecit: prædamq;, quam rapuerant, illis vi extorsit. *Gen. 14.*

XIII. Etsi Moses & Iosua maximis essent instructi copijs: nihil tamen laude gerebãt dignum, nisi DEVS hostibus, qui instar gigantum in urbib. & arcib. munitissimis habitabant, terrorem incuteret, & animum omnem auferret. Talis quando præcedebat consternatio: insignem semper hostium edebant stragem, ne unico quidem ex suis desiderato.

XIIII. Tempore Samuelis Philistæi fulgure cœlitus demisso sternuntur: sicut & Quadi sub M. Antonino; & Attila ad urbem Aureliam.

XV. Cùm Ionathas filius Saulis cum armigero suo in hostes impetum faceret: non unus cum decem, sicut ad Marathonem, neq; unus cum tribus millibus, ut ad Thermopylas, congrediebatur: sed Philistæorum copiæ tantùm non arenæ æquabant numerum: sex enim constabant millibus equitum, triginta millibus curruum falcatorũ, hastis, gladijs & falcibus ita armatorum: ut proxima quæq; demeterent & concideret, & vastam inter hostes ederent stragem: sicut à Diodoro, Xenophonte & Curtio describuntur. Has tantas & tam numerosas copias Ionathas solus aggredi audebat: & eo quidem successu: ut hostes omnes in effusissimam conijcerentur fugam: adeò ut ipsa tellus sub pedibus palantium hostium tremeret. 1. *Sam.* 14.

XVI. Asa Rex Iudæ à decies centum millibus Aethiopum arctissimè obsidebatur: sed quia majorem in DEO ipso, quàm exercitu suo fiduciam collocaret: ad internecionem hostes suos cædebat.

XVII. Ahab Rex Israël non supra septem millia in armis habebat; in urbe Samaria obsidebatur; ubi ex singulari DEI mandato ducentos triginta duos equites emittebat, adversus triginta duos Reges: qui in castris securi interea convivabantur & genio indulgebant, Eos parva hac manu ita terrebat: ut quàm celerrimè conscensis equis fuga saluti suæ consulerent. Similiter insequenti anno centum & viginti septem millia Syrorũ cædebat; & quidẽ copijs adeò exiguis; ut si cum hostibus conferendæ essent; vix instar gregis caprarum esse viderentur. Pertinent huc etiam victoriæ illæ divinæ Ioram, Iosaphati, quas singulari DEI ope, antequã arma sua expedirent, obtinuerũt: Maccabæorũ item, Constantini M. & multorum aliorum. *Hactenus Laurent. Ludovicus.*

XVIII. *Gen.* 35. *Vers.* 5. terror DEI, hoc est, gravissimus & maximus, & quidem divinitus immissus invasisse dicitur civitates illas, quæ erant in circuitu: ut non persequerentur abeuntes filios Iacobi. Nominatur hic terror in historijs profanis Panicus terror. Et in sacris literis multa exempla sunt: quæ ostendunt, *DEVM uti sæpe hoc stratagemate adversus hostes Ecclesiæ: ut corda eorum pavore repleat: & expavefactos ab institutis suis persequendis retrahat. Pezel. in Genes. cap. 35. pag. 669.*

XIX. Herodotus *lib.* 4 *pag.* 108. narrat de Scytharum servis, armis & bello invadentibus ipsos heros: qui aliquoties eis cedere sunt coacti. Sæpe commissa, inquit, pugna; cùm nihil tamen proficerent: quidam ex eis inquit: Quidnam rei facimus, viri Scythæ, cum nostris ipsorum servis dimicantes? qui & cùm interficimur, ipsi paciores efficimur: & illos interficiendo, paucioribus deinceps imperabimus. Mihi videtur, hastis arcubusq; omissis, sumenda flagella: quibus equos verberamus: & ad illos propiùs eundum. Nam quoad vident nos arma habentes: arbitrantur se similes nobis; atq; è similibus esse: ubi nos pro armis verbera tenentes viderint: tunc se nostros servos esse intelligentes, atq; id agnoscentes, non persistent. Hoc Scythæ cùm audissent: ita sibi faciendũ putaverũt. Qua ex re perculsi illi, pugnæ immemores, fugã capessẽrũt.

Terror

# CCCXLV.

*Terror multum nocet in re bellica.*

*Terror magnas aliquando copias, nullo premente hoste, fudit fugavitq;. Ioh. Iov. Pontanus lib. 1. de Fortitudine pag. 57.*

*Panicus terror, id est, qui nulla justa de causa exercitui, sive pedestri, sive nautico, incidit, optimas rei præclarè gerendæ occasiones corrumpit. L. Danaus in Aphorism. polit. pag. 163.*

## EXEMPLA.

I. Q. Fabius Dictator diutiùs cunctando victoria exultantem Hannibalem frustratus fuerat: donec eum in agrum Calenum cum omni exercitu traxerat: inque campum Stellatem: est enim locus invijs montibus altisq; fluminibus circumseptus. Et Fabius Calliculam Casilinumq; montes valido militum præsidio muniverat. Quibus quidem rebus effectum videbatur: ut Punicus exercitus circumventus, aut difficili fuga opprimeretur: aut inopia commeatus deficeret: ni Punico ingenio virtus Ducis adjuta, novum inauditumq; commentum meditata fuisset. Agnito enim periculo, duo cii citer boum millia (quæ ex pristina præda habebat) opportuno noctis silentio adduci jubet: & cornibus singulorum, sarmentorum fasces præligari atq; incendi. Boves ignis flammam ægrè ferentes, ad nota montium divortia cursu evadunt: quos instructus suo ordine Punicus exercitus paulatim sequebatur. Romani milites, qui præsidio montium aderant, novitate rei perterriti, ex opportunis locis discessere: & Fabius Punicam fraudem metuens, suos intra vallum continuit. Et sic Hannibal incolumis omni exercitu evasit: cùm Romani novæ rei facie territi locum deseruerunt. Hæc itaq; res, manè cùm deinde illuxisset, omnibus ludibrio risuiq; fuit: nec parum de Fabij Maximi laude detraxit. *Francisc. Patrit. lib. 5. de regno, tit. 4. pag. 305.*

II. Cæsar cùm ad solam famam adventantium Germanorum suos ita videret exterritos: ut permulti è castris jam abirent: quibus non artibus terrorem illum, sola opinione conceptum, è militum suorum animis excutere conatus est? *Pontanus ut suprà.*

III. Philippus Rex cùm institueret navigationem in Illyrium, ratus classem Romanorum non longè abesse, subito terrore correptus, collectis anchoris inhibere

remos,

remos, ac convertere iter jussit: trepideq; & nullo servato ordine retrocedens, postridie Cephaleniam appulit, ne nocte quidem cursum dirimente. Hic recreatis parumper animis aliquandiu constitit: simulans se urgentibus certis Peloponnesiacis rebus eò reversum esse. Accidit autem omnem eum timorem esse vanum. Etenim Scerdilaidas cùm audivisset Philippum per hyemem magnam multitudinem lemborum ædificasse; adventum ejus per mare veritus, auxilium Romanorum per legatos impetravit. Romani decem naves ex classe, quæ Lilybæi erat, misêre. Hæ juxta Rhegium transeuntes, fuerunt visæ. Quarum timore nisi frustrà correptus Rex fugisset: & ijs potiri facilè poterat: & peropportunum ad res Illyricas tempus habere. *Polyb. lib. 5. in fine.*

# CCCXLVI.

*NOn quævis hostium fuga, mora & detrectatio certaminis, est verum pavoris illorum ac metus signum: sed sæpe stratagema est, ad nos in locum iniquum alliciendos: vel securiores ac minùs cautos reddendos.* L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 106.

## EXEMPLVM.

Asdrubal Carthaginensium Dux, cui nota Romanorum formido erat, cùm ex perfugis intellexisset: alterum Consulum cum dimidia parte copiarum in Italiam reversum: solumq; Cecilium cum reliqua exercitus parte Panormi relictum: instante jam tempore messis, Lilybæo profectus, ut sociorum fruges invaderet: exercitum in Panormitanum agrum induxit: & ad montem castra fixit. Cecilius, cognito hostium adventu, cùm Asdrubalem voluntatem pugnandi habere intelligeret: intra mœnia exercitum continebat. Quibus rebus majori fiducia elatus Asdrubal, quòd Cecilium cerneret pavidum sese intra urbem continere, devastato undiq; & incenso agro, tandem exercitum per angustias versus Panormum movit. Consul tam diu in sententia non educendi exercitum permansit: quoad hostem traijcere flumen, quod juxta mœnia urbis erat, pelliceret. Postquam igitur Elephantos, omnemq; exercitum appropinquantes videt Cecilius: velocissimum quenq; & maximè expeditum militum exire, atq; irritare hostem jubet: quousq; venire ad manus universi cogantur. Animadvertens itaq; non longè pòst, quæ cogitaverat, ex sententia successisse: quosdam ex ijs, qui maxime agiles atq; expediti erant, pro mœnibus supra fossam constituit: jubetque, ut contra Elephantos, si illi accederent, telisq; verubusq; eminus pugnent. Quòd si quando iratæ pecudes cum impetu contra ipsos ferantur: in fossas se demittant: inde rursus Elephantos telis petant. Mandat præterea fabris fori ingentem telorum multitudinem extra urbem ferre: & ad fundamenta mœnium certare. Ipse cum signis

milita-

militaribus ad portam, quę lævum hostium cornu spectabat, constitit; ac subinde plures ad eos, qui jaculis certabant, emittit. Simul ac igitur pleno impetu pugnare cepturn magistri Elephantorum, qui cupidine gloriæ sibi attribui victoriam cupiebant, beluas in expeditos concitant. Illi, sicuti eis à Consule visum fuerat, statim terga vertunt: infestiusq; insequentib. beluis, in fossas se demittunt. Beluæ cùm primùm ad aggerem fossarum pervenêre; uno tempore & à multitudine urbana ex mœnibus, & à militibus ex fossis, sagittis telisq; multifariam feriuntur. Cumq; ultra aggerem progredi non possent; necessariò terga vertentes, in suos ruunt: agmina perturbant: magnam suorum stragem faciunt. Inter hæc Cecilius, eductis repentè copijs, ex obliquo, & aciem adhuc integram & ordinatam habens, in hostes impetum facit. Illi jam pridem à bestijs turbati, & tunc tumultuario impetu à Consule oppressi, facilè profligantur. Pars eorum trucidatur; cæteri fuga salutem quæruni. Elephanti cum Indis decem capti; reliqui, disjectis Indis, finito prælio, omnes in potestatem Consulis pervenêre. His rebus feliciter gestis: confessione omnium solus Consul fuisse causa videbatur: ut Romani pedestres exercitus sumpta fiducia rursus castra sub dio figerent. *Polyb. lib. 1. pag. 60.*

# CCCXLVII.

*VEteratoria calliditas, quæ perversè imitatur prudentiam, plerunq; infelix est. Strigel. 1. Sam. 18.*

## EXEMPLVM.

Syrus in Comœdia non diu fallit senes: sed sibi plagas accersit. *Idem ibid.*

# CCCXLVIII.

*VSitatum est, inquieta ingenia subinde novas turbas excitare: & sibi & aliis negotium facere: & simul impedire res meliores.* *Philip. in Postilla, pag. 206.*

*Homines inquieti & turbulenti nec ipsi quiescere possunt: nec alios quiescere sinunt.* Ideo de talibus

sæpè repetit Homerus hanc particulam, fieri scelera præter fatum, ὑπὲρ μόρον. *Strigel. 1. Reg. 2.*

## EXEMPLA.

I. Talis est Adonias: qui cùm à fratre Salomone in gratiam receptus esset post motam seditionem: tamen iterum novas res molitur: dum non tantùm petit connubium Abisag: sed etiam struit novas insidias regno; quibus, ut Cæcias nubes ad se trahere dicitur: sic ipse pestem perniciemq; sibi accersit. *Idem ibidem.*

II. Ita Clodius Romæ gubernationem turbabat. *Philip. ut suprà.* Expellebat Ciceronem: faciebat negocium Pompejo & Cæsari: & in suo Tribunatu multa impediebat profutura Reipublicæ.

# CCCXLIX.

*VSitatum est in vita, quòd propter incertas spes, aut metus, homines præsentia corrumpunt: & admiscent injusta consilia. Philip. in Postilla, pag. 206.*

*Cupiditate & cœca spe incitati homines sæpè injusta & majora viribus movent:* juxta dictum: μάταιοι μάταια λογίζονται, διὰ ἐπιθυμίας. Et Pindarus inquit: Hominum membra alligata esse impudenti spei: δέδεται ἀναιδεῖ ἐλπίδι γυῖα. *Idem Philip. lib. 2. Chron. pag. 72.*

*Aliquis metuens crescentem potentiam alterius, vult obijcere impedimenta: & quoquo modo ejus vires carpere. Idem in Postilla pag. 206.*

## EXEMPLA.

I. Sylla jubebat adolescentem Cæsarem interfici: quia olim videretur futurus acer inimicus.

II. Herodes jubebat pueros interfici, metuens regno. *Idem ibidem.*

III. Alcibiades bellum intulit Siciliæ, tantùm stulta & juvenili ambitione. Missa est in Siciliam classis Attica, cum exercitu quadraginta millium hominum, Ducibus Alcibiade & Nicia. Hic totus exercitus trucidatus est, præter paucos: qui fuga elapsi sunt. Fuerat autem suscepta hæc expeditio præcipuè Alcibiadis ambitione: qui populo persuaserat: Athenas tota Sicilia potituras esse. Nec causa belli necessaria erat: nec par erat Attica potentia simul domestico & externo bello. *Id. lib. 2. Chr. pag. 72. De eod. part. 2. Chron. pag. 269. Strigelius ita:* Apologus venustissimus de vasculo mellis, est pictura inanis spei, & vanissimarum cogitationum. Sicut ille Monachus, vel Eremita, quisquis fuit, concepit amplas spes de suo vasculo mellis, à mulieribus donato: ita Alcibiades, & multi alij homines adhuc hodierno die habent somnium de aureo pisce: de quo scribit Theocritus in Idyllio: quendam piscatorem somniasse: quòd ceperit piscem aureum: & juramento sese obligasse: quòd nollet deinceps exercere piscatoriam. Manè cùm somno solutus esset: reipsa comperit, se non minùs esse pauperem, quàm antea: ac diu disputat de absolutione juramenti: quod fecerat in somno dormiens: tandem verò necessitas absolvit eum: & coëgit exercere prius artificium. Ita Alcibiades fascinavit suos cives inani spe: quasi potituri essent tota Sicilia. Verùm hanc inanem spem consiliorum atq; cogitationum res atque eventus refutavit.

IIII. Xerxes Artabano, dissuadenti expeditionem in Græciam, respondet: Tu bono animo sis: & in patriam reversus, domi Rempublicam administra: donec Europa domita (est vasculum mellis, **grosse Anschläge / vnd wird nichts drauß**) victores in curru triumphali (scilicet in cymba piscatoria) redeamus. Ita & Demaratum interrogavit: Quid tu de meis copijs terrestribus & navalibus existimas? An putas fore, ut Græci impressionem mei exercitus sustineant? Ego certò mihi persuadeo, idq; exploratum omnino duco (inanes spes, inanes cogitationes: in summa, vasculum mellis, ut in Apologo dicitur) universas gentes, quæ sunt in Europa, si unum in locum congregarentur, non posse impetum mearum copiarum perferre & sustinere. *Idem Strigel. part. 2. Chron. pag. 116. & 118.* Quia verò toties fit mentio Apologi de vasculo mellis: libuit eum hic subjungere. Sic autem de eo idem Strigel. *lib. 1. Ethic. pag. 305:* Multum decedit consilijs humanis: ut docet fabula de vasculo mellis. Quidam senex, cui erat donatum vasculum mellis, erat inflatus magnis spebus. Sic enim apud se cogitabat: Tu asservabis hoc mel usq; ad magnam penuriam mellis. Tunc igitur, vendito melle, emes tibi aliquot oves: quæ, cùm sint fœcundæ, citò habebunt magna incrementa: & intra annum efficient magnum gregem: hunc gregem etiam tunc demum vendes: quando erunt in maximo precio oves. Tandem verò ædificabis domum: duces uxorem: & suscipies filium: qui si tibi obtemperabit: evadet in virum egregium & præcipuum: sin minùs, ego hoc baculo eum castigabo. Quod cùm diceret: impegit baculum vasculo: atq; ita cum melle effluxerunt omnes illæ spes cogitationum & consiliorum. Est pictura cogitationum humanarum.

V. Quoties amicitias ambiunt homines etiam viciosè? quibus illæ amicitiæ afferunt exitium: ut Anato erat amicitia Philippi Macedonis exitio. *Philippus in Postilla.*

## *Videamus quid idem Philippus de hac Regula doceat in Postilla per Pezel. edita, part. 4. pag. 15.*

Dominus cùm inquit: Sufficit diei κακία, malitia sua, crastinus dies erit sollicitus sibijpsi, docet præsentia rectè curare, & non corrumpere præsentia stultis spebus, aut metu futuri. **Das ist ein sonderlich** præceptum, **auch** apud sapientes. Pindarus laudans Hieronem dicit: φρονεῖν τὸ παρεὶμενον: sapere in præsentia; rectè curare præsentia. Magna hæc est sapientia; non stulto metu aut inani spe corrumpere præsentia. Omnes homines hoc faciunt: *inani & stulta spe rerum futurarum, vel metu inani & falso, multum peccant singuli: & in præsentia multa non rectè faciunt.* Ideo dicit CHRISTVS: Sustinete præsentia, rectè agite præsentia. Salomon: Instanter operare, quod est in manibus: vel, quod DEVS dedit tibi in manus. Samuel etiam dicit ad Saulem: Fac quod invenerit manus tua, id est, præsentia. Inspicite vos ipsos. *Nos omnes & singuli, multum multum peccamus stultis spebus:* **Wie man sagt** de piscatore, qui habebat somnium de aureo pisce. Fabula illa est apud Theocritum: Sic omnes somniamus illum aureum piscem; & postea decipimur. **Wir finden darumb keinen, wenn es uns schon treumet.** Fuit quidam Eremita, qui habuit apes in horto: cùm collegisset ollam plenam mellis; suspendit eam ad lectulum suum, dixit: Ego vendam mella, & emam mihi pro pecunia illa duas oviculas: & ex his habebo tandem magnum gregem: & tunc ducam uxorem; quæ, si mihi fuerit morigera, erit mihi grata, & vivam cum ea suaviter: si non erit morigera, percutiam eam: & sic percutiam: & arrepta clava, casu ferit ollam, ita ut tota frangeretur. Sic mella sunt effusa in terram, & spes omnis perijt. Talia multa fiunt in vita: **es gehet viel also zu. Als das man gedenckt**: volo movere hanc rem: & postea hoc sequetur: adjungam me isti in aula: ille promovebit rem meam: & fortassis ille prodit te postea. **Wenn man** ad speciem **gehet / so gibts selzame Exempel.** Μάταιοι μάταια λογίζονται δι' ἐπιθυμίας: vani vana ratiocinantur propter cupiditates. CHRISTVS autem hic tradit contrariam doctrinam: Sufficit sua diei afflictio: vult dicere: non duplices tibi molestiam: rectè sustineto & administrato. Hæc est, ut dixi, ingens sapientia, rectè administrare præsentia, & non peccare spe futurorũ; quod tamen multi homines faciunt multis modis. **Gedenckt einer jrgend**: Ille erit mihi firmus amicus, adjungam me ei: & multa facit, sæpè etiam peccat amici causa; & tamen ille postea evertit eum. Vnusquisq; de suis exemplis cogitet. Non cumulentur, non accersantur non necessariæ vexationes, non necessarij cruciatus: sed præsentes rectè sustineantur. Non cures, non mederis malum malo. Tribuitur hoc dictum Periandro: Μὴ τῷ κακῷ κακῷ. *Hactenus Philippus loco suprà citato.*

*Idem pag.* 32: Innumerabilia sunt, quæ homines peccant spe & metu futurarum rerum, quæ nunquam accidunt. Aliquis movet bellum, sperat sibi affuturos amicos: non fit. Alius se adjungit homini certo, metu vel spe futuri: **Es gereth auch nicht.** Ergo in præsenti debet quisq; facere quod rectum est. **So stehet in** Pindaro de Hierone: Τὸ παρεὶμενον ἐνέπᾳ φρονεῖν: Scit præsentia rectè judicare. Non abducatur aliquis à vocatione, vel à recto consilio, stulta spe, vel metu: neq; etiã frangatur doloribus propter præsentia mala, &c.

*Plerunq;*

# CCCL.

*PLerunq; homines eò recurrunt, & id cupidißimè petunt: quod paulò antè nimia pertinacia atq; arrogantia contempſerunt.* *Strigel. in orat. de Moyſe.*

Pertinaciæ rationem eleganter declaravit Cæſar in oratione, qua Afranio reſpondit miſericordiam petenti. Accidiſſe enim eis (ait) quod plerunq; hominibus nimia pertinacia atq; arrogantia accidere ſolet: uti eò recurrant: & id cupidiſſimè petant: quod paulò antè contempſerint. *Franciſcus Patrit. lib. 7. de regno, tit. 14. pag. 485.*

## EXEMPLVM.

Pharao, qui antea ignem & fulmina ſpiraverat: & ſeveriſſimè edixerat: ne Moyſes deinceps in conſpectum ſuum veniret: quaſi cum ſtupore conſternatus vocavit Moyſen & Aharonem noctu: eosq; in hunc modum allocutus eſt: Surgite, exite de medio populi mei vos & filij Iſraël: ite, ſervite Domino. Aegyptij verò urgebant populum: ut primo quoq; tempore ex agro atq; finibus Aegypti exirent: dixerunt enim; omnes moriemur. *Idem ibid.*

# CCCLI.

*QVemadmodum juſtos Iudices Deus adjuvat & defendit: ita injuſtos ſeverè punit.* *Strigel. in orat. de Ioſaphat.*

## EXEMPLA.

I. Cambyſes præſidem Siſamnem, qui pecunia corruptus injuſtam ſententiam tulerat, interfecit: & toti corpori cutem detraxit: eamq; inſtravit tribunali. Poſtea filium Siſamnis Otanem in eandem ſedem collocavit: ac juſſit eum, intuentem patris exuvias, juſtè judicare: ne ſimili ſupplicio afficeretur.

II. Sic Hiſpanicus præſes in quodam oppido agri Mediolanenſis promiſit mulieri, cujus maritus erat captivus, ſi cum ipſo concumberet: redditurum ſe eſſe mari-

tum: ac reddidit postea deceptæ mulieri interfectum. Sed Gonzaga, summus gubernator Ducatus Mediolanensis, justum supplicium de hoc cruento Sophista sumpsit. Hæc exempla congruunt ad dicta:

*Potentes potenter tormenta patientur.* Item:
*Judex futurus sanguine humano abstine.*
*Quicunq; regnas: scelera taxantur modo*
*Majore nostra.* Idem ibidem.

# CCCLII.

*IVdicum, qui judicia in Magos & incantatrices exercent capitalia, singularem habet rationem DEVS: illisq;, ne à veneficis lædantur, peculiari modo providet.*

*Judices à Magorum injuriis tuti sunt benignitate aliqua Numinis singulari. Neq; enim illis infinita semper est in omnes potestas.* *Nicolaus Remigius lib. 1. Dæmonolatr. pag. 7.*

Ecce ut DEUS sartam tectamq; præstat autoritatem ijs: quibus in terris suum demandavit imperium: quosq; ob id disertè nominis sui prærogativa atq; honore impertivit, Deos, uti se, appellans: nimirum *ut sint sacrosancti, ac ne ipsis quidem Sagarum, ob muneris officijq; sui causam, sortilegiis violabiles.* Imò nec Dæmonum ipsorum præceptis vel minimum obnoxij: etiamsi suam illis fidem labe ista aspersi obstrinxerint. Nam hoc sortilegis magistratus sanctitatem præstare, tantisper dum in eo sunt: ut quiescant ab alioqui importunissimis ejusmodi Magistellorum suorum querelis atq; instigationibus, etiam ipsi Magi fatentur. Capessat igitur confidenter magistratus quæ sui sunt of-

ficij:

ficij: agnoscatq; se ei vocationi servire: in qua DEUM propugnatorem passionum defensoremq; sit semper habiturus. *Idem pag. 9.*

# EXEMPLA.

I. Id à Dæmone suo non semel inaudisse se retulerunt Iana Granssanctæa, & Catharina Ruffa.

II. Equidem memini, Asinariam Nancejanam, cùm, me Quæstore, ad interrogata ex elogijs testium responderet, ac de hoc præsertim rogaretur, indignabundam hæc esse locutâ: Quàm bene agitur vobiscùm, ô Iudices, quòd nobis in vos nihil quicquam licet. Nam nulli sunt mortalium: quos tam lubenter insidijs nostris appetamus: qui sic gentem nostram omnibus pœnis suppliciisq; prosequimini.

III. Idem Iaquelina Xalvetia sponte, nec quoquam ei interrogatione præeunte, recensuit. Hæc propter sortilegij, qua pridem laborabat, suspicionem, in vincula conjecta, ac post modum Iudicis pronunciatione ijs soluta fuerat: quòd scilicet silentio pertinaci omnia quæstionum tormenta ferendo superasset. Hoc igitur secum sæpiùs animo volvens, priùs quiescere non poterat: quàm Quæstorem, qui severitatem in illam tantam adhibuerat, aliquo damno afficeret (est enim hæc Sagarum colluvies, suprà quàm dici queat, proclivis ad vindictam) Dæmonem igitur suum obtundere non cessabat: dum is ejus odij explendi aliquam rationem & tutam & facilem inveniret. Sed is imbecillitatis suæ sibi ea in re conscius, primùm quidem negocium ex alia atque alia difficultate trahere: & causas, ne id faceret, fingere. Verùm cùm Xalvetia efflagitandi finem non faceret: tandem pudens ac dolens, quòd contrà quàm ipse apud eam non semel prædicaverat, videret jam jam proditam iri suam illam imbecillitatem atque impotentiam, Ista certè me, mea Xalvetia (inquit) pessimè semper habuit illorum carnificum effrenata in vos sævitia: pridemque & sæpe de ea vindicanda fuit animus. Sed omnes conatus mei (ut ingenuè fatear) in nihilum recidêre: quòd illi in ejus sint præsidio ac tutela: qui solus inceptis meis obsistere potest. Sed faxo, ut tantam suam rabiem in commune saltem luant: dum hac atque illac sata cultaque, quantum possum, tempestate percello ac obtero.

IIII. Huic est non absimile illud Nicolææ Moreliæ: quæ recensuit, Dæmonibus insitum atque inustum esse præcipuè eorum odium: qui leges exercent in veneficos: frustrà tamen ad vindictam quicquam adversus illos tentari atq; incipi.

V. Desiderius Financius dixit, Dæmonem eum, cui se addixerit, toto tempore, quo magister municipij extitit, à se non esse visum: cùm cæteroquin diligentissimum ad quamcunq; occasionem monitorem antea habuisset. *Idem ibidem.*

# CCCLIII.

*IVris æqua & recta administratio, Pacis, corrupta, Seditionum causa est. Anti Machiavellus lib. 3. pag. 886.*

*Maximè præsens & efficax remedium est ad civiles motus componendos, Iudex prudens atq; integer, puraq; æquabilis juris administratio. Oriri autem ex juris judiciorumq; corruptela motus & bella civilia, multis exemplis satis superq; est cognitum. Idem pag. 887.*

## EXEMPLA.

I. Vtriusq; exempli documenta Romæ extitêre paucis post Quintij Consulatum annis. Cùm enim sequentes Consules non eadem erga populum comitate, neq; pari in jure administrando fide ac diligentia uterentur: Tribuni plebis rogationes de creandis Decemviris redintegrant. Itaq; eorum continuis actionibus & flagitationib. fatigatus Senatus, legem tandem perferri sinit. Decemviri ex Patribus creantur: & XII. Tabularum leges communi consilio condunt. Neq; eas tantùm omnium consensu perlatas & plebis scito confirmatas, in æream columnam inciderunt: sed ex illis jus omnibus æquum & incorruptum reddebant. Deniq; tanta erat eorum adversus omnes æquitas: ut omnes summi pariter atq; infimi eorum moderationem ac curam laudibus ferrent: & præsens contra omnem vim atq; injuriam auxilium. Iactabaturque à multis, non esse opus civitati alijs magistratibus: cùm unus ad omnia munia obeunda mira prudentia ac fide sufficeret: ac ne plebs quidem ipsa tribunitio auxilio egere se existimaret. Inter omnes maximè eminebat Appius: & plebis favore regimen totius magistratus penes eum erat: cùm non tantùm salutando & appellando comiter omnibusq; officijs populares demereretur: sed jus quoq; æquabiliter & promptè expediret. Sed tam præclara juris dictio annũ non excessit. Altero enim anno, continuato magistratu, fœdus clandestinum inter se pepigêre: ne comitia haberent: & perpetuo Decemviratu possessum semel imperium retinerent. Atq; ut quoscunque possent factioni suæ adjungerent: jus novo more, & contrà quàm primo anno instituerant, reddebant: judicia domi conflabant, quæ pronunciarent in foro: & secundùm eos, qui tyrannidi faverent, semper litem dabant. Itaq; omnibus, qui gratiæ magis, quàm causæ siderent, sibi adjunctis, brevi magnam urbis partem in se traxêre. Ita in duas partes discessit civitas: aliud populus integer, fautor & cultor bonorum, aliud

Appij factio, tenebat. Sed tyrannica tandem Decemvirorum impotentia dissidentes à se invicem Ordines in concordiam redegit: illisq; omnium consensu imperium abrogatum est. Decemviri igitur primo imperij anno, summa judiciorum æquitate maximam in Republica pacem & concordiam foverunt: altero verò cùm jure ad injuriā & libidinem abuterentur: civiles discordias maiores excitarunt, quàm antea.

II. Cum hoc Decemvirorum exemplo componi potest iniqua, factiosa & venalis Iuris dictio, in Gallia abhinc quindecim annos usu. pata (quæ haud dubiè tot infaustas seditiones & bella civilia peperit, aluit, alitque) tum insveta & brevis illa judiciorum integritas: quę in Provincia, post primos Galliæ tumultus, instar fulguris reluxit. Nam jus à Præside Morsanio, & aliquot Consiliariis eò missis severè & incorruptè administratum, neque id diu, tantum valuit: ut sequentibus deinceps motibus nulli modestiùs se gesserint, quàm Provinciales: feroces alioquin ingenio & fervidi. *Idem ibidem.*

# CCCLIIII.

*SÆpè unius audacia petulantiam vulgi auget atq; confirmat. Strigel. in orat. de disciplina, habita die 5. Augusti, Anno 1552.*

*Ecclesiarū & Rerumpublicarum gubernatores sæpenumerò paucorum improbitas aliud agere cogit. Idem ibidem.*

*Causa est:*

Quia vita magna ex parte exemplis regitur.

# CCCLV.

*AVdaciæ plerunq; conjuncta est temeritas.*

*Audaces ante pericula adita, laboresq; susceptos, nimis quàm acres videntur: sunt ad incipiendum præcipites: pòst verò magis magisq; deficiunt: videriq; incipiunt similiores hæsitantibus: donec*

*concidunt animis: apparentq; ipsis etiam timidis imbecilliores.* Ioh. Iov. Pontan. lib. 1. de Fortitud. pag. 62.

*Audaciæ conjuncta est temeritas, infelix humanarum actionum & dux & comes.* Idem ibid.

*Audaces ventosi sunt, ac tumidi: pluraq; sibi arrogant: ut qui videri fortes velint.* Idem pag. 63. b.

*Gloriosissimus quisq; est elata insolentiq; oratione: atq; ut se ipsum jactat, extollitq; sua: sic alienæ laudis est perquam invidus: & tanquam contemnit absentes. Idem ubi in adversarium incidit: nec verbis ne re substat: sed perhorrescit: conturbaturq; tanquam deprehensus.* Idem. pag. 64.

## EXEMPLA.

I. Audiamus quid de Phæthonte loquatur Ovidius: cujus quàm audax inceptum, & viribus impar esset, filio pater ostendit.

*Magna petis Phaëthon, & quæ nec viribus istis*
*Munera conveniant, nec tam puerilibus annis.*
*Sors tua mortalis: non est mortale quod optas.*
*Plus etiam, quàm quod superis contingere possit*
*Poscis & affectas.*

Et quę sequuntur. Luculentissimè enim locum hunc executus est Poëta. Quibus tamen Phaëthon nequaquam deterritus,

*Occupat ipse levem juvenili corpore currum,*
*Statq; super: manibusq; leves contingere habenas*
*Gaudet: & invito grates agit inde parenti.*

Nec multò post, ubi concaluisse equos sensit: quam repentè infractus est animo: ut nec sciat, quà creditas sibi habenas flectat: nec quà iter sit: nec si sciat, equis imperet. Itaque ut

*--- Summo despexit ab æthere terras*
*Infelix Phaëthon penitus, penitusque jacentes:*
*Palluit, & subito genua intremuêre timore,*
*Suntque oculis tenebræ per totum lumen obortæ,*
*Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos.*

Nam curru excussus, atque e cœlo præcipitatus, in terra ignota ignobiliter mortuus dicitur.

II. Auda-

II. Audaces quales sint, cùm in provocando, tum post provocationem ipsam in conserendis manibus, Taurea ille Campanus satis docere potest. Nam verbis quàm re ferocior, ut est apud Livium, cum Claudio Asello milite Romano, quem etiã contempto jure hospitij provocaverat, equo congressus, ubi aliquantum pugna extracta, sine ullo esset vulnere: minitabundusque dixisset, in cavam viam dimittendum esse: ubi consertis manibus decernerent, nullo ibidem equis ad evagandum dato spacio: & Romanus confestim equum in viam egisset: ipse repentè concitato equo, Capuam refugit. In quem illud in Drancem Turni dici rectissimè dici potest: quòd ei ventosa in lingua, pedibusque fugacibus Mavors esset.

III. Quo de genere sunt etiam milites glorioſi. Curate ut splendor meo sit clipeo, clarior quàm solis radij esse olim, cùm sudum est, solent: ut ubi usus veniat, contrà conserta manu præstringat aciem oculorum in acie hostium. Hic qui tam multa magnaque videri vult promittere: ubi in conspectum adversarij venit; ut statim sese perisse dicit? Ac deprecabundus vapulat, vincitur; tandemque exolutus, habere se gratiam dicit. *Idem ibid.*

# CCCLVI.

*Audacia sine consilio semel aut iterum fortunata esse potest: demum autem omnia evertit.*

*Francisc. Patrit. lib. 6. de regno, tit. 10. pag. 375.*

## EXEMPLVM.

Fortunam potiùs avaritia ductus, quàm prudentiã videtur secutus M. Crassus; cùm jam sexagenarius exercitum in Parthos, gentem ferocissimam, duxit, multis optimis civibus indignè id ferentibus: quòd prædæ aviditate ad eos populos oppugnandos proficiscereturr: qui non hostes Romani populi, sed socij potiùs & amici extitissent: & præsertim cùm Actejus Pontifex in eum diras execrationes caneret: & cunctis in precationibus devoveret: quibus obnoxij divino judicio damnati esse putabantur. Sed cùm grandis natu esset, & non integræ omnino valetudinis: inter juvenes se deputabat. Quin etiam cùm exercitũ duceret; iter per Galatiam fecit: quo loci Dejotarum Regem offendit operi intentum: quòd nova mœnia metiretur: in quem Crassus mordaciter cavillatus est, dixitque; Duodecimam jam diei horam agis, ô Rex, & novam urbem statuis? Erat enim octogenarius Dejotarus. Cui tum ille vicissim subridens ait: At tu ne matutinus quidem, ô Imperator, cum exercitu in Parthos festinas. *Idem ibidem.*

# CCCLVII.

*OMnium seculorum atque ætatum historiæ plenæ sunt exemplorum: in quibus conspici potest: sæpè certamina, accensa seu quadam morositate ingeniorum, seu odiis, aut invidia, magnis imperiis & civitatibus exitio fuisse. Strigel. in orat. de disciplina, Anno 1555. die 5. Augusti.*

## EXEMPLA.

I. De Pericle Aristophanes inquit: Pericles inflammavit patriam: eamq; implicuit levi occasione decreti adversus Megarenses promulgati, crudelissimo luctuosissimoq; bello: cujus fumo omnibus Græcis non fictæ lacrymæ opprimuntur.

II. Idem scriptor imaginem proponens inquieti & turbulenti civis, inquit: Vt piscatores non capiunt anguillas, nisi priùs agitato & turbato stagno: ita Cleon, quotics inconcessam aliquam voluptatem aucupatur, universam civitatem turbat. *Idem in eadem.*

III. Haud scio, an ullum extet illustrius exemplum, quàm Marij: qui cùm ureretur gloria Syllæ: conatus est eum vi spoliare exercitu & provincia: & patriam implicavit crudelissimo luctuosissimoq; bello. *Idem part. 2. Chron. pag. 408.*

# CCCLVIII.

*Πολυπραγμοσύνη est vicium valde familiare magnis ingeniis. Strigel. part. 1. Chron. pag. 298.*

*πολυπραγμοσύνη ruens in vocationem alienam, usurpans quæ sunt officij alieni, non tantùm infelix est, & Reipublicæ perniciosa: sed punitur etiam divinitus in ipsis autoribus. Autores plerunq; attra-*

*hunt*

*hunt sibi calamitates & exitium, lege & ordine justitiæ divinæ. Humana consilia, humani conatus extra vocationem suscepti, plerunq; sunt infelices. Ac regula est necessaria: facienda esse opera vocationis: & petendum esse auxiliũ à Deo. Ita enim labores & salutares & utiles erunt: sed injusta curiositate negocia suscepta, sine mãdato Dei, sine invocatione, & extra vocationem, sunt infelicia: quocunq; prætextu, quacunq; calliditate aut specie excusentur.* *Peucer. in lect. Chron. die 2. Septemb. Anno 1570.*

Das ist *usitatum in vita* —: ἔργα *negligimus, &* πέρδγα *facimus, & quæ maximè aliena sunt à vocatione: propterea exitus sunt infelices.* *Idem ibid.*

## EXEMPLA.

I. David peccat πολυπραγμοσύνῃ, numerans populum.

II. Sic Petrus peccat πολυπραγμοσύνῃ, ambulans in mari sine vocatione.

III. Sic peccavit Iosias, inferens bellum Regi Aegyptio Necao, promittenti pacem.

IIII. Ita Vsias, vel Osias, Rex alioqui bonus & sanctus, non mansit intra septa sui muneris: sed appetivit sacerdotium: voluit esse non tantùm Rex: sed etiam sacerdos. Et quanquam prohibebatur à sacerdotibus: tamen noluit eis cedere: & tantisper fuit pertinax: donec sentiret efflorescere lepram in facie, in parte omnium nobilissima, & maximè conspicua: & mansit leprosus usq; ad mortem. Ex hujus pœnæ magnitudine æstimemus magnitudinẽ peccati: quod nominatur a Græcis πολυπραγμοσύνη: Germanicè **Fürwitz**. *Strigel. ut suprà.*

V. Cyrus primus Rex Persarum, cùm gessisset feliciter maxima bella, cum Crœso Rege Lydorum, & cum Rege Balthasar Babylonico ultimo: tandem elatus fortunæ favore, & nimiùm sibi confidens, intulit bellum Massagetis; & in eo bello interfectus est. *Idem pag. 314.*

# CCCLIX.

*EXperientia testatur, levissimã occasionem interdũ præter omnem spem, ad res maximas gerẽdas, veluti sese ducem præbere: cùm videlicet eò deventũ est: ut permissione divina aliquid accidere necesse sit.* *Philip. Camerar. in Oper. succis. Centur. 1. cap 80. pag. 386.*

Non frustrà Porcius Latro L. Catilinam *(in declamat. apud Salust.)* ita compellat: Num in gerendis negociis ignoras sequẽdas temporum oportunitates, & in occasione rerum desidiam, ac tarditatem omnem, quàm diligentissimè fugiendam? Mutabilissimæ quidem sunt Deorum voluntates: & Fortunam, cùm abire permiseris, frustrà postmodum discedentem ac fugientem sis imploraturus, &c. Quod autem gentiles Fortunæ, veluti Deæ, cujus arbitrio res mortalium (sicut C. Iulius Cæsar omnes credere volebat, Fortunam secum navigare: per campos comitari: sibi adesse in castris: in administrandis omnibus bellicis munerib. juvare) subjectæ essent, & Fatis suis, inani superstitione excœcati, tribuêre: quemadmodum etiam Poëta testatur:

*superat quoniam fortuna, sequamur:*
*Quoq; vocat, vertamus iter.* Et alibi:
*Fata viam invenient.*

Hoc nos Christiani, patefacta veritatis luce, æternę providentiæ, & voluntati DEI omne, sive nobis adversa, sive prospera accidant, rectissimè attribuimus. De qua re extat elegans Epigramma, nescio cujus autoris, tale:

*Si vitam spectes hominum, si denig; mores:*
*Artem, vim, fraudem, cuncta putes agere.*
*Si propiùs spectes, fortuna est arbitra rerum:*
*Nescis quam dicas: & tamen esse vides.*

*At peni-*

*At penitus si introspicias, atq; ultima primis*
*Connectas: tantùm est Rector in orbe DEVS.* Id. pag. 385.

# EXEMPLA.

I. Hac de re habemus memorabile exemplum, quod accidit, cùm Borbonius, patrum nostrorum memoria, ex improviso ad occupandam Romam, Cæsareanum exercitum duceret. Cùm enim tormentis & aliis rebus ad oppugnationem destitueretur: & veluti indagine inclusus ab hostibus esset: mirificus casus (*ut Bellatus lib. 3. Comm. refert*) accidit. Etenim signifer quidam, cui ruina muri ad Compitum Petrinum commissa erat, cùm Borbonium aliquot militibus comitatum, vinetum perrumpentem, ad explorandum locum vidisset; tanto metu perterritus est: ut cùm in Vrbem profugere cogitaret: ipsa ruina, signo elato, egressus ad hostes contenderet. Borbonius hominem ad se venire conspicatus, alios subsequi, & eruptionem in se fieri arbitratus, gradum subitò sistit, eo cõsilio; ut suis collectis, impetum tantisper sustineret: dum reliquus exercitus appropinquaret: qui confestim omnis in armis erat. Signifer extra urbem ad passus fere trecentos progressus, audito ad arma capienda clangore, & clamore, ad se redit: & inversus se proripit: eademq; ruina, qua exierat, ingreditur. Borbonius hominis gestum admiratus, scalis arreptis ad murum accedit: ibiq; illo intersecto, milites sui in urbem irruperunt.

II. Simile quidpiam se in expugnatione Sampauli vidisse, idem Belleaius *lib. 8.* scribit: cùm alius quidam signifer in propugnaculo staret, signum manu tenens: & hostes ad oppugnandum venire conspiceret. Eum enim tanto repentè terrore corruptũ: ut cùm in oppidum fugere cogitaret; fenestra tormentaria egressus ad hostes signo elato excurrerit: à quibus ibidem trucidatus sit.

III. Sic inopinatus casus ex levissima occasione accidit: quo Belgradum, munimentum natura & arte validissimum, absente Præfecto, amissum est. Cùm enim is (*& Dubravius in histor. Boiem. aliter quàm Paulus Iovius, recenset*) per causam petendi stipendij Budam in aulam regiam, relicta arce sine capite, se contulisset: Quæstore illum frustrante, & ad extremum nihil adnumerante: constat plerisque, inquit Dubravius, nec enim adhuc omnes mortui sunt, centum tantummodo aureis pro stipendio adnumeratis, Belgradum retineri potuisse: ne in potestatem Turcæ veniret: sed dum Præfectus absque nummis regredi ad suos non audet: & illi sine Duce inter se diversi ac discordes agunt: & mox circumfuso pavore, quem eis Turca modico exercitu incussit, ita torpent: ut ad defensionem nec animus nec vires superessent: priusquam illis succurri potuit, deditionem fecerunt. Ad hunc modum Belgradum, aliorum quoque regnorum, præter Hungariam, munitissimum propugnaculum, ad confluentem Savi, Dravi, Danubij, inclytorum fluminum situm, turpissimè est amissum. *Hactenus.*

IIII. Huc referendũ est, ut ad vetustiores historias paulatim perveniamus, quod Vrspergensis & alij historici de Hunnis memoriæ tradiderunt. Scribunt enim Hunnos citra Mæotidem paludem habitasse: tantumque venationibus operam dedisse: neque de aliis regionibus solicitos fuisse. Non enim putabant, in altera ripa terram cultam, vel homines reperiri. Verùm cùm fortè venatores quidam conspicerent cervam

lento-

lento gressu paludes transeuntem, atque interdum, quasi vadum exploraret, subsistentem, donec in alteram ripam evaderet: idque illis mirum & insolitum videretur: ejus semitam procul subsecuti sunt: quoad ipsi quoque continentem attingerent. Ibi videntes regionem amplam, & à Scythis habitatam, remeantes eadem via ad suos, illis indicarunt, quid accidisset. Hi cùm audirent, paludes vadosas & permeabiles esse: vix sermonibus ipsorum fidem habuerunt: tandem persuasi, magno exercitu coacto, conclusérunt vadum illud à cerva illis divinitus indicatum esse: trajectoque lacu, Scythas & finitimos, nihil tale opinantes, oppressérunt: eoque interjecto tempore mira felicitate progressi sunt: ut toti orbi terrarum formidabiles fuerint.

V. Eodem modo Clodovæo Francorum Regi, pugnaturo contra Gothos, cervam vadum in flumine Vigenna demonstrasse, memoriæ tradidit Annonius vel Amoinus, *lib. 1. cap. 21. de gest. Franc.* Sozomenus autem *in histor. tripartita Eccles. lib. 6. cap. 37.* ubi hanc historiam de cerva Hunnis vadum demonstrante, recenset: bovem œstro percitum, lacum transmisisse ait: eumque secutum bubulcum hunc, cùm terram incognitam ab altera parte vidisset, tribulibus suis id nunciasse. Primò igitur exigua manu militum de Gothorum viribus Hunnos fecisse periculum: postea cum omnibus copiis illos aggressos prælio devicisse, & omnem eorum regionem occupasse.

VI. Gallis autem olim obsidentibus Capitolium non ita felix eventus respondit: vel, ut ethnicorum more loquar, fortuna, licet illis veluti viam ad occupandum Capitolium monstrârit: attamen non, sicut expetebant, arrisit. Cùm enim (*ut hanc historiam post Livium Plutarch. in libro suo peculiari, prope finem, De fortuna Romanorum, luculentè describit*) reliquiæ Senatus post acceptam cladem ad Allian, in Capitolio à Gallis arctissimè obsiderentur: & in illis difficultatibus Furius Camillus (quem prosperis rebus populus elatus damnatum peculatus Vrbe ejecerat) ab ijs, qui ex prælio & semicapta Vrbe effugerant, & Veios convenerant, Dictator creatus esset: is ne temporum magis iniquitate, quam è legum præscripto magistratum accepisse videretur: neve tanquam comploratæ Reipublicæ palantis convena quæque exercitus armis ad imperium raptus censeretur: voluit castrensem imperij delationem Senatus autoritate confirmari: qui in Capitolio obsidebatur. Cujus igitur Pontius (*libet enim Plutarchi verbis, interprete Guilelmo Budæo, Parisiensi regio Secretario, uti*) erat vir impiger: hic mandata ad Senatum cùm se perlaturum recepisset: ingens adiit periculum. Eunti fallendum per medios hostes erat: cùm excubiis vallóque circumdata arx undique esset. Is ut ad amnem pervenit: suberibus latis incubans, corpus vectabuli levitati credens, secundo se flumini permisit: à quo clementer placideque devectus alteram ad ripam nullo negocio pervenit. Vnde digressus per hostium rarissima vadebat, exignium ipsa raritate silentioque captans. Ad collis inde præruptæ cùm veniret: quà molliorem cunque ascensum comperirat arrepens, quaque aspera supinitas emitedi præbebat adminicula, ad hæc in salebrarum anfractus sese insinuans, omni ope, omnibusque, ut ajunt; ungulis connixus, ad summum tandem evasit: ibi à vigilibus admissus mandata obsessis exposuit: acceptoque decreto, rursus quà venerat ad Camillum regressus est. Cæterùm postridiè luce orta, Barbarus quidam locum temerè oculis, ut fit, lustrans, cùm summa pedum vestigia, fallentisque lapsus, tum in obrito flaccescentique gramine, qua terrena loca erant, obliquos corporis tractus, & surreptantis vestigia animadvertens, populatibus suis detulit. Hi viam interpretati se ab hostibus edoctos, tentandæ rei consilium capiunt: noctuque, quà infrequentissima interdiu ob-

servave-

servaverant, scandentes, canes quoq; excubitores, vigilumq; comites, nedum vigiles ipsos somno sopitos latuerunt. Nec ideo tamen Romana fortuna vocis indiga fuit: quæ tantum malum prodere et indicare q; posset. Anseres Iunoni sacri ad Dex templum alebantur. Hoc animal cùm natura facilè consternabile est, & ad omnem strepitum solicitum: tum id temporis premente cibariorum inopia neglectũ, tenuis à fame somni erat. Proinde illico senserunt hostes jugum superasse: turbidoque admodum id clamore prodidêre advolitantes. Armorum deinde splendore consternati, clangore vehementi Romanos, ad omnia collis loca pertingente, excivêre: qui re, ut erat, animadversa, hostes celerrimè deturbatos in præceps impulerunt. Miratur se nunc etiam fortuna commemorandis his casibus. Canis in crucem sublatus: anser in eleganti grabatulo gesta, oriolovè quàm decentissimè sedens.

VII. Huc ex recentioribus exemplis non incommodè referri potest, quod Fazellus (*de reb. Sic. poster. decad. lib. 9. cap. 6.*) de accipitre scribit. Cùm enim Arragonij Casiblim munitum locum Clarimontorum occupare conarentur: & noctu custodibus somno captis, rupem castro prominentem scalis insc endentes, unam arcis turrim, effractis magna vi portis, cepissent: erectoq; ex ea Regis insigni aliam turrim eminentiorem essent aggressi: parvo etiam negotio occupassent: nisi accipiter animatorum strepitu experrectus, sublatis vocibus Præfectum & arcis custodes excitasset. Qui ubi hostes arcem ingressos vident: tribus facibus de more accensis, vicinos amicos ad ferendas suppetias invocant: atq; ita Aragonij ab incepto interturbantur.

VIII. At Severiani, ut apud Herodianum *l. b.* 3. legimus, feliciorem eventum rebus ferè desperatis ex improvisa occasione habuerunt: cùm munitionem Tauri montis, à Nigro magna diligentia ad prohibendum transitum constructam, oppugnarent, tristes utiq; ac citra spem victoriæ. Quippe valida inexpugnabilisq; per se, & quæ monte ipso præcipitioq; defendebatur. Igitur jam defatigatis, alta adversariorum securitate, ecce tibi noctu maximi repentè ruere imbres: oppleri omnia nivibus: ut sunt difficiles in Cappadocia hyemes, maximeq; ad Taurum montem. Quocirca subitus impetu magno erumpit torrens; cui suq; impedito (quod munitio exitum prohibebat) major jam violentiorq; factus, quando artem superante natura, tantum impetum sustinere munitio non poterat, laxatis paulatim coagmentis, ac fundamentis loco emotis, iter sibi torrens patefecit. Quo animadverso, qui in præsidio erant, metu, ne ab hoste circumvenirentur, nullo mox futuro propugnaculo, simul unda resedisset, prodita custodia, cuncti fuga dilabuntur. Itaq; læti Severiani, confirmatiq; animis, veluti Dijs ipsis immortalibus manu ducentibus, cognito custodes ausugisse, facilè scilicet nullis prohibentibus Taurum supergressi, in Ciliciam mox impetum fecerunt.

IX. Eodem modo levissima occasio Mario obsidenti in Numidia castellum natura & operibus munitissimum, ut Sallustius (*de bello Iugurth.*) memoriæ tradidit, præter opinionem omnium curas suas & anxietates levavit. Cùm enim inter spemq; metumq; anxius hæreret, omitteretnè inceptum, quod frustrà erat, an fortunam opperiretur, qua sæpè prosperè usus fuerat: fortè quidam Ligur miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod adversum præliantibus erat, animadvertit inter saxa repentes cochleas: quarum cùm unam atq; alteram, deinde plures peteret: studio legendi paulatim ad summum montis egressus est: ibi exploratis omnibus, quæ mox usui fore ducebat, eodem regreditur: & Marium edocet: quo in loco aditum inter præcipitia ad castellum notaverit. Explorata itaq; re, hac occa-

sione usus Marius, tam à tergo, quam à fronte oppugnationem urgens, munitionem illam occupavit. Quare ita concludit hanc suam narrationem Sallustius: Sic fortè correcta Marij temeritas gloriam ex culpa invenit. *Hactenus Philip. Camerar. in Op. succis. per totum cap.* 80.

X. In obsidione Brixiensi, quòd primæ castrorum munitiones adeò mœnibus subjectæ essent, ut telum è muro facilè in eas adigi posse videretur: militis quotidiana consuetudine inter se colloquebantur. Galli enim ac Veneti obsessis famem omnium que rerum inopiam, atq; omnis auxilij desperationem objectabant: ac mortem aut vincula comminabantur: quòd eos, si per conditiones deditionem facere vellent, minimè se recepturos esse, jurejurando confirmassent. E contrario Hispani Venetis ignaviam exprobrabant: cùm se iterum omnem eorum apparatum adempturos, eruptione facta, denunciarent: magnoperè verò se Gallorum vicem dolere dicebant: quòd eo anni tempore, qui in tepentibus & benè cultis Insubrum domibus, pellicea veste & largioribus epulis uti consuevissent, nivis ac imbrium atq; aquilonis injurias pro aliena causa paterentur. Cùm per hunc modum milites facetè contumelijs inter se contenderent: Navarrinus miles, ut linguam jactantiamque Hispanorum, injecta cuniculi suspicione reprimeret: Hispanicè locutus, commilitones, inquit, qui extremis etiam rebus vestris tam securè jocamini, cavete, ne à vobis contumeliarum rationem reposcamus: cùm Gallina pede scalpere ac fodere humum aliquando desierit. Quæ verba acuti ac perspicaces Hispani, qui in muro erant, sanis auribus acceperunt; eaq; altiùs interpretati, Navarrum pro Gallina specus cuniculosq; moliri, quod peculiare ejus hominis artificium foret, ab suæ gentis milite perlusum cautè sibi significari judicarũt. Nec mora, ea res pluribus simul signiferis ac centurionibus communicatur; ad Nicardumq; concurritur. Illi qui propter loci mœniumq; naturam, atq; ejus hostis ingenium, qui in his artibus maximè inniti consvevisset, hæc eadem multùm antea accidere sibi posse cogitârat, per eam urbis partem, quę proxima castris, & subjecta periculo videretur, diligentissimos homines circummittit: qui cuncta explorent: privatas domos, templa, cœnobia ingrediantur: scientissimeq; perquirant, an aliqua cuniculorum vestigia reperiri possint. In id cùm omnis militum animi summo studio intenti essent: alij passim omnibus silentibus strati, ut terræ motum notarent, aurem solo applicabant: alij tympana militaria solo deposita, si concussis leviter membranis, vel tenuissimè personarent, contemplabantur: alij capacissimas pelues, vasaq; ænea omnis generis aqua repleta, sit remulis motibus agitarentur, intentissima cura omnibus locis observabant: quibus argumentis subterranei operis motiones necessariò deprehenderentur. Nec multò pòst certo in loco animadversum est, terræ superficiẽ manifestè commoveri. Quam ob rem singulari omnium lætitia contrarium illi cuniculum instituerunt. Erant multi in urbe milites horum operum peritissimi: qui artem superioribus temporibus, præceptore Navarro, didicerant: pluresq; Germani: quibus omne genus cuniculorum notissimum erat, propter argentarias fecturas: quæ apud eos ad Hercyniæ regionem sunt frequentes. Ex his nonnulli etiam inter Gallorum præsidia Bononiæ fuerant: & se Navarri artibus, contrarijs cuniculis feliciter occurrisse memmerant. Quibus de causis continuato labore, ac pluribus simul perductis cuniculis, facilè per obliquos meatus ad hostium opera pervenerunt. Quo casu læti milites ab opere desistunt: relictisq; in extrema cuniculi parte parvis foraminibus, quibus introspicere possent, silentio ad Duces revertuntur. Disputatur in consilio: an sulphurei

pulveris

pulveris cados, qui in eum locum ab hostes [illegible]antur, ex occasione discessus eorũ, subtrahere furtim, asportareq; deberent: quòd magnam ejus rei inopiam diu antea sentire cœpissent: an opperiri tempus præstaret, horasq; capere: quibus Trivultius atq; Navarrus, gratia inspiciendi cuniculum se demittere consuevissent: ut illos injectis ex improviso ignivomis globis, miserabili morte concremarent. Sed *Dij immortales, qui ut præditos insigni virtute homines diutiùs servent, plerunq; imminentis Fortunæ impetum benignitate præverunt* (ut sæpè antea fecerant) illos ea quoq; die protexerunt. Nam miles, qui tubeuntes expectare debebat, cuiq; perficiendi negotij, cura fuerat demandata, cùm aliquos, & in his cuniculi magistrum, cultiore ac serica veste indutũ, versari in cuniculo, per ambiguas tenebras conspexisset: ut qui se destinatos Duces enecaturum existimabat: moræ impatiens, judicioq; deceptus, ambustis aliquot hominibus, totam adinventi cuniculi rationem hostibus patefecit. Ita multorum dierum labor puncto temporis, ex levi joci cujusdam occasione, interijt. *Hac Paulus Iouius in historia sui temporis, lib. 16. pag 331. b.*

XI. Lepus autor fuit, ut Roma caperetur. Arnulpho enim Rege, qui Berengario auxilium tulerat, Romam oppugnante, excitus è latebris clamore tumultuq; militum lepus, urbem versus cursum arripuit. Hunc milites toto temere agmine concito cùm cœpissent sequi: cursuq; & clamoribus acriùs deterrerent: Romani, qui pro propugnaculis stabant, urbem eo impetu peti veriti, cui se longè impares propter defendentium inopiam arbitrabantur, pari consensu desertis mœnibus, ad terram se summisêre. Barbari occasione freti, sellis equorum & veterinorum ad mœnia in cumulum aggestis, per eos, nullo reluctante, leoninam urbem nullo negotio ceperunt. Quam historiam etiam Sigebertus Gemblacensis in suam Chronographiam retulit. Factum Anno CHRISTI 894.

XII. Econtrà, sicut Plutarchus retulit, lepus in terræmotu maximo, quo Sparta ferè tota concussa est, multos incolumes conservavit. Dum enim in media porticu simul ephebi & impuberes exercerentur, paulò ante terræmotum, lepus prætercurrit: eum adolescentuli, ut erant uncti, cùm per jocum insequerentur: interim in puberes gymnasium incidit, omnesq; oppressit. Sepulchrum eorum hodie etiam à terræmotu Sismatæ nomen habet. *Camerar. Centur. 2. Op. succis. cap. ult. pag. 566.*

# CCCLXI.

*ILlis qui potentiam tyrannicam tenent, nihil est absurdum, quod utile est: nihil amicum, quod metuendum est: & omnibus pro temporis oportunitate amicos aut hostes esse congruit. Thucyd. lib. 6. referente Strigel. 2. Reg. 18.*

*Omnes Tyranni sunt conflati ex perfidia & crudelitate. Idem Strigel. ibid.*

*Demosthenes Philip. 2.* Multa sunt excogitata ad muniendas urbes: ut verbi causa, valla, muri, fossæ, & quæ sunt ejusdem generis. Et hæc quidem manu parantur: & magno sumptu indigent. Vnum verò propugnaculum à natura comparatum est: quod cùm omnibus salutare est: tum verò maximè prodest civitatibus adversùs Tyrannos. Quod est igitur hoc? Diffidentia. Hanc retinete: hac utimini. Quòd si hanc servaveritis: nihil triste vobis accidet. *Interprete Strigel. ibid.*

## EXEMPLVM.

Sennacherib Tyrannus Assyrius etsi pecuniam ab Ezechia acceperat: tamen violata fide mittit maximas copias ad obsidendam Ierosolymam. *Ibid.*

# CCCLXII.

*Ambitiosi nec superiorem, nec parem ferre possunt. Ioh. Spinæus de Tranquil. animi, lib. 2. pag. 50.*

*Ambitiosa ingenia nunquam feliciter gerunt res magnas, si conjunguntur. Naturæ ambitiosæ ad imperium non congruunt: quia altera alterius gloriam in gubernatione impedit. Peucer. in lect. Chron. die 29. Novemb. Anno 1572.*

*Naturæ ambitiosæ non possunt inter se colere amicitiam: quamcunq; præ se ferant benevolentiam: tamen revera oderunt se inter se: & hoc agunt: ut evertat alter alterum. Ambitiosa ingenia ad po-*

*liticam*

*liticam administrationem ideo minùs sunt idonea: quòd ex sociis & amicis reddunt inimicos: qui debebant esse socij & συνεργοι consiliorum & laborum publicorum. Idem 13. Decembr. An. eod.*

*Natura ambitiosa simul est inquieta, turbulenta & rixatrix: quia ambitiosus semper quærit causas: ex quibus crescat: quibus excellat: & omnes superet dignitate & potentia. Idem ibid.*

*Pernicioſi sunt apud Principes, & in omni libera civitate, qui inter se ambitioſi sunt: ac de honorum cursu certant. Inprimis enim civitates partibus inficiunt: & ea plerunq; svadent: ut contra obtrectatores loquantur: quibus vel Respublica ipsa graviter offendatur. Francisc. Patrit. lib. 4. de regno, tit. 20. p. 290.*

*Sæpe accidit, ut inter Duces æmulatio, Principum rebus pernicioſa sit. In Hypomnes. polit. Gvicciard. part. 2. pag. 84.*

*Quoties in exercitu plures aliquot strenui magniq; Duces convenêre: nisi hostium vires eos simul arma conjungere & esse cogant: commodiùs, & ad pacem inter se tuendam, & ad hostem fatigandum, copias dividunt: & in diversa loca abducunt: ubi eorum quisq; rem pro se & bellum gerat: quàm simul & unà retinentur. L. Danæus in Aphoris. polit. p. 211.*

Lucanus lib. 1.

*Nec quenquam iam ferre potest Cæsaruè priorem*
*Pompeiusvé parem.*
*Nulla fides regni sociis: omnisq; potestas*
*Impatiens consortis erit.*

# EXEMPLA.

I. Themistocles cum Aristide in eadem urbe, nec Cæsar cum Pompejo vivere potuit.

II. Alexander verò filiam Darij, uxorem ducere, & Orientis Imperium cum eo partiri, à duobus Solibus mundum regi posse negans, recusavit. *Iohannes Spinæus lib. 2. de Tranquillit. animi, pag. 50.*

III. Turci, quando aliquis crescit ex Bassis: ut ille qui obsedit Viennam: non patiuntur eum diu esse superstitem.

IIII. Sic æmulati sunt inter se Cyaxares & Cyrus.

V. Romulus & Remus. *Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 3. pag. 504.*

VI. Vidimus certamen inter duos consiliarios Imperatoris Caroli V. Granvelum & alium quendam: quorum alterius fortuna vel potiùs patientia vicit. Quamvis enim alter esset in magna gratia apud Cæsarem, propter svavitatem in dicendo: ita ut Imperator, si quando laudaretur aliquis ob eloquentiam facundus, dicere solitus sit: ille quidem facundus est: sed meus consiliarius multò svavior: tamen patientia atque animi moderatio Granveli effecit: ut alter ex aula ejiceretur. Quin & multi Principes laborabant pro ejecto: sed nihil efficere potuerunt. *Id. in Loc. Manl. pag. 253.*

VII. Alexander habuit duos cubiculatios, admodum sibi familiares, Ephestionem & Craterum. Ephestion fuit aulicus, idoneus ad assentandum. In Cratero fuit excellentia virtutis. Vterq; voluit esse primus. Craterum oderat Ephestio, ideo quòd erat in eo virtus. Sæpe rixæ ortæ sunt inter eos, interveniente etiam Alexandro: ut deniq; minaretur utriq; mortem: nisi cessarent ab istis contumeliis & rixis. Et dixit, Ephestionem esse Φιλαλέξανδρα, id est, amantem Alexandri, & assentatorem: Craterum verò Φιλοβασιλέα. Insuper dixit Ephestioni; Craterus est aliquid sine Alexandro; tu nihil es sine Alexandro. *Idem ibid.*

VIII. Cæsar cùm transiret oppidum ad Alpes situm, & reverteret in Galliam, dixit: malle se in hoc oppidulo esse primum: quàm Romæ secundum.

IX. Dicunt nullam aliam causam fuisse, quare Solimannus Imperator Turcicus interfecit Imbrebaschan: nisi quòd quando Imperator exivit in templum, vel arcem, vel oppidum exspaciaturus, splendidiori comitatu stipatus fuerit Imbrebischa. **Das thut jhme wehe:** ideoq; eum trucidat. *Philip. in Postil. Pezel. part. 4. pag. 580.*

X. Ioabus metuens ne Abnerus illi præferretur, & ipse deteriori conditione esse inciperet, & præfectura copiarum privaretur: Abnerum perfidiosè transfodit. *Vide Iosephum lib. 7. Antiquit. cap 1.*

XI. Certabant inter se ambitione & odio Aristides & Themistocles, omnium Athenienssium civium tunc præclarissimi, & semper in contrarias sententias nitebantur:

tur; proinde cùm aliquando Senatus dimitteretur, rebus omnibus infectis, propter eorum altercationem: exclamavit Themistocles; nisi me & illum in barathrum dejeceritis: Respublica Atheniensium nunquam salva esse poterit. *Francis. Patrit. lib. 4. de regno, tit. 20. pag. 291.*

XII. Ideo Duces Darij in diversas se dividebant regiones. *Vide Herodot. lib. 5. circa finem.*

# CCCLXIII.

*PErcursis omnibus historiis, nunquam impunitatem ambitioni à Deo concessam esse, contrà eam dejectam & depressam semper fuisse, comperiemus. Spinæus lib. 2. pag. 59.*

## EXEMPLA.

I. Satanas, simul atq; altiùs ascendere, & se DEO æquare conatus est: an non præceps ruit cum horrendo fragore, instar fulguris aut tonitrus?

II. Quas in calamitates & ærumnas sese Adamus cum posteris præcipitem egit, quòd altiùs attollere se voluisset? *Genes. 3. Vers. 17.*

III. Maria, Mosis soror, nonné lepra ideò afflicta fuit, quòd ambitiosè in fratrem surrexisset. *Num. 12. 10.*

IIII. Core verò, Dathan & Abirom, cum sua cohorte, postquam stulta arrogantia sese cum Mose comparassent, nonné hiatu terræ vivi absorpti sunt in oculis universi populi? *Num. 16. 33.*

V. Quis finis & exitus fuit Goliathi illius gloriationis? 1. *Sam. 17. 49.*

VI. David autem, qui hunc solo in DEUM fiducia & precatione armatus vicerat: cùm postea stulta impulsus ambitione, contra divinum mandatum, & Ioabi dehortantis monita, gentem omnem lustrari ac recenseri jussit: quò potentiæ suæ magnitudinem cognosceret: an non repentinæ sue pœnas luit, quæ septuaginta hominũ millia ex ipsius populo sustulit? 2. *Sam. 24. 1.*

VII. Roboamus, qui modesta & leni oratione populum sub imperio suo retinere potuisset: eum maxima ex parte superbis & arrogantibus verbis abse alienavit 1. *Reg. 12. 14. 16.*

VIII. Ozias Rex non contentus sua dignitate, sacerdotis etiam munere ambitiosè fungi voluit. Sed cùm suffimentum teneret ad adolendum: statim exorta est in fronte eius lepra: quæ ad mortem usq; illum comitata est 2. *Chron 26. 19.*

IX. Iosias, Princeps alioqui multis & excellentissimis dotibus ornatus, ac legis & divini cultus ab ipso restituti, cùm pene deletus & penitus corruptus esset, manu fortissimus, tamen parùm consideratè bellum cum Pharaone Necho, Ægypti Rege, suscepit; in quo cecidit. 2. *Chron. 35. 20.*

X. Sennacherib nonné ab Angelo Domini profligatus fuit, cæsis Assyriorum centum octoginta quinq; millib. proxima nocte eum diem sequente, quo per os legati sui Rabsaces blasphemas voces in DEUM evomuit, & superbia excœcatus in Omnipotentem invehi, ac eum quasi provocare ausus est? *Esa.* 36. 37.

XI. Aman ille superbus nonné ex eodem patibulo suspensus fuit, quod ipse Mardocheo paraverat, ob non exhibitam sibi ab eo, quemadmodum ab aliis, adorationem? *Esther* 7. 10.

XII. Nebucadnezar, post non paucas nec mediocres victorias de hostibus reportatas, cùm pace frueretur: ab omnibus vicinis formidatus: urbq; ac regia ipsius sumptuosissimis ædificiis & opulentissimis populorum debellatorum exuviis ac spoliis exornata & instructa esset: tanta felicitate ebrius, se hominem esse non amplius meminit. Quæ causa fuit: cur DEVS, ut hanc superbiam retunderet, ratione & autoritate ad tempus eum privârit: similemq; brutis animantibus esse voluerit: quoad animi & spiritus demissione, ac peccati sui agnitione, pristinam illam superbiam expiaret. *Daniel.* 4. 27.

XIII. Herodes nonné ab Angelo percussus, & à vermibus erosus, animam efflavit, eò quòd non tribuisset gloriam DEO, sed totam sibi vendicasset, à Tyriis adulantibus eloquentiæ nomine supra hominem laudatus? *Act.* 12. 23.

XIIII. D. Petrus, suis viribus confidens, & sese sociis præferens, falsa constantiæ opinione concepta, nonné in vitæ & gratiæ divinæ perdendæ, ac proinde veræ beatitudinis desperandæ discrimen venit? *Matth.* 26. 34.

XV. Cùm Iesus Christus Capernao manentes eam calamitates prædiceret, Tu Capernaum, inquit, quæ es usq; ad cœlum sublata, usq; ad inferos deprimeris. Quibus verbis significavit: principalem ejus excidij causam fore superbiam: ex qua infidelitas & verbi divini contemptus nascitur.

XVI. Quando item Antichristi & Babylonis extrema expectanda est ruina, nisi cùm ipsorum impietas & superbia ad summam pervenerint altitudinem, & scelerum cumulo nihil addi poterit?

XVII. Tanta fuit Xerxis superbia: ut vel ipsis montibus, mari ac Diis, ad subjugandam Græciam cum exercitu proficiscens, minitaretur: quòd vel ipsa elementa sibi loco cedere & aperiri debere crederet. Verùm DEVS, qui superbis resistit, & arrogãtium perpetuus hostis est & adversarius, ita omnem ejus potentiam fregit: ut nihil præclarius illa confecerit: quàm ejusdem fugam, dedecus, & pernicicm. *Plutarchus in lib. de Iracundia.*

XVIII. Tantisper dum Alexander Magnus intra modestiæ limites sese continuit: fortunatus perpetuò fuit: nec quenquam sibi fortitudine, consilio, vigilantia, liberalitate, nec alia ulla virtute bellica parem nactus est. At cùm partim ab adulatoribus, partim etiam à tot tãtisq; victoriis continuis deceptus, cum amictu Persico superbiam Persicam induit: & se DEO genitum credens adorari voluit: continuò favor ille DEI eum deseruit: & non longo pòst tempore, non potitus laborum suorum fructu, & dubio ac vacillanti Imperio suis liberis relicto, sublatus est è medio. *Idem in ejus vita, & in lib. de ejusdem fortuna.*

XIX. Nihil etiam magis conjuratos in Cæsarem, quàm ipsius ambitio, concitavit: nihil quod ejus mortem citiùs accelerârit. Cùm enim illa jam excederet: ita ut tolerari amplius non posset: eumq; sibi regium ille nomen & diadema imponi sivisset:

& his obsistentem Tribunum magistratu movisset: cùm in consilio orationem sedens haberet; & in Senatu sellam auream sibi collocari jussisset; tum nulla mora interposita, opportunum tempus & locum ejus trucidandi observarunt. Quod fortasse non suscepissent: si ille, magis populariter agens, leni & gratiosa moderatione, paulatim ferendæ servituti, ad quam illos redegerat, & libertatis oblivioni assuefecisset. *Idem in ejus vita.*

XX. Quid item de Pompejo, illius hoste, deque miserrima ipsius fortunæ commutatione dicere est, nisi eum superbia potissimùm & hostis contemptu eò devenisse? Quibusdam enim, illum negligentiæ in apparando bello accusantibus, respondere ipsum non puduit: se terra vel semel pede pulsata totam Italiam milite repleturum. *Id. in ejus vita.*

XXI. Ex imperatoribus ij, qui humanam conditionem despicientes, in numerum Deorum referri, & honoribus divinis, imaginibus, votis, templis & altaribus coli voluerunt, ut Caligula, Domitianus, & Heliogabalus; vitam omnes miserimè finierunt.

XXII. In nostra natione quæ clades acciderunt; eæ maxima ex parte nostræ arrogantiæ tribuendæ sunt. *Hæc Joh. Spinæus lib. 2. de Tranqu. an. pag. 58. & seqq.*

# CCCLXIIII.

*OMnibus temporibus, & in omnibus historiis legetis: Scythicas gentes semper esse tentatas infeliciter. Peucer. in lect. Chron. die 15. Sept. An. 1571.*

*Nulli leguntur Monarchæ feliciter gentes Boreales provocasse: aut tentasse regiones illas. Idem die 23. Februar. An. 1572.*

## EXEMPLA.

I. Herodotus scribit, Cyrum à Massagetis in acie victum & interfectum esse.

II. Alexander Magnus per angustias ingressus quidem est in Scythiam: & spectavit situm locorum: sed hostiliter nihil tentavit: aditus clausit portis ferratis.

III. Romani etiam ultra Pontum Euxinum non ascenderunt. Et cùm Trajanus stravisset Istrum ponte: successor Adrianus metu pontem illum est demolitus: ne provinciæ Romanæ paterent direptioni illarum gentium. *Idem ut suprà.*

## CCCLXV.

*VIrtutis ea est natura: ut in quo sit, latere diu non possit.* Sedebat aliquando Antonius Panhormita de lectione fessus in vestibulo Pliniani sui: quæ villa est haud procul Neapoli in littore Resinati Cumq; inter eos, qui aderant, esset de virtute quæstio: dixissetq; Antonius, splendidissimum ejus lumen esse: præteriens villicus, nescio quàm, inquit, virtus ista, quam dicis, splendeat, Antoni: sed certè scio, me diutiùs illius contemplandæ desiderio captum, intueri eam nunquam potuisse. Ad quæ surridens Antonius: Tu quidem, bone vir, de asello, quem per imprudẽtiam amissum nondum inveneris, dicere bellissimè poteras. Sed dic quæso, quid putes esse in orbe splendidissimum? Solem, inquit ille. Atqui Solem cœci non vident: Non vident, respondit: quòd ij sint oculis capti. Multò ergo splendidior est virtus: quam etiam cœci apertissimè videant. *Ioh. Iovian. Pontanus lib. de Principe, pag. 91.*

## CCCLXVI.

*Διοβουλεύτη natura plerunq; sunt occulti & insidiosi: qui arte & astu tegere & dissimulare conantur ea quæ agunt: non communicant de suis rebus quicquam cum aliis: nunquam admittunt aliorum consilia: sed tantùm sua sequũtur consilia suo arbitrio.* Das sein *propriè* ἰδιοβουλεύτη: *qui quòd multùm errent, postea etiam ostendit eventus: quia tales plerunq; redacti*

*in aliquas angustias, & calamitates ac difficultates, deferuntur & destituuntur ab amicis.* Haben sie es gut zugericht/ so haben sie es gut. Drumb sagt Salomon/ Es ist ein fein præceptum, quod debetis meminisse: Sicut odores fragrantes cordi: ita dulcis est amicus amico, dans fidele consilium animi. Item: Si videris virum sapientem: manè accedito ad eum: & gradus januæ ejus exterantur pedibus tuis. Vnd wie Menander sagt: ψύχης νοσούσης εἰσὶν ἡ ξυμβολή: id est, anima ægrotante, perturbata mente, aut collocata in rebus dubijs, nullum est magis præsens auxilium: quàm fidele consilium amici: sermones amicorum magis perturbatæ animæ medentur: quàm ullæ res aliæ. *Ideò* ἰδιοβουλεύτης *sibi & aliis nocent, aliis & Reipublicæ: si sunt in aliqua parte gubernationis: & consilia aliorum non admittũt: sibimpsi, quia ad extremum deferuntur ab amicis in calamitatibus & difficultatibus.* *Peucerus in lect. Chron. die 22. Augusti, An. 1573.*

ἰδιοβουλεύτης in consiliis sunt, quod sunt αὐτοδίδακτοι in doctrinis. *Id. ib.*

## EXEMPLVM.

Talis fuit in Republica Lubecensi Consul Georgius VVollenvveberus, vir facundus & intelligens, sed ἰδιοβουλεύτωρ, & suo ingenio ac industria, spretis Senatus autoritate & Collegarum sententijs, fretus: qui unà cum Marco Meiero, quondam Hamburgæ fabro ferrario, nunc autem militum classiariorum præfecto, fax belli non necessarij cum Holsatis & regno Daniæ, cum quo totos decem annos civitas pacem & fœdus habuerat, & tristium, quæ secutæ sunt, calamitatum, autor fuit. *Vide Chytræum in Chronico Saxoniæ lib. 13. pag. 398. 399. & seqq.*

# CCCLXVII.

*Sicuti Respublicas, quæ in viros privato potiùs, quàm publico commodo deditos incidunt, pericli-*

*tari, satisscere, vel omnino etiam collabi necesse est: ita vicissim usu venire animadvertimus: virorum prudentium opera & consilio, ut non florentes modò Respub. in pristina facie conservatæ, sed & ,quæ ruinã minitari videbantur, erectæ fuerint, ac stabilitæ.*
*In præfatione libelli, qui inscribitur: Ideæ Consiliarij, A. 2. b.*

## EXEMPLA.

I. Exempla in utramq; partem pro testimonijs plurima sunt. Quis est, qui ignorat, quantum toti Aegypto ad conservationem profuerit Iosephi Consiliarij summi cautio ac providentia?

II. Quam qualemque dimanationem regno Iudaico temeritas puerilis consilij, cui Roboam morem gessit, attulerit? Mitto nunc testimonia alia sacra; mitto profana omnia; quibus referta sunt historiarum volumina plurima; ex quibus abunde constare poterit: eum tandem virum bonum: qui consilijs salutaribus rem servat promovetq; publicam: ut non immeritò Philosophus in Polit. τὸ βελτίστον τῶν πολιτῶν ἀνθρώπων θειότατον scribat: *ibidem.*

# CCCLXVIII.

*NVnquam diu intra mediocritatis terminos sese res humanæ, privatæ & publicæ continent: nunquam medium diu cursum tenent ac persequuntur: sed à medio exorbitantes subitò in alterutrũ perpræceps ruũt extremorũ, suæ imbecillitatis impulsæ fato.*
*Peucer. de Divinat. pag. 24. b.*

## EXEMPLA.

I. Imperia à justitia & moderatione in Tyrannidem degenerant, aut luxu & libidinibus diffluentem negligentiam.

II. Religiones à norma pietatis & fidei definita divinitus, vel in superstitionẽ prolabuntur mutatæ: vel recidunt in profanitatem.

III. Estq;

III. Eſtq; perexigui temporis felicitas, & pene momentanea; quam fulguris inſtar emicans & evaneſcens adfert mediocritas: hac quibus frui contingit: his demum vera contingit beatitudo in hoc miſero & ærumnarum pleno curriculo. *Idem ibid.*

# CCCLXIX.

## *Principium omne grave.*

## EXEMPLA.

I. Romani paulatim creverunt. Pyrrhi bellum fuit occaſio Romanis crescendi: in principio duriter ſucceſſit eis negocium: difficiliores erant eventus.

II. Sicut etiã noſtro Carolo principia ſemper fuerunt difficilia: poſtea DEVS ſubitò & mirabiliter ad eum convertit victoriam. Anno 1525. cùm eſſet captus Rex Galliæ: mox ſeſe Carolus abdidit in monaſterium, ne audiret gratulationes, &c. *Philip. in Cordiali Abr. Bucholc. pag. 24.*

# CCCLXX.

## *Quando Deus vult aliquem evehere: adjungit ei organa, homines idoneos. Philip. in Cordiali Abr. Bucholceri pag. 72. b.*

Gott gibet es/wo er wil. Soll etwas wachſen/ſo giebet er Leute dazu/die da helffen. Wenns fallen ſol/ſo kommen Vnflåter darzu/die es helffen vmbſtoſſen. *Idem pag. 25.*

## EXEMPLVM.

Sic Cæſari noſtro adfuit Andreas de Doria, civis Genuenſis. Fuit Cæſari magno uſui in rebus Italicis. Cæſar complexus cum dixit: DEVS dedit mihi hominem ſecundum cor meum. Idem ad ſuorum gratulationes de capto Rege Galliarum Franciſco, dixit unam generalem reſponſionem: ſe nullum admittere gratulationem: DEVM hoc feciſſe: ſe non adfuiſſe, aut præſtatum eſſe. Contriſtat eos valde iſta gravitate. *Idem ibidem.*

# CCCLXXI.

*Arò sunt boni exitus talium: qui volunt pares esse Dominis. Philip. in Cord. Abrah. Bucholc. pag. 40.*

## EXEMPLVM.

Sicut accidit Imbr. e Bascha. Quando Turcicus Imperator progressus est ex arce: ipse semper fuit instructior equitibus & Ducibus: apud Regem fuit solitudo. Hæc non patiuntur Reges Quare Imperator Turcicus curavit eum vocari: & interfecit eum in cubiculo. *Idem ibid.*

# CCCLXXII.

*EXæquatio grata est inferioribus: demittere se,* das sich einer demütige/*hoc invitat animos. Philip. in Cord. Abrah. Buchol. pag. 68.*

## EXEMPLA.

I. Vt Alexander, in quo fuit lepos & urbanitas excellens, sicut multæ aliæ virtutes Cùm miles attulisset caput hostis: & dixisset, in sua patria id moris esse: ut acciperet talis poculum aureum: respondet Alexander, hoc esse verum in illius patria: sed sibi id moris esse, illud plenum præbibere. Et præbibit ei. *Idem ibidem.*

II. Dux Fridericus Palatinus Heidelbergæ humaniter excepit rusticum sibi offerentem pyra, simulq; petentem nescio quid. Princeps benevolus statim accepit donum, quantumvis exiguum: ac id, quod ab ipso petiverat, perfici mandat. Acceptis ultrò citroq; beneficijs, rusticus à Principe dimittitur. *Idem in Loc Manl. pag. 357.*

# CCCLXXIII.

*MVtuus metus facit societatem fidelem: quando alter non præpollet viribus:* So behelt ein Schwerd das ander in der Scheide. *Philip. in Cord. Abr. Bucholc. pag. 108.*

*Fœdera inter diversas Respublicas, aut mutuus metus, aut mutua æquitas confirmat: eaq; reddit firma ac diuturna. L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 14.*

# CCCLXXIIII.

*NImia vindictæ cupiditas plerunq; evadit in furorem Diabolicum.*

## EXEMPLA.

I. Cùm Roma per Picenum iter unà cum sodalibus facerem: transeundum nobis fuit oppidum, hodie Terni appellatum: quòd veterib. Interamna Umbriæ fuit; situm in valle amœnissima & fertilissima velut inter ramos Naris fluvij. In ingressu supra portam hujus oppidi, in excelsa turri conspeximus tabulam: in qua affixi erant, ut nobis primò intuitu videbatur, plures vespertiliones: quod cùm nobis insolitum esset: & ambigeremus, quid in tabula ista, in tam conspicuo loco potissimùm, propositum esset: quidam scisciantibus nobis retulit, quid paulò antè accidisset. Fuerunt, inquit, in hoc oppido duæ nobiles familiæ, divitijs & clientelis potentes: quæ longo tempore capitales inimicitias inter sese exercuêre: ita ut hæc odia illis hæreditaria: multiq; utrinq; interfecti fuerint. Tandem una ex illis propter nimiam cupiditatem vindictæ, moræ impatiens constituit: non unum atq; alterum ex adversarijs, per sicarios, paulatim ex insidijs è medio tollere: sed uno impetu universam familiam adversæ partis funditus delere. Convocarunt igitur sub alio prætextu, ex agro vicino ex clientelis suis magnam multitudinem hominum in oppidum: eosque unà cum suis sicarijs domesticis, qui hodie Pravi vocantur, clàm armis instruxerunt: justeruntq;, ut parati essent, signo dato, ad aliquod egregium facinus perficiendum. Mox captata occasione, nocte intempesta, eos armatos ad prætorium clàm adduxerunt: & præfectum oppidi, nihil tale metuentem, in suam potestatem redegerũt: relictisq; aliquot, qui prætorium custodirent: donec suam intentionem perfecissent: ne signum aliquod tumultus vigiles civibus dare possent: magno deinceps silentio ad ædes adversariorum accesserunt: cæterisq; in angiportu subsistere jussis, decem circiter ex eis Prætorem, veluti sui domestici eò deduxerunt: eumq; coëgerunt, ut pro autóritate sua sibi patefieri ædes juberet, quasi rem seriam cum familia adversæ patris absque mora tractaturus: cum hac interminatione: ni faceret, se illico ficâ confossum iri. Prætor animadvertens in insidias se delapsum, & subito metu perterrefactus, paruit: jussitq; aperiri januas ædium. Illi viso Prætore, nullasque insidias ipso præsente metuentes, portas omnes, alioquin benè munitas, patefecerunt: eumq;, cum facibus obviam progressi,

honorificè exceperunt. Patefacto aditu, Prætoreq; in vestibulo, adhibitis custodibus, relicto, mox reliqui subsidiarij omnes, signo dato, in ædes adversæ factionis irruerunt: omnesq;, quos repererunt, mira crudelitate, & planè Diabolico furore instigati, non habita ratione ætatis, aut sexus, interfecerunt: ita ut equis generosioribus non parcerent. Peracto hoc scelere, Prætorem jussérunt portas oppidi reserare. Quod is attonitus pavore, & incertus de sua salute, continuò fecit. Egressi igitur simul ex oppido, varia latibula quæsiverunt. Nonnulli enim ex illis sicarijs cautiores, portus maris vicinos petierunt: alij ad amicos fideliores diverterunt. Verùm ut illi omnes, paucis exceptis, beneficio maris evaserunt: ita hi, evulgato rumore tam horrendæ carnificinæ, plerique perquisiti, & ex latibulis extracti, meritisq; supplicijs subjecti sunt. Pòst membratim dissecti: eorum manus & pedes, in tabula, quam intrantes oppidum supra portam in turri conspexistis, affixi, oculis hominum, ad terrendum alios facinorosos, expositi sunt. Hi adusti sole, propter altitudinem turris, inscijs hujus Tragœdiæ, vespertiliones videri possent. Nos audita hac horribili laniena, crudelitatem hanc & vindictæ cupiditatem detestati, iter nostrum prosecuti sumus.

II. Etsi autem hoc facinus detestandum & immane fuit: tamen Iovianus Pontanus majorem, & plùs quàm belluinam rabiem quorundam recenset. Ea enim, utpote Christianorum, meo judicio, longè superat Locrensium Ethnicorum vindictam atrocissimam: quam injuria affecti publica, de uxore & liberis Dionysij junioris, teste Athenæo (*lib. 12. cap. 19 in deprav.*) sumpserunt. Nam cùm minus modis in eos sævissent: tandem contumelia satiati, carnem sub minutum digitis acubus pungentes, interfecerunt: pòst ossibus defunctorum in mortario contusis, & concisa minutim carne reliqua, eos devoverunt: qui non aliquid inde gustassent: deinde posteaquam diras sunt imprecati, carnes eas molis obtriverunt: ut ab ijs vorarentur: qui fruges in alimenta sibi molebant, & quærebant; reliquias autem in mare demerserunt.

III. Aviam meam Leonardam, inquit *Iovianus, lib. de immanitate, pag. 319. b.* rarissimi exempli matronam, non sine multis lacrymis puer audiebam referentè: cùm inter digladiantes quasdam inter se familias inimicitiæ summis exercerentur odijs: captum quempiam factione exaltera: eumq; è vestigio concisum in minutissima etiam frusta: moxq; exemptum illi jecur, in prunis, candentissimisq; carbonibus, à factionis ejus principibus tostum, perq; buccellas minutim dilectum inter cognatos ad id invitatos in jentaculum distributum. Quæ autem luporum tam anhelata rabies, aut sævientis pro erepta proletigridis, hanc ipsam superaverit? Allata etiam pòst degustationem tam execrabilem pocula, non sine collecti cruoris aspergine: congratulationes habitæ inter se, risus, joci, leporesq; cibum ipsum condientes. Deniq; & Dijs ipsis propinatum, tantæ vindictæ fautoribus.

IIII. Similem historiam de Trincio Vmbro idem refert. Conradus Trincius, inquit, qui Fulgineæ in Vmbria imperitavit, cæso Nicolao ejus fratre, à præfecto arcis Nucerinæ, ob adulterij suspicionem, præfectum ipsum ita expugnare aggressus est: ut ille, amissa tandem omni spe evadendi, interfectis priùs uxore & liberis, sese è summa turri dejecerit: ne vivus in Conradi potestatem perveniret. Itaq; Conradus deceptus oportunitate in vivum illum sæviendi, quotquot familiares, cognatos, amicos, notos, quiq; cum illo consuetudinem exercuissent aliquam, captos cruciatosq; ad exercarificationem, ad ultimum commiuui in frusta exenteratiq; imperavit: ac per fontes, maximeque frequentium virum sepes ac margines eorum viscera intestinaq; sus-

pendi

pendi : e passim dispergi ; ut neq; vindictam appellare hanc possis, aut punitionem. *Hæc Pontanus lib. de immanitate, pag. 320. b.*

X. Leander quoq; *in sua descriptione Italiæ* recenset historiam, quæ suo tempore accidit, sanè memorabilem, tum propter crudelitatem belluinam ; tum propter pœnam tyrannidis. Alrobellus quidam civis Tudertinus, patriæ suæ, nescio qua de causa, bellum intulit, eamq; occupavit. Cùm autem in cives suos mira crudelitate non solùm aliquantisper sævijsset ; sed vicina oppida & ditionem excursionibus hostilibus & rapinis afflixisset : tandem ab exercitu pontificio profligatus & captus est. Mox in publico loco nudus tabulæ affixus : ut omnes, quos læsisset, de eo vindictam sumere possent. Accurrerunt igitur matres, quæ ab eo liberis orbatæ essent, sicut rabiosæ ferræ : ex quibus nonnullæ dentibus ejus corpus dilaniârunt : aliæ alijs modis eum sauciaverunt. Patres quoq; & amici eorum, qui ab eo interfecti erant, oculos, cor, & alia membra extraxerunt : nihilq; omiserunt, quo cruciatus ejus augeretur. Verùm ille magna obstinatione omnia constanter tulit : affirmans, nihil novi sibi accidere : se enim istud supplicium animo suo jampridem concepisse. Tandem mortuo illo, ejus cadaver nihilominus sævitum est. Dilectum enim ita lacerum, in minutas partes, & ad pondus, sicut aliæ carnes in macello solent, divenditum est ijs : qui nondum satis vindictæ de eo sumpsissent : ut, quod reliquum esset, devorarent. Res sanè auditu horrenda, multò magis visu nefanda : emptã esse carnem humanam ab hominibus, & manducatam ad satisfaciendum animum vindictæ cupidum, &c.

VI. Atrocissima hæc sunt ; sed in libro Gallico, cujus titulus est ; *Traitte preparatif al' apologie pour Herodote*, recensct autor multò atrocius vindictæ exemplum de Italo quodam : quale vix credi potest hominem cogitasse : multò minùs exuta omni humanitate perfecisse. Italum (vel ut Bodinus *lib. 4. cap. 1.* Mediolanensem) quendam, ait autor ille Apologiæ, odia sua erga alium, suum paulò antè familiarem, decem integros annos aluisse ; & hoc tempore multiplices quæsivisse occasiones ; quomodo cupiditatem suam nefariam vindictæ expleret. Tandem frustratum sua spe, humili gestu & blanditijs simulasse : se planè reconciliatũ suo adversario : qui per suasus ab illo, absq; metu cum eo ( immemor præcepti Siracidæ, qui vetat, inimico fidem unquam habendam. *Vt enim, inquit, æs contrahit situm : ita & pravitas ipsius.* Atq; ubi abjecerit se, & demissus incedet ; ibi adverte animum, & cave ab illo tibi ) familiariter, ut antea solitus fuerat, conversari cepit. Observato igitur commodo loco, à tergo eum alter ex insidijs de improviso aggreditur ; & humi prostrato sica mortem minatur. Is oppressus ab adversario, quem putabat sibi reconciliatum, suppliciter vitam deprecatus est : qui quasi exoratus, hac conditione se illi obtemperaturum promisit : si renunciaret DEO, & omnibus ejus beneficijs, ad animæ suæ salutem concessis. Etsi autem illi misero homini hoc durum esset : tamen metu mortis, extremaque necessitate coactus, morem suo adversario, licet invitus, gessit. Scelestus ille, indignus qui homo appelletur, assecutus id, quod voluerat, mox supplicem illum suum sica confodit. Neq; hoc facinore nefando contentus, ausus fuit præterea gloriari se tam exoptatam & suavem vindictam de suo inimico sumpsisse ; qualem nunquam sperare ausus fuisset. Non solùm enim corpus inimici sui se confecisse : sed etiam autorem fuisse, ut animam suam abjuratione sua perderet. Vtinam autem hic crudelis sicarius, si Platonem, tanquam gentilem, monitorem habere noluisset (qui monendo ita dicit : Crudelitas in tartari barathrum improbos abijcit ; unde nunquam egrediuntur ) saltem tamen cogitasset

id. quod D Hieronymus (*super 12. Prophet.*) scribit: Sicut misericordia sursum elevat ad DEVM: ita deorsum crudelitas in infernum abijcit. *Hactenus ex Philippi Camerarij Operis succisiuis Centur. 1. cap. 84. pag. 413. & seqq. De hac historia vide Bodinum lib. 5. de Repub. cap. 6. pag. 951.*

# CCCLXXV.

*MVlti sequuntur exemplum multitudinis. Ita enim fit. Homines sequuntur multitudinem. Quò trahit multitudo: trahũtur voluntates hominũ.* **Wo der grosse hauffe sich hinzeucht / da ziehen die Menschen hernach.** Sicut fit in impetu fluminum: **Da eine grosse Flut alles nach sich zeucht.** Cogitant homines: Egóne præ cæteris singularis ero? Num aliter me geram, quàm cæteros tam multos facere video? An tu vis sapientior esse illis? **Es gehe dir, wie es einem andern gehet.** Tales cogitationes trahunt homines: ut sequantur multitudinem. *Exempla corrumpunt mores. Sic magna pars generis humani perit malis exẽplis. Phil. in Post per Pezel. ed. part. 1. p. 794.*

Hinc est adagium Pythagoræ: διὰ τῆς λεωφόρου μὴ βαδίζειν: id est: Per publicam viã ne ambules. Divus Hieronymus exponit: Ne vulgi sequaris errores. Nunquam enim tam benè cum reb. humanis actum est: ut optima plurimis placuerint. Vnde quidam hoc sic efferunt: Viam regiam declinato: per semitas ingreditor. *Eras. in Adag. Chil. 1. Cent. 1. Adag. 2. p. 17.*

Iam nos exemplis vivimus & movemur. Nam plures vivunt magna licentia & indulgentia. Ille potat: ille scortatur: ille quæstu vivit: ille profundit. Sui sunt singulorum errores & exempla. Ideo nos quoq; trahimur illorum exemplis: & sequimur cœci, quod illi faciunt, licet imprudenter. Movemur statim istis exemplis: pauci sunt sancti. Dicimus, quod alijs fiet: fiat & nobis: si alij sunt salvi futuri: salvabimur & nos:

Hic est maximus contemptus DEI: hi sunt lusores DEI. Nō ergo debemus trahi multitudinis exemplis: ingrediamur eā viam: in quam nos vocavit DEUS. *Philip. in Proverb. cap. 5. pag. 24. b. primæ editionis.*

## CCCLXXVI.

*MVlieres sæpe sunt faces viris: ut appetāt imperia. Philip. in Postill. per Pezel. ed. part. 3. pag. 507.*

### EXEMPLVM.

Paryſatis fuit fax belli inter filios, Artaxerxen Mnemonem, & Cyrum juniorem. *Idem ibidem.*

## CCCLXXVII.

*PLeruńq; qui sunt in administratione, sibi cōsulūt. Philip. in Postil. per Pezel. edit. part. 3. pag. 467.*

In proverbio dicitur: Minores fures sunt in compedibus ferreis: sed magni fures sunt in torquibus aureis. Sæpè ita fit: non quòd semper ita fiat. Illud dictum non est vanum omnino: ταμίαι, λαμίαι. Est elegans & venustissima paranomasia: quales sunt apud Aristophanem multæ. *Quæstores sunt stryges:* **ſaugen die armen Leute aus / Die** Quæſtores **werden reich / die Herren arm.** Non dico quòd omnes sint tales: sed multi tamen tales sunt. Proverbia facta sunt à communib. eventibus: vel ab illis, quæ crebrò accidunt. *Id. p. 459.*

Nazianzenus elegantissimè dixit: rapere multos, qui præsunt, Briarei manibus, ex facultatibus publicis. Scitis quòd Poëtæ fingunt, Briareum fuisse gigantem: qui habuerit centum manus. *Idem die 6. Septemb. Anno 1554.*

Der Herren Knechte stelen für sich/vnd für andere. *Idem die 22. Novemb. An. eod.*

Es ist kein Emptlein so klein/ es ist henckens werth.

Germanorum hoc est proverbium:

Förster vnd Häger/
Amptleute vnd Jäger/
Rentmeister vnd Pfleger/
Schösser vnd Procurator/
Verwalter vnd Curator/
Haben nicht grossen Lohn/
Werden doch bald Reich darvon.
Rath/ wie mag es zugahn?
Ihre Rencke weiß nicht jederman.

# EXEMPLA.

I. Dicunt de Duce Friderico Electore sapiente: quòd monitus fuerit: ut constitueret ampliora stipendia quæstoribus: quia si egerent; facilè fieri, ut aliquid etiam decerperent ex alieno. Ille respondebat: Ego libenter vellem eis certa & fixa stipendia constituere; si certum esset, eos non ampliùs velle furari.

II. In Schola Phorcensi erat præfectus, vel quæstor: **der hielt das auch wol/** ταμίου, λαμίου. Erat Principi furatus frumentum: & praterea aureos conflarat: ut aliquid abraderet. Habuit Principem Badensem, Dominũ valde sibi addictum. Postquam res delata est ad Principem: inclusus est in carcerem. Princeps, ut antea fuerat erga ipsum benevolentissimus: ita tunc etiam (quod est maximum in Princip.) declaravit benevolentiam, & accessit ipsum incarceratum, & dixit: **Mathis/ bittestu vmb Gnade/ oder begerestu das Recht?** Est memorabile exemplum. Ille volebat videri justus: putavit illum autem elegantem sibi non nocituram: respondit: Illustrissime Princeps, ego nihil aliud cupio, nisi justitiam. **Er hette sollen sagen/ Gnedigster Herr/ ich weiß mit E. G. nicht zu rechten/ Ich begere Gnade.** Abijt Princeps, & dixit: **Nun dir sol recht widerfahren.** Post octiduum suspenditur: & postea comburitur, propter depravationem monetæ.

III. In aula Maximiliani I. fuit Comes nobilis & magnus. Ille sedebat aliquando apud Imperatorem in mensa: & quidem vultu tristi sedebat. Rogat Maximilianus, quid tristis esset? Respondit ille: **Ich hab mich an E. M. vergriffen/ hab derselbigen eine grosse Summa Gelds entwandt.** Si vultis mihi remittere: ego cras ero animosior & fortior. Respondebat Imperator: ego remittam. Comes postulavit: ut confirmaretur donatio diplomate scripto. Maximilianus respondit: **Er wolte jhm einen Trunck drauff bringen.** Accepit igitur cyathum, propinavit: atq; ita remisit. *Idem Phil. part. 3. Post. pag. 473. Hæc eadem historia recitatur etiam in Locis Manl. pag. 81.*

IIII. Oeconomus, *de quo Luc. 16. probè etiam sibi in officio suo consuluit.*

V. Der Hohe Meister in Preussen / Heinrich von Richtenberg / war im anfange sehr arm / denn die besten vnd vnverterbte Güter waren den Söldnern versetzt / das er also den Convents Brüdern nicht volkömliche Nothturfft geben kondte / das etliche mit geflickten Kleydern einher gehen musten. Vnter denen war B. Mattheiß von Beybelen auch einer / der offtmals dem Hauß Compthur seine zerrissene Kappen weiset / ward aber stets an den Hohe Meister vergeblich gewiesen. Eins mals saß der Hohe Meister mit frembden Gästen auff der Brücken / da setzte dieser Bruder einen Krantz auff / vnd gehet da fürbey. Das ward der Hohe Meister gewar / vnd saget zornniglichen: Willkommen Faßnacht / Ist das des Ordens weise / das man Kräntze tragen sol? Da sprach B. Mattheiß von Beybelen: Gnädiger Herr / Gott sey Lob / das E. G. sehen können / denn ich zuvor so offtmals für E. G. mit meinem zerrissenen Mantel gestanden habe / Aber ihr habt ihn nicht sehen können. Derhalben die edlen Blumen die Krafft haben müssen / das sie auch die Augen auffthun. Der Hohe Meister merckt wol / warumbes ihme zu thun were / So baten auch die frembden Gäste für ihn. Da gab er ihme das Ampt / von den Schäffern die Zinß Käse zu empfahen. Diese nam er / vnd leget sie in siedend heiß Wasser / vnd zoge ihnen also das Fett auß / das verkaufft er den Tuchmachern in Schlesien / die Wollen damit zu grämpeln. Kaufft ihme also in der kürtze gutte Kleyder / vnd was ihme noth war. Dß verwunderten sich die andern / vnd fragten in / woher er das hette / sint mal er keine Zahl gewerete: Er sprach / Ampt gibt Kappen. Wolte hieron weiter keinen andern Bescheid geben. Solches wuste auch Eulenspiegel wol. So ist es sehr gemein / das die Amptleute das Geldt / der Herr aber den ledigen Beutel hat. Darumb auch Clauß Narr dem Churfürsten den Rath gab: Er solte ein Schösser werden / so würde es ihme an Gelde nicht mangeln.

*Caspar Hennenberger in Chronico Prussiæ, pag. 479.*

# CCCLXXVIII.

ÆGer animus semper errat. Est Ennij dictum, *citante Cicerone in 3. Tusc. pag. 191.*

*Animus perturbatus metum gignit: metum sequitur suspicio: suspicionis comes est sollicitudo & anxietas: anxietas quid faciendum, aut non faciendum*

*dum sit, aut quò se vertere debeat, non videt. Pezel. in Genes. cap. 43. pag. 811.*

## EXEMPLA.

I. Loth in magno animi & dolore & ingenti perturbatione cùm largiùs bibisset: incesto concubitu polluitur. Idem antea in perturbatione animi capit consilium minùs honestum, volens filias prostituere Sodomitis. *Chytr. in Genes.*

II. Mauritius cùm recuperare redimere captivos: venit in odium: amittit benevolentiam populi; virtus in ipso languescit: & multi errores consiliorum sequuntur.

III. Vt animus æger semper errat; Sic David credens Sibæ, attribuit ei facultates Domini. *Strigel. 2. Samuel, 16.*

IIII. Ludovicus Bavarus Imperator postremis annis fuit infelix multis modis & nominibus. Turbabatur enim & distrahebatur animo exagitationibus Pontificum. Animi ægritudo ad consilia eum ducebat aberrantia. Errores in consilijs, ut fit, mutabant fortunam. Infeliciter implicuit se discordiæ duorum Regum, Philippi Valesij, & Eduardi Angli. *In Chron. Philip. lib. 5. pag. 596.*

## CCCLXXIX.

*ANimus angore perturbatus deficit: & omnia virtutis officia deserit.* Videmus enim nonnullos, cùm quippiam durioris nuncij accipiunt, ita animo angi atque dimitti: ut, ubi sint loci, vix satis sciant: vixq; suffraginibus regantur: sed tremiscunt, labascunt, desidunt: & frigido sudore perluuntur. Legimus etiam quosdam repentino angore adeò consternatos, ut perierint. *Francisc. Patrit. lib. 5. de regno, tit. 14. pag. 230.*

Zeno & Cicero dicunt, angorem animi ægritudinem esse prementem. Nonnulli, qui de verborum significatione scribunt, asserunt, angorem esse animi vel corporis cruciatum: dicique; à Græco verbo putant ἄγχω siquidem idem quod strangulo significat: inde ἀγχόνη strangulatio Latinis dicitur. Festus Pompejus putat hinc trahi anginam: quæ faucium dolorem significat: Plautumq; Comicorum facetissimum hoc verbo usum dicit, ubi ait: In anginam ego nunc me

velim

velim verti: ut veneficæ illi aniculæ fauces prendam: atq; enecem scelestam simulatricem. Cornelius autem Celsus, vir summa doctrina summaq; eloquentia, in libris, quos de medicina scripsit, ait: Nostri anginam vocant: apud Græcos nomen pro ut species est. Nam ἀνάγχη dicunt, dum vix spiritus trahitur. Consequens igitur esse videtur angorem animi, ægritudinem corporis, cruciatum transferri. *Id. pag. 329.*

## EXEMPLA.

I. P. Rutilius cùm levi quodam morbo teneretur: nunciata fratris in petitione Consulatus repulsa, illicò vitæ spiritum emisit.

II. Diodorus Sophista Dialecticen profitebatur: in quâ se omnium præstantissimum esse jactabat: & in differendo nemini cedere. Clarùs etiam in eadem disciplina habebatur Stilpo Megarensis. Contigit ergo, ut aliquando in aliquam incidérent disceptationem. Magna confidentia loquebatur Diodorus: sed Stilpo brevi quadam interrogatione quæstiunculam per jocum ei protulit; cui cùm nequaquam respondere posset Diodorus, obticuit; & præcipiti quodam angore ex pudore correptus obijt. *Idem ibidem.*

## CCCXXC.

*QVò plùs peregrinarum gentium habet aliqua regio: tantò habet mores corruptiores. Philip. in Cord. Abrah. Bucholc. pag. 86.*

*Commixtio gentium facit: ut unà cum moribus jam imbibitis, & quodammodo naturalibus, fiat commixtio morum, & corruptio bonæ institutionis:* nisi à legislatoribus prospiciatur: & remedio aliquo veluti antidoto occurratur. Et non sine causa Aristoteles disputatum tradit: utrum communio maris, turba nautica, navalis potentia, sint utilia aut damnosa civitatibus. Ex eo maximè: quòd *frequentare advenas quosdam, alienis e-*

*ducatos*

*ducatos moribus & legibus, inutile putatur ad rectã civitatis disciplinam: & turbam popularem multiplicari ex usu maris. Petr. Gregor. Tolos. lib. 4. de Repub. cap. 4. pag. 161.*

## CCCXXCI.

*SEmper virtus Europæa fuit formidabilior Asiatica. Ideò Asiatici non temerè irritârunt Europæos: sed timuerunt eorum potentiam.*

### EXEMPLA.

I. Hodie in Turcia majus robur est Europæi exercitus, quàm Asiatici. Et præcipui Duces sunt Europæi, Macedones, Thraces, Epirotæ. Etiam cùm filij Imperatoris de imperio dimicârunt: quicunq; Europæum habuit robur; vicit alterum instructum Asiatico.

II. Iulius Cæsar instructus exercitu militum veteranorum vincit Pompejum; qui habebat collectum exercitum ex gentibus Asiaticis: quem ideò etiam victum esse refert Plutarchus.

III. Romani sine magno labore occupârunt Asiam.

## CCCXXCII.

*EXercitus, qui ab Africa in Europam, & ab Austro versus Aquilonem proficiscuntur, fiunt robustiores. At quoties ab Aquilone Austrum versus expeditiones suscipiuntur: languore ac inertia fatiscunt milites: ut experientia perceptũ est & cognitũ. Iohan. Bodinus lib. 5. cap. 1. pag. 775.*

Atq; id etiam num in gregibus & armentis diuturna ex-

perientia

perientia compertum fuisse tradit Plinius: ut quæ ad Austrũ aguntur, lactis copiam amittant: ac paulatim macie tabescant: contrà quàm accidit ijs: qui ad Aquilonem iter faciũt. Quin etiam flantibus Austris crudi arcescunt: veri rigines robustissimos quosq; invadunt: quo fit, ve & cibi minus appetantur: & salutares sint vomitiones. Quam aëris diversitatem percipit inprimis omne genus avium: quæ flante Aquilone vegetiores fiunt; ab Australi verò flatu debilescunt. *Id. pag. 776.*

## EXEMPLA.

I. Annibalis copiæ clarissimas de Romanis victorias in Italia peperérunt.

II. Arabes ac Mauri, ex Africa prodeuntes, maximas clades Asiaticis & Hispanis intulerunt.

III. Nec ita pridem Vasconum legio, in Sueciam profecta.

IIII. Ac duæ Hispanorum legiones in Saxoniam, Carolo V. Imperatore, bellicosissimorum hominum vim fregerunt.

V. Cùm Cimbrorum innumerabiles copiæ in Italiã pergerent: robur paulatim amittere, ac sudoribus diffluere ceperunt: ut quidem Plutarchus scribit: & cùm magnitudine corporum ac legionum multitudine Romanos terruissent; nihilominus tamen ingenti clade suorum, ac duplici Romanorum victoria fusi sunt ac prostrati.

VI. Sæpe Gallorum exercitus in Italia fracti: contrà verò Hispani ab Austro in Italiam profecti, victorias illustres adepti sunt. Id primùm compertum est, inquit Polybius, in eo prælio: quo Galli circa Florentiam victi sunt à Romanis.

VII. Quanquam nulla acceptа offensione vix incolumitatem ac salutem sine maxima solicitudine tueri possunt: qui à Germania & Gallia Romam aut Neapolim, quæ pars Italiæ maximè Australis est, proficiscuntur. Cùm enim quatuor Germanorum legiones, superãtis Alpibus, Romam, Carolo Burbonio Duce, cepissent: vix anno vertente dimidia legio superstes in Germaniam rediit: tametsi nullam à crapula, quæ ad Austrum lethalis est, offensionem accepissent. *Idem ibidem.*

# CCCXXCIII.

*QVælibet gens suos habet mores. Diversarum nationum diversa sunt ingenia.*

## EXEMPLA.

In Italiæ locis annotavit Philalethes Polytopiensis, civitatum diversas & studiorum & artificiorum inclinationes. Amant, inquit, Florentini Philosophiæ partem,

qua principes rerum ætatis traduntur : plurimi faciunt Calabri Græcas literas : Neapolitani, Ethruscas : Lucenses, divinas : Veronenses, politiores : Vicentini, Philosophiam moralem : Bononienses, Mathematicas artes : Veneti, rem Musicam : Ferrarienses, Patavini, Salernitani, Medicinam : Senenses, Dialecticorum argutias : Perusini, Ius Pontificium : Mantuani, Hebræorum literas : Papienses, Sophistarum nugas. In mercaturis : Florentini callidi & cupidi rerum : Lucenses, fideles : Genuenses, audacissimi, lucrique causa laborum tolerantissimi : Veneti, præsenti pecunia emunt & distrahunt : Mediolanenses, vitium rei vendentes liberè dicunt, & fidem usque ad mortem servant. In bello : Perusini, strenui : rapaces, Piceni : præcipites, Calabri : fortes, sed inconsulti, Æmiliani : stratagemata norunt, Spoletini : crudeles, Ferrarienses & Placentini : felices, Senenses : truces, Romani : animosi, Bononienses, sed parùm Ducibus obedientes. In maritimis bellis : Genuenses, strenui, terrestribus, pecudes langvidæ : Neapolitani, strenuè hostem aggrediuntur : resistunt, Paventini, dexteri Pistarienses clypeo : acres, Laudenses : Patavini & Veronenses, optimi equites : Papienses, vix fugiunt : Vicentini, victi ad vindicandum accenduntur : Veneti, optimi in classibus : Brixienses, excellentes in exstruendis vallis, aggeribus & cuniculis : Bergomates, in dolis & cratibus : Picentes & reliqui Ethruriæ, stupratores & crudeles : Florentini, optimi exploratores. In instrumentis : præstant Venetorum pecuniæ : pulvis pyrius, Ferrariensium : galeæ, Mediolanensium : equi, Neapolitani : currus, Placentini : clypei, Parmenses tentoria, Cremonensium : enses, Tarvisiorum ad Saravallum : lanceæ, Papienses : calcaria, Viterbiensium : Pistorienses, pugiones. Hæc Philalethes, & plura de Italorum proprietatibus : ex quibus forsan hodie cum tempore plura immutata inveniri poterunt.

Demosthenes autem Macedones adeò barbaros dictos ait : ut neque ex his olim frugi ulli mancipium emi potuerit : & Thessalos natura infidos & inconstantes. Quibusdam & visum : ut

*Anglia peccatrix : Germania fraudis amatrix :*
*Gallia dat vites : nutrit Britannia lites.*

Dio Cassius dixit, Gallos ad quascunque res inexplebili cupiditatate ferri : neq; audaciæ neq; timoris modum scire. Alexandrinos ad audenda omnia satis promptos : temerarios ad exequenda quæcunq; proposita : ad bellum tamen eiusque labores ineptissimos : in seditionibus vitæ prodigos. Iulius Maternus ad Mavortium Lollianũ scribens, Quædam gentes, inquit, ita à cœlo formatæ sunt : ut propria sint morum unitare perspicuæ. Scythæ immanis feritatis crudelitate grassantur : Itali sunt regali semper nobilitate præfulgidi : Galli stolidi : acuti Siculi : luxuriosi semper Asiatici & voluptatibus occupati. Hispani elata jactantiæ animositate præpositi. Ita de Gallis Maternus sentit : cùm tamen Livius illis tribuat robur, & in bellis præstantiam : quæ & Romanos superavit sæpe cum illorum regali assignata nobilitate. Tribuit & Pœnis, ut alij, perfidiam.

At inter ipsos Gallos Christophorus Longolius nominat Britones, duros : vafros, Normanos : religiosos, Francos : industrios, Flandros : mites, Lotharingos : faciles, Andegavos : bellicosos, Vascones : Burgundos, feroces : Picardos, alacres : frugi, Sanctones atque Pictavos : Narbonenses, fideles : fortes, Arvernos : Hannonios, pertinaces : magnanimos, Senones : versutos, Cenomanos : militares, Bituriges.

Creten-

Cretenses mendaces dixit D. Paulus, juxta versiculum Epimenidis:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

*Cretenses semper mendaces, mala bestia, ventres pigri.*

Et Livius, Athenienſium populum fama eſt, inquit, celerem, & ſupra vires audacem eſſe ad conandum: Lacedæmoniorum, cunctatorem, & vix in ea, quibus fidit, ingredientem.

Henricus porrò Bebelius in proverbiis Germanicis, Pons, inquit, Polonicus, Monachus Bohemicus, Svevica Monialis, miles Auſtralis, Italorum devotio, Allemanorum jejunia, fabam valent omnia.

Antiqui Græci tres populos improbitatis notârunt his verſibus:

Λυδοὶ πονηροὶ, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι,
τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι.
*Lydi improbi, poſt hos ſecundi Ægyptij,*
*Tertiique Carés perditiſſimi omnium.*

Notarunt & trium nationum inſignem improbitatem ænigmaticè, dicentes, τρία κάππα κάκιστα, tria peſſima K, nempe trium nationum, quæ per C nomen incipiunt. Cappadocum, Cretenſium & Cilicum. Quod quidam detorſerunt in Cornelium Syllam, Cornelium Cinnam, & Cornelium Lentulum. *Petr. Gregor. Toloſ. lib. 4. de Republ. cap. 4. pag.* 158. 159.

Populi Septentrionales ſunt animoſi, ſed ſine aſtutia, ſimplices: contrà Meridionales ſunt aſſuti, ſed ad audendum impotentes. Mores Gallorum placidi & mites. Scoti, Angli, turbulenti, rebelles, homicidæ Principum, ſaltem ex majori parte: unde verò, an a Principibus, an à ſubditis hoc acciderit, certè hiſtoriæ detegunt ab uti isque, ſi ſint ejuſdem populi. Abiit enim in proverbium: Anglus & Scotus tyrannicè imperat; ſocietatem ſocii prodit & piris; ſervus inſideliter ſervit. Forſan hoc falſum in quibuſdam: ſed a communiter contingentibus ita concluſum fuiſſe plures arbitrantur: nec illis fidendum admonent. Et certe, ſi verum ſit, rebellis illa natio & ad parricidia prona, non poteſt, niſi cum extrema ſeveritate, regi: & cum herili potiùs, quàm paterno imperio. Quemadmodum populi, qui habitant in partibus extremis Septentrionis, & Meridionalibus, propter exceſſum frigidi & calidi aëris ambientis, exiſtimantur eſſe moribus beſtialibus & incompoſitis. In illis enim abundat Phlegma, aut pituita, quæ ſtupidos reddit: in iſtis, bilis recocta, quæ illos reddit melancholicos & brutales. Orientales ſunt tractabiles. Occidentales magis ſolitarij & ſuperbi. Qui enim habitant in locis, ventis, illiſiſq; vehementibus, agitatis: & ipſi & inquieti & turbulenti ſolent eſſe: ut contrà moribus conſtantibus ſunt; qui & loca quieta & ventis non vexata colunt. Montani participant cum ſilveſtri & feroci natura: ut qui in vallibus molles & effœminati ferè ſunt. Qui ſterilia loca incolunt; induſtria ut plerunque valent: qui fœcunda: ocio deſidioſi. Maritimi, ob multorum hominum conventus, ſubdoli, ſagaces in ſuis negociis tranſigendis. *Idem lib.* 10. *cap.* 6. *pag.* 644 645.

Multa alia nationibus quibuſdam propria in vitiis & moribus notat Alexander ab Alexandro lòngiori oratione, *lib.* 4. *cap.* 13. quæ prætermitto.

# CCCXXCIIII.

*CErtè contingunt ex diversarum nationum in unum conventu Seditiones: donec altera pars alteri cesserit. Non enim possunt diversi, imò sæpe contrarij se mores compati.* Petr. Gregor. Tolos. lib. 4. de Repub. cap. 4. pag. 161.

*Vt regionum mores diversi sunt: sic & inde nati diversum habent morum habitum & rationem: & proinde non possunt simul convenire sine aliqua antipathia: quæ tandem aliquando excitant in Republica motus & seditiones, & læsionem vel subversionem conſveti ſtatus.* Elati, superbi, bellis assveti, facilè pacificis & mansvetis vim inferunt. Mali & mollicici dediti, bonos corrumpunt mores. Et VIpianus, Qui mancipia, inquit, vendunt: nationem cujusque in venditione pronunciare debent. Plerunq; enim natio servi aut provocat aut deterret emptorem. Idcirco interest nostra, scire nationem: præsumptum enim est, quosdam servos bonos esse: quia natione sunt non infamata: quosdam malos videri: quia & natione sunt: quæ magis infan.is est. Sic à gentis origine peccata arguit Ezechiel Propheta, *cap. 16.* Hæc dicit Dominus DEUS Hierusalem: Radix tua & generatio tua de terra Chanaã: pater tuus Amorrhæus: & mater tua Chetæa, &c. *Idem pag. 158.*

Expedit non tantùm civitati, sed etiam regno, notum esse, quot sint alienigenæ, quot hospites vel incolæ, ad præcavenda: quæ aliis nationibus fuerunt infausta. Nam si numerus hospitum & alienigenarum vel advenarum excedat

numerum

numerum civium: vel si efficere in aliquo possit, ob mores diversos, vel factiones secretas, vel ceptas: vel quia cum hujusmodi natione, cujus sunt, bellum indictum sit: convenit exhaurire hoc onus à Republica, & jubere illud migrare. *Idem pag. 166.*

## EXEMPLA.

I. Sicut accidit Budæ, mortuo Sigismundo Imperatore, Rege Vngriæ, ante Alberti Austriaci coronationem. Nam civitas ex Vngarica & Germanica gente constans, tumultu excitato, fere ad internecionem pervenit: & cum Alemani seu Teutones vellent civitati dominari: tandem per Vngaros obsessi in domibus, sine discretione sexus aut ætatis, sublati sunt.

II. Meminit Aristoteles de similibus seditionibus, propter admissos peregrinos ad jus civitatis, & ad inhabitandum: qui ubi fortiores sese esse arbitrati sunt: ipsos cives indigenas propriis locis voluerunt deturbare: aut pepulerunt: aut Rempublicam turbarunt. Seditiones, inquit, concitat peregrinitas: donec simul in eandem conspirationem devenerit. Vt enim non ex quavis multitudine constituitur civitas: ita etiam nec in quovis tempore. Quapropter quicunq; adhuc inquilinos susceperunt vel advenas; omnes fere seditionibus jactati sunt: ceu apud Sybarim: quam una cum Trœzenijs incoluerunt Achæi: postea in majorem numerum crescentes Achæi, Trœzenios pepulerunt.

III. Idem fecerunt Sybaritæ contra eos, qui illos receperunt. Nam plus habere volentes, de suis agris pulsi sunt.

IIII. Et apud Byzantium peregrini in oppressionem civium conjurati, cognita re, prælio & armis expulsi sunt.

V. Et Antissæi exules, ex Chio susceptos, tandem armis dejicere coacti sunt.

VI. Zanclæi verò, qui Samios receperant, mox ab eis sunt propria civitate dejecti.

VII. Apolloniatæ, qui sunt in Ponto, incolis receptis, seditione agitati sunt.

VIII. Et Syracusani, cùm hospites & conductos milites facillent cives, in seditionem & prælium inciderunt.

IX. Et Amphipolitæ, receptis Chalcidensium colonis, pulsi tandem ab illis sunt fere omnes.

X. Non omni tempore licebat peregrinis Spartam adire: sed præstitutis diebus: quod à Lycurgo sancitum autor est Thucydides: ne æmuli politiæ ejus fierent: ac inde discerent, quò in virtute proficerent. *Idem pag. 161.*

## CCCXXCV.

*INterdum quoq; peregrini bene imperant.*

*In multis etiam Rebus publ. is attrahuntur ad*

*civitatem peregrini. Petr. Gregor. Tolos. lib. 4. de Rep. cap. 4. pag. 163.*

*Non omnino peregrinorum, aut extraneorum, contemnenda societas.* Vt enim arbores transplantatæ deponunt noxiam substantiam, mutata cultura & terra, ut fertur de Persicis: sic quidam aliò commigrantes meliores effici possunt boni, & ex malis optimi: ut contrà boni transeuntes ad infectos mores infici possunt. Proinde hic delectus habendus peregrinorum erit: & suspecti quidem haberi possunt, antequam cognoscantur: at ubi cogniti fuerint tales: qui nihil efficere aut obesse societati Reipublicæ possint: non eo nomine solo, quòd alienigenæ sint, contemni aut reijci debent: non secus quàm merces à barbaris translatæ, nobis commodæ, vel quæ ex usu & utilitate nostra sunt, vel esse possunt, non ideo reprobantur: quòd à barbaris processerint. Mores & virtutes non nascuntur cum hominibus: sed fiunt, mutantur, emendantur & poliuntur. Neque tam ortus, vel à quibus natus, inspiciendum: quàm qualis sit, qui ex peregrinis dicitur. *Idem pag. 162.*

Nunc quòque probatissimus & optimus quisque peregrè vivit: non quòd pulsus fuerit: sed quòd emigraverit. Et non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. *Idem ibid.*

## EXEMPLA.

I. Athenienſis Schola, peregrinis ferè tantùm inclaruit: nõ ciuibus proprijs: ut recenſet Plutarchus de exilio.

II. Si Sectam Peripateticam ſpectes, Ariſtoteles fuit ex Stagirita: ex Ereſo, Theophraſtus: Strato, e Lampſaco: Glycon, ex Troade: Ariſto, ex Cea: Critolaus, Phaſelites.

III. Si Stoicam Sectam perpendas, Citienſis fuit Zeno: Cleanthes, Lyſſius: Chryſippus, Solenſis: Diogenes, Babylonius: Antipater, Tharſenſis.

IIII. Athenienſis Archidemus in Parthos migravit Babylone: atque ibi ſucceſſionem Stoicam reliquit.

V. Refert Pomponius Iuriſconſultus, Hermodorum quendam exulantem in

Italia

Italia Ephesium, fuisse autorem Decemviris Romæ legum duodecim tabularum; quę reformârunt universam Rempublicam.

VI. Quin etiam, qui tantopere commendata habuerunt sua jura civitatum, Romani, externis detulerunt Imperium, ut Trajano, & aliis deinceps.

VII. Et quamvis Solon jus civitatis nulli peregrino dari mandaverit; tamen excipere conatus est. *Idem ibid.*

# CCCXXCVI.

## *Cives in alias sedes traducti facilè degenerant: & mores ejus regionis, quam colunt, induunt.*

*Anti Machiavellus lib. 3. pag. 403.*

## EXEMPLA.

I. Sic Alexandria in Aegypto, Seleucia in Assyria, Babylon in Mesopotamia, coloniæ Macedonum, Tarentum, colonia Lacedæmoniorum, brevi in mores, & ingenia indigenarum versæ, & oblitæ suæ originis, in luxum & mollitiem degenerarunt.

II. Romani neque in omnibus provinciis, neq; in locis munitissimis, colonias collocabant: sed frequentes in fertilissimis. Imò ne ipsæ quidem coloniæ in fide & obsequio semper manebant: ut post cladem Cannensem accidit: quo tempore duodecim coloniæ Romanorum & munera militiæ & imperium Romanorum detrectarunt: &, quantum in se fuit, prodiderunt Annibali. *Idem ibidem.*

# CCCXXCVII.

## *Lapsus magnorum Principum, trahunt secum magnam multorum ruinam.*

## EXEMPLA.

I. Constantinus ante mortem revocavit Arrium, expulso Athanasio. Haec re acuit & auxit rabiem Arianorum. Horribiles itaq; secutæ sunt confusiones post ipsius mortem, desævientibus Arianis in Orthodoxos

II. Pompeij superbia & pertinacia, nolentis cedere Iulio Cæsari petenti Consulatum in urbe, evertit Imperium Romanum: & præbuit causam mutationi status publici.

III. Periclis pertinacia accendit bellum Peloponnesiacum in Græcia: quod continuis 28. an. duravit: & eversæ sunt multæ florentes urbes in Græcia, ut Potidæa & aliæ.

## CCCXXCVIII.

*VSitatißimum eſt in mundo, reddere pro beneficiis injurias multiplices: ſequuntur tamen plerunque juſto Dei judicio pœnæ ultrices ingratitudinis.*

*Nihil beneficiorum acceptorum memoria ſuapte natura brevius: nihil citiùs interit: & quò majora ſunt beneficia: eò* (ut communi proverbio fertur) *majore maleficio compenſantur. Nam qui ea remunerando delere aut non poteſt, aut non vult: ſæpe vel oblivione, vel ea non tanta fuiſſe ſibi perſvadendo, delere conatur: & quos eò redactos fuiſſe, ut beneficio opus habuerint, pudet: ijdem ſe illud accepiſſe indignantur: adeò ut plus in eis odium, ob eam, in quam ceciderant, neceſſitatis memoriam, quàm beneficij accepti ratio poſſit.* *In Hypomneſ. polit. Gvicciard. part. 2. pag. 97.*

*In benefactis ingratos & calumniatores faciliùs, quàm gratos & laudatores invenias.* *In ijsd. pag. 107.*

Theocritus: Nutri catulos luporum, ut te devorent.

Pindarus: Antiqua dormit gratia, & homines rarò ſunt memores beneficiorum.

### EXEMPLA.

I. Themiſtocles cùm Græciam liberaſſet à Perſis: poſtea expellitur in exilium: ubi miſerè obiit. Pater expulſis Græcis ex Perſia, perduxerat eum ad portum Atticum;

ticum: ibique ei monstrârat fractas triremes: quæ findebantur, ut cremarentur; admonens eum de usitata ingratitudine: qua redderentur injuriæ pro benè meritis. Addidit etiam; Talem tibi pro tuis benefactis gratiam reddet Respublica aliquando.

II. AElianus & Marcellus conspirarunt contra Vespasianum. De hac conjuratione inquit Dion in Vespasiano; AElianus & Marcellus contra Vespasianum conjurarunt: quos ipse sibi amicissimos esse arbitrabatur; summisque auxerat honoribus. Adeò homines malo ingenio præditi nullis beneficiis vincuntur: quando illi paravêre insidias ei: à quo tot beneficia acceperant.

III. Plutarchus de Camillo benè merito & ejecto in exilium inquit: quòd postea Romani propter injuriam, quam benè merito intulissent, puniti sint infusione Gallorum; qui urbem Romam diripuerunt & incenderunt. De hac pœna inquit Plutarchus: Neque quisquam Romanorum est: qui non ita judicet: vota Camilli maledicentis propter ingratitudinem patriæ, rata continuò justitium fecisse: vindictamque injuriæ acceptæ eum expertum; non gratam quidem; sed ut molestam: ita illustrem tamen, ut memorabilem. Ita statim ultio Romam divinitus corripuit: sive id fortuito casu evenit: sive quoddam numen est: quod virtutis, malam gratiam expertæ, curam gerat. *Plutarch. in Camillo.*

# CCCXXCIX.

*PLeriq; in rebus secundis, excusso timore Dei, admirantur & magnifaciunt se propter certas dotes: & cum fastu & contemptu quodam efferunt se supra alios. Multi etiam acceptorum beneficiorum obliti, illis ipsis, tanquam instrumentis quibusdam utuntur, ad nocendum benefactoribus suis.*

*Pezel. in Genes. cap. 16. pag. 270.*

Huc pertinent vulgaria dicta illa: Res secundas decet superbia. Quæ Plauti est sententia, de facto, non de jure. Et:

*Luxuriant animi rebus plerunq; secundis.* Item:
*Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,*
*Et servare modum rebus sublata secundis.*
*Omnia sunt ingrata: nihil feciſſe benignè est.* Item:
*Tu quoscunq; potes req; officioq; iuvabis:*
*Sic tamen, ingratos ne meminisse putes.* Idem pag. 271.

## EXEMPLVM.

Habemus exemplum superbiæ & ingratitudinis in Hagari, efferente se propter donum fœcunditatis, & præ se contemnente dominam suam: quæ in conjugio sterili tam diu vixerat: eiq; proterve insultante: à qua beneficio & honore affecta fuerat. Cùm enim impregnata esset: statim in se ipsa superbiens, digniorem se, & DEO gratiorem esse existimat: quàm domina sua sit; nec cogitat, DEVM dona corporalia etiam indignis tribuere: neq; consilium Dei intelligit: qui ex diuturna sterilitate Sarai parituræ tandem in senectute extrema, gloriam suam promovere volebat: neq; etiam heræ suæ quantum debeat agnoscit: cui ut antea condolere propter sterilitatem, sic nunc gratulari debebat propter spem sobolis: quæ non in Hagar ancillæ, sed in Sarai dominæ potestate futura erat. Eidem etiam acceptum ferre debebat id: cuius nomine ipsa insolescebat. Verùm pro commiseratione contemptum, pro gratitudine protervam ei exhibet; planè servili ingenio, congruente cum servili ejus conditione. Inprimis verò referendum est exemplum Hagar ad dictum Salomonis Proverb. 30. Sub his tribus concutitur terra: quartum autem ferre non potest. 1. Cùm servus regnat. 2. Cùm stultus satur est cibo. 3. Cùm mulier odiosa in matrimonium fuerit assumpta. 4. Cùm ancilla hæres efficitur heræ suæ. Et quod vulgò dicitur:

**Asperius nihil est humili cùm surgit in altum.** *Id. ibid.*

## CCCXC.

*IN paupertate occultata naturæ vicia, exerunt se in imperio.*

Vulgò dici solet: *Magistratus ostendit virum. Honores mutant mores.*

*Nihil est intemperantius eo: qui repentè à servitute ad dominatum pervenit: aut cùm domina fit, quæ ancilla prius extitit:* ut Salomon sapientiæ magister tradit. *Ioh. Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 5. pag. 70.*

Tam verum, quàm vulgatum proverbiū est: *Honoribus mutari mores. Multos enim videas in privata fortuna faciles & comes erga humillimum quenq; :*

*mox ubi ad honores ascendêre: eò superbia venire: ut vix etiam familiari usu notos agnoscant.* *Anti Machiavellus lib. 1. pag. 43.*

*Aulici ex se nati, hoc est, qui propria industria ad dignitates ex Scholis puerorum, vel simili officina, pervenerunt, sunt adversus superiores tristi adulatione: arrogantes minoribus, & inter pares difficiles deprehenduntur & pertinaces.* *Aulicus polit. pag. 113.*

*Plebejos & ex humili genere ortos, si ad dignitates & honores pervenerint, immemores suæ sortis, plerunq; ambitione insolenter se efferre, aliosq; deprimere conari, constat.* *Camerar. Centur. 2. Operar. succis. cap. 52. pag. 315.*

*Experientia testatur, plerunq; eos, qui ex opificũ progenie & sordida plebe emergunt, atq; ad dignitates altiores, vel ingenio suo, vel alia solertia ascendunt, multò insolentiores, & propemodum intolerabiliores, magna cum jactura Reipublicæ, esse solere: quàm qui nobili, veteri & celebri stirpe geniti sunt.* Ita ut veterum ille rectè dixerit: Bajuli imperant: & mali sunt superiores bonis: metuo ne navem fluctus opprimat. *Inprimis* autem *observatum est, illos plebejos veluti terræ filios, aliis bono & claro genere natis, invidia & obtrectatione, vel aperta vel clandestina, maxi-*

*mè infestos esse: suaq; dona, quibus excellunt, omni conatu adhibere, ad eos deprimendos: & in hac re emergendi gloriam quærere.* Rationem hanc reddit Claudianus:

*Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum:*
*Cuncta ferit, dum cuncta timet: desævit in omnes,*
*Vt se posse putet: nec bellua tetrior ulla est:*
*Quam servi rabies in libera colla furentis.*

Idipsum observavit Sextus Aurelius Victor, ubi ita dicit: Quibus rebus, quantum ingenium est, compertum habeo: *humilimos quosq; maximè ubi alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse.* *Idem pag. 322. 323.*

Quemadmodum sæpe fieri solet: ut imber intempestivus fruges impetu suo prosternat, & radicitus evellat: ita *sæpius accidit: ut pauper imperio in alios ejusdem sortis homines potitus, eosdem potiùs opprimat, & funditus perdat.* **Wenn man die Bawren verderben wil / so muß man einen Bawren vber den andern setzen.** *Ioachimus Zehnerus in Adagiis sacris pag. 208.*

Quemadmodum tenues pluviæ segetibus longè plus damni afferunt, quàm densissimi imbres: ita *homines famelici, si Curibus parvis & paupere terra, id est, ex humili conditione in imperium mittantur, plerunq; insolentiores redduntur: & subditos majoribus afficiunt injuriis, quàm ij: qui felices nati, atque in magna rerum copia educati sunt.* Quod Germanicè dicimus, Muscas famelicas acriùs mordere: **Hungrige Fliegen stechen**

stechen viel hefftiger / als die fatten. Hinc gnome Salomonis Proverb. 30 vers. 22. de servo ad regnum evecto: quam Claudianus in Eutropium lib. 1. v. 181. sic reddidit:

*Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.*
Es ist kein Messer das schärffer schirt/
Denn wenn ein Bawer Edel wird.

Et votum illud Palladæ, quod extat lib. 1. Epigrammatum Græcorum:

Μήποτε δ' ἐλεύσασά γωνὴ δέσποινα γένοιτο.
*Quæ semel ancilla, nunquã fiat hera.* Idem pag. 209. 210.

*Abjecti homines, si emerserint in quandam claritudinem aut potentiã: nihil ipsis est nec insolentius nec intolerabilius.* Vnde & proverbio (quod genus à rerum experientia originem ducit) dicitur: Nullam acutam novaculam tam duriter radere: quàm cùm vir abjectus & sordidus consequatur magistratum. Quod Germani sic efferunt:

Kein Scharschach so scharff schirt/
Als wann ein Bawr des andern Herr wird. *Brentius in Lucam, Homil. 10. pag. 474.*

**Wenn mancher frölich ist / zu Ehren kömpt/ Reich wird / vergisset er aller Armen vnd alter gutten Freunde.** Horres morres, spricht man / Honores mutant mores: at rarò in meliores. Wenn einer zu Ehren kömpt / so wendet sich das Hertz/Lunge vnd Leber in seinem Leibe vmb / vnd wird gar ein ander / aber selten ein besser Mann. Denn Ehre / Gütter vnd Reichthumb verkehren vnd verbienden jhr viel. *Mathes. in Syrac. cap. 37. pag. 106.*

Non ita debemus honore inebriari: ut quales ipsi revera simus, ob id obliviscamur. Honores sæpe mutant mores: sed, ut vulgò creditur, rarò in meliores. Quod accidit ex eo: quòd plus de nobis, quàm sit, opinamur; & quòd hono-

rem delatum dignitati, quæ gerenda conceditur, nobis tribuamus. Vt ille asellus, qui ferebat sacra Isidis, arbitrabatur sibi genua flecti ab occurrentibus salutantibus sacra: & ideo intumescens cunctabatur progredi: donec agasonem sensit cum loris & fustibus impellentem & dicentem: Non tibi, sed religioni. Nostrum est dignitatem gerere, & honorem ejus sustinere: & non eo superbire: ut alios contemnamus: qui multò quandoq; magis idonei sunt ad dignitatem. Nostrum item gratias DEO agere: qui ad eam nos perduxit: & non obliviscì interim nostræ prioris & præsentis humanæ conditionis, aut fortunæ inferioris præteritæ: cujus etiam memoria nos potest à fastu retrahere aut prohibere. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 4. de Repub. cap. 12. pag. 222.*

Celebratum à veteribus atq; verissimum proverbium est: *Magistratus virum ostendit.* Quippe in ea palæstra non solùm idoneus ad res gerendas, an verò *nullius* precij quispiam existat, ob muneris injuncti amplitudinem, cognoscitur: verùm etiam qui illius mores, qui affectus sint, propter potestatem ac licentiam, palàm fiet. Nam quò quisq; major est: hoc minùs vitiosos animi motus, quin ijs regatur, refrenare, eosve sub rationis imperium cogere potest. *In Hypomnes. Gvicciard. pag. 8.*

Ambitiosus statim, ut est ad honorem promotus, in superbiam extollitur: in jactantiam effrenatur: non curat prodesse: sed gloriatur præesse: præsumit se meliorem: quia cernit se superiorem: priores dedignatur amicos, notos ignorat: externos comitatur: contemnit antiquos: vultum avertit: cervicem erigit: fastum ostendit: grandia loquitur: sublimia meditatur: subesse non patitur: præesse molitur: subditis onerosus: omnibus infestus: præceps, molestus, arrogans, gravis & importunus. *Innocentius de utilitate conditionis humanæ.*

*Natura cælas vicia, es dum pauper: at illa*
*Imperium nactus conspicienda dabis.*

Iosephus lib.6. Antiquitat. cap.14. de hac regula ita scribit: Homines tantisper dum humiles sunt atq; plebeij, quia non audent, neque liberum est naturæ obsequi, æqui ac boni viri esse videntur: mirumq; quoddam justitiæ studium præ se ferunt: quin & pietatem interea colunt: Deumq; omnibus actionib. nostris interesse, omnes deniq; cogitationes intueri persvasum habent. Sed simul atq; ad potentiã & imperium provecti sunt: exutis pristinis moribus, & tanquam in scena mutato habitu, novaq; persona assumpta, in omnem audaciam & insolentiam, divinarum æquè ac humanarum rerum contemptum prolabuntur. Et cùm ad superandam invidiam maximè illis opus est pietate & justitia: cumq; omnes eorùm non actiones solùm, verùm etiam voluntates in conspicuo sint omnibus propositæ: tum maximè tanquam aut dissimulante Deo, aut & ipso potestatem eorum formidante, in subditos debacchantur: & quicquid aut per inanem metum, aut odium vel favorẽ irrationabilem decernunt: id tum hominibus ratum, tum Deo quoq; ipsi probatum esse existimãt: futurorum verò prorsus nullum nec respectum nec rationem habent. Quotquot enim in eorum gratiam plurimos labores exhauriunt: eos primùm evehunt: deinde jam honoratos per invidiam non solùm dignitatibus privant: sed per calumniam etiam sæpè opprimunt: non considerantes, quàm meritò: tantumque temerariis delationibus absque ulla probatione fidem adhibentes: & sæviunt non in quos oportet: sed in quos ipsis sævire est facile. Hæc Iosephus, de Saulis facinoribus scribens. /

Germani dicunt: **Wenn die Lauß in Grind kömpt / so wühlet sie gerne.**

## EXEMPLA.

I. **Philippus inter postremos Macedoniæ Reges; cum quo dimicarunt Romani. De hoc Plutarchus in Arato, / Erat adolescens elegans, mansvetus, insignem humilitatem & clementiam præ se ferens. Cùm adoleviset: ex adolescente elegante & Rege mansveto, factus est homo turpissimus, & Tyrannus sævissimus. Quanquam non erat mutatio naturæ: sed in licentia demõstratio nequitiæ occultatæ antea metu.**

II. Tiberius

II. Tiberius Imperator, vivente Augusto, fuit optimis moribus præditus. Expressit omnes gradus veræ humilitatis. Hac specie decepit Augustum. Post mortem Augusti, cùm Germanicum metueret propter studia & applausus populi, nihil fecit violenter. Cùm verò curasset eum in Asia Antiochiæ veneno tolli per Pisonem & Plantulum: & jam neminem amplius metueret: totum se mutavit. Quanquam non fuerit vera mutatio: sed tantùm demonstratio nequitiæ antea metu occultatæ. Factus est dissimilimus: totum se dedidit luxui, libidinibus, sævitiæ, tyrannidi: ita ut subditi pro Tiberio nominarint eum Biberium: omnia crudelissimè decrevit & statuit. Ademit Senatui omnem libertatem, & gubernationem omnium provinciarum. Cædibus ita vastavit Italiam; ut deficerent idonei provinciarum gubernatores.

III. Domitianus Cæsar, antequam ad imperium pervenit, fuit placidissimus. Quando verò ad imperium ascendit crudelissimus factus est: & plurimos interfecit. Quoties solus fuit: ut expleret crudelem animum: solitus est muscas configere. Hoc ejus fœdum exercitium nominarunt Græcè κλινοπάλλω. Voluit se tanquam Deum adorari. *Vide Epitomen Sexti Aurelij Victoris.*

IIII. Post mortem Aristobuli, filij Hircani, qui fratres carceri incluserat, ne regno suo insidiarentur: vidua Aristobuli ex carcere extraxit unum ex fratribus defuncti mariti: illumque regno Iudææ præfecit. Prætulit hunc cæteris; quòd videretur esse & placidissimus & modestissimus omnium. Sed decepta est. Nam Alexander potitus regno, alterum fratrem, à quo regno suo metuebat, sustulit: & prorsus mutatus, magnam tyrannidem exercuit. *Vide Iosephum lib. 1. de bello Iudaico, cap. 3.*

V. Dion de Othone Imperatore inquit: Otho cùm ad Imperium evectus esset: cepit uti leni ac placido sermone: & ficto simulatoque vultu indicare modestiam. Ad hæc oscula ad singulos ferè per digitos mittere: postremò multa polliceri. Quanquam non erat obscurum: eum multò etiam petulantiùs atque acerbiùs, quàm Neronem esse regnaturum.

VI. In Saule Rege Israële etiam hujus Regulæ habemus exemplum. *Vide Iosephum lib. 6. Antiquitat. cap. 14.*

VII. Abbas quidam, antequam eveheretur ad dignitatem Abbatis, insignem simulabat humilitatem, semperque demisso in terram vultu & pietatis plano incedebat. Consecutus Abbatiam cepit esse ferocior atque elatior. Miranti bus quibusdam, quòd is, qui priùs vultu semper in terram dejecto, insignem præ se tulisset pietatis & sanctitatis speciem, tam subitò mores mutasset, factosq; insolentior esset, respondit: se ideo priùs demisso vultu incedere solitum, quòd claves Cœnobij quæsivisset: nunc verò ijs repertis, se incedere erectum.

VIII. Meritò ea de re objurgatur Agamemnon à Menelao fratre in quadã Tragœdia Euripidis:

*Scis quando cupiebas præfici Græcis ad Ilium,*
*In speciem non petens, sed animo volens:*
*Quàm humilis eras, omnem dextram attingens,*
*Et januas habens non clausas volenti ex populo,*
*Et dans alloquium ordine omnibus, etsiamsi quis non volebat:*
*Mores quærens mercari honorem è vulgo.*
*Deinde postquam potitus es imperio: mutans mores,*
*Amicis non amplius fuisti priorsbus sicut antè amicus.*

*Difficilis aditu, & intra claustra rarus.*
*Atqui virum non convenit præstantem,*
*Auctum rebus magnis, mores mutare.* AntiMachiav. lib. 1. pag. 43.

IX. Pertinet huc Majonis exemplum: qui, cùm ob insolentiam intolerabilem ad regnum Siciliæ aspirare cepisset, à Matthæo Bonello occisus est. Fuit is, sicut Thomas Fazellus prolixè describit, natione Apulus, patria Barensis, humili ortus genere: quippe cujus pater oleum Bari vendere solitus fuit. Hunc ex tenui fortuna Gulielmus (fuit is primus hujus nominis Rex Siciliæ, & ob crudelitatem & avaritiam Malus appellatus) primò in Curia, postmodum gradatim Cancellarium, ac demum magnum regni Admiratum instituit: & ad opes maximas provectum, longè supra cæteros regni proceres, amore prosequebatur. Quibus hic opibus licentiaque abutens, nihil crudelitatis, nihil violentiæ, ut aliquid ageret, prætermittebat. Ingenium illi ad omne versatile: cui facundia non dispar, atq; simulandi & dissimulandi quæcunq; vellet facilitas inerat; in Venerem præceps: stupro virgines fœdare laudi sibi ducebat: tantoq; se clariorem existimabat: quantò splendidiores concubitus quacunq; ratione assequi potuisset. Is itaq; cùm jam totius regni administrationem haberet: Regemq; (cum quo solus regni negotia, cæteris proceribus exclusis, tractabat) quò vellet attrahere posse confideret: in regnandi cupiditatem prolapsus, &c. Quin imò ad confirmandam suam autoritatem, Matthæum Bonellum, genere Siculum, nobilitate insignem, multorum oppidorum Dominum, affinitate cum pluribus Calabriæ proceribus conjunctum, integræ apud omnes opinionis, militia strenuum, in socerum delegerat. Qui tamen paulò pòst, ob humilitatem generis, à nuptijs cepit abhorrere; &, ut dixi, gener socerum, ob affectatum regnum, occidit: approbante id primò Rege: sed postea Bonellus, falsis delationibus Eunuchorum oppressus, effossis priùs oculis, nec visq; super talum incisis, in perpetuum carcerem detrusus est. De hoc Majone, Iohannes Michaël Brutus ita judicat: Vni homini improbissimo, & malis artibus conciliato, cùm quidem dissimulantem imperij cupiditatem, obsequio & assentatione perniciosa semel animo victo, agnoscere haud facilè posset, potestatem omnem Imperij administrandi, ipse (Gulielmum Regem innuens) turpi ocio atq; ignaviæ deditus, magno sui ac totius regni discrimine, permisit. Erat is Majo quidam ex humili admodum fortuna, cùm pater Barij taberna olei instructa quæstum sordidissimum fecisset, per Regis gratiam, ærario primùm, ac postremò regiæ classi præfectus. Qui quidem honos clato homini fortunæ temeritate eos spiritus & fiduciam attulit: ut de medio sublatis, quicunq; illius cupiditati impedimento esse per privatam potentiam viderentur: partim sibi multitudine largitionibus concilianda, partim suppliciorũ immanitate Principibus deterrendis, jam de invadenda tyrannide, atq; interficiendo Rege, consilia agitare spe animisq; inflatus instituerit. Eò autem dicitur hominis amentia erupisse; ut cùm jam id minimè dissimulanter præ se ferret: & mentionem facere cum amicis de regno Gulielmo abrogando, & tueri exemplo etiam ambitionem cupiditatemq; animi tantam sit ausus: cùm Gallorum regnum memoria majorum, post magistros equitum, Regibus luxu atq; ocio perditis, administraretur, à Zacharia Pontifice Pipinum Caroli Martelli filium, privato Chilperico regia dignitate (quod genti Gallorum felix faustumq; fuit) ad regnum evectum. Atq; cùm hos inter amicos sermones serebat: tum ab ijs per interpositam juris jurandi religionem fidem accipiebat, socios fu-

turos ad regnum à Mario vindicandum, ubicunq; gerendæ rei occasio atq; oportunitas adesset; quæ viris fortibus minimè diu videretur defutura, &c.

X. Similis historia de Cleandro extat apud Herodianum. Is erat quidam Phryx genere, ex ea nota hominum: qui publicè per præconem veneunt. Hic cùm in domum Imperatoriam servitio esset traditus; & cum ipso Commodo accrevisset: eò scilicet honoris atq; autoritatis provectus est: ut & corporis custodiam, & cubiculi curam, præterea militum præfecturam, solus obtineret. Cæterùm divitiæ & luxus etiam illum ad Imperij spem inflabant. Quocirca grandi coacta pecunia, plurimum frumenti coëmit. Id autem occlusum habebat, sperans sibi Romani populi atq; exercitus voluntates adjuncturum: si priùs rerum necessariarum penuria laborantes, magnis repentè largitionibus demereretur. Idem gymnasium maximum ædificaverat: publicatis etiam balneis; ut eo modo populum inescaret. At Romani infensi jampridem, ac totius causam pestilentiæ in eum conferentes, simul perosi hominem divitijs inexplebilem, priùs quidem confertim per theatra identidem traducebant: deinde agente in suburbanis Commodo, repentè universi in agnis clamoribus concurrerunt, Cleandrum ad necem deposcentes. Recenset deinde Herodianus, quomodo is se diu autoritate Imperatoris, inscij ejus scelerum, armatis equitibus Principis, tutatus, & bellum cum populo in urbe, & militib. stationarijs gesserit: donec Padilla, maxima sorore Commodi, cùm alioquin nemini Cæsari, in alto secessu suburbana voluptatibus indulgenti, metu Cleandri accessus pateret, insidias & bellum civile fratri detexit. Qui cognita perfidia Cleandri, ei caput amputari, contoq; præfixum circumferri, voluptuosum scilicet atq; optatum populo spectaculum præbiturus, jussit. Ita id malum tedatum, utq; utrinq; dimicatio dirempta.

XI. Hunc finem paulò antè Perennis, cui Commodus curam totius imperij demandarat, ob inexhaustam divitiarum sitim, intolerabilem superbiam, libidinem imperandi, & alia vicia, fortitus. Tussu enim Commodi una cum filio interfectus est.

XII. Huc referenda est recens historia, eleganter descripta à Georgio Buchanano, Davidis Rizij. Is erat inter aulica ministeria Reginæ Scotiæ (de quo postea in Anglia supplicium sumptum est) Augustæ Taurinorum natus, è patre homine probo, sed pauperculo: ut qui clementa Musices docendo ægrè se & familiam sustentaret. Hic cùm nullum, quod suis patrimonium relinqueret, haberet: liberos utriusq; sexus psallere docuit. Ex ijs cùm David in adolescentiæ vigore constitutus, & non inamœna voce præditus, & à patre in Musicis institutus esset: in spem fortunæ liberalioris erectus, Niceam in aulam Ducis Subaudiæ, nuperi in suam ditionem restituti, profectus est: sed ibi non prospere acceptus, cùm omnium rerum egenus omnia circumspiceret: tandem in Morettium incidit, jam tum, Ducis missu, iter in Scotiam adornantem. Hunc cùm secutus eò venisset: nec Morettius, homo non admodum copiosus, operam ejus aut necessariam, aut utilem sibi existimaret; ibi subsistere paulùm, & fortunam denuò experiri decrevit: eò maximè adductus: quòd Regina diceretur cantionibus valde oblectari: nec ipsi Musices omnino imperita esset. Igitur ut primum sibi aditum ad eam patefaceret: egit cum cantoribus: quorum pleriq; Galli erant: ut inter eos appareret: semel atq; iterum auditus, placuit: statim in eorum collegium assciptus est. Ibi brevi, cùm Reginæ sensum atq; mores intellexisset, partim adulando, partim alios ministros calumniando, perfecit: ut non minore esset apud Reginam gratia:

quàm

quam apud cæteros esset odio. Neq; tamen hoc fortunæ blandientis favore contentus, cùm æquales omnes partim viliores fecisset: partim variis criminationibus expulisset: paulatim assurgere & majora negotia tractare cepit: donec ab epistolis assumptus esset: & hoc prætextu, secretiùs, & seorsim à vulgo, agere cum Regina posset. Iam sermonibus materiam dabit repentinus hominis, tantùm non mendici ad opes non mediocres progressus: & supra virtutem fortuna: supra fortunam arrogantia & æqualium contemptus: & cum superioribus æmulatio. Alebat hanc vanissimi hominis insaniam magnæ partis nobiliorum adulatio qui amicitiam ejus captabant, salutando, orationi ejus subserviendo, foribus obambulando, exitus reditusq; ejus observiendo, &c. Tandem autem, cùm Buchananus prolixè vitam & insolentiam hujus hominis recenseret, inquit: Eo perventum est: ut ille, cum uno atq; altero, quotidianus Reginæ convictor esset. Venautem loci angustiæ factæ quodam ex parte minuerent invidiam: nonnunquam in cellula exigua, interdum apud ipsum Davidem epulæ apparabantur. Sed hæc invidiæ minuendæ remedia infamiam augebant: suspiciones alebant: & sinistris sermonibus materiam suppeditabant. Accessit ad hominum jam in pejus proclives cogitationes inflammandas: quòd suppellectili, cultu corporis, equorum & genere & numero, longè Regem superabat: quæ res eò videbatur indignior: quòd non faciem honestabat: sed facies cultum deturpabat. Igitur Regina cùm animi vitia non posset emendare: divitijs & honoribus cumulandis, in supremum ordinem eum nitebatur protrahere: ut nascendi humilitatem, & corporis vitia, fortunæ claritatis obtentu tegeret, &c. Pervenit autem is tandem in tam intrinsecam familiaritatem cum Regina: ut solus cum ea in cubiculum ingressus: ad quod Rex clavem se penes semper habebat: isq; ostiolum interius oppessulatum inveniret: & pulsanti nemo responderet: ob hunc rem cùm Rex ingentem irarum animo molem coquens, cum familiaribus fidioribus, de tollendo Rizio, quo salvo, neq; Rex dignitatem, neque nobilitas incolumitatem tueri posset, deliberare cepit. Igitur paulò pòst David in cellula angusta, unà cum Regina & alijs paucis cœnans, à Rege, introductis familiaribus, ab ijsq; extractus, multis vulneribus confossus est: idq;, addit Buchananus, præter omnium, qui in cædem ejus conspiraverant, voluntatem: qui eum publicè strangulandum, populoq;, cui gratissimum fore sciebant, id spectaculum præbere destinabant. Constans fama est: cum à Iohanne Damiæta Gallo sacrificulo, qui magicæ artis non imperitus vulgo habebatur, non semel admonitum: ut re confecta, se alò transferret: & potentiorum odio, cui par non esset, se subtraheret. Respondit, Scotos magis minaces, quàm pugnaces esse. Iterum itidem paucis ante cædem diebus admonitus, ut a notho sibi caveret: nothum illum, se vivo, in Scotia eam potentiam non habiturum, ut sibi timendus esset, respondit: à Motavio enim periculum sibi denunciari putabat. Verùm dictione illa sive expleta, sive elusa, primum ei vulnus a Georgio Duglassio, Comitis Angliæ notho, fuit illatum, &c. Vera itaque est sententia: *Dedecus & detrimentum esse comites, & velati pedisequas, superbiæ & insolentiæ.* *Ph. Isp. Camerar. Centur. 2. Operar. subcisiv. cap 52. à pag 317. usque ad 322.*

## CCCXCI.

*METuendi sunt qui ex infima fece plebis ad summos honores provehuntur. Ioh. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 5. pag. 1154.*

## EXEMPLA.

I. Cùm Sulimanus Abrahamum Bassam omnibus imperijs & honoribus cumulavisset: tantis opibus potentiam stabilivit: ut jam ipsi Sulimano metuendus videretur: dormientem necari jussit: eo cæso, compertum est ampliùs duodecies millies coëgisse.

II. Cùm Iacobus Appianus Senensium Princeps Petrum Gambacurtium familiarem honoribus & opibus nimiùm auxisset: ab eodem de imperio disturbatus est.

III. Sic enim Calippus Dionem,

IIII. Brutus Cæsarem,

V. Macrinus Caracallam,

VI. Maximinus Alexandrum,

VII. Philippus Gordianum, quorum opibus ac potentia creverant, occiderunt.

VIII. Quis Agathoclem figuli filium ducem exercitui præpositum, optimates ac locupletissimos quosq; interfecturum, & Syracusarum imperium adepturum arbitraretur? *Idem ibidem.*

## CCCXCII.

*RESpublica quando extraneos, etiam nuper cives factos, non admittunt ad honores, sed potiùs antiquarum familiarum cives: facilè in civitate possunt excitare seditionem & invidiam: ex eo, quòd contrarium videatur, civitatis jus communicare: & nihilominùs eos à muneribus & honoribus excludere, ut minùs fidos. Pet. Greg. Tolos. lib. 4. de Rep. c. 5. pag. 175.*

EXEM-

## EXEMPLVM.

Sicut accidit apud Syracusanos. Sublata enim, post Hieronis & Gelonis regnum, Thrasybuli dominatione, de communi Republica & statu populari consultantes, multa decrevêre: magistratus omnes priscis civibus distribuêre, & antiquis familijs. Nam novos homines, milites, mercenarios, qui à Gelone supra decem millia fuerant adscripti civitati, indignum putabant ad munera publica & honores civiles admitti: seu quòd parum meritos censerent: sive quòd incertæ fidei, morumq; alienorum viris, haud temerè credendam rem non putarent. Quod ipsi indignè ferentes, occuparunt, deficientes à Syracusis, partem urbis Achradinam, & Insulam, & alia duo loca ingenti muro munita: quanquam multis ultro citroq; illatis cladibus superati tandem sint. *Idem ibidem.*

# CCCXCIII.

*NVllus est Princeps: quin, si quid optimo consilio faciat, calumnientur id multi. Et multa inde hærent in animis: quæ odia pariunt.*

Dictum est Alexandri Magni: Regium est benè facere, & malè audire.

## EXEMPLA.

I. Fabius Maximus Dictator Romanus in bello contra Hannibalem cùm videret, multos exercitus jam cæsos esse ab Hannibale: & Pœnis crevisset animus: Hannibalem ita aggredi statuit; non ut rem prælio committeret: sed ut impetum Hannibalis mora, pecunia egestatem, copia hominum paucitatem consumeret. Itaq; ab equitatu hostium sibi cavere: in editis locis castra habere: sedente in castris hoste quiescere; movente se eo per montes circuire: seque per intervalla hosti ostendere: ut neque ipse invitus ad pugnam compelli posset: & cunctatione hac hostibus pugnæ expectationem afferret. Interea socias urbes confirmavit; & præsidiis munivit. Hac cunctatione Hannibalis vigorem per se passus est elanguescere. Eo modo tempus trahens omnibus contemptui erat: neque in castris modò malè audiebat: sed hostibus omnibus timidissimus ac nullius precij Imperator videbatur. At Fabius suæ utilitatis certus, cõfirmato judicio, in sua sententia perstabat, inquiens ad amicos; Ego verò infamiam timiditatis ea ratione augerem: si metu reprehensionum & conviciorum meo me detrudi proposito paterer. Et quidem pro patriæ salute timidum esse, indecorum non est: propter hominum de se opinionem; calumnias aut reprehensionem, in terrorem venire, id jam non viro, qui tanto sit dignus imperio, convenit: sed qui vo-

cum servus esse velit: quibus eum malè sentientibus imperare decet. Maximè illi adversati sunt cum toto exercitu Flaminius & Minutius: ex quibus Minutius dixit: Fabium castris locatis in montibus pulcra theatra suis fecisse: unde Italiam populationibus & incendijs vastari cerneret. Idem dixit ad amicos Fabij: Fabium spe terræ tenendę abjecta in cœlum efferre exercitum, aut objectis nubibus in nebulis hostem effugere intendisse. His duobus magna clade ab Hannibale affectis, apparuit utilitas consilij Fabij. De hac cunctatione Fabij inquit Paulus Aemilius apud Livium *lib* 44. *hist. V. C. pag.* 448: Fabius suum imperium minui per vanitatem populi maluit; quã secunda fama malè rem gerere. *Plutarch. in Vita Fabij Dictatoris.* De hoc Fabio Ennius inquit:

*Vnus homo nobis cunctando restituit rem.*
*Non ponebat enim rumores ante salutem.*
*Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.*

II. Paulus Aemylius Consul cùm mitteretur a Senatu & populo Romano ad bellum Macedonicum contra Perseum: petijt, ut si constituissent se Duce hoc bellum gerere: paterentur se administrare consilia bellica suo arbitrio: nec reprehensionibus inconvenientibus molesti essent. Reprehendit illam vitiosam consuetudinem plebis, quæ optima consilia improbaret. Ita enim inquit: In omnibus circulis, atque etiam, si Dijs placet, in convivijs sunt: qui exercitum in Macedoniam ducant: ubi castra locanda sint, sciunt: quæ loca præsidijs occupanda: quando & quo saltu intranda Macedonia. Nec quid melius faciendum sit modò statuunt: sed quicquid aliter, quam ipsi censuêre, factum est, Consulem vetuli dicta die accusant. Hæc magno impedimento res gerentibus sunt. Et paulò pòst inquit: Sermonum satis ipsa præbet urbs: loquacitatem suam contineat: nos callidensibus consilijs contentos fore sciat. *Livius l.* 44. *hist. ab V. C. pag.* 448. Ad milites postea in castris dixit: unum Imperatorem in exercitu providere ac consulere quid agendum sit debere, nunc per se: nunc cum advocatis: qui nam sint advocati: eos nec palàm, nec secretò jactare consilia sua. Militem hæc tria curare debere: corpus ut quàm validissimum & pernicissimum habeat: arma apta, animum paratũ ad subita imperia. Cætera scire de se Dijs immortalibus & Imperatori suo curæ esse. In quo exercitu milites, Consul & Imperator rumoribus vulgi circumagitur: ibi nihil salutare esse. Se, quod sit officium Imperatoris, provisurum: ut benè gerendæ rei occasionem eis præbeat Illos nihil quod futurum sit quærere. Vbi dictum signum sit: tum militarem operam navare *Lib.* 44. *apud Livium pag.* 451. Apud Appianum inquit: Si vellent Romani se Duce bellum Macedonicum geri; postulare se, ut exercitus obtemperarent: nec sumerent sibi Ducis officia; nec impedirent eum suâ curiositate & fabellis. Μὴ πράσσειν, μηδὲ λογοποιεῖν.

# CCCXCIII.

*QVi Principum mores corrumpunt: vel autores & ministri sunt injustarum cupiditatum Principum:*

*cipum: illi vel in proprio corpore, vel in posteritate puniuntur: ita ut illorum posteritas diuturna non sit: sed mox post illos intercidat.*

*Crudeles consiliarij non sunt longæui: contrà placidi & moderati sunt felices.*

## EXEMPLA.

I. Haman Syrus autor erat Dario: ut tolleret, & ad internecionem usq; deleret gentem Iudaicam: quæ tum temporis in Chaldæa exulabat. Ob hanc crudelitatem punitur à Rege, & suspenditur.

II. Achitophel, qui Absaloni mali consilij erat autor, ut Davidem patrem ex improviso adoriretur, sibi ipsi laqueo vitam finivit.

III. Contæus Carolo Burgundo autor erat, ut obsides Leodios trecentos trucidaret: contrarium suadebat Imbercortus Ambianus. Postquam Contæus tam atrociter dixisset in miseros obsides: qui simplicitate persuasi, in eas angustias devenerant: ex nostris quidam ad me tacitè, Vides, inquit, Contæum, licet ætate sit gravis, firma adhuc esse valetudine; sed ausim affirmare, quandoquidem adeò crudeliter sententiam dixit, intra annum esse moriturum. Atq; ita quidem accidit. Nam paucis pòst diebus è vita ille discessit: cùm in obsides adeò fuisset asper & implacatus. Imbercorti verò consilia gubernabat DEVS: eò quòd tam clementem & humanam sententiam dixerat pro miseris obsidibus. *Philip. Comineus in Comment. de reb gest. Lud. & Car. lib. 2. pag. 57. 58. 59. 61. 66.*

IIII. Alswie Doëg that/ der des Königes Saulis böse Sachen vertheidigte vnd gut machen wolte/ vnd halff vber den fromen David/ seines Genielles halben/ Derhalben muste er auch zugleich mit seinem Gottlosen bösen Herrn ein böse Ende nemen/ vnd vmbkommen/ 1 *Sam.* 31. Denn die Gelehrten halten es darfür/ das eben der Doeg Sauls Waffenträger gewesen sey/ so an seines Herrn Schwerdt ersterben muste. *Mathes. in Syracid. cap. 4. pag. 20. b.*

V. Das also viel/ auch von sehr stadtlichen Leuten in Engellandt Anno 1555 kurtz nacheinander verbrandt worden/ sagt jederman für bestendig/ das es durch anstifftung Bischoffe Stephans von Witon/ Oberisten Canzlers in Engellandt/ welchen die Königin auß der Gefengnisse erlediget/ vnd zu solcher Wirde erhaben hatte/ geschehen. Er hat aber nicht lange darnach gelebet. Denn als er an der Wassersucht hefftig kranck gelegen/ sol er/ demnach die Engelländer/ so jetzt hin vnd wider in Deutschlandt wohnen/ anzeigen/ also vbel gestunckē haben/ das weder ander Leute vmb jhn bleiben/ noch er selb den Gestanck habe leyden können/ vnd hiemit am Dreyzehenden Tage des Winter Monats gestorben sey. *Michaël Beutherus in Appendice ad Sleidanum lib. 8. pag. 87. b.*

# CCCXCV.

*ANimus etiam ferociſſimorum adverſis caſibus frangitur & hebeſcit. Quòd ſi non timidior redditur: ſaltem fit circumſpectior.*

**Mit Schaden wird man klug. Das gebrandte Kindt fürchtet das Fewer.**

## EXEMPLA.

I. Heliodorus camerarius Regis Saleuci Syrij, cùm Ieroſolymam miſſus, magno faſtu ingrederetur in templum, ablaturus theſauros, à viduis & pupillis ibi depoſitos: ſingulari exemplo divinitus repreſſus, & ſemimortuus à ſuis inde elatus eſt. Reverſus ad Regem ſemper fuit timidior. Solitus eſt dicere: Si habes aliquem, quem odiſti: mittas eum Ieroſolymam.

II. Cùm captis Veijs Tribuni plebis ſententiã tuliſſent, invito Senatu: ut pars plebis Vejos migraret habitatum, & agris urbis uteretur: nomine Senatus ſe oppoſuit Camillus neglecta plebe: & tantum effecit: ut ſententia Tribunorum plebis antiquaretur. Ita cùm concitaſſet in ſe odia populi: paulò pòſt ejectus eſt in exilium. Reverſus autem Romam, expulſis Gallis, qui Romam occupaverant, factus eſt cautior. Nam Dictator creatus, ut componeret tumultum plebis, quæ, incitante Licinio Stolo, petebat ad Conſulatum admitti plebejos, territus minis Tribunorum, ſi impediret rogationem plebis, ut inquit Plutarchus, exilium ſive aliam damnationem metuens, turpe ſibi poſt tot præclara facinora & exacta ætate futurum: depoſuit altero die Dictaturam: ne plebem reſiſtendo irritaret. *Plutarch. in Camillo.*

Pertinent huc exempla de Franciſco Rege Galliæ, & de Landgravio: quæ vide ſuprà. Reg. 296.

# CCCXCVI.

*TImidi plerunq; ſunt prodigi.*

*Plerunq; immodicæ & inconſultæ largitiones Principum, non ex quadam virtute, ſed ex timiditate quadam oriuntur. Timidi enim cùm deſtituan-*

*tur*

*tur virtute: conantur: offensos animos inani profusione placare: quod generosi animi facere non solent.* *Peucer. in lect. Chron. die 1. Augusti, An. 73.*

Plutarchus in vita Cleomenis de largitionibus Regum: Quibus, inquit, rationibus cæteri Reges hominum benevolentiam venantur, pecunia scilicet & munerum corruptela: eas Cleomenes & injustas, & artes vacuas censebat. Pulcherrimum autem & maximè regium censebat: eos, quibus cum ageret, oratione & consuetudine grata & fide digna sibi devincire: Idq; unum inter amicum & mercenarium interesse: quòd ille moribus & sermone, hic pecunia paratur.

## EXEMPLA.

I. Artaxerxes Mnemon Rex Persarum fuit princeps parvi animi, timidus, crudelis, prodigus admodum rerum suarum.

II. Herodes Magnus Rex Iudææ, sub quo CHRISTVS natus est, cùm esset timidus; & semper metueret, ne excuteretur ex regno: Romanos Duces maximis sibi muneribus devinxit & adjunxit: ita ut diceret aliquando Augustus Cæsar; munificentiâ Herodis plùs quàm regiam esse. Exhibuit maxima munera Antonio, Agrippæ, Augusto & alijs. Præcipuè verò hoc fecit: cùm à Iudæis accusatus sibi à Romanis metuit.

III. Antonius Caracalla cùm esset timidissimus; & semper metueret, ne imperio excideret: & hanc ob causam fratrem Getam tanquam æmulũ tolleret: propterea studia militum prætorianorum sibi adjunxit, sperans se facilè imperium contra æmulos defensurum esse: si ab his amaretur & defenderetur. Eam ob causam maximis largitionibus eos placuit: quibus valde exhausit ærarium publicum. Dixit etiam aliquando ad milites; sicut hæc ejus oratio apud Dionem legitur: Iam mihi, commilitones, licet in vos maxima beneficia conferre. Ego enim sum unus ex vobis; cupioq; propter vos solos vivere; & multa vobis largiar: vestri enim sunt thesauri omnes.

IIII. Nero Imperator & Tyrannus fuit admodum prodigus; & profudit ingentem pecuniam in milites. Ita exhausit istis largitionibus ærarium: ut longo tempore vix se recolligeret. Scribit Dion, eum prætorianis pecunias dedisse; ut similia facinora, qualia ipse faceret, multa perpetrarent. Ita enim futurum esse; si milites similes essent Imperatori; ut ille propterea non puniretur. *In Vita Neronis Dion.*

# CCCXCVII.

*TYranni plerunque sunt ἀθεοι prorsus, contemptores DEI & religionum omnium: polluti*

*libidinibus, & omnis generis flagitiis & voluptatibus.*

Sophocles: Tyrannum pium esse, haud est facile.

## EXEMPLA.

I. Caligula finxit se cum Luna coire: extruxit templum sibi in Capitolio; ut cum Iove habitaret. Sed cùm Iuppiter præferretur huic novo Deo: expostulavit cum Iove; quòd primas occupasset. Idcirco novum templum in palatio sibi extruxit: in quod transferre voluit statuam Iovis Olympij in suam formam commutatam. Solitus est certis machinis tonare. Et quoties fulmen de cœlo decidit: ipse contrà jecit lapidem, recitans ad singulos ictus Homeri versum: Aut tu me interficies: aut ego te. *Dion in Caligula.*

II. Cicero 3. *de Nat. Deor.* describit impietatem & profanitatem Dionysij Senioris Tyranni Siculi: ubi describuntur multa exempla sacrilegiorum, quæ commisit, irridens illa Ethnica numina. Cùm venisset in Peloponnesum: & esset ingressus in templum Proserpinæ, & in alia fana; nunquam egressus est, nisi commissis sacrilegijs. Spoliavit templum Proserpinæ: & secundo vento reversus domum, dixit ad amicos: Videtis né quantopere faveant Dij sacrilegis? Item cùm fanum Iovis Olympij esset ingressus: detraxit statuæ ejus aureum amiculum magno pondere: quo antea statuam ornárat Gelon ex manubijs Persicis: & irridens numen Ethnicum hæc verba addidit: Aureum amiculum Iovi æstate nimis grave, hyeme verò frigidum esse: propterea injecit ei aliud laneum: quod ad utrumq; tempus erat aptum. Bracteolos argenteos, corollaria, quæ statuæ illæ Deorum sustinebant exporrectis manibus, abstulit hic Dionysius, & dixit: stultitiam esse, à quibus bona petamus, ab his offerentibus nolle accipere. Fuit homo planè impius & sceleratus: sicut describitur vita ejus hinc inde a Cicerone, 3. *Off. item 5. Tuscul. quæst.*

III. Cambyses Cyri filius Persarum Rex sororem duxit in uxorem: & multa crudeliter fecit. Item fuit impientissimus. Cùm Aegyptum cepisset: Apin Aegyptiorum Deum interfecit: sacerdotes ejus flagris cecîdit: & sacra illi offerentes curavit interfici, cum cachinno. Templum Vulcani ingressus, simulacrum ejus derisit. In templum Cabriorum, maccessum alijs præter sacerdotem, ingressus, simulacra Deorum irrisit: & postea cremavit. *Herodot. lib. 3.*

## CCCXCVIII.

*TYranni ministros suos, quos evexerunt, & aliquandiu unicè amarunt, ubi crescere vident dignitate,*

*nitate, opibus, favore & studiis potentiorum, clàm suspectam habere hanc eorum felicitatem, mox odisse, & insidias illis occultè struere incipiunt. Cumq; palàm eos evertere vereantur: neq; hoc facere ausint: simulant longè majorem, quàm antehac, erga illos benevolentiam: atq; ita planè dementatos fascinatosq; hac ficta & fucata benevolentia, inopinantes prorsus illos, & ex improviso opprimunt & evertunt.*

## EXEMPLA.

I. Herodes magnus Rex Iudææ, sub quo Salvator noster natus est, cùm affinem suum Aristobulum, filium Alexandri, nepotem Hyrcani summi Sacerdotis ex filia, genere Asmonæum, ad summum sacerdotium evexisset: & postea intelligeret: quo favore illum populus sacra celebrantem in festo Tabernaculorum excepisset, quantisque cum gratulationibus: cepit vitæ illius insidiari. Metuit enim, ne ista vulgi studia sibi officerent: & prodessent Aristobulo. Quare cùm maximum amorem & benevolentiam erga Aristobulum cum matre Aristobuli simulasset: astu in hortum regium Aristobulum pertraxit. Ibiq; ad natandum in piscina proxima à subornatis provocatum, ab his, cùm probè omnia occultaret, submergi illum curavit: atque ita suffocari. *Iosephus.*

II. Tyberius Cæsar, qui post Augustum Romæ imperavit, Sejanum ita extulit: ut nihil prorsus sine ipsius consensu in Imperio Romano ageretur. Hanc ob causam cum omnis ordinis homines coluerunt & propemodum adorarunt. Cepit illi hanc felicitatem invidere Tyberius: & clàm eum odisse. Cumq; eum evertere cuperet: simulavit longè majorem erga illum benevolentiam: quàm antehac unquam. Cepit eum vocare socium & participem omnium suorum consiliorum: & secum cum Consulem esse voluit. Quoties ad Senatum scripsit: semper ejus honorificentissimam mentionem fecit: solitusq; est eum appellare in literis, suum Sejanum. Hoc modo dementatum miserum tandem ex improviso opprimit: accusat eum apud Senatum: qui jussu Tyberij Sejanum in carcerem conijcit: & paulò pòst interemit. *Dion in Vita Tyberij.*

III. *Dion in Domitiano*: Domitianus cum se diligere simulabat semper: quem maximè interfectum cupiebat.

## CCCXCIX.

*EXorta bellorum incendia non facilè restinguuntur: & ferè semper ex uno tumultu longi temporis bella & orbis mutationes sequuntur.*

Cato de Pompejo inquit, cùm bellum civile moveret Iulius, Pompeii esse & movere magna mala, & eadem compescere: cùm suaderet, ut demandaretur ei bellum contra Cæsarem. Sed rectiùs inquit Pindarus: Facilè est cuivis urbem movere: sed eam rursus in trãquillum sistere, hoc solius Dei opus est.

Pindarus: Parva scintilla sæpe magnam silvam computit. Vbi loquitur de exiguis bellorum initijs: quæ posteà latiùs se extendunt.

Apud Xenephontem Callias à Thebanis missus Spartam inquit: Si commune fatale est, ut bella fiant, & gerantur inter homines: danda est tamen opera: ut quàm tardissimè incipiantur: & cùm fieri potest citissimè sedentur. Hæc etsi sapienter dicuntur: tamen in nostra potestate situm non est, bella mota sedare. Bella movere nostrum est: sed illa componere nostrum non est. Nam bella mota homines implicitos abripiũt instar torrentis: quo fert impetus: ut inquit Herodotus.

## CCCC.

*HOminum aulicorum, qui fiducia potentiæ suæ nimiam licentiam sibi sumunt, obliti hujus præcepti: Fortunã reverenter habe, quicũq; repentè Dives ab exili progrediêre loco, exitus plerunq; est infelix.*

Exemplum hujus Regulæ est Plautianus Aser.

## CCCCI.

*IN civilibus discordiis crebræ sunt mutationes voluntatum, & defectiones: in quibus homines leves ac mali vel fortunam sequuntur: vel privatis odiis morem gerunt.* Philip. in Comment. in Daniel. cap. 11. pag. 162. b.

### EXEMPLVM.

Alcimus Pontifex simulabat, se esse amicum exercitui piorum: eaq; simulatione perfidiosè oppressit deceptos cives: & multos interfecit.

## CCCCII.

*PLerunq; cùm mutationes factæ sunt: magna fuit impiorum pertinacia.* Philip. in Comment. in Daniel. cap. 11. pag. 170. b.

### EXEMPLA.

I. Vt Pharaonis: II. Saulis: III. Sedechiæ: IIII. Pharisæorum tempore CHRISTI. *Idem.*

## CCCCIII.

*VSitatum est errata in gubernatione ab aliis commissa, asscribere & imputare Principibus: quos*

*opinio est corrigere multa & mutare posse: si res ipsi cognoscerent & administrarent, vel suo judicio: vel admoniti. In Chron. Phil. lib. 4. pag. 424.*

## EXEMPLA.

I. Galba Imperator, quòd regeretur consilijs Laconis & Iunij: propterea à subditis reprehensus est. Ita enim inquit de his Plutarchus: Nymphidius cùm audivisset omnia nutu Iunij & Laconis agi: dixit, Galbam quidem bonum senem esse & moderatum: sed suis minimè uti consilijs: & à Iunio & Lacone non rectè regi. Itaq; priusquam hi ad aliquam pervenirent potentiam: mittendos ad Galbam nomine militum legatos: qui ostenderent, eum, si tantùm duos istos suos amicos amovisset, omnibus gratiorem jucundio remq; futurum. Et in alio loco inquit: Injuria autem senì fiebat: cùm & Iunius malè res administraret: & si quid Galba præclarum instituisset, prohiberet atq; criminaretur. Et in fine vitæ Galbæ inquit: Galba, Iunio, Laconi, & libertis omnia venalia habentibus, se committens atq; dedens (quemadmodum Nero insatiabilibus se hominibus addixerat) neminem, qui imperium ejus desiderarent, multos, qui mortem miserarentur, reliquit. *Plutarch. in Galba.*

II. Saxones conspiraverunt contra Henricum IIII. Imperatorem: quòd ille vel propter imbecillitatem ætatis, vel nimio studio suarum voluptatum, si modò, quæ de eo scriptis Pontificiorum prodita leguntur, vera sunt, non tantùm negligeret gubernationis curam: sed nimium permitteret atq; indulgeret illis: ex quibus pendebat Consentaneum est etiam, hos ipsos multa injustè, avarè, & insolenter ex affectib. vel commodis suis statuisse ac fecisse, concessæ potestatis abusu: quæ irritatis & alienatis antea, πρόφασιν præbuerunt speciosissimam ad Imperatorem criminandum. *In Chron. Philippi ut suprà.*

## CCCCIIII.

*VT industria ac diligentia Principum res omnes adjuvat: sic inertia, pigritia, negligentia — omnia evertit & indecora reddit.* Pallas apud Homerum hoc docere videtur, cùm Agamemnonem increpans ait: Non oportere virum, cui populi sunt curæ, tota nocte quiescere. Hujus sententiæ æmulus Silius Italicus Mercu-

rium

rium inducit Hannibalem excitantem his verbis: Turpe Duci totam somno consumere noctem. *Francisc. Patrit. lib. 5. de regno, tit. 2. pag. 300.*

# EXEMPLA.

I. Corrector Libyæ Octavius Capreas pro Inarime cum Neapolitanis commutavit: ut illuc curandæ valetudinis gratia secederet. Ædificaverat enim in ea Insula splendidas ædes: quibus pro honesto diversorio postmagnam rerum satietatem aliquando utebatur. At Tiberius eadem Insula malè usus est. Illuc enim, ut per pigritiam ac negligentiam insaniret, accedebat. Et cùm urbem egrederetur: edicto cavebat: ne quis se interpellaret. Præmittebat etiam ex suis aliquot: qui obvios omnes ex itinere arcerent: ne quis eum obiter adiret: ut, Capreas ingressus, omnes Imperij curas abdicaret. Et sic Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis ac Sarmatis, Galliam à Germanis magno cum dedecore ac discrimine totius Imperij, vastari neglexit. Quò quidem loci, secreti licentiam nactus, malè dissimulata animi vicia patefecit: & cum Pomponio, Flacco, L. Pisone noctem & continuum biduum epulando potandoque consumpsit: & alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam Vrbis, è vestigio dedit: jucundissimos illos & omnium horarum amicos esse affirmans. Delectabatur vel maximè ea Insula: quòd septa omni ex parte esset præruptis atque altis rupibus: & uno tantùm parvoque litore adiretur. Quin etiam in ea carnificinam (qua unicè delectabatur) facilius exercebat. Nam quoscunque oderat: in mare post longa & exquisita tormenta præcipitari jubebat: eosque contis ac remis excipiebant nautæ: lacerabant ac trucidabant: ne quis aliquo casu evadere posset.

II. Demetrius Macedonum Rex principio regni piger habebatur, durus ac morosus. Ignavo enim silentio & solitario ocio lætabatur. Idcirco difficilem se adeuntibus præstabat. Quod quidem Macedonibus eò molestius erat: quòd Philippo Regi assueverant: qui per facilis in audiendo fuerat: patebatque semper aditus omnibus: qui eum adire volebant. Contigit ergo aliquando aniculam quandam eum non occupatum nactam, ut se placidè audiret, rogasse. Tum Rex commotior aliquantulum, sibi non esse audiendi ocium, respondit. At illa defixis in eum oculis, Non igitur regnes, exclamat, si audire piget. Hic Demetrius substitit: & mitior factus, eam longo silentio audivit: quam deinde opera navata placido alloquio dimisit. Pòst autem tacitus secum aniculæ verba animo revolvens, mentem mutavit: & ex difficilimo perfacilem deinceps se & benignum omnibus præbuit: adeò ut magnam diei partem audiendo respondendoque, non sine fructu atque oblectatione exigeret. *Idem ibidem.*

## CCCCV.

*Plerique qui ex obscuro loco ad maximos et insperatos honores ascendunt: oderunt postea eos: à quibus se intelligunt humiles & abjectos cognitos fuisse.* Dion in vita Vitellij Cæsaris.

Inquit ibi Dion de Vitellio: Vitellius sæpè mentionem faciebat veterum sodalium: eosq; in honore habebat factus Imperator. Neq; enim turpe, aut se indignum putabat: si aliquem ex ijs agnoscere videretur: quod pleriq; faciunt: qui elati maximis & insperatis honoribus oderunt eos: à quibus se intelligunt humiles antea & objectos cognitos fuisse.

Vide suprà Reg. 166. exempl. 5. quod huc referri potest.

## CCCCVI.

*Non eodem modo se gerunt, ij, qui socij tantummodò regni sunt: & ij, qui soli regnum tenent: propterea quòd illi, neglecta gloria principatus, immoderatè ejus potestate abutuntur: multaq; ad invidiam & calumniam alterius faciunt. Qui autem intelligunt, omnia ex se pendere: magnoperè existimationi student.* Dion in Tito.

### EXEMPLVM.

Dion de Tito inquit: Titus ex quo tempore principatum solus obtinuit: mores statim mutavit: nec cædes fecit: nec amoribus servivit, ut antea: sed comis, quamvis insidijs peteretur, & continens. Ideo dixit aliquando ad amicum: Dissimile est, inquit, indigere opera alterius, & judicem esse, perinde ac postulare ab alio & dare.

Fit

# CCCCVII.

*FIt sæpiùs, ut qui pericula ratione solerter expendunt, ac ob id de rerum exitu timidè deliberant, fortiores plerunq; pugnacibus sententias dicant: cùm alienæ temeritatis comites esse, vel ad non dubiam mortem: quàm ab ignobili decreto minùs fortes videri malint.* Paulus Iovius lib. 43. histor. pag. 225.

## EXEMPLA.

I. Pompejus coactus à suis, pugnat contra Cæsarem prælio Pharsalico: cùm cogitasset bellum trahere: & ad inediam compulsum exercitum Cæsaris vincere. Hoc optimum consilium mutare illum coëgerunt præcipui, qui erant in exercitu: qui variis sarcasmis illum excitabant ad pugnam. Ideo inquit Plutarchus: Hæc illi multaq; alia dictitantes, Pompejum existimationis retinendæ cupidum, amicorumq; verecundia, compulerunt: uti optimis consiliis omissis, voluntates eorum spesq; sequeretur. Lucanus de hoc facto Pompeij, *lib. 7. belli civilis:*

*---- Sic fatur, & arma*
*Permittit populis, frenosque furentibus iræ*
*Laxat: & ut victis violento navita conto*
*Dat regimen ventis, ignavumque arte relicta*
*Puppis onus trahitur.*

II. Barcocius & alij Duces militares ante obsidionem Albæ Regalis in Pannonia, disputabant appositè atq; acriter: suburbana ædificia deferenda atq; incendenda esse potiùs, quàm tuenda: ut tecta Turcis deessent: & urbs interior paludis circumfusę munitione tutissima, minore militum labore, minoreq; periculo defenderetur. Conclamant repentè Albani; nec se passuros dicunt; ut suburbia tot templis & ædificiis magnitudine urbis æquata, eversis subinde multorũ civium fortunis deleantur. Quid enim tam deforme ac miserum cogitari posse, quàm ad incitandam Barbarorum audaciam, extremi timoris significationem dare, ac ea ultrò subditis flammis excindere, quæ forti manu, nisi animis turpissimè deficiant, egregiè tueri possint? Favebat Albinis Octavianus Scrosactus Insuber, uti cæteris ejus urbis ac regionis superiore anno sæpiùs exploratæ, usu peritior: docebatq; pari conditione periculi, & urbem & suburbia defendi posse: quandoquidem pari paludis beneficio munirentur: nec etiam, si quid extrà pugnãtibus ab hoste durius accideret, defuturus esset tutus atq; certissimus in urbem receptus: quo demum temporis spacio, inclusi urbe, supremi consilij deliberationes expedirent. Postremò exurgens, cùm suo tum publico impulsus fato, Quod, inquit, viri fortes, virtutis specimen dabitis? quamvè demum navatæ operæ

laudem feretis? si tantæ claritatis urbem suburbiis, tanquam brachiis ante periculum detruncatis, deformatam, ultrò & nimis celeri desperatione devastatam defensuri estis? Nihil certè vel ad utilitatem Regis, vel ad spem gloriæ profeceritis: nisi Alba, si Dijs placet, incolumi atque integra, integrum ab animi magnitudine decus petatis. Hæc eo dicente, cuncti consurgunt: prudentes gnariq; militiæ imperitis atq; ferocibus parent: ipseque Baricocius, ancipiti suspensus cura, vanissimoq; aliorum judicio plane victus, fatali sententiæ accedit. *Paulus Iovius ut suprà.*

# CCCCVIII.

*TRistior est seditio militaris urbana seditione: sicut ipsum genus hominum est truculentius. Efferantur enim quotidianis cædibus.* Hinc Plato dixit: Homines semel gustata carne humana fiunt lupi.

## EXEMPLVM.

Cùm Senatus contra Maximianum Cæsarem Tyrannum cum exercitu & imperio mitteret Maximum Cæsarem: quem Senatus cum Balbino Cæsarem creârat; & relinqueretur in urbe, ut eam tueretur, Balbinus cum cohorte prætoria: orta est seditio inter prætorianos & populum, tanta quidem; ut maxima pars urbis Romæ incenderetur; templa fœdarentur: omnesq; plateæ cruore interfectorum polluerentur. Balbinus cùm progrederetur, ut compesceret tumultum: singulisque manus tenceret: fustefe percussus est. Tandem sedata est seditio: cùm Balbinus puerum Gordianum purpuratum, de collo longissimi hominis dependentem produxisset: & tumultuantibus militibus & populo illum ostendisset. Hunc enim cùm ob merita avi & avunculi utriusque amarent: hujus causa in gratiam redierunt. *Vide Iulium Capitol. in Vita Maximi & Balbini.*

# CCCCIX.

*EXtremæ malitiæ homines nunquã aut ravò fiunt meliores.*

*Pœna, quam facinorosi propter flagitia meruerunt, plerunq; in defensorũ capita redundat ac resilit.*

Hæc

Hæc Regula legitur in Compendio Romanæ historiæ apud Pomponium Lætum, in vita Constantis Cæsaris, filij Constantini Magni.

**Die jhr Leben ein mal in die Schantze gewaget/vnd sich dem Teuffel zu aller Boßheit ergeben haben/da ist keine/ oder gar wenig hoffnung/das sie sich bessern solten/werden gemeiniglich ärger/vnd heuffen jhre Sünden noch mehr.** *Sigfridus Saccus Conc. 3. part. 4. Passionis Christi, pag. 75.*

**Offtmals muß der selbst an Galgen/der einen andern davon lösen/vnd mancher muß das Liedlein singen:** *Men' servasse, ut esset qui me perderet? Idem ibid.*

# EXEMPLA.

I. Constans Cæsar filius Constantini Magni, interfectus est à Magnentio præfecto exercitus, qui ad Augustam Vindelicorum commorabatur: cùm ipse Imperator hunc Magnentium paulò antè in Illyria, in tumultu militari, objecto paludamento texisset atq; servasset: cùm milites eum interficere cogitassent. *Vide Pomponium Lætum in Vita Constantis.*

II. Ciceroni caput abscinditur à Pomponio Læna: quem reum capitis in judicio ipse Cicero defenderat atq; servârat. *Vide Plutarch. in Vita Ciceronis.*

III. Crœsus Lydorum Rex Adrastum fratris interfectorem, & cum signis reatus à parente in exilium ablegatum, absoluit à reatu: eumq; hospitio excipit. Hic postea per imprudentiam in venatione interficit filium benefactoris sui Crœsi, Atyn. *Vide Herodot. lib. 1.*

IIII. Iulius Cæsar post victoriam Pharsalicam jubet parci Bruto: illumq; postea ad se perductum clementer servat, data illi venia: quod à partibus Pompeij contra se stetisset. Hic postea cum Cassio conspirat contra Cæsarem: eumq; in Senatu interficit. *Vide Plutarch. in Vita Cæsaris.*

V. Malichum Iudæum Cassius Romanus, cùm Syriam & vicinas provincias argento emungeret, belli causa, quod contra Augustum Cæsarem & Antonium gerebat, cogitabit interficere: propterea quòd Iudæos à collatione pecuniarum debitarum dehortabatur. Sed pepercit illi placatus donario Hyrcani: quod Cassio exhibuit Antipatri nomine Hyrcani: & petijt simul, ut Hyrcano parceretur. Postea Marcus Syriæ præses, cùm accusatus esset coram eo hic Malichus: quòd tumultus in Iudæa hinc inde excitaret: eundē tanquam tumultuatorem ultimo supplicio afficere voluit. Sed dimissus est, donata illi vita: cùm apud Marcum pro Malicho intercederet Antipater. Hic Malichus postea Antipatro benefactori suo, qui vitam ei servârat, malam rependit gratiam. Nam & insidias vitæ Antipatri struxit & paulò pòst occasione data, veneno eum sustulit. *Vide Ioseph. lib. 14. cap. 18.*

VI. Caligulâ Macronem cum coniuge interficere jussit; repēdens illi pro maximis meritis pessimam gratiam. Ter enim Caligulam morti eripuerat: cùm eum Ti-

berius interfecturus esset. Et post mortem Tiberij tradidit illi Imperium. Philo ait: *Non aliam ingrati referre solent gratiam pro meritis; pro quibus libenter damnum dant suis benefactoribus.*

VII. M. Titius, ejus filius, qui proscriptus à Triumviris Romæ, Octavio Cæsare, Antonio, Lepido, confugerat ad Sextum Pompeium: in ista perturbatione Reipublicæ peculiarem sibi acquirebat potentiam, occupata provincia Narbonensi. In isto conatu capitur à Sexto Pompeio; & in gratiam parentis Titij, qui apud Pompeiũ militabat, rursus dimittitur. Ab hoc Titio postea Sextus Pompeius, postquam ex Sicilia ab Octavio Cæsare ejectus, in Asiam fugisset, in fuga jussu Antonij Triumviri captus & interfectus est. De hoc ita Dion: Huic Titio propter parentem suum venia data est: sed is malam benefactori suo gratiam retulit: quem & debellavit & occidit. *Lib. 48. hist. pag. 501.*

VIII. In Preussen hat ein Procurator einen Mörder vom Schwerdt loß gemacht/ vnter dem Schein/ als wenn er eine Nothwehr gethan. Vnd da er loß worden/ hat er nach viel andere erwürget/ vnd letzlich auch den Procuratorem/ der jhn loß gemacht. Darumb nichts bessers/ sonderlich mit muthwilligen Landschelmen/ denn das dem Vbel gewehret werde/ das sie es nicht mehr thun können.

IX. Jener Mörder/ da man jhm für Gerichte fürhielt/ wie viel Mord er begangen/ sprach er zum Richter: Er gestehe es nicht/ er habe nur einen Mord begangen. Da mans jhn vberweisen wil/ spricht er: Den ersten hab ich ermordet/ die andern hast du ermordet. Denn hettest du mir mein Recht das erste mahl gethan/ so weren die andern für mir wol sicher gewesen.

X. Der Herr Philippus commendiret einmal einen Vngelerten Münch/ der aus frembden Landen kommen/ vnd doch keiner Sprach kündig war/ in ein Kloster mit folgenden worten: Nusquam melius est piscibus, quam in aqua: & funibus, quam in patibulo; & Monachis, quàm in monasterio. Commẽdo igitur tibi hunc Monachum.

XI. Da des heyligen Blutts zur Wilschnack halben/ grosse disputationes in diesem Lande gewesen/ ist Nicolaus Cusanus ein Cardinal/ vom Bapst nach Magdeburg geschicket worden. Da aber der Cardinal einziehen wollen/ vnd ein Cardinal alle Vbelthäter/ so verhanden/ auffzunemen/ vñ in die Stadt zuführen/ macht gehabt/ hat jhn der Rath berichtet, das etliche verzweiffelte Buben vnter dem hauffen/ welche dem Rath durchaus vnleidlich weren/ Vnd demnach begeret/ das dieselben nicht möchten auffgenommen werden. Darauff der Cardinal geantwortet/ das jhme nicht gebüren wolte Bäpstlicher Heyligkeit Gnade zu restringiren, oder derselben im geringsten Abbruch thun zu lassen/ denn es jederman erleubet/ wer da wolte/ das er dem Creutz Christi folgen möchte. Denn man dem Cardinal im Einzuge ein gülden Creutz fürgetragen. Demselben/ sagt er/ möcht jederman folgen/ gut vnd böß. Darauff antwortet der Rhat/ sie wehren endlich zufrieden/ wenn das durchaus also gehalten würde. Da der Cardinal fragt/ wie das gemeinet würde/ antworten sie/ das solle also verstanden werden/ das der Rhat zu frieden were/ das die Vbelthäter dem Creutze

in die Stadt folgeten/damit der Cardinal seinen willen hette. Wiederumb aber solten dieselben Vbelthäter auch dem Creutz hienauß folgen/wenn er aus der Stadt züge. Diß hat jhn zwar verdrossen/ das er in seinen Reden gefangen/ vnd sol gesagt haben: Vos Saxones eltis laxa. *Sigfridus Saccus in Postil. part. 3. pag. 75.*

XII. Anno 1481. war ein Jüngling zu Dantzig/ von reichen Eltern/ der brachte sein Erbtheil bald zu/ mit einem Sacke/ der Gülden Esel genandt/ brach darnach einem reichen Manne ein/ stielt viel/ wird von der Wache beschlagen vnd eingeführet/ ward bericht/ vnd solt gehencket werden/ denn man wenig Hoffnung zur Besserung an jhm hette. Da war ein Gardian im Grawen Closter/ dieses Jünglings Tauffpate/ dieser bate einen Rath vmb diesen Jüngling/ Denn er hoffete/ er wolte jhn mit der zeit in Orden bringen. Wiewol es der Rath vngerne that/ doch dieweil der Gardian/ so ein gewegener Mann war/durfften sie es jhme nicht wol abschlagen/ Doch fragten sie/ wenn er förder Schaden thete/ an weme man jhn suchen solt? Der Gardian saget: Es gehe vber mich. Er bekompt den Jüngling loß/ welcher sich ein zeitlang also stellet/ das man gutte Hoffnung zu jhm gewan/ doch mit der Zeit erfehret der Gardian/ das er mit dem Gülden Esel widerumb gemeinschafft gehabet hette/ das den Gardian vbel verdroß/ saget: Gehe an Galgē/ beiß Diebe ab. Der Jüngling lies den geschöpfften Haß nicht mercken/ mit der Zeit kömpt er zu dem vorigen vertrawen. Der Gardian wird Custos vber die Clöster in Preussen seines Ordens/ wil nach Thoren/ weil sie aber nicht reformiret waren/ gaben Dantzger Kauffleute dem Gardian in die 3000. Marck am Vngerischen Golde/ den Thornern für Korn zu geben. Diß wuste der Bube/ der Fuhrman solte sein. Eines des Morgens frue/lest der Gardian seinen Compan/ vorn auß auffm Knüttel Thamme gehen/der Gardian sitzt auff dem Wagen vnd lieset/ der Bube lest die Geissel fallen/ steiget ab/ quantzweiß dieselbige zu holen/ zeucht die plitten auß/ hewet von hinden dem Gardian den Kopff von einander/ nimpt das Sattelpferd vnd Goldt/ reitet nach der Lawenburg/lest es den Gāldē Esel wissen/dahin zu komen/ des sich dieser rühmet. Der Jüngling wird geholet/ vnd waren das seine letzte Worte/ wie er gerichtet solte werden: Wolte Gott/das sich alle diese/ so mich vom Galgen gebeten/ auch also ermordet hette. Derhalben ists vrsach man sagt: Es ist einem Diebe nirgends besser/ als am Galgen. Buben bleiben gerne in Bubenstücken. *Caspar Hennenbergerus in Chronico Prussiæ pag. 79.*

XIII. Anno 1365. war eines Bürgers Sohn zum Elbing/ so hengen offt verdienet hatte/ doch vmb seiner Freundtschafft willen ward seiner verschonet/ Aber gleichwol verweiset. Der kömpt damals auff Trium Regum vber das Eyß/ zündet in dem ersten Schlaff/ in einem grossen Nordē Sturmwinde/ die Holtzhauffen an/ verbrandt die Garten/ Grubenhayn/ vnd die halbe Brücken vbern Elbing/ verbrandt grosse Gütter in Speichern/ Denn noch damals gutte Seefart allda war. *Id. in eod. pag. 113.*

# CCCCX.

*SÆpissimè evenit, ut sapientes, dum non considerant præsentia, nec quærunt, quæ præsentibus temporibus congruant, stulta æmulatione alienorum consiliorum & factorum, semetipsos & alios conijciant in calamitates & exitium. Jdeo diligenter in omni deliberatione observanda est Regula: Jn publicis consultationibus, præsertim periclitante Republica, decet gubernatorem præcipuè considerare præsentia, & quærere quæ præsentibus temporibus congruant.*

Pindari Regula diligenter observanda est: *Oportet possibilia & moderata homines petere à Diis immortalibus, rectè agentes hoc: quod in præsentia est.* Conjungit Pindarus utrunq;, & petitionem auxilij divini, & in consiliis moderationem. Et ut illa quærantur, quæ sunt justa, recta & accommodata præsentibus temporibus. Non debemus respicere ad præterita, non considerata dissimilitudine hominum, temporum, rerum, negociorum, & aliarum circumstantiarum.

Demades Orator in Republica Attica, qui fuit σύγχρονος Demosthenis & Philippi Macedonis, solitus est accommodare sua consilia ad præsentem statum Reipublicę. Ideo sæpè solitus est dicere: sua consilia de Reipublicę gubernatione videri quidem horrida & minimè gloriosa: nec similia esse splendori Themistoclis, Miltiadis aut Periclis: sed vinci se ætatis & temporum suorū iniquitate. Incidisse enim se in eas

rerum

rerum omniū confusiones & miserias: ut necesse sit πολιτεύεσθαι ναυάγια τῆς πόλεως: id est, gubernare naufragium Reipublicæ.

Vetus Phocylidis versus, quo sæpè utuntur politici gubernatores: καιρῷ δ' ἐλεύθειν, μήτ' ἀντίπνοιῃσιν ἀνέμοισι: Cede tempori, & non contrà fla, non repugna flatibus ventorum.

Plutarchus: καιρῷ δ' ἐλεύθειν δοκοῦντες ἄρχειν.

## EXEMPLA.

I. Cicero reprehendit Catonem juniorem, qui nominatur Uticensis: quòd exemplo senioris Catonis, qui Censorius dicitur, sententias in Republica Romana dixerit, tanquam in politia Platonis, non ut in fece Romuli: cùm multum interesset inter statum præsentem: & inter eam formam Reipublicæ: quæ erat Catone seniore vivente: cùm Respublica in summo potentiæ, autoritatis & dignitatis gradu consisteret: & florerent tunc in Republica homines summi viri, viribus, sapientia, virtute, felicitate, victoriis, magnitudine rerum gestarum celebres, Scipio, Lælius, & alij. Ideo recte inquit de his consiliis Catonis Plutarchus: ἀρχαιτροπίαν Catonis fuisse ἀσύμμετρον τοῖς καιροῖς βούλεσις: imitationem non fuisse congruam & accommodatam præsentibus moribus.

II. Cicero stolidè imitatur semetipsum: & fingit sibi contra Antonium talem successum: qualem habuerat in Catilinaria seditione: florente adhuc Republica, & consentientibus inter se præcipuis in Senatu. Nec considerat præsentem statum Reipublicæ: Antonium armatum esse studiis & favore militum: Rempublicā turbatam, & animos civium cæde Iulij exacerbatos esse. Quare infeliciter irritat Antonium: ac sese & Rempublicam in exitium præcipitat.

III. Demosthenes stolidè imitatur exemplum Miltiadis, Themistoclis, qui feliciter defenderant libertatem Græciæ contra Persas. Persvadet ergo sibi, suum consilium de defendendo cōtra Macedonicos Reges patria, esse Themistocleum. Nec cōsiderat præsentem Græciæ statum, dissidium civitatum inter se: quæ tunc communibus armis pugnaverunt contra Persas, unanimi studio inter se concordes. Nec cogitat, Athenienses fractos & exhaustos esse viribus & animis. neq; spiritus neq; animos illos gerere: nec instructos esse illis nervis: quibus superiori seculo abundabant. Accessit ergo infelici bello Philippum Macedonem: & in tristem servitutem universam Græciam præcipitat.

IIII. Cicero post obitum Cæsaris fecit dici ipsius mortui decreta, eam ob causam, quam ipse affert *lib. 12. Epist. Famil. epist. 1. ad Cæsium*, ubi inquit: Cæsaris cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus. At enim ita decrevimus: fecimus id quidem temporibus cedentes: quæ valent in Republica plurimùm. *Vide lib. 12. Epist. fam. epist. 1.*

*Vsita-*

# CCCCXI.

*VSitatum est, quòd homines malum malo curent: & ita duplicant mala. Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 4. pag. 17.*

Tribuitur hoc dictum Periandro: μὴ ἰῶ κακὸν κακῷ, apud Herodot.

## EXEMPLA.

I. Vt in morbis fit. Morbi curatione sæpe fiunt deteriores.

II. Sic fit in negociis. **Wenn einer ein mal gefehlet hat / so wil ers darnach flicken / vnd machts erger.** Capnio sedit in mensa Ducis VVirtembergensis: Dux proposuit ei de ferina carne: ille voluit elegans esse: non voluit excipere disco, **mit dem Teller** / sed cultrò: sed cecidit caro in cyathum. **Da wil er den Becher nicht von sich geben:** vult eximere cultro: **Vnd stösset den Becher gar vmb auff den Tisch. Das seind grobe** exempla. Sed similia fiunt in magnis rebus. Ideo discamus illud: Ne sanes malum malo. **Das thut man mit den** stultis cruciatibus & stultis spebus.

III. Ego scio multa exempla in me & aliis: valde multa expertus sum: ubi fuerunt vanissimæ spes, & vanissimi metus de rebus futuris. Vita non abit sine erratis: sed tamen nostra errata faciant nos diligentiores & cautiores: & accedat invocatio. *Idem Philip. ibid.*

IIII. **Es ist gemein / wenn einer anhebet irre zu werden** ex mœstitia / **so thut er eines vber das ander.** Vt David post raptam alterius conjugem, vult corrigere hoc erratum: curat interfici Vriam: ut res maneret occulta: **man solts nicht innen werden / Ja es ist sehr wol** corrigiret, Tales correctiones sunt crebrę in vita. **Dahin gehören die Versch:**

*Curando fieri quædam pejora videmus*
*Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.* Idem pag. 31.

# CCCCXII.

*GVbernatori nihil est magis cavendum: quàm præcipitantia in responsione. Philip. in Postil. Pezel. part. 4. pag. 48.*

EXEM-

## EXEMPLA.

I. Dux Fridericus dicere solebat, se in negociis magnis nunquam respondere sine deliberatione.

II. Egò Pontano dixi Demosthenis responsionem, κατὰ μηδέν: Se improbum civem judicare, qui non paratus respondeat.

III. Fuit Erphordiæ Procurator, ille sibi spacium petivit deliberandi. Cùm autem solus esset, rogatus, cum quo vellet deliberare: monstravit caput, cum isto, inquit. *Idem Philip. ibid.*

# CCCCXIII.

*VBicunq; milites sunt: ibi sunt multi Thrasones. Non enim omnes sunt Scipiones: id est, in paucis est virtus. Philippus in Postilla Pezel part. 4. pag. 193.*

## EXEMPLVM.

Est in historia, quòd Darius habuerit capitaneum Rhodium, præfectum classi Darij. Ille audierat militem contumeliosè loquentem de Alexandro: percussit eum hasta, & dixit: Ego te cõduxi, ut prælieris cum Alexandro: **es ist nichts werth! das du jhn schiltest.** *Philip. ibid.*

# CCCCXIIII.

*SÆpè aulici privatis odiis incendunt Principes. Philip. in Postil. per Pezel. ed. part. 4. pag. 392.*

*Aulici privatis odiis inter se accendunt odia etiam Dominorum. Idem ibid.*

## EXEMPLA.

I. Brunhildis mœcha Protadij magistri equitum Italici, procreavit filium Hildebertum: qui duos habuit filios, Theodobertum & Theodoricum. Theodoricus infert bellum fratri Theodoberto, impulsus ab avia Brunhilde, incitata à Protadio magistro equitum, prætextu repetendi thesauros. Theodobertus deinde Coloniæ interficitur, cum duobus filiis. Fuerunt magna bella, & sæpè renovata post inducias. Postea Theodoricus ducit fratris filiam; ideo veneno necatus est à Brunhilde. Postea Brunhildis interfecta est à Sigeberto. *Philip. ibid. pag. 392.*

II. Idem accidit etiam in his regionibus. Inter Fridericum II. Ducem Saxoniæ, & fratrem VVilhelmum odium exarsit: quod fuit causa belli decennalis. Res tota orta est à consiliariis. Dixerunt illorum alterum non fecisse æqualem bonorum divisionem. VVilhelmus habebat exercitum magnum; profectus est ei obviam frater: res tamen eò deducta est: ut colloquium fieret inter fratres. Tumulus non procul à Lipsia est, miliari fortassis distat. In illo stantes in eminentiori loco, ut ab omnibus videri possent, cataphracti invicem locuti sunt, non apertis galeis: tandem aperuerunt galeas: & cœperunt sese mutuò amplecti. Hoc cùm viderent exercitus; acclamarunt magno cum gaudio: & facta est pax. Accesserunt aliqui ex consiliarijs, & dixerunt Dominis, ut proficiscerentur in aliquem locum, ubi res scriptis confirmaretur. Suaserunt igitur, ut convenirent in Porta, **Ist ein Kloster nicht weit von der Naumburg/** & additum est Epiphonema: Non confunditur, cum loquetur inimicis suis in porta. **Also ist die sache vertragen/Doch ist zuvor viel schaden geschehen. Die zeit ist die Stadt Gera verbrant. Ein Herr von Glauga ist auch darunter vmbkommen/** qui etiam fuerat suasor belli. *Ibid. Eandem historiam recitat Sigfridus Saccus in Postilla pag. 382. quam ibi vide.*

# CCCCXV.

*REges existimant se ita stabilire imperia sua: si muniant se contra hostes suos: vel tollant è medio illos: de quibus malè suspicantur. Phil. in Postil. Pezel. part. 1. pag. 533.*

Aristoteles in Politicis dicit: Sicut pictor in pingendo equo debet attendere, ne unum pedem faciat longiorem altero: sic Princeps debet cavere, ne alius prope eum crescat. **Grosse Herren halten dieses fleissig/ das keiner gewaltiger werde/ denn Sie. Jedoch geringe Personen können es auch.** Sunt practicæ mundi. Omnes Tyranni sic argumentantur: Via ad potentiam est tollere æmulos imperij, premere adversarios. Ego quæro viam ad potentiam. Ergo volo premere illum, qui mihi obsistit. Illa sic fiunt. **Es gehet so zu.** *Ibid.*

## EXEMPLA.

I. Tarquinius potitus Gabiis misit ad patrem, quid faceret? Pater assumpto secum nuncio, ivit in hortum: decussit summa capita papaverum: quo significabat, præcipuos cives tollendos esse. **So können die Leute practiciren/ das einer den andern zu rücke halte vnd vnterdrücke.**

II. Nero

II. Nero, Domitianus, Dionysius, vnd andere Teuffelsköpffe, interficiunt multos: quia metuunt æmulos imperij.

III. Augustus etiam initiò sic faciebat: postea tamen fuit contentus expostulatione. Trajanus verò cùm audiret quendam moliri aditū ad imperium, fecit eum Consulem: ut ita illum sibi adjungeret: & monuit, ne plus appeteret: quia imperia dantur fato. Soltu es haben, so kriegstu es wol. Hæc est quædam celsitudo animi, wenn man das kan thun. Certabat virtute & moderatione: non cupiditate & invidentia. *Ibidem.*

# CCCCXVI.

*MVlta per divitias ac liberalitatem plerunq; Reges agunt: quæ vi & armis nequaquam assequerentur.* *Francisc. Patr. lib. 2. de regno, tit. 3. pag. 92.*

## EXEMPLA.

I. Cyneas, Pyrrhi Regis Orator, multas urbes Pyrrho per eloquentiam conciliavit; sed non pauciores per largitionem ad regiam magnificentiam.

II. Legati Mileti Reipublicæ causa Athenas missi, eloquentiam maximi Oratoris Demosthenis argenti munere strangulaverunt. Quocirca populariis ille facete in eum cavillatus est, cùm dixit, non σωάγχω, id est, anginam Demosthenem pati: sed ἀργυρᾴγχω, id est, argentanginam; hoc est, eum non ab angina, verùm ab argento fuisse strangulatum.

III. Ad hanc sententiam dicebant Græci, non Philippum, sed Philippi aurum, Græciam subegisse. *Idem ibid.*

# CCCCXVII.

*SOlent, vel natura dictante, subditi eos diligere: qui suis rebus maximè consultum cupiunt: ut contrà facilè in odium & contemptum eorum delabantur: qui nova imponunt onera: quivé occasiones aut modos extorquendi adinveniunt novos: ut sæpe & illi maleficium propria vita exolverint, commo-*

*tione & justo dolore oppressorum invasi. Petr. Gregor. Tolos. lib. 3. de Repub. cap. 9. pag. 138.*

*Novo Principi magnam subditorum benevolentiam conciliat liberalitas in eos: tributorum remissio: onerum imminutio: privilegiorum concessio. L. Danæus in Aphoris polit pag. 197.*

*Magnam novo Principi conciliat populi benevolentiam: si vetera debita & tributa remittat civitatibus. Idem pag. 214.*

Neque enim arbitrari debent Principes: tam stolidum esse populum: qui promptè teneatur ad necessaria Reipublicæ conferre: & meritò erubesceret in eam causam [illegible] detrectare vel negare: ut non noverit, si causa, quæ [illegible] texitur, subsistat: & quin judicet, quamvis non [illegible] Principe: cum avarum & tyrannum esse. [illegible] *Tolos. pag. priùs dicta.*

## EXEMPLA.

I. Laudatur benevolentia Darij, Regis Xerxis patris: qua sibi conciliavit mirificè subditorum animos: ut meritò ab omnibus amaretur. Cùm enim tributum indixisset subditis: accersitos provinciarum præfectos percontatus cùm alijs de rebus: tum etiam an gravia essent populo tributa: & illi respondissent, esse mediocria; jussit ut singuli dimidiam tantùm partem exigerent.

II. Præstantior adhuc responsio Alexandri Magni. Cùm enim quidam admoneret, longè plus vectigalium auferri posse, respondit: μὴ κατορύσσω μισῶ, τὸν ἐκριζοῦν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα. Et olitorem, inquit, odi, qui radicitus olera excindit.

III. Cui illud convenit responsum à Tiberio: Boni pastoris esse, tondere pecus; non deglubere.

IIII. Cyrus Persarum primus Rex tributum nullum à Persis exegit. Ideo Pater ab eis appellatus fuit: quòd omni ratione de subditis bene mereri studeret.

V. Valde acceptus populo Iudæorum Vitellius Syriæ præfectus sub Tiberio: qui civibus Hierosolymitanis totum vectigal fructuum venalium remisit.

VI. Vt contrà Roboam valde exosus ab Israëlitis: quòd tributi onera, imposita à Salomone patre, gravissima noluit remittere. Quare & decem tribus ab ejus regno desciverunt, lapidato Adura, qui super tributa Regis erat.

VIII. Pe-

VII. Periander Corinthiorum Rex à nemine tributum exegit; sed reditibus fori & portuum contentus fuit.

VIII. Maluit Erysichius, præfectus Imperij sub Zenone, magistratu se abdicare; quàm majus onus, præter tributa ordinaria populo imponere: cùm tamen fiscum exhaustum profusionibus & largitionibus Cæsarum non esse sufficientem ferendis impensis publicis videret. Abijt autem magistratu, non sine magno civitatis dolore.

IX. Fuit Proclores lapidatus à populo Trevirensi: quòd consilium dedisset Theodeberto Regi, de imponendis subditis novis exactionibus.

X. Achæus Rex Lydiæ, cùm nova tributa à populo vellet extorquere, in factione popularis suspensus est, pedibus sursum versum erectis, & capite in aquas Pactoli demisso.

XI. Sic bellis frequentibus fisco exhausto Imperatoris, cùm Theodosius tributum novum præter solitum imposuisset civitatibus: populus Antiochenus vectigal illud novum non tulit: & cùm exactores cerneret, cùm pleraq; alia facere: tum ex civibus quosdam suspendere: nonnullos crudeliter trahere: alios q; in carcerem conijcere: seditionem movit: & Placillæ, uxoris Theodosij, statuam, suo loco imprudenter dejecit: & traxit per civitatem cum opprobrijs funi per pedes alligatã. *Id. ibid.*

XII. In hoc cum Persis Lacedæmonij conveniunt: quòd, defuncto Rege, alter qui succedit, liberat ære alieno, quicunq; Spartiata aliquid aut Regi, aut Reipublicæ debebat. Apud Persis enim, qui Rex creatus est, omnibus civitatibus tributum, quod debebant, remittit. *Herodotus lib. 6. pag. 168.*

XIII. Post Cambysen regnavit Smerdis menses septem: per quos menses omne genus liberalitatis in subditos munificentiaq; exhibuit: adeò ut ejus defuncti magnũ ceperit desiderium omnes Asiam incolentes: ipsis Persis exceptis. Nam missis ad singulas, quibus imperabat, nationes edictis, Magus immunitatem tributorum ac vacationem militiæ in triennium tribuit: atq; hoc quidem statim adeptus Imperium edixit. *Idem lib. 3. pag. 90.*

# CCCCXVIII.

*IN politicis negociis sæpè prætexitur rigor justitiæ, quando per practicas aliqui tolluntur: alij autem per sævitiam & minas deterrentur.* Aber es gehet doch nicht so hienaus. *Philip. in Post Pez. part. 4. pag. 534.*

*Multis pro constantia placet rigor. Seneca.*

## EXEMPLVM.

Piso Proconsul cùm iratus duci jussisset cum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebit, roganti tempus aliquod ad conquirendum non dedit. damnatus extrà vallum deductus est: & jam cervicem

porrigebat: cùm subitò apparuit ipse, qui occisus videbatur. Tunc Centurio supplicium præpositus condere gladium speculatorem jubet: damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam: nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum commilitones. Conscendit tribunal furens Piso: ac jubet duci utrumq; : & eum militem qui non occidit; & eum qui non perierat. Quid ergo indignius? quia unus innocens apparuerat, duo peribant. Piso adjecit & tertium: nam illum centurionem, qui damnatum reduxit, duci jussit. Constituti sunt in eodem loco perituri tres ob unius innocentiam. Te, inquit, duci jubeo, quia damnatus es: te, quia causa damnationis commilitoni fuisti: te, quia jussus occidere, Imperatori non paruisti. Excogitavit quemadmodum tria crimina faceret: quia nullum invenerat. *Iob. Bodinus lib. 3. de Repub. cap. 5. pag. 497.*

# CCCCXIX.

*PLerunq; illi, qui introducunt peregrinos exercitus, veniunt in odium. Philip. in Postil. Pezel. part. 4. pag. 667.*

## EXEMPLA.

I. Gratianus Imperator, Valentiniani filius, **ist ein feiner Herr gewesen/** doctus & industrius. Interfectus a Maximino præfecto in Gallia, seu Capitaneo, **der sahe das der junge Herr war** in odium militum **kommen/ dieweil er hatte** barbaros in Gallium **geführet/** Alanos **Da nun** Maximinus **gesehen hat/ das man jhme darumb feind ist gewesen/** oppressit bonum Principem & valde laudatum. *Idem ibid.*

II. Sicut nobis est insvave, **wenn man uns** Italos, Gallos, Hispanos, in Germaniam **führet.** *ibid.*

# CCCCXX.

*OCium & segnities militum in castris aut præsidiis, itemq; nulla eorum disciplina, omnium seditionum fons est. L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 110.*

Hinc vulgò dicitur, exercitum ociosum esse similem incendio.

Ex P. Cornelio Tacito discimus: *ocium militibus præbuisse occasionem seditiones movendi.* Ita enim scribit de legionibus Germanicis: Inferioris exercitus miles in rabiē prolapsus est, orto ab undevicesimanis quintanisq; initio, & tractis prima quoq; ac vicesima legionibus. Nam ijsdem æstivis, in finibus Vbiorum habebantur per ocium, aut levia munia, &c. Ibi commentator Annibal Scotus Placentinus hanc doctrinam tradit: *Qui ab exercitu suo seditiones arcere vult: is nunquam eum in ocio esse sinat: aut levibus muniis exerceri: sed laboribus & gravibus exercitationibus illum occupet.* Sic de Corbulone idem Tacitus dicit: Ne tamen miles ocium exerceret: inter Mosam Rhenumque, trium & viginti millium spacio, fossam produxit: qua incerta Oceani vitarentur. Quò respexit idem Tacitus, ubi ita dicit: Langvescet alioqui industria, intendetur socordia: si nullus ex se metus, aut spes. Vbi idem commentator addit: Qui politici ædificatores urbium, debere situm sterilem potiùs, quàm fertilem, eligere, contendunt, hac nimirum ratione adducuntur: ut habitatores hinc impulsi industriam exerceant: & ab ocio incorruptos sese conservent. Nam alioquin langvescet industria: & intendetur socordia: si nullus ex se metus aut spes inerit: sed securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, Principi graves. Et idem Scotus super verba ejusdem Taciti, de corrupto exercitu (Per illecebras urbis & inhonesta dictu, corpus vicio, animum libidinibus imminuebat.) Certè corpus, inquit, ocio, animus libidinib. imminuitur. Et sæpe, imò ferè semper, ociū corporis libidines animis infundit & accendit: adeò ut & corpori & animo solum ocium afferat perniciem. Curent itaq; prudentes Principes, primùm, ne ipsi huic vilissimo domino se mācipent: deinde, ne ministri, & illi, quorum strenua opera præcipuè utuntur, id arripiant:

alioquin regnum amittent cum dedecore & vitam,&c. Scivit hoc optimè Cyrus ille maximus Persarum Imperator: qui post Medos, Bactrianos, Phryges, Lydos victos & subditos, capta demum Babylone, cùm finem bellorum adesse cerneret, suos amicos pulcherrima oratione adhortatus est, in hanc sententiam: ut ocium fugerent: & semper ad arma prompti essent: sicut Xenophon latè hoc exponit *lib.7.de pædia Cyri. Philip.Camerar. Centur. 2. Oper. succis. cap. 32.p. 193.*

## EXEMPLVM.

Exercitus Carthaginensis milites ut in Siccam traducti sunt: licentiùs jam per ocium atque socordiam vitam agebant: id quod in exercitu perniciosissimum est: & ferè ac solum, ut ita dicam, fons atque origo seditionum omnium. Quidam stipendia insolentiùs quàm antè, ac longè majora, quàm priùs, postulabant: omnes munerum memores, quæ inter pericula Duces, cùm eos ad bellum hortarentur, sibi polliciti fuerant, etiam præter stipendia longè majora expectabant. *Polyb. lib. 1. pag. 91.*

# CCCCXXI.

*EXercitus extraneus, ex pluribus & diversis populis conflatus, uti ad obediendum paratior est: ita si semel seditionem moveat, implacabilis. Danæus in Aphoris. pag. 110.*

## EXEMPLA.

I. Extranei milites Carthaginensium (de quibus in præcedenti regula) simul atq; omnes in Sicca oppido convenêre: missus ad eos Anno Carthaginensium Dux, non solùm non attulit munera, quæ sperabant: sed de penuria ærarij multa locutus est: & aliquam stipendiorum remissionem postulavit. Quibus rebus commota multitudo confestim insurgere cepit: ingens tumultus, magnaq; in exercitu seditio acturba (quam vocant) orta, ut pote in tanta morum atq; linguarum varietate. Nam Carthaginenses, quòd ex variis diversisq; hominum generibus exercitum componerent, partim quidem rectè faciebant: siquidem neq; conspirare inter se facilè adeò diversa gens poterat: & mandatis ducum faciliùs universi obtemperabant. At si quando furor, aut oblocutio vel seditio in exercitu oritur: tunc neq; mulcere quenquam, neq; alicui modum imponere licet. Gens ignara cum impetu fertur. Vbi semel ad iram ventum est: more ferarum continuò magis crudescit: neq; ullus est sævitiæ modus. Quod ea tempestate in exercitu Carthaginensium evenit. *Polyb. lib. 1. pag. 91. & sequentibus: ubi prolixa hujus militaris seditionis descriptio legitur.*

II. Exem-

II. Exemplo quoq; poterit esse exercitus Cæsareus in urbe Roma. *De hoc vide in rebus gestis Fronspergiorum.*

## CCCCXXII.

*AB extraneis, propter stipendia non persoluta—, semel irritatis, novæ quotidie petitiones, novaq; belli occasiones & querimoniæ proponuntur & quæruntur.* Danæus in Aphorism. pag. 111.

De hac Regula vide Polybium loco jam citato.

## CCCCXXIII.

*LOngior Principum à suis regnis absentia, eorum inter subditos oblivionem & contemptum parit: aut difficiles ad pristinam autoritatem recuperandam aditus præbet.* Danæus in Aphoris. pag. 203.

Pertinet huc exemplum de Scythis per annos 28. absentibus; quod vide apud Herodot. *lib. 4. pag. 108.*

## CCCCXXIIII.

*DUcis præsentia in bellis multum facit ad vincendos hostes, & consequendam victoriam—.*

*Quod Nauclerus in navi, quod Pater in familia, quod Rector in Schola, quod Sol in cœlo, id Regem esse in regno, nullus est qui ignorat: qui si adsit, omnia—*

*prosperè succedũt, omnia belli pacisq; munia rectè administrantur: si absit, omnis regni salus periclitatur.* *Ianſonius in principio lib. 6. Mercurij Gallobelgici, pag. 515.*

*Princeps, qui ipse interest prælio, si magnanimus est ac strenuus: proculdubio militibus animum incredibilem addit, viresq; duplicat: eoq; magis, si exercitui charus sit: ac singulorum virtutem interpellare velit.* Vrget enim, ut ait Maro, præsentia Turni. *Sæpe sanè Principis præsentia fugam exercitus repressit.* *Iohan. Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 5. pag. 894.*

*Multi Regem præliaturum alacres consequuntur: qui aliena imperia recusarent.* *Idem pag. 895.*

*In medio certamine Rex conspectus vel pugnans, vel ad suos confugiẽs, deniq; inter eos versans, illis maximè animum addit.* *L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 159.*

*Ipsius Ducis strenuitas & præsentia in periculo conspicua, milites plurimùm animat & confirmat.* *Idem pag. 177.*

*Exercitus, qui cædi fugæq; expositus esse videbatur, adveniente Rege aut Duce suo, quamprimum victor evadit.* Ante oculos enim sui quisque Regis aut Ducis ardentiùs dimicat: & opera virtutis fortiùs ac diligentiùs exhibet: moriq; mavult: quàm aliqua ex parte

de gra-

de gradu cedere. *Franciſcus Patritius de Repub. lib. 9. tit. 2. pag. 570.*

In duriſſimis prælijs cernimus fortiſſimum quenque virum ante oculos ſui Regis vel Ducis vel Imperatoris fortiùs alacriuſque bellare: vulnera ſine dolore accipere: & mortem intrepidè oppetere: quando id ſpectaculum peregregium, & virtutis ſuæ conſpicuum theatrum eſſe ducit. Hinc illud Maronis:

——*urget præſentia Turni,*

*Idem lib. 7. tit. 2. pag. 429.*

Eſt Princeps in exercitu veluti numen quoddam: ex quo milites ſpiritus capere videntur fortes. Sed & Princeps præſens in rebus arduis diligentiùs negotia Reipublicæ veluti ſua, quàm abſens, proſpicit: & nemo eſt, qui detrectare audeat ejus imperium: cùm contrà, eo abſente, præfecti Duces, dum certant inter ſe, quis alteri jubere poſſit, in diſcrimina multa exercitum conijciant: alijs pugnandum, alijs ſubſiſtēdum eſſe, alijs obtemperandum eſſe, alijs minimè, pertinaciter aſſerentibus: quod in noſtris infelicibus bellis ſæpe accidit. *Petrus Gregorius Toloſanus lib. 11. de Repub. cap. 4. pag. 666.*

Hinc Principes paſtores nominantur: qui, cùm fideles ſunt, præcunt ovibus ſuis: & ἡγεμόνες, id eſt, Duces ſtrenui, qui in acie præcunt exercitui ſuo: ut ille ait: Ducis honeſti eſſe, acclamare militibus, huc huc me ſequimini: non, iſtuc iſtuc accedite. *Pezelius in Geneſ. cap. 33. pag. 632.*

## EXEMPLA.

I. Bartholdi quondam Grimbergenſium Dynaſtæ, ut in Brabantinorum annalibus commemoratur, cùm multis annis graviſſima cum Brabantinis bella gererent, in omnib. ſuperiores fuerunt: quam diu Barbati filio mortuo Brabantini Ducem non habuerunt: quem videre, quo cum colloqui, cui in bello poſſent latus claudere. Dux enim in cunis adhuc infans vagiebat. Incredibile dictu eſt, quàm parva ſæpè manu Bartholdi hoſtem fuderint. Prudentiores tandem inter Brabantinos, & longo rerum

usu exercitatiores, cùm rem penitiùs introspicerent: animadverterunt, non aliunde hostibus tantas victorias, sibi verò tot clades accidisse: quàm quod illi Ducis sui præsentia in omni expeditione uterentur: qua sui destituebantur. Consultissimum itaq; visum fuit, Ducem infantem in castra deportari, & in conspectu pugnantium constitui. Argenteæ fiunt cunæ, auro, gemmis, & pretiosis distinctæ: in ijs Godefridi Barbati ex filio nepos Godefridus imberbis collocatur: & insigni cum comitatu in castra deducitur. Dici non potest, quanta mox omnium animorum, viso Duce suo, creverit alacritas: gaudia lectum miscebantur: & certatim omnes vitam & fortunas suas pro salute Ducis devovebant. Mox ad arma prorumpunt: excusso metu omni hostem ultrò provocant: cantum ut. inq; clamorem Dux in cunis jacens inter duas arbores in conspectu totius exercitus suspenditur: concurritur, atrocissimè pugnatur. Alios jam sensêre, quam solent hostes Bartholdi; non jam in fuga Brabantinos, sed in armis spes: vincere aut mori omnibus statutum erat. Nec spes ista fraudati sunt. Trium namque dierum prælio, omni posteritati memorabili, Bartholdos vicerunt: eorumq; vires adeò contriverunt: ut manus dare coacti nunquam in posterum rebellaverint. Tanta potuit unius infantis, sed Principis legitimi præsentia. *Idem Lansonius ut suprà.*

II. Id fecit Cæsar ipse adversus Morinos: deinde adversus Pompeij liberos: cùm de vita dimicaret.

III. Quòd item Eduardus IIII. Rex Anglorum novies ex prælio victoriam reportavit: hoc ideo ei contigisse putant: quòd exercitui semper imperaret: ac pedes cum hoste manus consereret.

IIII. Cùm Eumenes Imperator ægrotaret: exercitus pugnam detrectavit: ni lectica advecheretur in campum: ut ejus auspicijs ac ductu prælium iniret. *Bodinus ut suprà.*

V. Philippus Prisci Macedonum Rex, qui ex magnis atavis Alexandri fuit, immatura morte discedens Europum vix anniculum filium unicum, quem habebat, regni successorem reliquit. Illyrici verò populi, eo tempore ferocissimi, in re bellica usi, contempta infantis Regis ætate, Macedonas bello aggrediuntur: quos primo prælio superatos, compluribus cæsis, in fugam convertunt. Atqui cùm anxio animo, quid agerent, Macedones essent: moniti fuerunt à peritis rerum divinarum, eos idcirco succumbere: quoniam Regis auspicijs caterent. Tunc verò instaurato bello Regem suum pusillum (ut erat) inter arma statuerunt: & conserto rursus prælio, quasi regio ductu, magna virtute ac felicitate pugnam ineunt: & Illyricos, plurima strage edita, in turpem fugam convertunt: & qui modo victi de propriis mœnibus tuendis cogitabant: victores magna cum gloria evaserunt: planeq; docuerunt, Regem, non virtutē, eis in superiori prælio defuisse. *Patritius ut suprà.*

VI. Eodem exemplo Franci, qui pro Clotharrio alacriter & strenuè pugnarunt contra Childebertum, duorum regnorum Regem, victores extiterunt: cùm viderunt Clotharium adhuc in cunis, & ab uberibus matris Fredegundis pendentem, agmen & exercitum præcedere.

VII. Præsentia certè Principis Hectoris, Trojanorum fortissimi, multum profuit militibus. Nam suo adventu terga vertentes ad bellum contra Græcos incendit. *Tolosanus ut suprà.*

VIII. In bello, quod Antiochus & Ptolemæus inter sese gesserunt, dextrum Antiochi cornu vicit: lævum verò victum est. Phalanges utriusq; integræ permanebant,

dubiam.

dubiam de futuro spem habentes. Inter hæc Ptolemæus, fuga ad phalangem facta, cùm in medium venisset: scq; militibus ostendisset: tantum suis animi, hostibus verò terroris addidit; ut qui cum Andromacho & Sosibio erant, abjectis repentè armis, fugæ se commiserint: & Ptolemæus in phalange victoria potitus fuerit. *Polyb. lib. 5. pag. 491.*

IX. Cùm Romani Carchedonem obsiderent; & scalas ad murum diligenter apponerent: Publius Scipio seipsum in discrimen tradit: facit autem hoc cautè. Habebat enim secum tres viros, scuta gestantes. Hi superimpositis scutis aspectum desuper a muro impediebant; ac sic tectum Publium communiebant. Hoc præsto ad latera & loca difficiliora subnixus, multum ad expugnandam civitatem contulit. Cùm enim simul quod fiebat cerneret: & ipse conspicuus esset omnibus militibus decertantibus: plurimum indidit alacritatis. Vnde & accidit; ut nihil, quod periculosum esset, omitteretur: sed quicquid illi occasio ad propositum ostendebat: id semper alacriter, sicuti conveniebat, unà cum alijs obibat. *Idem lib. 10. pag. 662.*

X. In historia Tripartita Ecclesiastica *part. 3. lib. 3. cap. 8. pag. 672.* refertur de quodam Britannorum Rege: qui anno CHRISTI 467. in prælio contra Saxones, cùm videret suorum aciem inclinatam, & victoriam ad hostes propendere: ipse, licet ægrotus & ferè semimortuus, lectica in locum pugnæ se deferri jussit; quod quidē ipsius factum hostibus fuit risui & ludibrio: quòd nimirum etiam semimortuus in pugnam descenderet: suis verò animum addidit: ut majori virtute & alacritate pugnarent: & cæsis hostium Ducibus, victoria insigni potirentur. Lætus ob hos successus Rex, quasi jam pristinam recuperasset valetudinem, erigens se, dixisse fertur: Isti Ambiones me semimortuum putarunt: sed malo semimortuus vincere: quàm bene & rectè valens vinci: præstat enim honestè mori; quàm cum dedecore vivere.

# CCCCXXV.

*IMperatoris citra controversiam militaris & periti, vel unius præsentia ac sententia, centum Ducum, imperitorum, judicio & strepitui præstat. Danæus in Aphoris. polit. pag. 103.*

## EXEMPLVM.

Talis fuit Xanthippus Lacedæmonius, vir rei militaris peritissimus, & in bello non mediocriter exercitatus. Is audito Carthaginensiū infelici cum Romanis conflictu, & quemadmodum, quové loco aut tempore accidisset, cognito: considerato præterea Carthaginensium apparatu, equitumq; atq; elephantorum multitudine: confestim subducta ratione, ad amicos conversus, Minimè, inquit, hanc à Romanis cladē acceperunt Carthaginenses; verùm ipsi à seipsis, ob suorum Ducum imperitiam. Ea voce statim per universam urbem, ac Principes civitatis sparsa: Carthaginenses vo-

care virum, atq; ejus sententiam experiri decreverunt. Cùm igitur ad eos veniſſet Xanthippus: rationem rerum à ſe dictarum ante oculos poſuit: cauſam cladis, quam à Romanis acceperant, oſtendit: ſi ſibi audire vellent, & relictis montibus, deinceps per loca æqua graſſari, illicq; locare caſtra, atque acies ſtruere, ſe eos doctūrū: quo pacto & res eorum in tuto eſſe, & hoſtes facilè ſuperari queant. His Xanthippi verbis permoti Carthaginenſium Duces, confeſtim omnem totius rei bellicæ ſummam in ejus manibus ponunt. Erat jam ob hanc Xanthippi vocem per omnem exercitum coortus rumor, & quidam in ore omnium ſpe atque lætitia plenus ſermo: ubi verò eductis ex urbe copijs, per ordinem cuncta diſpoſuit: & partes aciei movere, deque faciendis mandata dare cepit: tanta inter ipſum atque ſuperiores Duces, qui rei militaris rudes atque imperiti fuerant, differentia apparuit: ut mox omnis multitudo clamore indicaverit: nihil ſe magis, quàm prælium, cupere: adeò nihil mali pati ſe poſſe exiſtimabant, Duce Xanthippo. His ita geſtis, Carthaginenſium Duces, cognito militum ardore, ac cohortati pro tempore animos, paucis interjectis diebus, adverſus hoſtem copias eduxêre. Vicerunt autem Carthaginenſes, Duce Xanthippo, Romanos: & ipſum etiam M. Attilium Regulum vivum ceperunt. Atque ita unus homo, atque una ſententia, multitudinem, quæ antea invicta ſemper atque inſuperabilis fuerat, vicit ſuperavitque: ac profligatam urbem, & collapſos tot virorum animos inſtauravit atque erexit. *Vide Polyb. lib. 1. pag. 51. 52. 53.*

# CCCCXXVI.

*Sæpe unius fortitudo in bellis ſalutaris eſt toti exercitui.*

## EXEMPLA.

I. P. Decius Murena, Tribunus militum, inducto ab A. Cornelio incautè in cavam vallem exercitu, circaque infeſtam ab hoſte, cùm omnia metus plena, ipſumque Conſulem conſternatum cerneret: ductis ſecum legionis unius haſtatis, evadens in cacumen hoſti imminens, paventibus re inopinata Samnitibus, ſpacio Conſuli ad ſubducendum agmen in æquiorem locum dato, ſuæ exercitum virtute ſervavit. Neque hoc facto contentus, Macti virtute, inquit, milites eſtote, qui alios ſervaſtis, voſmetipſos ſervate, digni, qui quòd pauci pluribus ſalutem peperiſtis, nullius ope indigeatis: ne fame ac ſiti moriendum hic ſit: ferro viam aperiamus. Quid cùm hoſtium caſtra vi perrupiſſent, victoresque Conſulis caſtris appropinquarent? Quando, inquit, milites, veſtrum hoc factum omnis poſteritas laudibus feret: lucem expectemus. Neque enim civium ſervatores, hoſtium victores, tantis è periculis reduces, tenebræ ac ſilentium decent. Luce ac die opus eſt. Ingreſſus igitur caſtra triumphanti

similis non expectavit, ut moris erat, à Consule concionem jam habente laudari: sed confirmato ad hostem invadendum Consule, Samnites sua maximè opera fusos, cæsosq; & castris exutos reddidit.

II. Corvinus Consul cùm in ancipiti esse loco rem cerneret: Agite dum, milites, ut me in hostem invectum, ut ferro viam sternentem videritis: sic pro se quisque operam nivate: statim omnia, quà maximè stat acies, patefacta cernetis. Quo dicto, ipse primus in hostem illatus, cum quo gradum contulerat, statim obtruncat. Quæ re accensis militibus, ac renovato prælio, in fugam sese dedêre. *Iohan. Iovian. Pontanus lib. 1. de Fortitud. pag. 71.*

# CCCCXXVII.

*TEmeritas in milite seu Duce, quantumvis strenuo & robusto, frequens tandem eum ipsum perdit. L. Danæus in Aphor. pol. pag. 128.*

## EXEMPLVM.

Demetrius Illyriorum Rex temerè movens bellum contra Romanos, hinc Gallorum, illinc Carthaginensium terrore perculsos, insigni prælio vincitur: fuga tamen salvus evadit. Profectusque ad Philippum Macedoniæ Regem, reliquum ætatis suæ apud eum egit: vir alioquin audax & robustus: sed temerè ac parùm considerate in rebus bellicis se gerens. Quapropter exitum quoque talem habuit: qualis anteacta ejus vita fuerat. Nam cùm ex sententia Philippi Messeniorum urbem oppugnare cepisset: nimia audacia profusus, turpissimè ab hostibus interfectus est. *Vide Polyb. lib. 3. pag. 212. 213. 214. 215. 216.*

# CCCCXXVIII.

*DVcis ipsius continentia reliquos milites in officio continet. Danæus in Aphoris. polit. pag. 177.*

EXEM-

## EXEMPLVM.

Cùm ex captivis mulieribus uxor Mandonij, qui frater erat Andobali, Regis Lechetarum, coram Scipione procidisset: & obortis lacrymis peteret: dignaretur meliorem honestatis ipsius gerere curam: quàm Carchedonij fecissent: compassione motus percontatur: quanam in re necessarijs destitueretur. Erat enim mulier natu grandior: & speciem habens primariæ alicujus dignitatis. Illa tacente, vocat eos: quibus mulierum erat cura commissa. His comparentibus, & affirmantibus, quòd Carchedonij mulieribus cuncta competentia largiter procurassent: rursus illa genua ipsius contingens, eadem verba repetit. Publius eam magis considerans, ac cogitans, quòd ij, quibus illa cura concredita fuerat, tanquam negligentes, & in præsenti mendaces apparerent, bono animo jubet esse mulieres: curaturum enim se: ut alij procuratores constituantur: ne quid ipsis rerum necessariarum desit. Illa parumper sese cohibens, Non rectè, inquit, ô Dux, verba nostra accipis: si nos jam opem tuam ventris gratia implorare putas. Tum Publius mulieris animum intelligens, & in facie vigorem filiarum Adobuli, ac plurimi aliorum potentium observans, cogitur ad illacrymandum: quòd ea mulier paucis efficaciam calamitatis ostenderet. Quocirca cùm manifestum esset: quòd mulieris dictum intelligeret: apprehensa illius dextera, hortatur eam & alias consimiles esse animo bono: pollicetur ijs, habiturum se illarum rationẽ perinde ac sororum & liberorum: ac viros fideles, juxta promissum, ordinaturum: qui curam ipsarum gererent. Postea omnem pecuniam quæstoribus tradit: quæ in publico Carchedoniorum ærario fuerat reperta. Erat autem illa supra sexcenta talenta: sic ut propositis illis, & quidi ingentis reliquis, quæ is, qui ex Roma aderat, habebit, universa suppeditationis hujus summa millenarium numerum excederet. Per id autem temporis, adolescentes quidam Romani virginem nacti, ætatis flore & corporis venustate reliquas mulieres excellentem, cùm Publium mulieribus delectari sciant: veniunt illam ad eum ducentes: & cùm eam sisterent: dono se illi puellam dare dicunt. Ille obstupefactus, & venustatem admiratus, Si quidem privatus, inquit, essem: nullo alio dono impensiùs delectarer: jam verò quia Dux sum, nullo minùs afficior: illud, ut mihi videtur, hac responsione innuens: quòd quietis ac desidiei tempore jucundus sit ac delectabilis juvenibus talium usus: ubi verò negocia urgent: maxima impedimenta & corporibus & animis ex eo, his qui utuntur, gignantur. Adolescentibus itaq; ajebat, se habere gratiam. Vocato autem virginis parente, reddit eam illi: jubetq; ut matrimonio civi alicui pro suo arbitrio eam jungat. Hoc itaq; pacto cùm animum ostendisset & continentem & moderatum: admodum factus est suoditis acceptus. *Polyb lib. 10. pag. 669. 670.*

## CCCCXXIX.

*INtestinæ dissensiones, & detrectatio disciplinæ militaris, faciunt nobis hostes nostros superiores.*

EXEM-

# EXEMPLA.

I. Othmanidarum Sultanus Murathes, collectis & evocatis undiq; magnis copijs, totius orbis Christiani imperium certò jam sibi pollicebatur. Augebant hanc spem multa incommoda, quibus Christianorum res affligebantur: ut *Principum, regnorum, rerumq; publicarum inter se dissidia: pecuniarum, annonæq; penuria: militaris disciplina vel nulla vel exigua: quotidianæ deprecationes non hostium tantùm, sed & amicorum: vita impura, & similia: quæ ubi non sunt, ibi res parvæ crescere, ubi sunt, maximæ ferè dilabi consueverunt.* Neq; enim ignorare poterat Murathes, quid olim à quodam suorum decessorum responsum est suis Senatoribus: quibus, cùm dissuaderent, ne bello Christianos, maximè verò Germanos lacesseret, Non se timere, ait, Christianos, idque multas ob causas: & quidem primò, quia semper inter eos essent odia, lites & contentiones: citiusq; digitos suos æquales fore: quam inter ipsos pax esset atq; concordia. Secundò, quia laborum, molestiarumque belli minùs essent patientes. Tertiò, quòd plerique, & præsertim Germani, noctes atq; dies helluarentur: abdominique suo potiùs, quàm laudi & gloriæ nati viderentur. Quartò, quia nunquam non ingentem scortorum & meretricum numerum secum ad bellum profecturi educerent, quibus in castris fruerentur. Quintò, quia Chiliarchæ, Tribuni militares, Centuriones, cæteriq; Præfecti bellici plumis, mollibusq; pulvinaribus & lectis indormirent. Sextò, quòd disciplinam militarem non observarent: justitiam nec in toga, nec in armis colerent: rectè facta nullis præmijs decorarent: uti nec peccata dignis supplicijs coërcerent. Superbum sanè Tyranni responsum: sed, eheu, nimis verum. Etsi enim non eadem semper vel apud Turcas, vel apud Christianos sit militaris disciplinæ facies: sed ab utriisq; non rarò graviter peccetur: ut plurimum tamen majores sunt apud nostros, quàm apud illos defectus: præsertim in prædis agendis, provincijs desolandis, spoliandis & depopulandis: ubi nostri nec amicorum, nec inimicorum habent rationem: sed obvia quæq; rapiunt: spoliantq; non eos tantùm, qui hostes sunt & Barbari: sed qui subditi, amici & Christiani: imò ne ipsi annonæ, commeatusque advectores in castris semper à spolijs sunt immunes. Apud Turcas alia disciplinæ est forma. Seidlitzius Nobilis, intercessione Legati Gallici è captivitate Turcica dimissus, in suo itinerario asserit: se vidisse in castris Turcicis, quòd si quis ovum aut caseum rapuisset, confestim delatus morti addicebatur: omnia namque præsenti pecunia ut emerent, gravi edicto cautum erat. Sed & corycæi erant constituti: qui observarent, si quis vineam alterius læderet: aut pomum ab arbore sine licentia Domini decerperet. In hujusmodi enim capitali mox animadvertebatur supplicio. Neutiquam enim ferunt, ut ruricolis aliquod damnum inferatur: ut agrum deserendi, & ab agricultura discedendi occasionem habeant. Præclarum hujus rei exemplum refert Simon Vignosius Ligur, classis Genuensis gubernator. Cùm Chios, inquit, à Turcis caperetur: interdictum est militibus: ne quis oppidanorum bona diriperet. Basiæ, illius expeditionis præfecti, filius, ad adolescens, autoritati & affectui paterno confidens, in vineam quandam vicinam conscendit: & uvas aliquot collectas secum in castra intulit. Re ad patrem delata, jussu illius filius comprehenditur: exutus

vestimentis, uvis ad collum suspensis, per urbem palàm circumducitur: virgisq; atrocissimè cæditur. Plura exempla in medium adferre supersedeo: ut de milite, cui ad accusationem mulieris, quòd hac ipsa invita ebiberat, stomachus cultro est apertus, inventoq; in eo lacte, trucidatus est: & alii, quæ abundè satis testantur, constantiorem & severiorem esse apud Barbaros, quàm apud Christianos disciplinam: cui errori tribuunt multi; quòd Turcæ Christianis in bello sunt feliciores: quodq; illorum imperium ex minimis initijs ad maxima pervenit incrementa: Christianorum verò res amplissimas & florentissimas ad summas redactas esse angustias. *Ionsonius in principio lib. 9. Mercurij Gallobelgici, pag. 226. Philip. Camerar. Centur. 2. Oper. succis. cap. 23. pag 130. 132. 133. ita disserit:* De re militari & disciplina multi scripserunt, & monuerunt viri in bellis periti & prudentes: cùm animadverterent, hoc unicum deesse Christianis auxilium contra hostes, præsertim Turcas: quibus, politico more loquendo, tam præclaras victorias, tam longè lateq; in Europa Imperiũ, non ipsorum multitudini & ferè innumerabilibus copijs ascribunt; sed multò magis obedientiæ, constantiæ in cœptis, perseverãtiæ in prælijs & obsidionib. frugalitati, concordiæ denijq; Quę omnia ex disciplina arcta, cui à teneris annis assuefiunt, proficiscuntur. De hac re audivi sæpiùs in comitijs Imperij Spirensibus Anno 1570. egregiũ illum heröem Lazarũ Svendium conquerentem, & differentem, quo pacto huic malo remediũ afferri posset. Discordia etiam Christianorum Principum Turcis adeò grata est: ut eam omnib. artibus & conatibus foveant: & neq; pecuniæ neq; laboribus parcant: ne illorum consilia & arma conjungantur. Omnium enim prudentiorum constans sententia est: si solummodo Germania (ut de reliquis Christianis Regibus & Principibus taceam) concors & unita esset: favente DEO, ei sufficere milites, opes, instrumenta bellica, annonam, & alias res necessarias ad Turcicam potentiam reprimendã, & eos ex Europa deturbandos. Sed hoc potiùs optandum, quam sperandum est, multis obstaculis tam salutiferum opus impedientibus. Turcis hanc dissensionem notissimam & jucundissimam esse, ex oratione Bessarionis Niceni abundè patet. Referam, inquit (quamvis nota sit vulgo) fabellam: qua nuper usus dicitur Mahometes: cùm ex suis quidam dissuadere ei bellum adversus Christianos conaretur. Nam cùm ille formidandum esse diceret: ne Christiani, bello irritati, tandem in unum convenirent; bellumq; adversus eum communi consilio & ope gererent: arridens, meminisse, Tyrannus respondit, illius fabulæ convenit. Cùm lupi aliquando magnam canum multitudinẽ adventare adversus se fortè intellexissent: ingensq; propterea terror eos occupasset: unus ex ijs, qui inter eos senior erat, in propinquum montem profectus, cacumen ejus, ut canum specularetur adventum, conscendit. Verùm cùm eos multos quidem, sed diversorũ colorũ esse, conspexisset: lætus gestiensq; ad suos reversus, Bono, inquit, esto animo. Tanta enim est in hostib, nostris colorum, morum, studiorumq; diversitas: ut consentire unà ac conspirare in aliquẽ simul omnes non possint: singulos verò, si venerint, absorbere sine difficultate poterimus. Eosdem cogitationes habuit Imbraimus, interpres Turcici Imperatoris, qui cum Busbequio Francofurti in electione Maximiliani II. Cæsaris, legatus adfuit. Cùm enim illi tres Principes præcipui, Saxo, Bavarus & Iuliacensis, antecedentes in equis Ferdinandum & Maximilianum Cæsares, demonstrarentur: & admoneretur, unumquenq; ex illis proprijs opibus & viribus esse tam potentẽ: ut justum exercitum contra Turcas colligere & ducere posset: alios q; plures esse similes illis in Germania: quid existimaret fore, si conjunctis viribus Imperatorem Turcicũ

aggre-

aggrederentur? subrisisse illum ferunt & dixisse: se facile ex numero eorum, quos præsentes videret, colligere posse, & absentium potentiam, adeoq; vires Germaniæ esse immensas: sed sibi videri Germanorum animos similes esse belluæ multorum capitum, & plurium caudarum: quæ agitata sepem transire conaretur: unde cùm capita diversa, diversa foramina tranleundi quærerent: necessarium fore, ut simul & corpus & caudæ immotæ manerent; & ne progrederentur ulteriùs impedirentur. Imperatorem verò suum se comparare belluæ unicipiti: quæ plures caudis haberet: ita ut si caput per unicum transitum penetraret: necessariò & corpus & caudæ unà absq; omni impedimento cogerentur sequi. Per hanc similitudinem, sanè non insulsam, nihil aliud innuere voluit; quàm dissensionem animorum, & distractionem virium Christianorum; e contra concordiam & potentiam unitam Turcarum. Turcæ sane semetipsos nominare consueverunt Islamos, hoc est, unanimes, & inter se pacificos. Deumq; precari non cessant: ut inter se discordes perpetuò Gallos (ita enim Christianos, veluti gentiles aut paganos nominare solent) esse velit. Turcas præterea nihil magis terret: quàm concordia & constantia. Cæterùm Turcas in servanda disciplina militari (licet ea laxior esse ceperit: quàm superioribus annis fuit) reliquas nationes excellere, non obscurum, imò notissimum, cum nostro magno damno & malo, est. Ita enim ex Renato Lusignano refert Hippolytus de Collibus, vir præstantissimus, in suo Principe: Turcæ, inquit, hoc tempore, in servando ordine disciplinaq; militari cunctas nationes antecellere dicuntur. Tanta enim severitate & justitia eam exercent: ut veteres quoque Græcos Romanosque superare putentur. Nulla unquam pugna inter eos exauditur. Nam vel minimum delictum capite vindicatur. Promptè obediunt imperantibus: ita ut nullum, quamvis manifestum, vitæ discrimen subterfugiant; sine tumultu & clamore in castris versantur: & quamvis semper ibi maxima sit frequentia; silentium perpetuum & stupendum observant. Manus minima significatione & nutibus reguntur: profunda tranant flumina: abruptos superant montes: vigiliæ inediæq; tolerantissimi: nec unam quidem mulierem in castris habent; in expeditione nemini infensi; ideo agricolæ ad eorum aspectum nequaquam pavent; tantum abest, ut operas aut domos deserant: cùm nullum damnum, nullam vim reformident.

II. Tacitus de Britannis ita scribit: Olim Regibus parebant: nunc per principes factionis & studijs trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius: quam quòd in commune non consulunt. Ratus duabus tribusq; civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. Ita dum singuli pugnant; universi vincuntur.

III. Cum quibus extremis verbis epiphonematicis plane congruit, quod de Græcis pronunciat Iustinus historicus: Græciæ civitates dum imperare singulæ cupiunt: imperium omnes perdiderunt.

IIII. Observavit eadem de Germanis, ante centum & plures annos, Laonicus Chalcondylas: Germanos, inquit, si concordiæ studiosi essent, & sub uno degerent Principe, planè esse invictos, mortaliumq; fortissimos.

V. Sumptum est hoc, ut puto, ex Herodoto, qui de Thracibus eadem scribit: & addit: sed quia id arduum illis est, & nulla ratione contingere potest; imbecilles sunt. *Philip. Camer. ibid.*

## CCCCXXX.

*INduciarum tempore hostes in urbes admissi, prætextu emendi commeatus, aut aliarum rerum, sæpe facili modo eas occupant. Vide Danæum in Aphorism. polit. pag. 158.*

### EXEMPLVM.

Sic Selgensium urbs est amissa. Cùm enim cum hostibus, qui eam obsederant, inducias fecissent: & inter hæc in sermonem frequenter invicem convenirent: paulatim quasi consuetudine factum est: ut milites commeatus gratia liberè in urbem proficiscerentur: *quæ res multis sæpenumero internecionis causa fuit.* Quot enim cæterà, quot munimenta, quot arces, quot & quales civitates per hunc modum in manus hostium devenêre? *Vide Polyb. l. 5. pag.* 482. 483. 484.

## CCCCXXXI.

*COllocutiones, quæ tempore induciarum fiunt inter hostiles exercitus, non vacant periculo: & ei præsertim, cujus infirmiores videtur esse partes, magnum sæpè detrimentum afferunt. Sic enim inter homines comparatũ est: ut & augescere cupiant, & sua tueri: eoq; facilè fit: ut sese potentioribus adjungant: & cùm in Principem liberalem incidunt, idoneumq; comparandis hominum gratiis: levi momento traducuntur aliò.* Pacis igitur tractatio prudentibus atque fidis hominibus est committenda: eos à legatione reversos, sepa-

ratim

ratim audiat Princeps, ac solus: ne si minùs jucunda renuncient: pavorem ea res atq; metum multitudini inferat. Sunt enim omnes cupidi rerum novarum: & non desunt, qui cùm familiariter nôrint legatos: audent sibi polliceri: fore, ut omnia rescisc ant. Verùm si judicio præditi sint illi: cavebunt modis omnibus, ne quid efferant: quod vel alienationem animis, vel trepidationem excitare possit. Hoc ideo mihi dicendum fuit: quòd Principes non rarò circumveniri à suis sciam in ejusmodi actionibus: illos præsertim, qui præ fastu & arrogantia, quæ sit aliorũ sententia, non auscultant. Nam qui se demittunt: ac libenter aliorum judicia cognoscunt: ij minùs falluntur. *Philip. Cominæus de reb. gest. Lud. & Car. lib. 1. pag. 35. & lib. 2. pag. 43.*

## EXEMPLVM.

Dum inter Ludovicum XI. Regem Galliarum, & Carolum Burgundum, tempore induciarum de pace agitur: & utrinq; mittuntur nuncij: inita fuerunt à quibusdam clandestina consilia, de Biturige in Normanniam recipiendo: & eò tandem deducta res fuit: ut ejus ditionis præfecti uxor, vidua, & simul nobiles aliquot, Borbonio, tam arcis, quàm urbis Rothomagi possessionem traderent: quò Biturigi bona fide restitueret. *Idem lib. 2. pag. 44.*

# CCCCXXXII.

*NOn est consultum, ut Reges in collocutionem ipsi veniant.*

*Sanè minùs prudenter faciunt Principes: cùm alterius potestati se permittunt, præsertim intercedente bello.* Maximum itaque momentum adfert historiarum cognitio, juvenilibus annis percepta. Nam extant in ijs pulcherrimæ picturæ: quæ clarè demonstrant, quàm *multa perfidè sæpè, & insidiosè fiant in ejusmodi collocutionibus: & in quantas acerbitates aliquando*

*conjecti sint multi: eò quòd suis adversariis nimiam habuissent fidem.* Verum quidem est, non omnes perfidiosè agere: sed unius calamitate complurès fieri possunt cautiores. Quantum enim longo rerum usu potui cognoscere: qui jam per annos duodeviginti versatus sum in maximis Regum negociis: equidem sic arbitror: quemadmodum & vitæ diuturnitate, & robore corporis, multò sumus inferiores priscis illis hominibus: ita quoque ab ipsorum fide & integritate permultùm nos degenerasse. Vix enim est: ut providere sibi aliquis diligenter satis possit: quò minus fallatur: & quò sunt potentiores Principes: eò major est insidiis & improbitati locus. Nam & sua quadam sponte illi eò propendent: ut quod libet, licere sibi putent: & qui sunt circum ipsos: quoniam aucupandæ modò gratiæ sunt intenti: planè serviunt illorum cupiditatibus: & si quis ad meliorē frugem aliquando hortetur: magnas tempestates excitant. *Philip. Cominæus in Comment. de reb. gest. Lud. & Car. lib. 3 pag. 74.*

*Imprudenter faciunt Principes, æquali potentia præditi: quòd in collocutionem ipsi descendunt: nisi fortè ea sint ætate: ut præter jocos & ludum nihil spectent aliud. Nam posteaquam grandiores evaserunt: & æmulatio aliqua cepit inter ipsos oriri, quod ferè fit: non est consultum, ut ipsi congrediantur: ac longè præstat, ut controversias, & quicquid est negociorum, curent per legatos, viros bonos atq; prudentes, componi.* *Idem lib. eod. pag. 79.*

*Sic existimo, debere Principes à congressibus abstinere: modò salvam esse velint & integrā amicitiam.*

Fieri

Fieri enim non potest: quin ipsorum familiares de rebus anteactis loquantur, non absque molestia, & fremitu alterius partis. Alij sunt aliis elegantiùs vestiti: nascitur ex eo ludibrium & jocus. Atq; ita fieri necesse est, præsertim inter eos: qui lingua & sermone & moribus differunt. Et ipsis quoque Principibus alij aliis sunt decentiores, & aspectu magis honesto. Iis jucundum est prædicari à multis: neque id fieri potest absque alterius, qui deformior est, vituperatione. Dimisso conventu, passim ab omnibus ista jactantur: initiò quidem tacitè & submissè: postea verò palàm & clarè. Nihil enim propemodum est ita secretum: quod non efferatur aliquando. *Idem pag. 82.*

Si tamen Principes acie instructa pacti fuerint inducias: ut simul ad alloquendum veniant: exarmatos esse oportet: ne is qui clàm pugione sicave armatus sit, hostem eadem fraude, qua Iphicrates Athenienſis Iasonem tyrannum, aut Mithridates Armeniorum Principem sororis filium, trucidet: aut si alius alio copiis & exercitu multo instructior sit: potentior infimo cavere debet obsidibus aut arce data. Sic Perseus cùm Quintum Marcium Philippum legatum Romanorum convenire cuperet: & flumen utriusq; imperij finitimum transmittere vellet: Marcius obsides sibi dari petiit, si comites plures tribus secum deduceret: Perseus amicissimos obsides dedit, Marcius nullos: quia nec exercitum nec copias ullas haberet. *Ioh. Bodin. lib. 5. de Repub. cap. 6. pag. 940.*

Non immeritò rectissimè dictum est: *periculosum esse congressum Principum*. Vix enim ab invicem recedunt, sine aliqua æmulatione, invidia aut indignatione: quia nesciunt se compati, se putant contemni, aut contemnunt. *Petr. Gregor. Tolos. lib. 4. de Rep. cap. 10. pag. 225.*

EXEM-

# EXEMPLA.

I. Quoniam multo rerum usu compertum istud habeo: non gravabor, quid viderim ipse, commemorare. Inter Ludovicum XI. Galliarum Regem & Carolum Burgundum ita convenit: ut mutuis collocutionibus de pace inter ipsos sancienda consilia agitarent. Carolus, qui tum erat Peronæ, initiò non admodum huc inclinabat: eò quòd Leodienses darent non obscuram significationem rebellionis, incitati à Regis legatis. Id cùm quoquo modo excusaretur declinareturque: assensit tandem Carolus: ut Rex, quoniam ita vellet, Peronam veniret: simul fidem dat, ut id ei tutò liceat. Rex igitur ad constitutum locum venit, parvo comitatu, secutus fidem Caroli: cui totum se permisit. Erant cum eo Borbonius, & ejus frater Cardinalis, & alter Baluensis, & Connestablius: qui collocutionem hanc ægrè tulit. Adventanti Regi Carolus obviam progreditur: & hospitium præbet apud Quæstorem oppidi: eò quod arx angustior erat & ruinosa. Facile quidem est & proclive: ut inter potentes Principes bellum excusetur; sed ob diversitatem rerum, quæ incidunt, vix magna difficultate componitur. Nocere enim quisque studet adversario suo, quantum potest: & celeres plerumque sunt in ejusmodi rebus animorum motus: qui posteaquam semel in actionem transierunt: sisti non possunt aut revocari. Quod ipsum Regi videmus & Carolo evenisse; qui cùm subitò, & contra plurimorum expectationem, in colloquium venirent: suis legatis, quos alò miserant, nihil ejus rei significaverant. Carolus enim è Burgundia copias evocaverat: in ijsq; nobiles aliquot erant Sabaudi, infestiores Regi: quòd ab eo fuissent aliquando in carcerem conjecti. Et quo tempore Peronam Rex venit: isti etiam aderant: Burgundiæ verò Marescallus, quòd & ipse Regem valde oderat, extra oppidum sese continuit cum suis cohortibus. Ea re nunciata, Rex orat Carolum: ut sibi liceret in arcem divertere: quò periculum vitaret. Carolus, confirmato ejus animo, libenter morem gerit. Ad colloquium posteaquam ventum est: & aliquò usque facta esset progressio: gravis est allatus & intempestivus nuncius è Leodiorum finibus. Nam cùm Peronam Rex iret: de suis legatis, quos Leodium miserat, seditionis excitandæ causa, non cogitabat: & hi quidem mandatum sibi munus diligenter obibant. Instigati enim ab ipsis Leodij, Tongrorum urbem, in qua tum erat Episcopus, & Imbercortus, & circiter duo hominum millia, ex insidijs capiunt: familiares aliquot Episcopi trucidant: ipsum & Imbercortum captivos abducunt. Inter eundum Imbercortus pactscitur cum nobili quodam viro: in cujus fidem & potestatem receptus, multitudinis insaniam evasit: quæ tanta fuit: ut inter alios Ecclesiastici ordinis viros & Canonicos, Robertum quendam, Episcopi necessarium, membratim conscinderent: & per ludibrium deinde frusta conjicerent alter in alterius caput: breviter, quò longius progrediebantur: eò magis increduit ipsorum furor. Certiores autem facti de collocutione Principum, Burgundionibus aliquot captivis dimissis, præferebant: quicquid ejus rei fecissent: adversus Episcopum modò fecisse: quem & vinctum abducebant Leodium. Captus Tongris, plerique omnes profugerant: ij quacunque transibant, magnam excitarunt trepidationem, ita quidem: ut ad Carolum illico perferretur nuncius. Dicebant alij, trucidatos esse omnes: alij contrà: & multi simul nunciabant: ex ijsque non pauci spectaverant cædem illam Canonicorum: & credebant in eorum numero fuisse & Episcopum & Imbercortum. De Regis

quoque

quoque legatis affirmabant, se vidisse illos: & qui essent, nominatim dicebant. Ea re Carolus vehementissimè fuit commotus, confirmans Regem insidiosè agere. Iubet igitur claudi portas, tam oppidi, quàm arcis, in qua Rex erat. Interea spargebatur rumor, amissam esse pyxidem cum gemmis, alijsque rebus pretiosis. Rex in angustijs positus, valde sibi metuit: præsertim, cùm inspiceret turrim cubiculo suo vicinam: in qua Veromanduorum Comes aliquando necavit quendam Galliæ Regem. Clausis portis, Carolus, remotis omnibus, ad paucos, qui cum ipso eramus cubicularij, conversus, invitum se ac contra voluntatem suam ad eam collocutionem descendisse dicebat: Regem mala fide secum agere: eoque sui prodendi causa venisse. Et cùm deinde, quod apud Leodios acciderat, ordine recitaret: ita fuit exacerbatus: ut graviter interminaretur: nec; dubito, quin atrociter aliquid fuerit facturus in Regem; nisi eorum, quibus loquebatur, oratione fuisset mitigatus. A nobis transiit ad alios; & inter paucas admodum horas ita fuit divulgata res: ut ad Regem deferretur: qui sanè in maximo erat metu. Sed & omnes judicio præditi, tristem aliquem verebantur exitum: & simul videbant, quàm sit difficile, pacificare tam potentes Principes: & quàm inconsideratè ab utrisq; factum esset: quòd suos legatos, antequam ad collocutionem venirent, non revocassent. Interea dum Rex tenetur inclusus: Carolus abstinuit ab eius colloquio: & ex ipsius familiaribus, qui in aliquo essent numero, pauci ad eum accedebant. Erat in oppido magnus admodum fremitus, primo quidem die: postridie fuit aliquantò mitior Carolus: totumque ferè diem & partem aliquam noctis consultabat. In eo rerum statu, Rex per suos necessarios solicitabat omnes: qui putabantur aliquid posse apud Carolum: in eosq; distribui jussit ad quindecim aureorum millia: sed qui huic rei præfectus erat, ejus pecuniæ partem aliquam fraudavit: quod postea compertum est. Rex inprimis metuebat illos, qui aderant ex Burgundia Sabaudiaq; nobiles: de quibus antea fumus locuti. Iam enim ipsius fratri, Normanniæ Duci, se addixisse profitebantur. Convocato concilio sententias Carolus exquirit. Pleriq; dicebant, Regi datam fidem esse servandam: præsertim, cùm ratas haberet pacis conditiones, scripto comprehensas. Erant sententiæ, quæ detinendum esse in carcere censerent; aliæ, quæ fratrem ipsius celeriter evocandum esse dicerent: ut, ipso præsente, pax constitueretur, planè ex usu omnium Principum Galliæ. Sic enim forevidebant: ut ei ponerentur arctiores custodiæ: nec ignorabant, si quidem duriùs ad hunc modum haberetur, difficilem ejus futuram esse liberationem. Ea sententia sic jactata fuit: ut viderim tabellarium: qui ad iter expeditus, Caroli tantùm literas expectabat. Sed commutatum fuit consilium istud. Rex interea, multis in medium adductis rationibus pacis, promittit dare obsides, Borbonium, ejusq; fratrem Cardinalem, & Connestablium, & alios complures: ac petit, ut facta pace, Compendium sibi redire liceat: daturum se operam, ut Leodienses ei de injuriis integrè satisfaciat; sin minùs, hostium numero se illos habiturum. Tandem tamen remissior factus Carolus, dicebat sibi satisfactum iri: primùm, si Rex jurejurando confirmaret pacem; deinde, si secum in Leodios proficisceretur: in eoq; bello sibi ferret opem, ad ulciscendam injuriam Episcopo, suo propinquo, ab ipsis illatam. Hæc narratio demonstrat: Principibus ipsis, intercedere bello, in collocutionem non esse descendendum, &c. *Idem Comines in fine lib. 2. & initio lib. 3.*

II. Idem Lucovicus, paulò postquam ad ipsum esset delatum Imperium: in collocutionem venit cum Henrico Rege Castiliæ: qui ad Fontem rapidum accessit

magno comitatu: venit etiam eò Regina Arragoniæ, cui cum Henrico his erat. Colloquio fuit delectus locus prope flumen: quod Galliam ab Hispaniis dividit. Bis modò colloquebantur: neque prolixè admodum; prorsus ex arbitrio Turbendensis Archiepiscopi: cujus apud Henricum erat summa autoritas. Ipsorum domestici famuli, qui Bitonæ habebant hospitium, primo statim aduentu inter se pugnarunt. Henricus erat deformior, & cultu corporis inuenusto: & ridebatur a Gallis. Ludouicus brevibus utebatur vestimentis, & adeò neglectis, ut nihil supra: pileum gestabat diversum ab aliis: & huic affixa erat imago plumbea. Hanc tenuitatem ridebant Hispani; & parsimoniæ tribuebant. Atq; ita quidem tunc discessum fuit, excitatis utrinque ludibrijs: & cùm antea fuisset inter utrosque constans amicitia: cepe.unt ab eo tempore clangvelce:e. Ejus, de qua dixi, litis & controversiæ Ludovicus Rex datus fuit arbiter: ac judicavit secundum Hispaniæ Regem. Id graviter admodum tulerunt Arragonij: qui tametsi ipsius opera deinde sunt usi adversum Barcinonenses: exortum est tamen postea bellum inter eos: quod annos tedecim duravit; & ne hoc quidem tempore satis est pacatum.

III. Carolus, cùm diu sollicitasset, in Trevirorum urbe, cum Friderico Cæsare, qui nunc rerum potitur, congressus est: atque ut opes potentiamque suam ostentaret, sumptuosissimus erat in omnibus. Agebantur ibi de variis rebus: & inter alia de matrimonio: quod posteri contraxerunt ipsorum liberi. Potè aliquot dierum colloquutionem, Cæsar illinc abiit, insalutato Carolo: eamq; rem secuta est animorum alienatio. Germani vituperabant luxum in Carolo, & genus dicendi paulò sublimius: Burgundiones contra tenuitatem Cæsaris & exiguum comitatum, & negligentiorem ornatum despiciebant: & eo usq; processit hæc æmulatio: ut adversus Carolū, quando Novesium obsedit, maximam Germanorum manum Cæsar adduceret.

IIII. Eduardus Angliæ Rex, apud Atrebates, per biduum fuit cum Carolo sororio suo. Diffidebant inter se ipsius familiares. Carolus, apud quem utriq; querebantur, in alteram factionem magis propendebat; eaque res auxit illis odium. Et quāquam Carolus ipsum juvabat milite, pecunia & navibus, ad recuperandum regnum: è quo profligatus tum erat à Comite Beruicensi: tamen ab eo congressu, malè senserunt & locuti sunt alter de altero.

V. Vidi, quo tempore Carolus Comitem Palatinum Rheni, per complures dies honorificè tractabat Bruxellæ. Burgundiones dicebant, Germanos esse sordidiores in rebus omnibus, ideo potissimùm: quòd ocreas conjicerent in lectos cubiculares, splendidè magnificèque paratos: & levius multò, quam antea, cùm nondum vidissent, de ipsis judicabant. Germanis autem displicebat luxus ille immodicus & ostentatio.

VI. Vidi, cùm Austriæ Dux Sigismundus ad Carolum venit: eique ditionem Pfirtensem, propinquam superiori Burgundiæ, oppignoravit, acceptis ab eo centum aureorum millibus: cùm ab Helvetijs illam defendere non posset. Erat inter hos magna & ingenij & morum dissimilitudo. Sigismundus tandem reconciliatus Helvetijs, adimit eam Carolo: neque precium reddidit.

VII. Præsens eram, & coràm spectavi, cùm Rex & Eduardus prope Piccenium oppidum, non procul ab Ambianis, convenirent. Abstinuerunt quidem à bello deinceps: atque etiam interjacebat mare: sed benevolentia nulla fuit inter eos: & quæ tum utrinque promittebant: magna ex parte violata fuerunt. *Hactenus Cominæus scriptor*

*gravissi-*

*grauissimus & sapientissimus in Commentarijs suis de rebus gestis Ludovici XI. & Caroli Burg. lib. 3. pag. 79. 80. 81. 82.*

VIII. Cùm Angli Rothomagum obsiderent: eò deducta res fuit: ut utrinq; data fide, Burgundus & filius Regis (Delphinum Galli vocant) qui postea dictus est Carolus, ejus nominis septimus, apud Monstrelum, viginti supra Lutetiam milliaribus oppidum, ad confluentem Sequanæ & Ionæ, in collocutionem venirent. Ibi tum Burgundus, in conspectu Delphini, ad quem transierat, fuit interemptus à quibusdam Aurelianæ Ducis familiaribus; quos ad colloquium Delphinus adduxerat. *Sleidanus in appendice ad Commentarios Cominæi, pag. 339. Vide Anti Mach. lib. 3. pag. 369*

IX. Carolus V. Imperator cùm in Gallias ad colloquium cum Francisco Rege proficisceretur: satis magnificè & regaliter à Rege exceptus est. Cùm autem Carolus discederet; & Franciscus ipse consequendi Ducatum Mediolanensem penitus excidisset: secuta est animorum alienatio. Neque multò pòst recruduerunt inter ipsos bella. *Vide Sleidanum.*

X. Anno 1518. cùm inter Christiernum Daniæ & Stenonem Sueciæ Reges bellum esset; inducias a Stenone Christiernus petivit. Et quia colloquium Stenonis familiare se expetere Christiernus ostendit: quòd inter se communicatis sententijs, omnium optimè de pacis conditionibus, utriq; parti æquis & tolerabilibus, conventuri essent: Steno, quantumvis dissuadentibus regni consiliarijs, fidem verbis regijs habere, ac egredi ad eum (tunc Stockholmiam obsidentem) salui passus literis & obsidibus acceptis, constituerat. Verùm cæteri proceres ac regni Senatores, nisi in urbe maneret Steno, se confestim de novo Gubernatore eligendo acturos, neque ipsum redeuntem intra mœnia recepturos esse, constanter affirmârunt. Quod cùm ad Regem delatum esset: ostendit, Pacis causa non gravatè semetipsum in urbem ad Gubernatorem & proceres Svecos venturum esse: si datis obsidibus idoneè ipsius securitati prospiciatur. Hæc etsi seriò a Rege agi, Senatores regni præsentes, vix credebant: tamen ne deesse suo loco tractationi de pace instituendæ viderentur: acceptis priùs de obsidũ securitate literis, sex præcipua ex nobilitate Suecica, quos ipse nominaverat, delectos, obsides ad Christiernum in classem mittunt: Gostavum Erici, qui divina providentia ad regni fastigium postea evectus est: Laurentium Siggonis, postea Marschalcum: Georgium Siggonis: Olaum Ryaing: Benedictum Nicolai & Hemmingum Gaddum. Hi simulatque navem regiam ascenderunt: ex obsidibus captivi facti sunt: & aspirante jam vèto velis exeuntibus, confestim in Daniam unà cum Rege deportati, & retenti sunt. Gostavus, Erico Banner equite Dano, arcis Kalloe in Iutia præfecto, in custodiam traditus, venandi facultate ipsi permissa, sequenti anno elapsus, mutato habitu Lubecam ultima Septembris pervenit. *Chytræus in Chronico Saxoniæ lib. 7. pag. 227.*

# CCCCXXXIII.

*PRincipis nimia familiaritas parit sui contemptũ. Quod Princeps per alium potest, non per se ipsum faciat.*

Principem, qui frequens in judiciis, in Senatu, coram populo esse volet: hunc ego sapientia Salomonem, prudentia Augustum, moderatione Aurelium æquare, aut rarissimè in publicum prodire, rariùs etiam jus dicere volo. Eoq; minùs, si ad eum spectandum conveniant peregrini: qui quæ minùs laudanda videbuntur, non modò in animi, sed etiam in ipsa corporis depravatione, aut non satis splendido cultu: quæq; à subditis excusari solent, turpia judicabunt: ac minima quæque apud exteros cum amplificatione vituperabunt. *Ioh. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 6. pag. 727.*

Cavebit Princeps, cùm ad Principis colloquium accesserit: quod quàm rarissimè fieri debet: ne quid in cultu corporis, ac multò minus in oratione ac gestu apparcat, quod vituperatione dignum videatur: quoniam *præsentia ferè semper minuit eam, quam quisq; de seipso excitavit opinionem ac famam*. *Idem pag. 728.*

## EXEMPLA.

I. De Claudio Imperatore, quo nullus in judicando ineptior, Tranquillus ita scribit: Alium negantem rem cognitionis, sed ordinarij juris esse: subitò causam apud se agere coëgit. Sed hoc tam inepte: ut quidam Græcis verbis, quæ ab omnibus ferè intelligebantur, stultum senem appellare pro tribunali non dubitaret: γραῦ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρός. Alius foro abeuntem supplantavit, ac humi prostravit. Eoq; tandem progressa est Imperatoris amentia: ut dormientis os ac vultum pueri domestici atramento deformarent ac fœdarent.

II. Rex Agesilaus sui fama ac rerum gestarum gloria Orientem impleverat: quem tamen Rex Aegyptius, cùm humi fusum, ac vilissimo Græcorum pallio indutum, corporis etiam statura pusillum & claudum intueretur, vehementer despexit.

III. Quod etiam Ludovico XI. Regi patrum memoria contigisse proditum est. Is enim ad fines regendos, & ad lites disceptandas, quæ Regi Castiliæ cum Rege Navarræ intercedebant, arbiter receptus risum & contemptum sui apud Hispanos excitavit: cùm hi splendido cultu non modò pueros, sed etiam equos aureis vestibus ac phaleris instratos deduxissent: Regem Francorum cultu vilissimo sordescere turpe ducebant. Nulla in eo dignitatis ornatus: nulla majestas: sed hominem Divorum peregrationibus devotum diceres cujus pileus imagunculis usque quaq; consutus: vestis squalida: totiusq; comitatus vilissima species: ac ni Regis exercitus in planicie apparuisset: nostros homines Hispanorum servos esse putares. Tandem Ludovicus, reputans hominum opinione laudabiles aut vituperatione dignos Principes judicari:

cùm

cùm intellexit Venetiarum Legatos magnifico apparatu ad se venire: regias vestes indutus, & ex sublimi sede conspicuus, regalem speciem illis ostentavit

IIII. Inde laudatur Tarquinius Priscus: quòd ex Hetruria fasces, trabeas, sellas curules, annulos, phaleras, paludamenta, prætextam, togas pictas, aureos currus ad triumphum, cæteraq; regalia decora advexisset: quibus majestas Principis conspicua eminerét. *Id. ibid.*

# CCCCXXXIIII.

*Ambitio, auri cupido, vel Venerea libido, sæpe impellunt Principes: ut extra sui territorij fines, periculosas insidiosasq;, ad alios, tanquam amicos, verùm hostes & insidiatores, profectiones temerè inconsulteque suscipiant.* L. *Danæus in Aphoris. polit. pag. 201.*

## EXEMPLVM.

Exemplum hujus Regulæ est Polycrates Samius: qui auri cupidine inescatus, & ab Oroëte, ut ad se veniret, persuasus, justas temeritatis & credulitatis suæ dedit pœnas. Etenim Oroëtes malè audiebat propter Polycratem: ideo ut animo suo vindictæ cupido gratificaretur: & Polycratem ad se attraheret: singularem comminiscitur astutiam. Cùm enim intellexisset, Polycratem multam concepisse spem Joniæ atq; insulis dominandi, & imperio maris potiundi: Oroëtes nuncium ad eum misit in hæc verba: Oroëtes Polycrati ita inquit: Audio te res excellentes agitare animo: sed proposito tem pecuniariam non suppetere. Quòd si ita feceris, ut ivadeo: prospexeris & tibi & saluti meæ. Nam Rex Cambyses, ut mihi pro comperto renunciatur, de me interficiendo cogitat. Nunc igitur meipsum recipito, atq; pecuniis, earum partem tibi habiturus: partem mihi permissurus; & ipsarum pecuniarum beneficio omni Græciæ imperaturus. De quibus si mihi fidem non habes: mittito quempiam tibi fidissimum, cui fidem faciam. Quo audito, Polycrates gavisus est: atq; ubi qui volebat. Majorem enim in modum pecuniam avebat. Mittit itaq; priùs quendam inspiciendam quendam e popularibus suis Mæandrium Mæandrij filium, scribam suum: qui non longo pòst hoc tempore ornatum conclavis Polycratis, spectatu dignum, templo Junonis omnem dicavit. Hunc Oroëtes cognito speculatorem esse circumspectum, ita sibi agendum putavit. Octo scrinia lapidibus implet, præterea admodum parvam partem circa ipsas oras, ac superficiem lapidum auro inducit: eaq; scrinia alligata in promptu habet. Quæ adveniens Mæandrius cùm inspexisset: Polycrati renunciavit. Enimverò ne illuc sese conferret: magnoperè dehortabantur tum oracula & amici: tum præcipuè somnium hoc: quod ejus filia viderat. Videbatur sibi patrem in aëre

sublimem esse: quia Iove quidem lavaretur: à Sole autem minime tangeretur. Hanc visionem conspicata, instabat omnino dissuadere patri: ne à patria proficisceretur ad Oroetem: quin etiam ad biremem eunti malè ominabatur. Cui cùm ille minitaretur: si sospes rediret: fore, ut hæc perdiu maneret virgo: ipsa, ut ita sibi contingeret, imprecata est. Malle enim se diutiùs virginem esse: quàm patre orbari. Polycrates omne consilium pro nihilo habens, ad Oroetem navigavit: cùm alios secum ducens: tum verò Democedem Calliphontis Crotoniensem medicum: qui eam artem apud suos præclarissimè omnium exercebat. Vbi Magnesiam pervenit Polycrates: tetra morte est affectus, indignaq; aut sua persona, aut suis cogitationibus. Nam neq; eorum, qui Syracusis Tyranni extiterunt, neq; aliorum Græciæ Tyrannorum ullus est magnificentia cum Polycrate comparandus. Eum Oroetes, quod indignum relatu est, cruci suffixit. Eorum verò, qui comitati illum fuerant, Samios quidem dimisit, jubens eos gratiam sibi habere, quòd liberi essent: hospites autem atq; servos jure captivitatis sibi vendicans, retinuit. Polycrates ergo suspensus, omnem filiæ visionem exolvit. Nam ab Iove quidem, cùm plueret, lavabatur: à Sole autem, exudante è membris abdomine, ungebatur. Hunc exitum habuerunt tot prospera Polycratis: quem vaticinatus ei fuerat Amasis Rex Aegyptius. *Herodot. lib. 3. pag.* 100. 101.

# CCCCXXXV.

*EXcubiarum negligentia, & nimia etiam obsidentis exercitus securitas, hostibus, & quidem obsessis, victoriam sæpe dedit. L. Danæus in Aphoris. polit. pag. 115.*

## EXEMPLVM.

Exemplo sunt Epirotæ, obsidentes Phœnicem. Cùm enim eis nunciaretur; Scerdilaidum cum quinq; millibus, Illyriorum pedestri itinere per angusta Antigoniæ loca advenire: exercitum dividunt: partem in Antigoniam, servatum ea loca, transmittunt: reliqui ibidem ociosi ac negligentes permanent: & quæ in ea regione erant, securè consumunt: eósq;, qui in præsidijs & excubijs erant, contemnunt. Illyrij, qui erant in civitate, cognita & divisione exercitus, & negligentia hostium, intempesta nocte urbem exeunt: ponti tabulas imponunt: flumen traijciunt: & munitum natura locum nacti, reliquam noctis quieti peragunt. Vix dies advenerat: cùm instructis utrinq; aciebus prælium collatis viribus capessunt: victoria penes Illyrios fuit: hostium paucos fuga servavit: cæteri aut occisi, aut capti. *Vide Polyb. lib. 2. pag.* 122.

*Obsidio*

# CCCCXXXVI.

*OBsidio absque commeatu & annona parata, aut horreo vicino, neq; tuta, neq; diuturna, neq; felix esse potest. Danaus in Aphoris. pol. pag. 102.*

## EXEMPLVM.

Romani obsidebant Agrigentum, & ex Erbeso oppido, haud enim procul aberat, fori usum sumentes, quæ necessaria erant abundè sibi comparabant. Tandem verò cùm fames premere Carthaginenses cepisset, ob ingentem multitudinem, quæ inclusa mœnibus tenebatur (erant enim ultra 50000. millia hominum) Annibal, penes quem summa imperij erat, jam rebus suis prorsus diffidens, confestim Carthaginem misit: qui & circumvallationem urbis nunciarent: & opem atque subsidium peterent: quibus permoti Carthaginenses, instructo exercitu, magnoque elephantorum numero coacto, ac paratis navibus, omnes ad Annonem alterum Carthaginensium Ducem, in Siciliam miserunt. Hic coactis omnibus copijs, Heracleam profectus, principiò rebus omnibus diligentissimè consideratis, Erbesum oppidum, quod usq; in eum diem horreum populi Romani fuerat, per proditionem recepit: & facultatem commeatuum, ac cæterarum rerum exercitui necessariarũ hostibus ademit: quo factum est, ut Romani non minùs obsiderentur, quàm obsiderent. Eò enim ob penuriam annonæ, & cæterarum rerum necessariarum, redacti sunt: ut sæpenumerò de dissolvenda obsidione consilium ceperint: quod tandem procul dubio fecissent: nisi Hieron Syracusanorum Rex summo studio commeatum, & cætera necessaria exercitui suppeditasset. *Polyb. lib. 1. pag. 29.*

# CCCCXXXVII.

*IN obsidione, qui, præsertim peregrini, de deditione agere deprehenduntur: muneribus & exhortationibus confirmari & leniri potiùs, quàm vi reprimi possunt. Danaus in Aphor. pag. 106.*

## EXEMPLVM.

Cùm Romani obsiderent Lilybæum: primores quidam præfidiariorum ex conductis militibus de prodenda Romanis urbe consilium ineunt: consensuque com-

militonum

militonum freti, per noctem mœnia transilientes, in castra Romanorum proficiscuntur: ac Consulibus rem omnem exponunt. Erat ea tempestate Lilybæi Achæus quidam, nomine Alexon: qui superioribus temporibus Syracusanis urbem tenentibus, Agrigentum à proditione liberaverat: hic, cognitis ijs, quæ de proditione agebantur, è vestigio rem omnem Imilconi pandit. Ille celeriter omnibus, qui ordines in exercitu ducebant, convocatis, præter eos, qui noctu mœnia transgressi fuerunt, universa, quæ de proditione intellexerat, eis aperit: rogat, obtestatúque: ne per ignominiam dedere sese atque urbem hostibus velint: magna insuper præmia, si in fide permanserint, pollicetur. Cùm omnes ad ea, quæ dicebantur, consensissent: confestim unà cum ipsis ad Gallos Annibalem mittit, Annibalis filium: ejus, quem in Sardinia post amissam classem, cruci à Carthaginensibus fixum diximus: gratissimum hunc fore universis ratus: quòd simul cum illis sub patre militaverat. Ad cæteros verò mercenarios milites Alexona ire jussit: quòd magnam in eo viro omnes fiduciam habebant. Confestim vocata ad se multitudine, partim precibus, partim pollicitatione munerum, tandem effecêre: ut omnes unanimiter in fide atque benevolentia erga Carthaginenses permanerent. Quamobrem, adventantibus mox principibus proditionis, rogaréq; eos, & quæ cum Romanis egerant, aperire volentibus: non modò non paruerunt eis; sed ne audire quidem eorum voces voluêre: quin telis lapidibusq; eos insecuti, procul à mœnibus fugarent. Ita Carthaginenses ex manifesto proditionis periculo summo in discrimine per stipendiarios positi, parùm abfuit: quin in hostium potestatem venirent: sed Alexon, qui superiori tempore, ob suam in Agrigentinos fidem, non solùm urbem, verùm etiam patriam, leges, libertatem servaverat: nunc quoque, ne Carthaginenses ad extremam perniciem devenirent, confessione omnium causa fuit. *Polyb. lib. 1. pag. 64.*

# CCCCXXXVIII.

*IN oppugnando temeritas semper malè cedit. Danæus in Aphor. pag. 12.*

## EXEMPLVM.

Chaones, cùm Stratum Acarnanum urbem obsidere vellent cum alijs barbaris: suis viribus freti, ut qui omnium illius continentis bellacissimi haberentur, non sustinuerunt castris deligere locum: sed robore ipso feroces, additis alijs mutuo auxilio barbaris, urbem se ipso clamore expugnaturos sperabant: summáq; id opus fore. Quos propiùs accedere Stratij animadvertentes, arbitrati, si ab alijs sejunctos superassent, fore ut nequaquam postea Græci similiter accederent, circa urbem insidiis prosilientes circumveniunt timore perculsos: multisq; Chaonum trucidatis, cùm alij barbari hoc cedentes viderunt: ne ipsi quidem jam sustinuêre: sed in fugam se conjecêre: neutro Græcorum agminum sentiente hanc pugnam: ita multum illi præcellerant; sed opinante, deligendis castris occupatos. *Vide Thucyd. lib. 2. pag. 69.*

*Eruptio-*

# CCCCXXXIX.

*ERuptiones obsessorum tametsi necessariò fiant aliquando: valde tamen sunt ijs, qui obsidentur, periculosæ. Nullam enim isti faciunt tam parvam jacturam: quin eis, & propter paucitatem ipsorum, & simul propter difficultatem recuperandi nova præsidia, longè maxima videri debeat.* Philip. Cominæus Ambianensis de reb. gestis Lud. & Car. lib. 3 pag. 88.

## EXEMPLA.

I. Quidam Ambianæ præsidio: constituerat eruptionem facere in Caroloum; sed Ludovicus Rex, quem habebat in Bellovacis, exercitum auxiliarem, & ex autem eruptionis suspicabant, ne quid tentarent. Timebat enim hæc tentatio videbatur posse non incommodè fieri: tamen ipsis, qui eruperent, erat forte periculosa futura. Duabus enim portis erant erupturi: quarum altera non præsidiabatur à nobis: idcoque si rejecti fuissent: quoniam pauciores erant omnes: & se & urbem in discrimen adduxissent. *Idem Cominæus lib. 4, Comment pag.* 113.

II. Memorant Carthaginenses diutius potuisse tolerare obsidionem Sigethi: si tam crebris eruptionibus præsidiariorum numerus non debilitasset nec diminuisset.

# CCCCXL.

*POpulus fert invitus externum imperium. Principes externi rarò placent.*

*Etsi Princeps aliquis externus benè rem gerat, & commodè gubernet: tamen quia moribus & ingenio differt: nec eam erga populum repræsentare potest benevolentiam, ac si esset indigena: faciles oriuntur dissensionum occasiones. Itaque fit, ut ille, quò principatum ad se delatum suasu, fortunas tuea-*

*tur: aliunde militem & copias adducat: eorumq; se præsidio muniat: qui beneficiis deinde singulariter ab eo, & honoribus aucti, magnã multitudinis invidiã & odium in se concitant. Quocirca, qui extern[illegible] alicujus gentis imperium suscipit, nisi magna quidã & eximia sit præditus dexteritate: multis haud[illegible]biè & longè gravissimis implicabitur difficultatib[illegible]*
*Phil. Comin. in Comm. de reb. gest. Lud. & Car. l. 8. in fine, pag[illegible]*

*Vix ulla est natio: quæ diu ferat peregrinum [illegible]perium. Et ubicunq; populus est aliqua mediocri potentia: videmus eum ferè ab indigenis gubernari.*
*Idem ibid.*

*Non est sperandum: ut peregrinus Princeps à periculis tutus esse possit: nisi validissimo præsidio seipsum inprimis, deinde arces munierit. Qui autem opibus ac potentia cæteris omnibus præstat: penes eundem jura majestatis & summam imperij esse necesse est: quam ut diutiùs tueatur: civibus imperia, sacerdotia, curationes, exercitus eripiet: ut ijsdẽ peregrinos cumulare possit: quo nihil populis omnibus acerbius, minusq; tolerandum videtur.* *Ioh. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 5. pag. 1162.* *Quòd si peregrini Principis domesticus civem occiderit: aut impotenti libidine quid fecerit: peregrinis omnibus exitium impendet.*
*Idem ibid.*

Non

*Non solùm alienigenas imperantes oderunt nationes, & ægrè extrancis subijciuntur: sed etiam seditionum occasio & rebellandi sumpta atrociter fuit aliquando. Si qui à Principibus legitimis extranei præponantur, qui eorum nomine jubeant, vel magistratus gerant: vix eis obtemperant. Petr. Gregor. Tolos. lib. 7. de Repub. cap. 4. pag. 411.*

## EXEMPLA.

I. Cùm Vilelmus Neapoleos ac Siciliæ Rex hominem Gallum Primicerium fecisset: tanta iracundia populus exarsit: ut Gallos ferè omnes una conjuratione necaverint.

II. Hardicanutus Rex Danorum Angliam sub imperium subjunxerat: exercituque potentissimo populum oppressserat: una tamen conjuratione Danos omnes interemerunt Angli: nec multò post Regem ipsum veneno sustulerunt. Anno 1041.

III. Consimili ferè casu Poloni Hungaros, quorum Regem sibi coopraverant, ob unius Poloni interempti necem occidissent: ni Cracovienses arcetuti fuissent; nec tamen tumultus antè quievit: quàm Hungari arce relicta domum redijssent.

IIII. Crudeliùs etiam cum Austriacis actum est. Nam cùm Sigismundus Mariam Ludovici filiam duxisset; ac jure mariti regnum arbitratu suo moderari vellet: socrus ambitiosissima generum dominantem ferre non potuit: sed eum regno exegit: ac jam legatos in Galliam mittere cogitabat; ut regnum imperio Francorum subjceret: nisi Hungari Carolum, Mariæ Reginæ patruum, Regem Neapoleos, supplices accirent: qui non priùs regni gubernacula suscepit: quàm Reginæ mater nihil metuentem interfici mandavit; nec multò pòst parricidio consimili cæsa est: & in flumen Croatiæ Præfecti conjuratione demersa. Tum Sigismundus cum exercitu reversus Hungariam occupavit: ac cædibus civium factionis adversæ omnia complevit.

V. Franciscus Dux Andium ad Belgarum sceptra moderanda accersitus venit & maximis gratulationibus acceptus est. Sed cùm nulla præsidia, nullas arces, nullas urbes haberet: nec meis rogationibus (qui futura prospexeram) id effici potuisset: ingens secuta clades est: quam sine dolore meminisse non possum.

VI. Rursus Franci cum Scotis fœderibus sanctissimis antea semper conjunctissimi fuerant: & utrique veteres cum Anglis communes inimicitias diutissimè exercuerant: cùm timen Maria Scotorum Regina Francisco Delphinatui Francorum nupsisset: ac Franci leges Scotorum populis dare conarentur: Scoti supplices Anglorum patrocinio se subdere, quàm peregrinorum imperium perpeti malucrunt. Nec priùs Francos Anglorum opibus & auxilijs conjunctis insequi & subdere desierunt: quàm Franci omnes, pacis conditionibus acceptis, de Scotia decessissent. *Joh. Bodin. ut sup.*

VII. Ante annos quadraginta, maximas in Gallijs possessiones tenuerunt Anglí.

gli. Hodierno autem die, præter Caletum, & duo quædam castella, quorum tuitio ipsis magno constat, nihil habent; & temporis ferè puncto amiserunt omnia.

VIII. Galli possederunt aliquando, & nostris etiam temporibus per complures annos, Siciliam & Neapolim. His autem omnibus ita nunc sunt exuti: ut præter majorum suorum sepulchra, nihil ibi reliquum habeant. *Philip. Cominæus ut suprà.*

IX. Imperium Galliæ non defertur ad fœminas: ut ne summa regni sit penes aliquem externũ Principem. Galli eam legem, qua cavetur inter alia, ne fœminæ ad regni successionem admittantur, Salicam vocant: & est ipsis quodammodo peculiaris. *Idabid. & Sleidan. in appendice ad Com. pag.* 344. Lex hæc est lata sub Clodoveo, & postea diversis temporibus, ut sub Philippo Longo, sub Philippo Valesio, approbata. Cujus legis ferendæ Galli has causas ponunt. Primò, ne si ad regnum admittatur fœmina: per maritum illius corona ad exteros devolvatur. Secundò, ne [illegible] sua magnitudine semper viceruntque, & adhuc vincunt omnes alios populos, ut iis imperio subijciantur. Hinc factum est Anno 1594. ut Galli in consultationibus de eligendo Rege novo, Navarræum præferrent Infanti Hispaniarum, Philippi Regis Hispaniæ filiæ: quam ejus legatus, Dux de Feria, nomine sui Regis, ad regnum promotam cupiebat. *Vide Mercurium Gallo-Belgicum lib.* 8. *pag.* 159. *& lib* 6 *pag.* 593. Externi enim Principis Gallica gens, præter omnes, intolerantissima est; neq; olim, quanquam Romanis armis oppressa, peregrinum dominatum diu tulit: sed jam, imperante Tiberio, rebellionem molita, paulo pòst a Nerone defecit; donec penitus obsequium exueret: & prima provinciarum ab Imperio Romano deficiens, communi consilio arma libertatis recuperandæ causa caperet. Quamobrem nemo repertus est, qui eam legem violare auderet: præter Carolum VI. Is, hortante Philippo Burgundiæ Duce, Catharinæ filiæ, quam Regi Angliæ in matrimonium collocaverat, Galliæ regnum in dotem dedit, præterito Delphino filio: quem, propterea quòd Johannis Burgundiæ Ducis interimendi autor extitisset, successioni minimè idoneum, & regno indignum, pronunciavit. Sed hæc donatio, cùm legi Salicæ adversaretur, irrita fuit: atq; ipse adeò Philippus Dux (qui eam Delphini odio procurarat) post Caroli VI. mortem, Delphinum Carolum VII. pro Rege & legitimo regni hærede se habere professus est, &c. Stetit itaq; lex Salica hactenus immota, una ex tribus columnis & munimentis Gallici Principatus: cùm majores nostri dominatum muliebrem pati nulla ratione vellent. *Anti Machiavellum lib.* 1. *pag.* 72.

X. Lycurgus apud Lacedæmonas omnibus viribus & legibus contendit, ne peregrini & extranei in urbem admitterentur.

XI. Aliquando Romæ lege Petronia & Papia, allophyli seu alienigenæ omnimo fuerunt civitate pulsi.

XII. Scribit Diogenes Laërtius, in Charside, Anacharsim filium Regis Scytharum, à fratre necatum: cùm regressus à Græcia voluisset patrias leges, ut ei videbatur, in melius immutare. Addit Herodotus *lib.* 4 à tempore, quo Anacharsis occisus est, ès qui ius iurè rogaret de Anacharside, Scythas negasse, se nescire hominem: ob id, quòd in Græciam peregrinatus fuisset; & externos mores sectatus. *Petr. Greg. Tolosan. lib.* 7. *de Repub. cap.* 4 *pag.* 412.

FINIS AXIOMATVM POLITICORVM.

RERVM

# RERVM ET VERBORVM
## memorabilium Index.


A

AARON fit idolatra 219
ABBAS est autor Tragœdiæ rusticanæ 443 quærit claves cœnobij 824
Abiam fruitur aliena pœnitentiâ 318
Abimelech invidet Isaaco 613.
Abimelech vindicta cupidus 86.
Abner est imago aulicorum 415. judicat ab eventu. 670. hortatur Ioabum ad moderationem. 579. interficitur 416.
Abraham quando vocatus à DEO ad peregrinationem. 8 vincit quatuor potentiss. Reges parva manu. 568. 765
Absolon est alter Phitëthon. 77. est ambitiosus 77. 83. 199 adulatione sibi facit benevolentiam. 258. patrē excutit regno. 196. 298. miserè perit. 378. 661
Abusaitha Rex Felarum cum sex liberis casus propter libidines præfecti. 56
ACCIPITER servat Casiblim ne occupetur
Accipitrum pugna cum corvis. 501. (785
Acchas Tyrannus non vult fidem habere delatori insidiarum, ideoq; perit. 298
Accius Poeta nō assurgit Iulio Cæsari. 217
Achaus Rex Lydiæ propter nova tributa suspensus 853
Achilles exprobrat Regi temulentiam 38. Præceptorē suum honorificè excipit. 226. fuit doctus. 264. usus est præceptoribus. ib ejus honestiss. oratio. 414
Achis seducitur à Consiliarijs. 260
Achomates Bassa malam reportat gratiam.
Actaonis canes. 243. (130
Actio sæpe injusta, sed passio justa. 279
ADAMAS à Coty cur rebellârit. 66
Adamus propter ambitionem deprimitur. 62. 791. propter violationem mandati divini. 69. (803
in Administratione qui sunt, sibi consulunt
Adonias est regnandi cupidus. 199. non potest quiescere 770
Adonibesech propter crudelitatem & ipse sentit crudelitatem. 583
Adsentatio quid & unde. 623. comitatur superbiam. 633. 634. 640
Adrastus benefactoris sui filiū occidit. 843
Adrianus Imp. doctis & artificibus invidet. 222. in precio habet Dionysium h. stercū 225. ab anu admonetur officij 258. non fert liberam admonitionem architecti. 411. reprimit Iudæos seditiosos 5. 662. 685. edictam sancit de vestitu 723 pontem Istri ex metu demolitur 739
Advena indigenis quando præferuntur, sequuntur turba 547. 548
Adversa res facilius feruntur, quàm secunda 629. 630. 631. 632. faciunt homines morosos 648
Adulari unde dicatur 363
Adulatio perpetuum Regum malum 242. 361 432 sæpe nocet ipsis adulatoribus. 429. corrumpit principes 432. ad tempus tantùm est grata 433
Adulator est pestis Principum & impurus Dæmon 364. 431. est similis Chamæleonti 364
Adulatores grati sunt in aulis 360. sunt nocentiores hostibus 432
AEGYPTVS deficit à Rom. Imperio 92. cur sit eversum ejus regnum. ib. nō potuit restitui 103 fuit florens, quamdiu præbuit Ecclesiæ hospitium 104. ei prodest Iosephi prudentia 796
AEgyptij mutant formam gubernationis 53. cur pyramides extruxerint 183. cur defecerint ab Apryi Rege 313. eorum severitas erga garrulos 259
Aegyptij Reges duodecim simul & semel creati 200. sed non diu manserunt concordes 201.
Aegira urbs dum est ebria, capitur 532
Aegysthus jugulat maritum instinctu uxoris 297.
Aelius Verus Cæsar delectatur Ovidij & Martialis versibus 225.

*Aemulatio inter Duces ipsis Principibus est exitiosa 789*
*Aemylius Consul nimia fiducia classem in summum discrimen adducit 578*
*Aemylius Scaurus fuit pauper 744. fit Ajax 370. idq; propter Tragœdiam quandam 376.*
*Aënau, dum milites sunt ebrij, capitur 532*
*Aenigma festivum 245*
*Aequitas est necessaria virtus gubernatori 303. 304 &c.*
*Aëris pro diversitate regionum magna est diversitas 808. 809.*
*Aeschines gaudet se liberatum à Rep. 209*
*Aeschylus de metu Tyrannorum 374. de fugiendis impiorum fœderibus. 594*
*Aesculapius à capra nutritus 266*
*Aesopus Tyrannos suibus comparat 373. interrogatur quid Deus in cœlis agat 637. ejus colloquium cum Rege 365*
*Aesopicus canis 613*
*Aetas quot annos complectatur 25*
*Aethiopicorum Regum mos, alio mittendis liberis 200*
*Aethiopum mos ridiculus circà Regis Venerationem 24*
*Aetius Chalcidensis malum dant consilium 421. levi de causa funestum bellum excitant 441*
AFFECTIBVS *qui indulgent, consilium deterius sequuntur 745*
*Afri fiunt rebelles propter crudelitatem Carthaginensium 313. in Italia fuit felices 809*
*Africa ab Asia disjunctio tentata 678.*
AGAMEMNON *magnificat consilium Nestoris 124. ejus exercitus propter ignorantiam loci venit in discrimen 491 reprehenditur à fratre, quòd imperium pactus ex humili factus fuerit insolens 824*
*Agapetus admonet Justinianum, ut sit comis 258*
*Agathocles fuit figuli filius, & tamen deinceps Rex 146. 828. miserè perdit exercitus 77. ex ambitione degenerat in crudelitatem 88 frustrà tentat Italiam, & mœrore moritur 313*
*Ager contentiosus 559*
*Agesilaus est prudens 124. valde modestus 153. cur tam parcè vixerit 40. sapienter avertit conjurationem 445. non vult pugnare cum desperatis 456. contemnitur propter vilem amictum 876*
*Agis spernit invidiam 608. (perdit 576 ad Agrij prædam dissitus totum exercitum*
*Agrippa est in magno precio apud Augustum 345.*
*Agrippina audit se à filio Nerone interficiendum 698*
AHAB *pretextu juris tollit Nabodum 186. vincit 32. Reges pari vi manu 766. sagitta ictus occumbit 378. sublatus propter avaritiam 69*
*Ahasias divinitus reprimitur, ne noceat Eliæ 382*
*Ahasverus in Vasthi nihil vult statuere sine consilio procerum 350*
*Ahitophel suo consilio sibi ipsi nocet 333. propter crudele consilium punitur 831. impeditur ejus consilium 704*
AIAX *vult sine DEO vincere 626. 639*
*Ajax Bassa dicit causam, cur Solimannus noluerit cõfligere cum Carolo V. 628*
*αἶμα est dictio fatalis 46*
ALBA *Regalis quomodo descendat 841*
*Albani creant magistratus annuos 53.*
*Albertus Imp. movens bellum nõ necessarium interficitur 453*
*Albertus Rex Danorum & Sveccorum propter avaritiam regno pellitur 68*
*Albertus Dux Saxoniæ dextra manus Imperij 15*
*Albertus Marchio Brandeb. non est liberator Israëlis 80. crudeliter sævit in præsidiarios, quod ipsum postea serò pœnitet 329*
*Albertus Austriacus & Otto Bavarus amici reconciliati 731*
*Alberti Ducis Bavar. vox memorabilis 467.*
*Albis exundationes 690*
*Alcetas unà cum filio in consilio trucidatur 202*

*Alciatus fœdera confert testudini* 593
*Alcibiades fuit homo inquietus* 77 *autor belli Siculi* 161. 460. 771. *sed infeliciter cedit* 459. 771. *est constatus ex magnis virtutibus & magnis vicijs* 212 *nõ gerit res salutares* 219 *Ludimoderatori impingit colaphũ* 223 *fuit potens cõcionator* 394. *est in suspicione apud eos, ad quos transfugerat* 560 *sentit vulgi inconstantiam* 754.
*Alcimus perfidiosè agit.* 837
*Alexander M. sustulit potentiam Persicam* 37 *incitatur divinitus ad expeditionem cõtra Persas ib. mirãtur Darij voluptates* 40 *quibus armis vicerit Asiã ib. parva manu vincit innumeras Darij copias* 765 *est ambitiosus* 790 *noluit irritare gentes Septentrionales* 114. 793. *solvit nodum Gordium* 159 *non fert ægrè se tauari ab Apelle* 217 *doctos & artifices in precio habuit* 223. *Homerum magnifacit ib. beatum prædicat Achillem ib. magnificè remunerat Aristotelem, Apellem, Pindarum* 224 *non vult subditos onerare tributis* 852. *laudat summum sacerdotem veneratur* 234. 382. *fert piratæ objurgationem liberiorem æquo animo* 238 *objurgat Ephestionem & Craterum* 790 *magnificat Ephestionem* 345. *eundè magnificè sepelit* 244 *fuit doctus* 264 *servatur ope Clyti* 266 *habet imitatores in contorsione colli* 286. *altùm dormit ante conflictũ* 321. 567 *Duces suos & milites in magno habet precio* 510. *habet exercitus obedientes* 319 *invisit matrem Darij* 510. *est mirè comis erga quendam veteranum militem. ib. militi afferenti caput hostis propinat & donat poculum* 798 *nõ indulsit somno* 533 *ingreditur sepulchrum Cyri* 706 *assumit peregrinum habitum* 720 723 *tandem degenerat, & fit exemplũ humanæ imbecillitatis* 213. 220 *optimè meritus interficit* 176. 378 *& inter alios Clitum* 408 *remotis bonis consiliarijs, fit furiosus* 262 *fit parricida* 202 *Callisthenẽ malè perdit propter admonitionem liberiorem* 411 *Lysimachiõ leoni obijcit ib. fit insolens, & reprehenditur ab Hermolao* 640 *propter fastũ & ambitionem deseritur à Deo* 792 *vult esse Iovis filius* 632 *instituit certamina paulorum* 285 *monetur ad Babylonem accedat* [illegible] *Veneno perit* 378 *eius magnificentia* 20. 22. *dictum de Regib.* 150 *de calumniis* 829. *de duob. Solibus* 751. 790. *Vox de patre* 298 *insignes virtutes & insignia vitia* 600 601. 632 *successores semper ferè parricidæ* 201 *Duces post ipsius mortem in seipsos sæviunt* 232 *ei adjunxit* DEVS *viros heroicos* 119 *omnia fuerunt prona* 319.
*Alexandri ex Rege fit Scriba* 144
*Alexander Severus Imp. succedit Heliogabalo* 240 *nullam sancit legem sine viginti Iurisperitis* 286. 349 *utitur amicorum consilio & opera* 354 *libenter audit liberè loquentes* 397 *non vult vendere magistratus*, 100 *est mirè comis & affabilis* 174 *doctos & artifices in precio habet* 223
*Alexander Mammææ filius sine consensu Senatus nihil decernit* 349
*Alexãder Iannes fit Sadducæus* 69 *est crudelis in Phariseos* 70
*Alexander Pheræus est crudelissimus Tyrannus* 305. 379 *etiam propriæ uxoris non fidit* 376 *insuit homines in pellibus luporum* 379
*Alexander Rex Epiri dum nimiùm peregrinis fidit, perit* 552
*Alexander Rex Iudææ regnum nactus, lõgè fit alius, quàm priùs fuerat* 824
*Alexander VI. PP. Venenum bibit, quod alijs parârat* 334
*Alexander Medices Florentiæ Dominus à cognato necatur* 386
*Alexander Farnesius Dux Parmensis sentit fortunæ inconstantiam* 657.
*Alexandra non potest conciliare Phariseos*

& Sadducæos 70
Alexandriæ omnis juventus cæsa 87
Alexius Commenus non potest impedire fatum 46. ostentat legatis Romani Imperatoris suam luxuriam 645
Algerienses infeliciter accersunt peregrina auxilia 543
Aliena qui captat, sæpe amittit propria 517. 520
Allemannorum regnum vertitur in Ducatum 54
Allmanach unde 15
Alphõsus amittit & imperiũ & regnũ 107
Alphonsus semper secum habet Commẽtaria Iulij Cæsaris 225 librorum fuit maxime studiosus, & multa lectionis. ib gratulatur patria Ovidij. ib. collum contorquẽs multos habet imitatores 286 consilia sua habet secreta 324 ejus judicium de Principe illiterato 222 jocus de mediatoribus 738
Alphonsus X. Rex Castulonũ juniorẽ filium in regno præficit maiori 229
Alphonsus Estensis Dux Ferrariæ vultu suo terret sicarios, quò minùs eũ cadãt 278
Altobellus Tudertinus horrendo & inaudito supplicio afficitur 801
AMASA à Ioab confoditur 369.
Amasias parva manu vincit Idumæos 568 degenerat 249 movet bellum nõ necessarium 453 punitur mentis amentia 704
Amasis Aegyptiorum Rex propter crudelitatem regno pellitur 64
Ambracia pellit Periandrum 167
Ambitio quid sit 82 est pestis Reipub. 72 73. 74. &c. 80. 81. 82. &c. turbat ordinem proportionis Geometricæ 81 mutat homines 400 causa omnium ferè bellorũ 83 plures Romanorum perdidit quàm gladius 83 viam sternit ad Monarchiam 167 semper est punita 791
Ambitiosi non possunt quiescere 81 plerunq; etiam sunt crudeles 87. 88 res magnas nõ gerunt feliciter, si conjungãtur 81. 82. 788 nec superiorẽ nec parẽ ferrẽ possunt 788 ad honores evecti insolescunt 822
Ambronum uxores magnam edunt stragem in exercitu Marij 458
Ambrosius excommunicat Theodosium 328 eius dictũ de obitu magnorũ virorũ 675 eius mortem sequuntur mala 676
America populi præmonentur de adventu Hispanorum 48
Amici sæpe nocentiores inimicis 296 fideles magnum sunt præsidium 227
Amicitia non debet esse ὑπαλλαγή 730.
Amicitiæ reconciliatæ sunt suspectæ 727. 728. &c.
Amilcar durum suscipit conditiones à Romanis 587 non vult fidere Romanis 599
Ammon non movetur exemplo paterno 261
Amœnis percussores dant pœnas 279
Amor incedit inermis, & nunquam fecit stipendium 759 eius magna est vis 745
Amphiaraus non vult videri, sed esse bonus 82
Amphipolenses ab hospitibus pelluntur 813
Ampt gibt Kappen 805
Amulius non potest tollere suum successorẽ 45 exponit filios Numitoris 201 & filiã Vestæ consecrat 374 fratri adimit regnũ 229. 232
Amurates III. arripicatur imperium à cæde quinq; fratrum 197
ἀναιρούμενοι ὑπὸ τῶν 496.
Amyntas cupidus regnandi confirmatur ab amico 197. 654
ANABAPTISTARVM Rex supplicio afficitur 662
Anacharsis à patre necatus propterea, quòd peregrinatus leges vellet corrigere 884
Anatum & anserum pugnæ in Croatia 501
Anchises ejus nõ vult servire magistratus 101
Anaxandrides maiori filio regnum adimit, & credit juniori 229
Anaxarchus insignis adulator 414 tandem novo mortis genere perit 291
Anecdota de adulatoribus 364
Ancilla non fiat hera 821
Andreas Barbatia de partialitate 71

*Andreas Doria praditur & prodit* 597 *magni fit à Carolo V.* 797
*Andreas Hunderiottus volens interficere Regem Scotiæ, prætimore non potest exequi facinus* 277
*Andromache execratur Spartanos* 186
*Aneroëstes propter studium prædæ totũ exercitum in discrimen conjicit* 576
*Angli Gallos dissidentes frangunt* 469 *alienis dum inhiant, sua amittunt* 522 *opprimunt eos à quibus invitantur* 542 *è Gallia possessione excidunt* 884 *eorũ cum Gallis pacificatio erumpit in atrox bellum* 399
*Anglia annis* 36. *vidit* 80. *Principum ex regia stirpe cades* 200 *habet Regem pulchrum* 288 *ei factiones valde nocuerunt* 72. 420
*Anglicis Regibus oriundus fit servus à pedibus* 145.
*Angina unde* 806
*Angor unde dicatur, & quid sit,* 806
*Anguillæ non capiuntur, nisi turbata aqua* 160. 659 660. 780.
*Anguina merces* 126. 127. 128.
*Anianus precibus reprimit Attilam* 503
*Animus ager semper erat* 805 *angore perturbatus deficit & fit languidus* 806 *etiam ferocissimorum adversis casibus frãgitur* 832
*Animi hominum sunt ignei* 80 *elati successibus lasciviunt* 629 *languescunt in fortuna adversa* 646 647. *&c. sunt instabiles* 515. *irritati difficulter frenãt iram in fortuna secunda* 741
*Annibal Scotus de exercitu otioso* 855
*Annus quingentesimus plerunque regnis est fatalis* 1. 2. 3 *&c. inprimis populo Israëlitico* 3 *etiam Ecclesia* 7. 8. *etiam ducentesimus cum quingentesimo* 8. 9 *& septingentesimus* 10 *imò & centesimus* 11 *trigesimus est novum seculũ* 25 *contrahitur in* 14 *menses, & mensis in* 24 *dies* 43
*Anseres sunt servatores Capitolij* 785
*Antenor occidit Promnesum propter libidines* 38
*Antichristi ruina quando sit expectãda* 792
*Antigonus finit filium cum hasta ad se venire* 133 *petit se defendi ab amicis* 294 *cõquiritur de difficultate imperandi* 210 *cur senex blandè & comiter regnet* 253 *irridet stultitiam adulatoris* 434 *dum Gallis opes suas ostentat, incitat illos ad prædam* 645 *infeliciter spernit hostium copias* 529 638 *à sodalibus caditur* 297 *eius dictum de Rege* 149 *vox laudabilis* 291 *eius domus tantùm se non polluit parricidiis* 201
*Antigonus & Hircanus de imperio dimicant* 200
*Antiochia præfectus nimio rigore peccat* 235
*Antiochienses deficiunt à Demetrio propter eius saevitiam* 65. *seditionẽ excitant propter novum tributum* 853
*Antiochus M. magnus est helluo* 37 *est mitis erga eos, qui ab ipso defecerãt* 309 *alienis inhiãs, amittit propria* 353. 522 *propter avaritiam sentit defectionem civitatum Syriæ* 68 *Scipionis filium sine precio dimittit* 761
*Antiochus Epiphanes ex defensore fit devorator* 72 *spirans minas evertitur* 63
*Antiochus in venatione discit veritatẽ* 244
*Antipater propter nimiam confidentiam perit* 298 *veneno tollitur ab eo, cuius ille vitam servârat* 843
*Antiphontis dictum de provocatoribus* 496
*Antissæi coguntur exules ejicere* 813
*Antoninus Philosophus Imp. nihil statuit sine cõsilio Senatorum* 348 *est Philosophiæ studiosus* 225 *propter injustum judicium occisus* 65
*Antoninus Diadumenus non vult fidere amicis reconciliatis* 728
*Antonius movet infeliciter bellum non necessarium* 453 *lũdit fœderibus* 237 *cur hostis à Romanis declarãtus* 192. *alienis inhians propria amittit* 522 *non potest quiescere* 563. *Bruti cadaver purpura involvit* 580 *frustrà conatur excutere Augustum* 687 *fit αὐτόχειρ* 480. 522.

567. 539 eius dictum de vulgi ingenio 751 πολυπραγμοσύνη est infelix 77 κακοζηλία 89
Antonius & Augusti amici reconciliati 731
Antonius Leva nō potest ferre Collegā 134
Antonius Maria Venetus provocat Germanum, & vincitur 498
Antonius Pontadera quemcunque vult gladio transfigit 388
Antonij principis Athenarum vidua magnū excitat pulverem 192
Antonij Panhormita colloquium cum Gallico suo de splendore virtutis 394
Annus saltans pulverem iuscitat 188 infeliciter imperat. ib. admonet Regem officij 258
APELLES falsè taxat Alexandrum M. 217 magno ab illo donatur munere 224 depingit morem aularum 412.
Apelles patitur, quod alteri destinaverat 333
Appianus de adversa fortuna 648
Apollodorus propter reprehensionem liberiorem perit 411
Apollodori de invidia versus 609
Apolloniatæ propter incolas experiuntur seditionem 813
Apologus de mercede anginæ 127. 128 de leone, urso, lupo & vulpe 351 de lupis & ovibus 397 de cuculo & avibus 431 de cucurbita & pinu 444 de testudine & aquila 635 de leone, urso & vulpe 733. Vide plura in Fabula.
Apostoli sentiunt vulgi inconstantiam 753
Appius Claudius est in periculo apud plebē propter annonæ caritatē 44 præbet causam mutationis Reipub. 95 propter malū consilium 420. 421 invehitur in luxuriosos 642 abutitur Decemviratu 776
Apyes propter superbiam strāgulatur 639
AQVA quæ ægris medebatur, dum fit venalis, evanescit 699
Aqua multi, populi multi 691
Aquarum eluviones triplices sequuntur calamitates 689 690. &c.
Aquilæ provocantes vincuntur 466 duæ inter se pugnant 501
ARABES evocati vastant limites Romani Imperij 542 contra Asiaticos & Hispanos sunt felices 809 cum Roberto Sanseverino certāt officijs et humanitate 761
Araris & Mosellæ conjunctio tentata 681
Aratus mirè clemens est erga victos 584
Aratus accipit mercedem usitatam in aulis 244. 408 amicitia Philippi Macedonis est ei exitiosa 771.
Arbaces Sardanapalum privat regno 17. 58. 60. 297
Arbogastus punitur propter insolentiā 638 seditionem 662. 764
Arcades levi de causa funestum bellum excitant 441
Arcadius colit Eutropium 345
Arcana nō sunt evulganda 259 eorū publicatores quomodo puniendi ib.
Archelaem confoditur 334 (202
Archelaus Perdicca filius patruum occidit
Archidamus retundi jactantiam Philippi Macedonis 633
Archidami dictum de bello 466
Archōtius Medicus magnam acquirit pecuniam 224 (441
Ardeæ urbi factiones sunt perniciosæ 422
Ardeates cur expertes sedaitionem 118
Areopagi consilium Athenis 167
Argentinenses optimatibus fabularis populare imperium stabilivit 545
Argivi eligunt Ducem prudentiorem 135 amittunt populare Rarum 167
Aristogoras seditiosus interficitur 662
Aristides certat ambitione cum Themistocle 84. 790 dissuadet pugnam cum Persis 457 urbe ejicitur 130. 611 est pauperrimus 743 (375
Aristippus mirè est formidolosus Tyrannus
Aristobulus adimit fratri regnū 229. 230 capitur à Pompejo 230. 479 contra fratrem attrahit Romanos 479 Romā mittitur, & veneno necatur. ib.
Aristobulus per ludum submergitur 835

Aristocra-

*Aristocrates Rex Arcadiæ lapidatur* 64
*Aristocratia qualis sit forma* 150 *est status optimus* 153. 154. *degenerat in Oligarchiam* 150. 154
*Aristomachus non tantùm est Tyrannus, sed etiam à Tyranno genitus* 199.
*Aristophanes exagitat Periclem* 75. 780. *Cleontem* 160. 390. 780 *eius versus de seditiosis* 660
*Aristoteles præfert Aristocratiam aliis formis* 153 *magno ab Alexandro donatur munere* 224 *impetrat ab eo, ne Thebas vastet* ib. *principi dissuadet tantùm unius amici consilio uti* 342 *ne sinat alium Principem prope se crescere* 850 *eius inepti imitatores* 78 *judicium de arcibus* 178 *dictum de peregrinis in civitatibus* 813 *de Democratia* 155. 163 *de muliebri cõsilio* 190 *de avaritia* 427 *de pugna cygnorum & aquilarum* 496 *de luxuriosis* 642 *narratio de latrunculis* 468 *dictum de mediatoribus* 738 *disputatio de turba nautica, an sit utilis, aut damnosa* 807
*Aristotelici in aulis non sunt accepti* 154
*Armenus Imp. dum connivet conjuratori, necem sibi accelerat* 445
*Armodius & Aristogiton tyrannicida merentur statuas* 315. 380
*Armorum tractatio reddit homines crudeliores & audaciores* 458
*Arnobius de fato* 44
*Arnutius Paterculus imbuit suum equuleum* 335
*Arphaxat evertitur superbia* 63
*Arrogantia Deo semper est exosa* 528. 634
*Arsaces exprobrat Antiocho M. ebrietatem* 37
*Arsacides insidiantur Principibus Christianis* 297
*Arsinoë à fratre decipitur & necatur* 202
*Artabanus dissuadet Xerxi bellum* 75. 634 704 *trucidat eũ* 199 *rursus necatur.* ib.
*Artabazanes dicit sibi deberi regnum* 233
*Artaxerxes Longimanus præbet hospitium Themistocli* 220
*Artaxerxes Mnemon fuit mirè liberalis & comis, sed ebrietati fuit deditus* 214 *est timidus, ideoque crudelis* 711 *& prodigus* 833
*Artaxerxis Duces nolunt pugnare cum desperatis* 456
*Artaxerxi insidiæ struuntur à filiis* 199
*Arturus vincit duos immanes gigantes* 530
*Arverni magno prælio à Romanis victi, amiserunt imperium* 54
*Arunx attrahit Gallos in Italiam* 34. 96
*Arx sedes est Tyranni* 178 *nulla est tam munita, quæ nequeat expugnari* 564
*Arces præbent occasionẽ tyrannidis* 178. 179
*Arydæus patrem & fratrem interficit* 202
ASA *Prophetam reprehendentẽ ipsum incarcerat* 367 *ad internecionem cadit hostes* 764. 766
*Asahel dat pœnas ambitionis* 327
*Asdrubal pro Hann. bale fert sententiam* 423 *Romanos dum sunt nimiùm securi, cædit & fugat* 589 *stratagemate vincitur à Cecilio* 768 *à Romanis vincitur & cæditur* 424
*Asdrubal à servo occisus* 65 *à militibus cæsus* 35.
*Asiatici Reges parricida* 198
*Asiatici non temerè irritant Europæos* 808
*Asimneta apud Græcos* 158 *Æpulat* 822
*Asinus inter equos* 100. *ferès sacra Isidi Dæ*
*Asinus infeliciter partitur prædam* 561
*Asta Czares è carcere ad regnum* 143
*Aspectus præfertur probationi* 243.
*Assassini insidiantur Principibus* 267. 297 *in ipso cadium actu plerunque fiunt pusillanimes* 277
*Assentatio plus nocet, quàm hostis* 242. 362 432 *in aulis sæpe periculosa* 352 429. *perpetuum Regum est malum* 36. 432.
*Assentator in aulis primas tenet* 358. 359. *&c.*
*Assentatores corrumpunt Principes* 261
*Assyrij quàm diu tenuerint Asiam* 5. *Monarchiam* 6. *cur eam amiserint* 16. *eos ipsos opprimunt, à quibus invitatur* 542 *eorum imperium ad Medos transit* 18

*Astyages*

*Astyages exponit Cyrum* 201. 374 *nō potest tollere suum successorem* 45 *privatur regno* 65. 164. 569 *à nepote punitur* 92 *ab Harpago, cui nimium fidit* 704
ATHALIA *rapit regnum* 106. 191 *necatur* 106
*Athea Regis Scythici vox barbara* 222
*Athenæ quando maximè floruerint* 164 *amisso Pericle fluctuant* 165 *floruerunt, donec civium floruit obedientia* 319 *quæ reperierint* 184 *à Lysandro captæ* 439 *ad cantum tibiarum diruuntur* 447 *à Turcis occupantur* 192 *earum regnum quàm diu durârit* 5
*Athenienses sæpe mutant formam gubernationis* 53. 58 *sed semper infeliciter* 181 *signum habent ante adventum Xerxis* 48 *monentur à Pyrrho* 179 *attrahunt Romanos contra Philippum* 244 *dum Thraces dimittunt, malè sibi consulunt* 329 *infeliciter movent bellum Peloponnesiacum* 447 *Siculum* 439 *cives suos obstringunt juramento* 451 *post finitas induciας non diu cessant* 482 *affectati imperij pœnas dant* 523 *parva manus vincunt in pugna Marathonia* 527 *in bello Siculo puniuntur propter fastum* 536 *propter contemptum à Lacedæmoniis deficiunt* 557 *propter acceptam cladem sentiunt sociorum defectiones* 575 *lenibus propter cladem acceptam nolunt opem ferre. ib. præclarè meritis invident* 608 *fiunt insolentes propter successus* 632 *eorum quidam, ut devitarent invidiam, urbe excesserunt* 607 *Respublica habuit viros heroicos* 119 *fuit ingrata erga bene meritos* 130 *eorū lex peculiaris* 102 *Oratores fuerunt fæces bellorum* 161 *ijs fœdus cum Corcyræis est exitiale* 596 *multùm nocuit invidia* 612
*Athenodorus utile præceptum dat Augusto*
*Athesis exundationes* 690 (307
*Atho mons perfossus* 681
*Atreus in fratrem armatur à patre* 229 *non parcit fratris filiis* 297
*Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis* 377. 664. 665. *&c.*
*Attalus dum nullam capit laborum mercedem, ipse se Regem facit* 577
*Attila reprimitur à Leone* 235 382. *ab Aniano* 503 *assentatoris carnem in ignem conjicit* 433. *fulminibus vincitur* 766
*Attilius Regulus ab aratro ad magistratus vocatur* 744 *nimis duras & iniquas proponit conditiones, magno cum suo damno* 586 *constanter servat fidem* 599 *necatur à Carthaginensibus* 654 (521
AVARIS *idem accidit, quod tyranni Æsopico*
*Avaritia est pestis autoritatis* 20 *imperantium subditos facit rebelles* 312 *est causa mutationis Imperiorum* 55. 60. 68.
*Audacia unius auget petulantiam multorum* 777 *si est sine cōsilio, omnia evertit* 779 *est plerunq; conjuncta est temeritas. ib.*
*Audaces sunt ventosi* 778
*Audentius recusat imperium* 209
*Aves uncis unguibus non congregantur* 197 *earū pugnæ bellorū indices* 499 500 *&c. pugna mirabilis* 500
*Augusta mutat formam gubernationis* 161
*Augusta & Norimberga diversa petunt* 150. 161.
*Augustinus de iracundia* 85. *de mundi blāditijs* 368 *de amico reconciliato* 730 *eius mortem multa sequuntur mala* 676
*Augustulus ultimus Imperator Romanorum* 6.
*Augustus est in magno periculo propter annonæ charitatem* 44 *prohibet senalitatē magistratuum* 100. *habet Capricornum in ascendente* 109 *cur cives jusserit ædificare splendidas domos* 183 *conspirationes fato evadit* 194 *vult deponere imperium* 210 *magni fecit literatos* 225 *proponit præmium ijs, qui Hispanum prædonem sibi adducerent* 238 *succedit Principi degeneri* 240 *cōferunt cum Tito* 253 *Vrbem donat Cinna hosti suo* 759 *ipse frequenter jus dixit* 257 *mirabiliter protegitur*

gitur à Deo 266 legem si quem sancit, nõ sine populi consensu sancit 287 nec sine consilio Senatus 349 bellum nullum incipit sine justis & necessariis causis. 452. alit 40 legiones in diversis locis 484 reprehendit Romanos propter peregrinum vestitum 720 aperit sepulchrum Alexãdri M. 705 pro Cicerone intercedit quidem, sed tandem eum deserit 480. malã que illi refert gratiam 130 excutit Collegas 133 depravat versum Homeri 151 ludit fœderibus 237 totus pendet ab Agrippa 345 fuit asper & lenis 384. 851 intrepatur à Senatoribus 396 post mortem rursus expetitur 523 ejus judicium de Antonio 192 jocus in Herodem 201. dictum de cunctatione 322 ei apparet stella 697

Aula est gymnasium mendacij & adulationis 351 nulla vacat invidia 403 est simile igni 365

Aulæ sæpe mutant homines 400 sunt ingratæ erga bene meritos 401. 402, &c. non ferunt liberas monitiones 409. 410 sũt fœcunda crudelibus consultoribus 413 Comica facie agunt Tragœdias 415 ad tempus tantùm probant doctrinam Evãgelij 425 earum pestes 361 in iis assentatio sæpè est periculosa 352. 429 quomodo quis citò crescere possit 359. 414 ministri facilè impingunt propter duas causas 404 ignorantia & suspicio omnium malorum causa 412 plus πρέσγωρ, quàm ἔσγωρ. 416 semper sunt factiones. 417. quomodo negocia facilè expediantur 426 quomodo aliquid sit petendum 427 plures adorant Solem orientem, quàm occidentem 434 ministeria sæpe sunt periculosa 435 libenter audiuntur fabulæ 414 etiam perfidia toleratur 462

Aulica beatitudo mutabilis 401. 402 &c. turba se inflectit ad voluntatem Dominorum 287. 288

Aulicæ voluntates sunt instabiles 434

Aulici dum alios promovere volunt sibiipsis nocent 401 sunt similes calculis Arithmeticis 402, 409 suffragijs 653 sapiunt, qui maturè aulæ valedicunt 403 privatis odijs ipsos etiam Principes accendunt 849 adulantur suis Dominis 414 aliud sentiunt, aliud loquuntur 415 amulis sunt infensi 417 ex se nati fiunt insolentes 819 eorum exitus est infelix, quando insolescunt 836

Auricum vitæ genus est periculosum 405

Aulicus versus explicatur 366 (809

Auster debilitat homines & jumenta 808.

Aura popularis aucupatio est deterior tyranno 162

Aurelianæ & Burgundicæ domus factiones fuerunt valde perniciosæ 420

Aurelianus filiũ adsciti sit Imp. 655

Aurelius Antoninus scribit de sua clementia 307 ejus dictum de Principibus, quòd eos Deus sit judicaturus 291 salutaris doctrina 343

Aurelius Victor de humilibus ad honores evectis 820

Ausonius donatur Consulatu à Gratiano, 226 ejus versus de fictilibus Agathoclis, 146 de malis consilijs 332

Autoritas quando concidit, sequuntur regnorum mutationes 11. 12 in quibus reb. consistat 12. 19 quomodo amittatur, 13 20 est singulare donum Dei 15. 18. 19 20 sæpe non respondet virtuti 15

Auxiliatores postea sunt Domini 536

## B

BABYLONIS regnum destructũ non potuit restitui. 103 deficit à regno Persico. 139

Babylonica turris ædificatores evertuntur propter superbiam 62

Bacchiadarum regnum propter luxum est dissolutum 644

Bagoas occidit Ochum Regem cum filio 139 venenum bibit, quod Dario paraverat 337. 711

Bajazetes obsidet Byzantium 374 expug-

*uat Methonem 565 benefactori malam refert gratiam 130 captus muliebriter lamentatur 507 in cavea ferrea circumducitur 111. 145. 149. 655*

*Bajuli imperant, proverb. 819*

*Balbinus seditionem militum Romæ quomodo sedaverit 842*

*Baldi elegans dictum 70*

*Balthasar videt manum prodeuntem è pariete & scribentem 12. 15 per ebrietatē amittit Babylonem 39 est causa translationis Monarchiæ 91. 92*

*Bantius ex inimico fit amicus 174*

*Barbadicus Dux Venetus primus utitur bombardis in prælio navali 573*

*Barchinorum factio in urbe Carthaginensi, 423*

*Barcocius bene consulens non auditur. 841*

*Bardevicum magno suo malo contemnit hostem 529*

*Barnabo Vicetomes in carcere obit 145*

*Bartholdi invicti antea, vincuntur tamen propter Ducis adversa partis præsentiam 857. 858*

*Bartolemæus Coleo Dux Venetus primus tormentis majoribus usus est in prælio terrestri 573*

*Bartolemæus Lsvianus triumphat ante Victoriam 527*

*Βασιλεὺς unde 149*

*Basilisens à conjuge incitatur ad persecutiones 192*

*Basilius Imp. quales consiliarios eligendos censeat 520*

*Basilius de invidia 605*

*Bassina mirabile Vaticinium 49*

*Battistella occidit collegam ducem Banditarum 664*

*Batto exprobrat Romanis avaritiam 68*

BELESES *deficit à Sardanapalo 17*

*Belgici belli causa sunt exules 526*

*Belgradum levi occasione amittitur 783*

*Beli sepulcrum infeliciter effossum 706*

*Bellerophon elatus sternitur 337. 640*

*Bellerophontea litera 640*

*Bellisarius cogitur mendicare 130 407 655*

*Bellum non tantùm necessarium, sed etiam justum esse debet 76 civile inter Pompejū & Cæsarem quando gestum. 10. Sacrum unde ortum 95. 441. 445. 460 civile Romæ unde 442 Peloponnesiacum 440. 438. 443. 446. 447. 459. 815 Persicū 438. 446. 624. Charonense 438. 443 Siculum 460 Thebanum 447. 614. inter Moscum & Sevum 97 Mithridaticum cur tam diu durârit 734 sapienti oratione componitur 398 Punicum primum alterius calamitate finitum 470 externum contra civilia salutare 483*

*Belli inferendi consultatio in libera civitate est periculosa 435*

*Bellum prolongare cum subditis non expedit 458*

*in Bello navali præstat in pleno mari, quam circa littus pugnare 486*

*Bella sæpe ex ambitione orta 84 ex regnandi cupiditate 195. 196. &c. ex suspicionibus & virulentis interpretationib. 439 ex rebus minimis 440 sæpe moventur ad vitanda pericula, in quæ demum incidit 461 ex bellis orta Roma 131 in Græcia 132 sūt pœna utriusq; partis 445. 446 &c. publicorū scelerū 536 sunt scopa regionū 448 quæ sint necessaria 450 nō necessaria semper sunt infelicia 449 ista & quæ sumpsimus ex cupiditate & ira 437. & quæ fiunt cū desperatis 454. 455 &c. item quæ per sacerdotes administrantur, 462 ista & quæ sine obedientia militari, 471. 472 diuturna alterius partis calamitate finiuntur 470 non sunt diuturna, quæ à multis reguntur capitibus 475 civilia sunt omnū crudelissima 476. 477. &c evertunt Imperia & Respublicas 26 27. constant celeritate. 481. fama 570. melius geruntur in hostili terra, quàm in propria 485 sequuntur post aquarum eluviones 691 moventur ab ijs, qui abundant pecunia 493 interdum à paucorum certamine oriuntur 442 non facile re-*

*stinguuntur*

*stinguuntur* 836 *eorum quale principiũ, talis & finis* 437 *justa causa quæ sint* 451 *exitus sunt obscuri* 465. 366 *civiliũ exitus* 462 *omnium duplex causa* 464 *nervus pecunia* 493 *in iis magnam vim habet persuasio* 436 *tantùm prætextus narrantur, suppressis veris causis* 459 *sæpe plus efficitur gladiis, quàm sclopis* 573 *ordo multum facit ad victoriam* 578 *etsi causa sit justa: tamen Deus sæpe punit propter priora delicta* 504

*Bellatores adversa fortuna valde terrentur* 647

*Bellatores Principes sequuntur pacifici* 239

*Belna quomodo recuperata* 482

*Ben Cosban dux seditiosorum* 662. 687

*Beneficentia allicit homines ad diligendum* 758

*Beneficiis etiam mali homines emendantur* 759. 760

*pro Beneficiis plerũq; injuria redduntur* 816 *redduntur maleficia, ibid.* 817.

*Benevolentia retinentur Imperia* 170

*Benevolentia dicitur novum exactionis genus* 494

*Benjamita deleti, eò quòd noluerunt punire scelera* 34. 94. 448. 505

*Bernhardus de imitatione sanctorum* 320

*Bessus interfector Darij malam refert gratiam* 279

*Bettus Biffolis provocatus vincit.* 497

BIAS *Prienensis de amicitia* 730

*Bibulus Consul non est Consul* 133

*Bigotius à Castellano apud Regem Galliæ criminatur* 154. 419

*Bisalti astu vincunt Cardianos* 61

BOETIVS *caditur à Theodorico Veronensi* 379

*Bohemica mulieres rapiunt principatũ* 193

*Bohuslaus Altus provocatus vincit* 496

*Bojebracius, Vide Georgius Bojebracius*

*Boleslaus II. à canibus lacerator* 379

*Bolognimus de muliebri consilio* 190

*Bombardis in præliis quis primus sit usus* 573

*Bonaventura de laxatione disciplinæ* 33

*Bonicius Dux Mediolanensis occiditur* 72

*Bosnia qua occasione in Turcarum potestatem venerit* 441

*Bovinij à Dinantiis malè excipiuntur* 86

BRABANTINI *sæpe victi, tandem vincunt hostes propter Ducis sui præsentiam.* 859.

*Brenni copiæ à paucis Græcis vincuntur* 765

*Bretislaus tandem fit mansuetus* 252

*Briareus habet centum manus* 803

*Britanni propter dissensiones intestinas vincuntur* 867 *eorum Rex olim fuit pauper* 257 *quidam lectica in locum pugnæ deportatus, est suis causa victoriæ* 861

*Brytones duo provocantes vincuntur* 497

*in Brixiensi obsidione mirabili occasione conatus hostilis eliditur* 786

*Brunechildis decẽ Reges Galliæ occidit* 193

*Brunhildis incitat nepotes ad bellum, impulsu Protadij* 849

*Brutus malam benefactori suo refert gratiam* 843 *sibiipsi accersit exitium* 77 *jubet se interfici* 279

BVDAE *oritur seditio inter Vngaros & Germanos* 813

*Bugosus attrahitur in Iudæam* 443

Βυλιμία *accelerant mutationes regnorũ* 98

*Burdegalenses malè tractati* 87

*Burgundica domus propter Carolum concidit* 522

*Burgundica & Aureliana domus factiones valde fuerunt perniciosæ* 420

*Burgundiones contemnunt Germanos* 875

*Burgundus dum cum altera parte pacis ergò colloquitur, interimitur* 875

*Busbequij disputatio cum Chiausso quodam* 671

*Buschius non est Buschius* 722

BYRSA *ædificatur à Phœnicibus* 178

*Byzantij leges de causa excitant bellũ* 441 *expellunt peregrinos* 813

*Byzantium quàmdiu floruerit.* 10.

# C


Ctria pessima 811

CADMVS conserit terram dentib. Hydra 596 664

Cæsar Borgia propter crudelitatem sublatus 313

Cæsaræ oppidum inter epulandum occupatur 39

Caligulæ ferocia retunditur recitatione historiæ 655

Cam. desert. 378

Calamitates quando non sentiuntur amplius, instat interitus Reipub. 56 fatalies cumulantur, quando propriis consiliis homines eas sincere curantur 613 sequantur obitus magnarum virorum 672 earū in Imperiis causa 89 90. 91. 208. 209. magnarum initia plerūq; sunt levia 614

Calces rostratæ 716

Calcei Primislai in arce Vissegradensi 148

Caliga scissa petunt sacerdotium 721

Caligula initio Imperij optimus, sed postea pessimus 250 est immanis valde, sed timidus 713 supra captum humanum crudelissimus 388 eos, quos necat, vult mortem sentire 305. corrumpitur ab adulteribus 367 semper habet venenum in promptu ad se necandam, si sit opus 377 à se interfectos rursus desiderat 523 interficit eum, à quo ille ter servatus erat 843 probro afficit Chæream, à quo interficitur 742 succenset Iovi, contraq; eum tonat 834

Calipha imperant Aegypto 92

Callippus eo ipso pugione, quo ille Dionem, occidit 760

Callistus PP. plus literatis, quàm militibus, confidit 226

Callias vult ut bella tardissimè incipiātur, & citissimè finiantur 836

Callicratidas infeliciter potiorem habet rationem privata, quàm publicæ utilitatis. 102

Calliditas sæpe ipsis autoribus nocet 535. Veteratoria est infelix 769

Calisthenes cavea ferrea includitur 176

Calumniator primus tenet in aulis 359. 360. &c.

Cambyses Smerdin successorem non potest tollere 45. etsi fratrem Smerdin curet interfici. 200 idq; facit ex metu Tyrannis proprio 374 perpetrata una cæde plures committit. 387. Prexaspe filium ebrius transfigit 410. 714 est insignis Tyrannus 302 seducitur ab assentatoribus 261 injustum judicem excoriat 374 773 ducit sororem 182. infeliciter effodit cadaver Amasis 705 propter annonæ defectū eum exercitu periclitatur 492. est prorsus ἄθεος & multa facit petulanter & impiè 834 miserè perit. 714

Camerarij versus ex Sophocle 183.

Camillus sine consensu Senatus non vult recipere Dictaturam 784. Dictator hostes Gallos urbe expellit 158 relegatur 130. 832 factus cautior deponit Dictaturam 817 malè cives invident ei 609. Galli eū ulciscuntur. 817.

Campani sub specie amicitiæ occupant Messanam 544 propter violatas indutias cæsi 590 propter luxum suum superbi 643

Campania Hannibalis exercitum perdidit. 60 643

Campobachius est proditor Caroli Burgundi 553

Cananæi cur deleti, 91

Cancellaria est cor Principū 301

Candaules ostendit Gygi uxorem suam nudam, ideoq; occiditur 58

Canes, qui latrant, non extimescendi 273

Canonici duo surdissimi 732

Cantiones veteres habent gravitatem 725

Cantor quidam scurra. 721

Capernaum cur puniendum 792

Capiluchius Parisiensis carnifex. 480

Capitanei cur tam difficulter descendant in bellum 493. cujusdam memorabilis vox. 494

Capitolium ope anserum servatur. 785.

*Romanis profuit & obfuit* 178
*Capito malum malo curat.* 348. *de levitate in vestitu* 715
*Capricornum qui habet in ascendente, facit mutationem in Imperio.* 108. 109
*Capua capta, etiam cætera urbes capta* 156 643
*Caput Medusæ* 19
*Caput Principis rasum multos allicit ad rasuram.* 284. 286
*Capys ossa effossa denunciant Iulio Cæsari mortem* 707
*Caracalla interficit Papinianum I. C.* 181. 197 *Getam fratrem in sinu matris.* 186. 196 *eumq; patitur dici divum, dum modò non sit vivus* 197 *ob Chilonem Jerosolymitum sævit in milites* 187 *fratris cædem apud milites excusat* 370 *eos trucidat, qui se ad fratris parricidium impulerãt.* 279 *semper habet venenum secum ad se necandum, si sit opus* 377 *in milites est prodigus* 833.
*Caradinus eos opprimit, à quibus invitatus* 543.
*Cardianos luxus perdidit.* 64.
*Cardinalis Balvensis in carcerem detruditur, quem aliis paraverat* 334
*Carmeniola Franciscus laudat militem obedientem* 473.
*Carneades de Regibus, quam artem ij omnium optimè discant* 361
*Carnifex in curru triumphali.* 653
*Carolus M. instaurat Imperium Occidentis* 6. *mutat formam gubernationis in Italia* 55 *delectatur libris Augustini de Civitate* DEI 225 *gessit difficilima bella* 240 *Einhardo, quem propter stuprum filiæ illatum, punire debebat, filiam donat conjugem* 310
*Carolus Martellus qua occasione pervenerit ad regnum Franciæ* 60. *è carcere ad regnum* 142. *regno optimè præest, cùm ipsi Reges essent parùm idonei* 353
*Carolus filius Ludovici Germanici Saracenos pellit Italia.* 138
*Carolus Rex deseritur propter Haganonem* 344.
*Carolus Burgundus graviter ulciscitur Dinantium* 86. *non contemnit hostem* 529. *Leodiensibus duras proponit conditiones.* 740. *dum cum Ludovico colloquitur, fit ei magis infensus* 872. *idem factum cum Friderico Imp.* 874. *& cum Sigismundo Duce Austriæ. ib. dum ex ambitione movet bellum, perit.* 454. *dum plus peregrinis fidit, quàm popularibus suis, occumbit* 552. 553. *dumq; non vult audire faciẽtem indicium de proditione* 553. *occumbit ad Nanseium* 454.
*Carolus V. Imp. habet Capricornum in ascendente* 109. *habet bonum tutorẽ.* 353. *quid fecerit de capto Rege Galliæ allato nuncio.* 797. *est Italiæ formidini* 116. *in multis periculis mirabiliter & divinitus servatur.* 272. *multas conspirationes evasit. ib. habet sapiens consilium.* 288. *amavit moderata consilia* 289. *gerit res maximas* 292. *Gandavos non tam crudeliter, quàm prudenter ulciscitur* 309. *ignoscit Hispanis rebellantibus* 310. *est intrepidus in periculis* 273. *quale habuerit consilium in animo.* 292. *non bene fecisse putatur, quòd Regem Galliæ dimiserit.* 357. *non est crudelis.* 384. *est formidabilis Solymanno* 628. *excipitur hospitio à Rege Galliæ, & scribit dictum in pariete. ib. postea inter eos post mutuum colloquium orta est major animorũ abalienatio.* 875 *moderatè utitur victoria de Gallo parta.* 797. *sæpe repetit dictum de modestia* 637. *vetat Spiræ aperiri sepulchra Imperatorũ.* 706 *ejus vox de bello Germanico* 467. *de confœderatis, quòd eos deficiet consilium & pecunia* 476 *ejus exercitus contra Gallos adjuvatur à vẽto.* 504. *consiliarij duo sunt amuli.* 790.
*Carolus V. & Rex Galliæ amici reconciliati.* 731
*Carolus V. Rex Galliæ fuit sapientissimus.* 247. *id quod ipse hostis de eo fatetur. ib.*

255. magistratus omnes abrogat, & tamen cogitur decretum mutare. 242. consulit Senatum, antequam bellum moveat 348. purgat regionem 448.
Carolus VI. tredecim annorum puer adit regnum, sed feliciter regitur à tribus avunculis 353. Parisiorum urbem moderatè ulciscitur. 309. edicto cavet, ne sacerdotia peregrinis conferantur. 555.
Carolus VIII. filio puero constituit curatores. 354. dum in regno Neapolitano Gallos indigenis prefert, toto regno excidit. 551.
Carolus Rex Neapolitanus non vult sævire atrociter in rebelles. 309. utitur curto vestitu. 722
Carolus Simplex videt Rempub. calamitosam 254.
Carolus Borbonius habet Capricornum in ascendente. 109. mirabili occasione excitur ad Romam oppugnandam. 783. ejus exercitus maxima ex parte perit in Italia. 809.
Caroli Malatestæ sordes. 316.
Carthago an delenda. 28. cur eversa. 36. 621. restituta veteri non est par. 103. cur victa amiserit imperium. 115. evertitur intestinis dissensionibus. 425. 469. incendio 14. dierum perit. 590.
Carthaginenses sunt crudeles erga Afros. 313 levi de causa excitant bellum 441. sunt in mari Romanis superiores, & cur. 486. dum alienis inhiant, amittunt propria. 527. plus damni accipiunt à socio, quàm ab hostibus. 542. 544. 575 non libenter utuntur peregrino exercitu. 544. non possunt impedire Romam. 568 688. valde terrentur Romanorum cornu. 572. ex desperatione fiunt victores Reguli. 586. eorum Respub. quàm diu durârit 10. milites ex desperatione Hadrubalem & omnes legatos cadunt. 35. lex de ditioribus ad magistratum accersendis. 101. milites ocio corrumpuntur. 856. seditionem excitant. ib. iis nimis dura proponuntur conditiones. 586. 587.
Carvilius malè censet peregrinos in Senatum cooptandos. 554
Carus Imp. infeliciter transit fatalem Romanis limitem. 113.
Casibus per accipitrem servatur. 785.
Casimirus Rex Poloniæ novum indicit tributum. 494.
Cassander interficit Alexandri M. filios & matrem. 232.
Cassita nulla sine crista. 390.
Cassius fit αὐτόχειρ. 279.
Cassius Chærea ulciscitur contumeliam à Caligula sibi illatam. 741.
Cassius Severus fuit pauperrimus. 744.
Castellanus Brigotium criminatur. 154. 419
Castilia Rex quidam sex fratres necat. 260
Castilia Regis filia regno pellitur. 145.
Catalogus Regum Iuda & Israelis. 302.
Catastrophe consentanea est principio. 439.
Catilina non debuisset civitate ejici. 526.
Cato Censorius miratur, piscsculum carius vendi, quàm bovem. 39.
Cato quid potissimùm metuerit in Cæsare. 40. blandam habet orationem in annona caritate. 41. non deponit arma. 77. 614. dissentit à Cæsare in vindicanda Catilinæ conjuratione. 355. bene consulit Ptolemæo, qui non obtemperat. 326. ex præda nihil sibi sumit. 507. tuetur legem Oppiam. 721. ejus taciturnitas. 259. dictum de Cæsaris sobrietate 38. de Pompejo 836
Caucasus fatalis limes Romanorum. 114.
Causæ non semper fidendum, etsi sit justa. 504.
Cautione in omnibus humanis actionibus nihil melius. 330.
CECILIVS solus est in causa, ut hostium vires sint inferiores. 400. 768. 769.
Cecrops initiò asper, tandem fit mitis. 252.
Celeritas multum valet in bellis. 481.
Celtæ opprimunt Tyrrhenos. 96.
Celtica irruptiones tantùm duæ. 110.
Cenovalchus redit ad frugem. 252.
Censorii mortem sequuntur mala. 677.
Cephalenorum regnum in Ducatu versé. 58

ex Cer-

ex Certamine paucorum sæpe oriuntur magni motus. 442.
Certamina ex morositate aut odio accensa sæpe sunt exitio imperijs & ciuitatib. 780
Cerua præbet Hunnis occasionem Scythiam inuadendi. 784. Clodouæo pugnanti contra Gothos, ib.
CHALCIDENSES sapienter Aetolorum consilium repudiant. 421.
Chaones propter temeritatem in oppugnanda urbe dant pœnas. 880.
Charondas lege plectitur, quam ipse tulerat 339. bene meritus de Rep. tandem relegatur. 129.
Χείμαρρος. 163.
Cherilus pro versibus aut aureum aut colaphum accipit. 223.
Chij certis signis præmonentur de futuris cladibus. 698.
Childebertus II. Rex Franciæ propter crudelitatem unà cum Regina prægnante occiditur. 65.
Childericus prioribus trib. nuptiarum diebus habet mirabilem visionem. 49.
Childericus III. regno abdicatur. 147. 145.
Childericus IIII. regno pellitur, & fidelitate Guimandi restituitur. 42. 59.
Chilon indicat, quid Deus in cœlis agat 635
Christiani tur deficiant ad Turcas. 670. cur ab ijsdem vincantur. 865. 866.
Christiernus sub specie colloquij decipit Stenonem. 875. regno pellitur. 65. in carcere obit. 204. 654.
Christus lege plectitur, quam ipse tulerat. 340 magnificè excipitur à vulgo: sed non diu est in gratia. 298. 753. ejus regnum non habet terminum. 114
Chrysostomus contra Seuerianum æmulatur 215. opera illius, quem exercerat, ejicitur 400. ejus cum Ephiphanio contentio. 215
CICERO ineptè imitatur Demosthenem. 79 nullam reportat gratiam. 130. scribit pro Monarchia. 159. deplorat suam insipientiam 219 increpatur à Cæsare 474. frustrà proponit pacis conditiones. 704. effodit sepulchrum Archimedis 706 suspectas habet amicitias reconciliatas. 729. stolidè imitatur seipsum. 847. cedit tempori. 847. reprehendit Catonem 847 decollatur ab eo, cujus ipse patronus fuerat. 843. ejus querela de Pompejo, 764. ejus dictum de dignitate regia. 23. de discordijs ciuilibus. 71. de via ad gloriã. 82 de auaritia magistratuum. 101. de viris heroicis. 119. de juuenum consilijs. 120. de cupiditate regnandi. 196. de Principibus, quod aliorum nutu regantur. 260. de eorum exemplis. 282. de natura. 283. de bello ciuilibus. 580. de inuidia. 608 de ingenio vulgi. 749. et in somnijs monstratur Augustus, sed postea propter ipsum conqueritur. 697. eo relegato multi emerserunt. 660.
Cisronius non auditur proditionem detegês, sed suspenditur. 553.
Cimbri irruunt in Italiam. 111. eorum corpora ibi fiunt languida. 809.
Cimmerij in Asiam. 111.
Cimon urbe pellitur. 130.
Cincinnatus ab agro ad Dictaturam vocatus. 158. 744. deponit imperium. 209.
Cineæ colloquium cum Pyrrho. 521.
Cives propter nimiam magistratuum potentiam sæpe fiunt rebelles. 314. quando nõ amplius obtemperant, actum est de ciuitate. 319. melius imperant, quàm peregrini. 546 in alias sedes traducti, facilè earum mores induunt. 815. eorum voluntas est instabilis. 435.
Ciuitas tria habet hominum genera. 168. nec debet confundere actiones. ib. ea quæ habet arcem, vix potest esse sine tyrannide. 178. 179. infelix est, in qua non licet loqui liberè. 395 396. ejus ægra indicia. 646. post se relinquere munitam, victori non semper expedit. 177. in libera periculosa est de inferendo bellò consultatio. 435.
Ciuitates ægrotant. 100. optimè reguntur ab uno tantùm. 155. & contrà. 155. 157.

157. populares semper inquieta. 164. recens extructa sub ipsorum ruinis priores Respub. 177. eas quando exteri extruunt, fiunt priorum Domini. ibi us imminet periculum, quando omnes peregrinæ sine discrimine admittuntur. 545 554. quando etiam varia nationes, seditio. 812. 813.

CLADES initio belli accepta, socios avertit. 574.

Cladibus ingnis impendentibus, Deus affert salutares Principes. 372. 373. &c.

Claudianus de moribus Principum. 126 de eorum exemplis. 282, 317. de Honorio, 263. de malis consiliis. 335. de metu Tyrannorum. 374. de Theodosij victoria, 503. 565. de Leonibus. 583. de humilibus ad honores evectis. 820. 821.

Claudius Imp. 30000. hominum operis publicis exercuit. 183. est timidus, ideoque homicida 712. omnibus est turbulentus 876 ejus dictum de bonis Principibus. 300

Claudius Nero Cæs. cum Collega redit in gratiam propter patriæ salutem. 424

Claudius Sabinus de ingenio vulgi. 751

Cleander ex humili fortuna magnus, ipsum etiam Imperium rapere conatur, sed malè. 67. 345. 826

Cleanthis versus de ingenio vulgi. 752

Clearchus ex ambitione degenerat in crudelitatem. 88

Clearchus ex servo fit intimus Commodi Imp. 345

Clemens Ianitius de vestitu Polonorum 717

Clementia est salutaris gubernatorib 170. 171. 303. 304. &c. in victoria plus efficit, quàm crudelitas 581. ejus fama est optima gloria. 306. 307

Cleomenes ejecit Demaratum 134. præfertur reliquis fratribus. 232

Cleon est turbulentus. 160. infeliciter contemnit hostem 530

Cleopatra fratrem & sororem necat. 192. 202

Clisthenes est modestissimus erga cives suos. 315. lege plectitur, quâ ipse tulerat 340

Clitipostrema vox. 407

Clodius est homo turbulentus. 776.

Clodo Gallum Gallias à Rom. Imperio avellit. 9 ei monstratur vadũ acerba. 784.

Clotides pictura se ulciscitur 512

Clotharius adhuc in cunis jacens est causa victoriæ. 860.

COCLES sustinet exercitum solus 765

Cæci & claudi defendunt Hierosolymã 564

Cælum sanguineæ speciæ visum, portendit Græciæ clades. 697

Cognatorum odia sunt implacabilia. 476. 477

Coij cur statum mutârint 38 amiserint 167

Collega raro concordes. 132

Collegæ qui magistratum abrogant, non supervivunt annum. 733

Colophonij propter luxum pereunt. 644

Colores causa dissidiorum intestinorum 442

Collocutiones inter hostiles exercitus, tempore inducIarum, non vacant periculo, 868. 869

Collocutiones Regum cum altera hostili parte non sunt instituendæ 869

Cometa aut ingens malum, aut ingens bonum portendit 137 sed plerunq; aliquid mali 694

Commilitones qui dicantur 510

Commodus Imp. occidit Cleandrum, ex humili factum magnum 67. 345. 826 Perennem cum filio 826 candentibus juglãdium putaminibus barbam sibi adurit, 375

Conatus extra vocationem suscepti semper sunt infelices 781

Conciones seditiosæ in Germania & Gallia. 394

Concordia res parva crescunt 71

Conditiones iniquæ non sunt diuturnæ 585 honestæ autem & moderatæ multum pariunt boni. 586

Confessio fugitivorum quando exhibita 8

Confidentia nimia sæpe perdit Principes 298

Confœderati plures non diu gerunt bellum 475

Conjura-

*Conjurationes sæpe sunt periculosæ* 590
*Conjuratis initiò animus inest, sed non diu durat* 444
*Conradus à Iungingen non vult bellum movere contra Polonos* 462. 463
*Conradus Trincius Diabolicam vindictam sumit de cadavere* 800.
*Consilium conservat Respub.* 104. 347 *bonũ facit Principes claros* 254 *malum consultori pessimum* 331. 332 *&c. unicum rectum sæpe magnam militum manum vincit* 400 *destinatum ad regendas provincias, ex omnibus est constituendum* 549 *unde dictum* 259 *plura efficit, quàm vis* 255.
*Consilia iuvenum sunt temeraria* 122. *bona potiùs impediuntur, quàm adiuvantur* 206. *magnarum rerum non vacant periculis* 321. *quò secretiora, eò securiora* 324. *salutaria sæpè sunt ingrata* 324. 325. *audacia & temeraria tandem fiunt tristia* 326 327 *ita & præcocia & ambitiosa. ib. ponderantur vetũ* 669. *multorum prævalent unius* 349 *aliorum nõ sunt negligenda* 343 *bonis duæ res obstãt* 321. 322
*Consiliarius nõ tantùm unus adhibẽdus* 344
*Consiliarij Melancholici aut Phlegmatici natura sunt inepti ad cõsilia* 258 *quales eligẽdi* 520. 548 *semper sunt diversi* 301 *crudeles aut in proprio corpore, aut in posteritate puniuntur* 830 *timidiores sunt meliores pugnacibus* 841 *eorum impetus abripit bonos Principes* 260 *culpa magnorum malorum causa* 318 *eos maximè commendat taciturnitas* 259 *bonis remotis, in Principib. crescit furor* 262
*Conspirationes ipsis autoribus sunt exitiosæ* 661
*Constans interficitur ab eo, quem ipse servârat* 843
*Constantia fax turbarum in Ecclesia* 191
*Constantinopolis dat pœnas libidinum* 97 *infeliciter fidit superstitiosa prædictioni* 709 *mutat vestitum, non sine malo omine* 722
*Constantinus M. excitit Cellegas* 133 *subscribit Arianorum blasphemiæ* 251. 221 *injustè judicat* 262 *fuit adeò doctus, ut ipse sua voce refutaverit Ar.ũ* 264. 815 *revocat eundem* 407. *ejus vox de Trajano* 603
*Cõstãtinus II. seducitur ab adulatoribus* 368 *alienis inhians, propria amittit* 522
*Constantius Imp. in gratiam Eusebij fit Arrianus* 345.
*Consules quàm diu Romã gubernârint* 5
*Consules duo Romæ in publico bello ex inimicis fiunt amici* 424
*Contæus est crudelis consiliarius, ideoque non diu vivit* 831
*Contemptas aliquando res, postea cupidissimè acceptamus* 773
*Contemptus Principum præcedit eorum eversionem* 65
*Contumelijs graviter offendimur* 741
*Convena plures nõ recipiendi in urbem* 523
*Conventicula operariorum semper suspecta* 757
*Coracotas prædo proscriptus ab Augusto, ipse se coram illo sistit* 238
*Corbis & Orsua fratres de imperio certant duello* 230
*Corbulo malam reportat gratiam* 409. *milites suos non vult esse otiosos* 855
*Corcyræorum plebs optimatib. captis ipsa imperium arripit* 545
*Cordigera est navis inusitatæ magnitudinis.* (488
*Core, Dathan & Abirom propter ambitionem puniuntur* 791
*Coriolanus adversatur multitudini* 396. 756 *ad hostes se confert* 511. 526
*Cornelius Balbus vetat Cæsarem Senatui assurgere* 348
*Cornelius Gallus venit in odium* 407
*Corvinus Cos. sua fortitudine accendit milites* 863
*Corvorum pugnæ cum milvis* 499. 500. *cum cornicib.* 500. *inter se ipsos. ib. cum accipitribus* 501
*Corvis nauticis terrentur Carthaginenses* 572
*Cosmas Medices habet Capricornum in ascẽdente*

dente 109. vix evadit sicarios 386. prædicitur ipsi opulenta hæreditas 109
Cosmographica doctrina necessaria est Principi, bellare volenti in extera regione 490
Cotius vincit provocatus 497
CRASSVS infeliciter transgreditur fatalē limitem 113 propter amicorum importunitatem ex liberalis fit parcus 427. falsè taxat Dejotarū, quē idem facit 779. movet bellum nō necessarium 452. 779 propter insciti am regionis perit 491
Crassi inepti imitatores 78
Crastinus respondet Cæsari, de pugna Pharsalica eventu interroganti 568.
Craterus vir honestus in aula Alexādri M. 244. 790. (χῆς 370
Cremutius Cordus, cogēte Tiberio, sibi αὐτό-
Cresphontes dat pœnas propter defraudatos orphanos 107 (70
Crispi ad Cæsarem oratio de excidio Reipub.
Critias est Sophista & Tyrannus 186. 737. necat Theramenem propter moderationem. ib. in prælio cadit 315
Crœsus fratrem assumit in consortium regni 150. cur Cyro bellum intulerit 459. 461 cur Solonem regno pepulerit 367. malè sibi consulit 330. est exemplum humanæ infirmitatis 654. non audit salutares monitus Lydi cujusdam 704. fiducia fœderis evertitur 596. dissuadet Cyro bellum 654. eumque monet de instabilitate regnorum 4. recepit Adrastum, qui ipsi filium occidit 843
Crotoniatæ novo astu vincunt Sibaritas 61
Crudelitas est exitiosa Regibus & Principib. 63. nimia subditos facit rebelles 312. recidit in artificē, idq; fit memorabili exemplo 64. eius tandem est satietas 252
CTESIPHON fatalis Romanorū limes 113
CVCVLI colloquiū cum Avib. 432
Cupiditas rarò habet eventus felices 437. 770.
Curio dum nimis temerè credit, seipsum & exercitum perdit 330
Curius dentatus ex omni præda tantùm caudam ligneam sibi sumit 506
Curtius de vulgi judicio 750
Cusculenus Rex Scotorum propter libidines cæditur 59
CYAXARES expostulat cū Cyro 434. amutescit 790
Cygni provocati vincunt 496 (latur
Cynæas eloquentia & liberalitate multa efficit 851
Cynathenses sunt inhumani propter negligētiā Musices studium 726. omnib. exosi propter crudelitatē 63. magno suo cum damno revocant exules 526
Cyrus à cane nutritus 266. beneficio mulierum victoria & regno potitur 569. moderatè utitur victoria 579. 631 nullum tributum à Persis exigit 852 dehortatur milites ab otio 856. à Caribus accersitus, eos subjugat sibi 541. multa regna evertit 116. multa didicit à senibus 124. infeliciter movet bellum adversus Scythas 452. 459. 781. 793. propter ignorantiā doctrinæ Cosmographicæ cū exercitu perit 491. præfert Cambysen fratri 233. nō obtemperat Crœso. 704. trāsgressus fatalem limitē vincitur 114. moriturus hortatur filium, ut amicos sibi paret 227. eius dictum de bono Principe 301. de beneficentia 304. de militibus 474. sepulcrum cum inscriptione 706. ei Sol v. sua ante pedes denūciat quot annis sit regnaturus 697
Cyrus junior fuit valde comis, humanus & liberalis 214. 761. infeliciter movet bellum non necessarium 215. alienis inhiat, propria cum vita amittit 522

## D

DAOI deficientes à Polonis propter Turcas, utrisq; postea servire coguntur 559
Dani omnes in Anglia caduntur 883
Daniel propter artem magni fit 226. ejus septuaginta hebdomades 1. Verba Mane, Tekel, Phares explicātur 11. 13. 14. &c. ei invidetur propter virtutem 609
Danorum & Svecorum pugna navalis 488
Danubij et Rheni cōjunctio tētata 679. 682 cum Multavia 682

Dathamen invidia ad voluntariam adigit mortem 611
Darius incitatur contra Danielem 260
Darius dicit sententiã pro Monarchia 153. fit Rex 154
Darius Hystaspis est intrepidus erga sicarios 277. propter Ducum dissensionem sentit damna 514. 791. ejus votum 227
Darius conatur patrem interficere, sed praeuenitur 231 (438
Darius tertius Rex Iobazi filios mactat
Darius est nimis avarus 69 propter repulsam infelix suscipit bellũ 97. 114. Valde minatur Atheniensib. 181. nõ obtemperat Memnoni bene monenti 704 aperit sepulcrum Semiramidis 707. mutat acinacẽ non sine malo omine 722. Vincitur ab Alexãdro M. 64. eius insignis insolẽtia erga eundem 62. eius Capitaneus pulsat militem propter maledicentiam 849
David ferè inermis Goliathum vincit 568 à Deo singulari ornatur majestate 21. difficilem habet gubernationẽ 209. fuit bellator 239. non est tenax injurariũ 306. malã reportat gratiã 129. objicitur Palæstinis 369. assentatorem trucidat 279. 429. provocatus vincit 496. sentit vulgi inconstantiam 753. graviter fert legatis vestes & barbas decurtatas 720. jurat se neminem interfecturum 759. cur regno pulsus 94. graviter irascitur Nabali 86. graviter peccat numerans populum 209. 791. fit exemplum humanæ imbecillitatis 211. 219. 239 in rebus secũdis sibi indulget 640 peccat πολυπραγμοσύνῃ 781 punitur propter ambitionem 791 cur lugeat 672. in aula Achis est suspectus, ideoque removetur 561. utitur Ioabo ut lippo oculo 462. ex agritudine animi errat 806. malum male curat 848. infeliciter curat exhumari ossa defuncti 705. Comica facie agit Tragœdiam cum Vria 416. eius commiseratio erga Hanonem malè accipitur 413. posteris fiunt extremè pauperes 144. ei adjungit Deus Syros hæreticos 119
David pseudo Messias 686
David Rizæus ex humili factus magnus, potentia abutitur in sui perniciem 826. 827
Deborae & Baroco militat æther 504
Decemviri initiò fuerunt justi; sed non diu 776. propter nimiam potentiam & licentiam abrogati 95. 776. 314
Decius Murena totum exercitum sua fortitudine servat 862
Decretum DEI non potest mutari, nec impediri 44. 683. 684 &c.
Defectiones sequuntur exercitus clades 574
Defensores fiunt devoratores 536 537
Dejanira mittit Herodi vestem veneno tinctam 435
Dejoces Rex Medorum adhibet custodes corporis, & non vult esse sine armis & præsidio 297
Dejotarus suos filios propriis manib. trucidat 198 iter ceptum inter mittit propter aversum aquila volatũ 697. Crassi mordacitatem falsè retorquet 779
Delator in aulis primas tenet 358
Delicati fiunt pigri 39 (441
Delphis cur mutarit formã gubernationis
Demades habet tantum fractum naufragi 79 est autor belli Laconici 161. fatetur, se cudere naufragia patriæ 393. 846. eius dictum de Oratoribus. 390
Demaratus est cautus 411. 433. propter cõtemptũ desinit ad Medos & Persas 558. eius dictum de multitudine 751
Demetrius Rex ab anu admonetur officij 258. 839 bello petit Romanos 467. Ptolemæo, qui idem fecerat, remittit captivos 761. temeritate sua perit 863
Demetrius Phalereus ejicitur in exilium 129
Demetrius à patre occiditur 200. 201
Demetrius Soter fratris filium necat, et sentit postea talionem 201. 202. 233
Demetrius Antigoni filius ab Atheniensibus urbe excluditur 649
Demetrius pirata excusat piraticam apud Alexandrum M. 237
Demetrius assentator Philippi 244

*Democratia qualis sit forma* 150 *degenerat in regnum* 54. *in Anarchiam* 149. 154. *idq; propter septem causas* 165. 166. *&c. est obnoxia mutationib.* 162. 163 *est status deterrimus* 163. *an ea florent homines turbulenti* 159. 160

*Demonax reprehendit superbientem propter elegantiorem vestitum* 717

*Demosthenes dicit civitates egrotare* 100. *improbat morem tantùm dictes ad magistratum vocandi* 101. *nō discernit inter Regem & Tyrannum* 152. *svadet non necessarium bellum* 161. *eligit mortem pro Repub.* 210. *impedit conatus Philippi* 295. *fuit inconstans* 393. *abiecit clypeum* 394. *Venusto Apologo dissuadet Atheniensibus deditionē Oratorum* 397. *nunquā respondet imparatus* 849. *patitur argentanginam* 851. *pellitur in exilium, reducitur, rursus pellitur, tandemque veneno perit* 657. 658. *eius salutaris adhortatio ad cives* 519. *consilium infelix* 687. *querela de Athenarū urbe* 750. κακοζηλία *ineptā* 78. 847. *dictum de assentatione* 367. *de Tyrānis* 373. *de diffidentia* 788

*Desperatis nihil tam arduum; quod non suscipiant* 34. 35. *cum ijs non est pugnandum* 454. 455

*Deus primo mundo concedit spacium pœnitentiæ satis longū* 4. *nullum peccatum iratus odit ut idolatriam* 91. *potētior est omnibus Tyrannis* 381. *certis modis revelat mutationes Rerumpub.* 46. 47. *quid faciat* 145. *corda hominum habet in manibus* 381. *mentē priùs illis eripit, quos vult punire* 700. 701. *&c.*

DIABOLUS *est hostis imperiorū* 208 *interrogatur quod sit maximū peccatum* 636. *fatetur ipse, se non posse nocere Iudicibus ordinariis* 775. *nec potest ferre præsentiā legitimi magistratus. ib. eius natura* 185

*Dicacitas mordax multis est exitio* 430

*Dictator apud Romanos* 158

*Diffidentia est origo multorum erratorum* 596. *est propugnaculum civitatū adversus Tyrānos* 788 *ea sæpe est opus* 295.

*Diluvium cur venerit* 91. 94. *in Thessalia* 690

*Dimidium plus toto* 516

*Dinantium urbs miserè excisa propter furorem plùs quàm Diabolicum* 86

*Diocles propter stuprum necatur* 58

*Diocletianus conqueritur de onere imperij* 208. 246. *deponit illud* 210. 563.

*Diogenis iudiciū de immanissimis feris* 364. *consilium contra invidiam* 608. *dictū de adulatoribus* 364

*Dio Syracusanus exul & proscriptus movet bellum* 526

*Dion hortatur Dionysium ad sobrium vitæ genus & Philosophiam* 419. *pellit eum regno* 386. 654. *ab aulicis exagitatur* 413. 419. *est clemens erga hostes* 760. *periit propter nimiam confidentiam* 298. 761. *clementiam* 760.

*Diōn de fastidio præsentis status* 561

*Dionysius pater quomodo tyrānide Syracusarū fuerit potitus* 167. *est ingratus hospes Locrensibus* 179. *Ph. Ioxenum Poētā in lapidicinas damnat* 222. *metuit cultros tonsorios, nec propriis uxoribus fidit* 375. *ab Hellopida confirmatur ne fugiat* 654. *non habet tertium hæredem* 384. *pellitur ex regno. ib. est prorsus* ἄθεος *& scurra* 834. *eius colax lingit ipsius sputum* 367

*Dionysius filius in ocio & delitiis educatur* 506. *regnum à cade fratrum & cognatorum auspicatur* 201. *primum est mitis, postea crudelis* 251. *obtemperat Dioni recta monenti* 419. *pellitur regno* 164. 386 *cùm tamen jactaret illud esse adamantinū* 21. *fit Ludimagister* 378. 384. 376. 654. *eius uxor & liberi experiuntur vindictā plùs quā Diabolicā* 800 (225

*Dionysius Milesius magnus fit ab Adriāo Imp.*

*Dionysius Halicar. de alieni appetitione* 520

*Dioxipp9 inermis vincit militē armatū* 498

*Disciplina laxationē sequūtur pœna* 31. 33. *eversiones regnorū* 117. 668. *militaris quando laxatur, omnia pessumeunt* 472. *eius detrectatio facit nobis hostes nostros superio-*

*superiores* 865. 866. *exempla apud Turcas* 865. 867. (354
*Dissensio sententiarum nõ semper periculosa*
*Discordia sæpe ex rebus levissimis oriuntur* 439. *exitiosa imperiũ* 11. 26. 27. 28
*Disputatio de optima forma gubernationis* 152. 153
*Dissensiones intestinæ præcedunt regnorũ eversiones* 26. 27. 28. 70. 71. 117. 421. 423 *sũt pernitiosiores hoste externo* 468. *à parvis initijs orta difficulter possunt sanari* 27. *faciunt nostros hostes nobis superiores* 865 *in ijs moderati à vehementioribus opprimuntur* 736. *crebra sunt mutationes voluntatum & defectiones* 837
*Divites non semper in Senatũ cooptandi* 101
Doctι *semper in precio habiti* 221
*Doctorũ in Ecclesia diversi sunt gradus* 301
*Doctrina & leges simul florent & intercidunt* 599. (*perit* 831
*Doëg propter crudele cõsiliũ unà cum Rege*
*Dolabella vendit quæsturam* 100
*Dominicus Michaël Dux Venetus ex loro facit pecuniam* 494
*Dominus qualis, talis & servus* 281. 288 *ijs qui volunt esse pares, rarò habent bonos exitus* 798
*Domitianus fratrẽ Vespasianũ adhuc spirãtẽ curat sepeliri* 201. *initiò est placidus, postea degenerat* 251. 824. *laudat clemẽtiam* 175. *eum, qui Neronis cædẽ adjuverat, capitiũ damnat* 279. *est pessimus, sed habet bonos amicos* 353. *est demẽs & crudelis, sed tamen regnũ optimè sub illo administratum est* 353. *habet mirabile somniũ* 48. 377 *simulat se amare eos, quos odit* 835. *tollit omnes, qui sunt ex stirpe Davidis* 201. *& Senat. sibi suspectos* 369
Drahomira *crudelissima mulier à terra absorbetur* 193
Dudlaei *Varia fortuna* 656 (135
*Duo non bene imperant, meliùs tres* 134.
*Dux senex præstat juvene* 124. *timidus totum exercitum facit timidum* 316. *ẽjus præsentia multum facit ad victoriã* 857. 858. *honesti officium* 859. *unius qui est peritus, sententia centum imperitorum Ducum judicio præferenda* 861. *temeritas tandẽ est infelix* 863. *continentia reliquas milites in officio continet. ib.*
*Duces cur tam difficulter descendãt in bellum* 493. *gloriam præferunt prædæ militari* 506. 507 *milites suos semper summa benevolẽtia complexi sunt* 509. 510 *inter se dissentientes produnt exercitum, ideoq; separandi* 512. 513. 789. *sæpe propter insperatas victorias ad regnum occupandũ impelluntur* 576. *sæpe in discrimen se cõjiciunt propter fiduciã & aviditatẽ* 577.

# E

Eberardus *Barbatus succenset juveni propter caligas* 721
*Eberardus Doudebalgus propter virtutẽ sentit invidiam* 610 (tia 409
*Eboracensis est exemplum aulicæ benevolẽ-*
*Ebrietas sæpe causa capiẽdarũ urbium* 532
*Ebrij evertunt Respub.* 38
Ecclesiæ *duæ pestes* 183. *gubernatio omnium difficilima* 206. *ei quingentesimus annus est fatalis* 7. 8.
*Ecclesiastæ volunt esse Monarchæ* 155
*Ecclesiasticis solis nõ bene cõmittitur gubernatio* 424
*Ecclipsis Solis perterrefacit Niciam* 436
Echemon *Tegeata provocatus vincit* 498
Edictum *in visum non diu durat* 171
*Eduardus Rex Angliæ fovet factiones* 419. *dum indigenas nõ adhibet ad honores, excidit tota regione* 550. *malè facit, quòd cum Carolo Burgundo, & cum Ludovico XI. colloquitur* 874.
*Eduardus III. duobus magnis prælijs vincit Gallos* 247. *cõqueritur de Caroli V. Regis Galliæ sapientia. ib.* 255
*Eduardus IIII. excogitat novum exactionis genus* 494. *cur factus novies victor* 860
Egestas *Rerumpub. pestis* 182
Einhardus *filiam Caroli M. stuprat, quam deinde ex singulari patris clementia uxorem accipit* 310. 311

ELBINGENSIS quidam suspendendus dimittitur, qui postea multas domos incēdit
Electores quando constituti 6. 19 (845
Elephants valde terrent Romanos 573
Elias divina autoritate est circūdatus 383
Elisabetha Anglia Regina Mariā Scoticam in carcere detinet 204 (390
Eloquētia improborū civium est pejor peste
Elusiones aquarum semper aliquid portendunt 689. 690. &c.
EMIR Soleimanni percussores exusti 279
Empedocles de simil. b. 283. (gut 641
ENDE wenns gutist / sonsts alles
Enicus Lupides schedas distribuit, deficiente pecunia 494
Ennius de fato imperandi 45. de ambitione 80. 132. 195. de Fabio 85. 102. 830
EORICVS Gothorum Rex propter libidines saxis obruitur 59
EPAMINONDAS fuit pauperrimus 743. satellitii scutū adimit. ib. propter rem præclarè gestam accusatur 735. eius mortem secutus Thebarum interitus 676.
Ephestio assentator Alexandri M. 244. 367 magni fit 345. 790. à matre Darij agnoscitur pro ipso Alexandro 510
Ephesus est officina Martis 562. neminem patitur excellere 612
Ephialtes est pauperrimus, nec tamen vult recipere oblatam pecuniam 743
Ephori cadibus in se mutuò sæviunt 203
Ephraimita infeliciter invadunt terrā promissam 453. 688
Epicharmi dictum de diffidentia 295
Epiphanij contentio cum Chrysostomo 215
Epirota dum volunt utramq; partē fallere, sibipsis nocent 535. propter negligentiam excubiarū & securitatem caduntur 878
Episcopatus quando constituti 8
EQVITANDI artem tantùm Reges rectissimè discunt 361
Equus luceratur à Leone propter iniquam partitionem 561
ERASMVS fuit pugnax 394
Eremita cum vasculo melius 771. 772.
Errores in consiliis præcedunt pœnas 700. 701. 806. &c. sunt causa magnarum calamitatum 650
Eruptiones obsessorum sunt periculosæ 881
Erythrius potius se abdicat magistratu, quàm subditos oneret 853
ESAIAE dictum de dissensionib. civilibus
Esau reprimitur à DEO 382 (469
Esra instaurat politiam Iudaicam 8
ETEOCLES est capitalis fratris hostis 297
eius vox tyrannica 196. 373
Ethnici cur tā diu adversati religioni Christianæ 621
EVAGRII monitio ad Imperatores 285. dictum de obedientia militari 471
Eucratidas à filio propter regnum occiditur 200. 231
Eudoxia fovet Eutychianos 192 (669.
ex Eventu judicatur de justitia causæ 668.
Eventorum causæ magis movent, quàm ipsa eventa 672
Eugenius interficitur 638. 662. 765.
Eumenes lectica defertur in prælium 860
Euphrates fatalis limes Romanorum 113. eius in Tygrim derivatio tentata 681
Euridice maritum & filium interimit 193
Euripides non vult corrigi 216 eius dictum de tyrannide 163. de diffidentia 295. de odio inter domesticos 479 de adversa fortuna 648. de terrore Panico 763
Europæa virtus semper est formidabilior Asiaticā 808 (tium 345
Eusebius Eunuchus totum possidet Constan-
Eusebium Basilio malè vult 215
Eutropius Eunuchus totum possidet Arcadium 345. comparatur Gorgoni. ib. legē patitur quam tulit 335. 340
Euxini maris & Caspij conjunctio tentata 679
EXAEQVATIO grata est inferioribus. 798
Exarchatus Ravennæ quando institutus 6
Excubiarum negligentia hostibus sæpe præbet victoriam 878
Exemplorum magna vis 280. 282. 290. 216, 217. &c. 802.

*Exercitus cervorum duce Leone* 317. *uter sit victoria positurus, signum* 502. 566. *simulans metum sæpe decipit hostes* 531. *valde terretur novo machinarum genere* 572. *juxta diversas plagas mundi sit aut robustior, aut langvidior* 808. *otiosus facilè excitat seditiones* 854 855. *est similis incendio* 854. *extraneus, si semel seditionem moveat, est implacabilis* 856. *semel propter non soluta stipendia irritatus, novas tumultuũ quotidie quærit occasiones* 857. *fugiens sæpe propter adventum Regis fit victor* 858. *eius cladem sequitur sociorum defectio* 574

*Exercitui toti sæpe unius fortitudo salutaris est* 862

*Exercitus sæpe perierunt propter custodum negligentiam* 532. *dissolvuntur propter annonæ defectum* 491. *parvi sæpe vincũt magnos* 762 763. *&c. peregrinos qui introducunt, veniunt in odium* 854.

*Exitus est consentaneus principio* 522

*Exordia in omnibus rebus debet esse blanda* 170

*Expeditiones propter defectum annonæ fiunt irritæ* 491

*Expilationes nimiæ causam præbent seditionibus* 41

*Externa auxilia sunt exitiosa ijs, à quibus accersuntur* 536. 537. *&c.*

*Extranei quando non & ipsi ad honores evehuntur, excitant seditiones* 828

*Exules sæpe sunt causa novorum bellorum* 524. *semper sunt in suspitione* 560

EZECHIAS *habet infideles consiliarios* 130. *quibus rebus attraxerit Sennacheribum* 464. 465

## F

FABAE *evanescunt, dum non amplius licet illas gratis carpere* 699

*Fabianus à Dona evadit periculum* 532

*Fabius maximus Dictator contra Hannibalem eligitur* 159. *cur Cunctatoris nomen acceperit* 102. *multas cogitur audire calumnias propter cunctationem* 829. *calidè circumvenit exercitum Hannibalis* 39. *non vult rem Romanam ancipiti prælio committere* 458. *inani terrore ab Hannibale fallitur* 767. *adversatur sententiæ Scipionis de transferendo bello in Africam* 740. *reprehenditur à Coss. propter divulgationem arcanorum* 260. *propter cunctationem* 829. *eius consilium senile præstat Manlij juvenis* 125. *eum valde formidat Hannibal* 255. 571

*Fabius Æmylianus parva manu vincit Gallos* 765

*Fabius definit Oratorem* 393

*Fabij CCCVI. uno die pereunt* 530

*Fabritius non vult venenо pugnare* 333. *cenat fictilibus* 744

*Fabula de serpente, rustico & vulpe* 127. *de serpentis cauda & capite* 168. *de vulpe & ermaceo* 539. *de echino & lepore. ib. de leone, equo, vulpe & asino* 561 *de leonibus picturam aspicientibus* 671. *de canibus versicoloribus* 866. *Vide plura in dictione Apologus.*

*Facetiæ sæpe facetis sunt exitio* 430

*Factiones magis sunt exitio Reipub. quàm externa bella* 71. 346 *sempe. in aulis sunt usitatæ* 417. *omnes cõjunctæ cum periculo* 418. *in Anglia* 420. *(fallit* 742

*Fama fortib. virũ nõ est neganda* 511. *sæpe*

*Famagusta expugnata à Turcis* 16

*Fames post aquarum exundationes* 689

*Familia tota sæpe delet a* 565

*Fatalia quatuor in omnibus regnis & Reipub.* 2. *non sunt alia* 44.

FELICITAS *nimia nõ solet esse diuturna* 651. *est hominis maximus hostis* 652

*Fenestræ est causa justi judicij* 257

*Ferdinand. Imp. interrogat Senatorẽ Noriberg.* 173. *pacẽ in Germania cõstituit* 240 *ejus judicium de fratre Carolo V. Imp.* 84

*Ferdinandus recuperat Hispanias* 10. *cur censeat parãdas expeditiones* 449. *vincitur propter militarem inobedientiam & cõtrà* 474. 473 *quomodò Petrũ Navarræ Regem*

*Regem regno spoliârit* 534 *eius sententia de delectib. peregrinorum mil. tum* 472
*Ferquardus II. Rex Scotorum regno potitus, fit alius, quàm fuit privatus* 251
*Fessarum Rex fratrem jugulat, cum quo fœdus fecerat* 597
*Festinatio obstat bonis consiliis* 321. 322
FIDES *omnium virtutum splendidiss. in Principe* 598
*Fiducia vincendi est initium* 566. *rerum gestarum nimia sæpe est exitio* 577
*Filia prodit patrem* 295 (*Filia* 441
FLORENTIAE *unde extiterint bella civi-*
*Florētini habuerunt statū turbulentū* 164 *dum volunt esse neutrales, conjiciunt se in periculū* 535. *duo provocati vincunt* 497
*Fluminum derivationes semper tentatæ infeliciter* 677. 678. *&c.*
FŒDERA *externa semper sunt exitiosa* 537. *dissimilium sunt infelicia* 591. 592. *&c. juncta cum impiis sunt* DEO *invisa, & hominib. perniciosa* 595. *cum subditis facta, rarò servantur* 597
*Fœderati ex amicis fiunt hostes* 592
*Fœmina mirabilis apud Principes.* 245
*Fœminarum imperium semper pernicios um* 188. 189
*Fœneratorum sævitia cōcitat seditiones* 43
*Formicarum pugna portendit bellum* 501
*Fortiores imperant inferioribus* 177
*Fortitudo militaris sine obedientia nihil valet* 471. *unius sæpe tōti exercitui est salutaris* 862
*Fortuna homines non reddit meliores* 400. 817 *facilè mutatur* 650. 651. *&c. pingitur in pila consistēs* 652. *est noverca virtutis. ib. quò se inclinat, eò & favor* 669. *quid propriè sit* 782. *adversa facit homines morosos & irritabiles* 648. *secunda elatos & superbos* 817. *eius persod.* 622 623. *&c. tres gradus. ib. eam invidia comitatur* 610. *mētis etiam perturbatio & voluntatum mutatio* 646. 647. *&c.*
*Fortunatus est quis in uno genere, in alio nō item* 658.
*Fossa ab Averno Ostiam usq; tentata* 680
FRANCI *quomodo attracti in Galliam* 96. *cur adhibuerint corporis custodes* 297. *eorum regnū quàm diu durārit* 9. *Reges non conspiciebantur ab omnibus* 297
*Frāciscus I. dum literas amat, multos habet imitatores* 284. 285 *ita etiā dum propter vulnus caput tonderi jubet* 286. *quarit de Bigōtio, qualis sit* 154. 419 *turbat pacē Germania* 293. *leniter animadvertit in Rupellanos* 310 *capitur* 654. *cùm captus esset extra regni fines, regno magis fuit salutare* 486. *à sociis Italis deseritur* 598. *Carolum V. excipit hospitio in quadā peculiari arce* 628. *terretur exemplo prælij ad Papiā* 649. *abrogat confratrias artificum* 758. *in senecta fit morosus* 254
*Franciscus Dux Andium nihil efficit in Belgico* 883
*Franciscus Galeatius assumpto mercatoris habitu audit, quid de se dicatur* 245
*Franciscus Vice Comes Paduanus insuit homines in pellibus ferarum* 379
*Frater occidit fratrē in plio* 480.
*Fratricidia usitata Turcicis Regibus* 197
*Fraudes non semper feliciter succedunt* 331 332. *&c.*
*Frid. Barbarossa graviter ulciscitur Mediolanēs.* 86. *est in summo periculo* 267. 268
*Frider. Imp. irridetur à Duce VVirtemberg. propter admonitionem ad modestiā* 641 *prohibet conventicula opificum* 758. *eius mortem quid consecutum* 677
*Fridericus II. Imp. est ingratus erga Petrū de Vineis* 407
*Fridericus Elect. Saxonia cum fratre in ruinosa nave divinitus servatūr* 272. *habet trāquillū cursum* 384. *minatur Methonē expugnari potuisse* 565. *jubetur Quæstoribus ampliora constituere stipēdia* 804. *nunquā respondet sine deliberatione* 849 *eius dictum de Cancellaria* 301 *de fœderibus* 592. *de assentatoribus* 367. *de mutationibus legum & consuetudinum* 621
*Fridericus Victoriosus Palatinus fuit Princeps præstans* 15. *humaniter excipit rusticum offerentem sibi pyrā* 798

*Fridericus & Vilhelmus fratres à Consiliarijs in bellum pertrahuntur.* 850.
*Fridericus Marchio Missnia divinitus in perriculo servatur.* 273.
*Fridericus Comes Vrbinas imperata facit magno cum damno.* 323. *laudat militē qui obtemperat.* 474.
*Fridericus Khun de aularum ingratitudine.* 406.
*Fronspergius jubet claudere manus & aperire oculos.* 456. *parva manu vincit hostium copias.* 568. *Venetos ad Vincentiam.* 527.
FVLVIA *prodit Catilinam.* 591.
*Fures minores in catenis ferreis, majores aureis.* 803.
*Furor in pœnis auget calamitates.* 614. *præcedit pœnas.* 700. 701. *&c.*
Fürwitz *quid.* 781.

# G

GABRIEL *Marchio Salussiarum fratrem in vincula conijcit, à quo rursus pellitur.* 229.
*Gabrinus Fundulus magnum facinus confitetur.* 272.
*Galba bonus Princeps succedit Neroni tyranno.* 240. *reprehenditur à subditis* 838
*trium Consiliariorum nutu regitur.* 261
*non rectè sentit de inopibus.* 41. 43. *conqueritur de adulatoribus.* 261. *propter nimiam potentiam tribus Consiliarijs cōcessam necatur.* 67. 242. 245. *ejus consilia sæpe impediuntur.* 293.
*Galli quomodo in Italiā attracti* 34. 96 *idq; fit infeliciter.* 543. *ob expilationes rebellarunt Romanis.* 43. *Tyrrhenos opprimunt.* 96. *cur in Sicilia omnes interfecti. ib.* 550. 883. *infeliciter cum Hispanis in bello Lusitanico de loco & virtute certant.* 551. *ad Neapolim peste affliguntur.* 504. *dum prædæ nimis inhiant, cæduntur à Romanis.* 576. *ne occupent Capitoliū, ab Anseribus impediuntur.* 784. *vincūt Hispanos ad Ravennam.* 528. *amiserūt Neapolin & Siciliam.* 884. *non deferunt regnum ad fœminas.* 554. 884. *in Italia sunt infelices.* 809. *pro diversitate locorum diversas habent naturas.* 810 *non admittunt externum Principem.* 884 *eorum Reges regno pulsi.* 145. *eos irruptio hostium facit concordes.* 484. *Musica studium reddidit humanos & tractabiles.* 726.
*Gallia habet pulchrum regnum.* 288. *cur bello ardeat.* 229. *ejus regnum quàm diu floruerit.* 6. 9. 254. 425. *per quid evertatur.* 28. 38. 470. *conflagrat bellis civilibus.* 480. *turbatur à venali Iurisdictione.* 777. *ejus forma.* 149 *Reges olim non habuerunt circa se satellites.* 228. *solis liliatis insignibus utuntur.* 604. *opprimunt eos, à quibus invitantur.* 542. *ei plus damni illatum à peregrinis, quàm ab hostibus.* 555.
*Gallus Cæsar nimium tribuit relationibus levibus.* 298.
*Galiherus Rex Scotorum jus dicit super marmore.* 257.
*Gandavum propter temeritatem & iracundiam eversum.* 87. *desperatio eos reddit fortes & victores.* 457.
*Gardianus furem strangulandum ad se recipit, à quo postea interficitur.* 845
GEDEON *à* DEO *armatur autoritate.* 22. *est vindicta cupidus.* 86. *parva manu vincit hostes.* 568. *fit exemplum humanæ imbecillitatis.* 212. 219.
*Geli... Vandalorū Rex captus videt.* 655.
*Genserichus occupat Africam, invitatus in auxilium.* 541.
*Gens una pellit aliam.* 111. *qualibet habet suos mores,* 809. 810. *&c.*
*Gentes externæ invitatæ in auxilium, pellunt eos ipsos, à quibus vocantur.* 536. 537. *&c. nostra quando conversa & peregrina corrumpunt mores eorum, apud quos habitant.* 807. *pro diversitate locorum diversa habent ingenia & naturas.* 809. 810, *&c. earum irruptiones*

*fiunt ab Oriente & Septentrione, pauca contrà 110. plerunq; post mille annos facta. 111.*

*Genuenses propter dissensiones intestinas veniunt in Sfortianorum potestatem 72. fovent factiones. 422. infeliciter faciunt fœdus cum Venetis 597. naturaliter dissident ab iis. ib.*

*Georgius Pogibracius bona nova annunciat Matthiæ. 142. tonsoris facetias ulciscitur. 431. malam reportat gratiam. 130.*

*Georgius Castriotus provocatorē vincit 498*

*Georgius Sechelus dux seditiosorum horrendo supplicio afficitur. 371. 662.*

*Georgius VVollenSveberus est ἀυτόϑλεβιος. 795.*

*Georgij Sabini epigramma de Duce Norico. 245. de rupe Maximiliani I. 271.*

*Germani quàm diu tenuerint imperiū. 6. 10. quod dilaceratum est. 16. si concordes essent, essent invicti. 867. in Italia nō sunt vivaces. 809. Buda malè tractantur. 813. eorū levitas in vestitu 721. 722*

*Germania suis armis sub jugū redacta. 293. est similis belluæ habentis multa capita & caudas. 867. ei impendet mutatio. 28. infelix fuit κακοζηλία. 80.*

GIRADES QVII *insignis insolentia & pœna. 640. 656.*

GLADIVS *in bellis sæpe plus efficitur, quàm scloppi. 573.*

*Gloria mutat homines. 400. præfertur à Ducibus bellicis prædæ hostili. 506. ejus individuus comes est invidia & calumnia. 220. via ad illam 82*

GNATHONES *similes heliotropio & Actæonis canibus. 243. primas tenent in aulis Principum. 359.*

GOLIATH *propter ambitionem sternitur. 791.*

*Gonzaga injustū judicem punit. 185. 774.*

*Gordianus junior utitur consilio soceri, & bene imperat. 353. 553. puer sedat seditionem 842 occisus à Philippo Arabe. 76 cui nimium fidit. 553. ejus querela. 353*

*Gordius suspendit nodum. 159.*

*Gorgani montis à continenti avulsio tentata. 685*

*Gorgiæ Leontinus falsò pro sapiente celebratur. 43.*

*Gorgon quid significet 19. 21. 631.*

*Gorlicij aquarum eluviones quid consecutū 689. 690. 692. mechanicis Senator adjungitur in ipsorum conventibus. 758.*

*Gothani Ernesti certare ad regnum. 143.*

*Gothi occupant Italiam, luxu diffluentem. 39. invitati in eam, ipsi occupant. 541. 542. cur expulsi ex Hispania. 95. pelluntur ab Hungaris. 112.*

GRACCHVS *eloquentia sua turbat Rempub. 394 [illegible] scribus. ib.*

*Graculorum cum piis pugna 501. cum corvis. 502.*

*Gradus ruinæ Imperiorum. 26.*

*Græcæ civitates seipsas evertunt. 28. 72. instituūt Asymnetas. 158. dum singula imperare cupiunt, imperium amittūt. 867. earum κακοζηλία. 79.*

*Græci amittunt libertatem. 293. Ægyptum. 92. ad Troiam ipsi quoq; [illegible] tur. 447. donec fuerunt concordes, sunt victores. 460. conflicturi cum Persis consulūt oraculum. 496. etiam in iusta causa puniuntur. 505. nolūt Gelonis universum committere exercitum. 544. pauci vincunt ingentes Brenni copias. 765. habent ventos adversos. 503. eorum fatalis terminus. 119. monarchiā quid everterit 729. plurimū eis profuit celeritas 482 quid interstum accelerārit. 479. 479*

*Græcia videt bella ex bellis. 132. evertitur bellis civilibus. 479. à Romanis deficit propter cladem ipsorum. 575. non vult mutare veterem Musicam. 725. peregrino habitu utens attrahit Turcas. 722.*

*Granvellus est in magno precio apud Carolū V. 289. excutit Heltū amulū. ib. 790.*

*Gratianus præceptorem suum facit Consulē. 226. occidisset, & cur. 854.*

*Gregorius Nazianz. disputat de vicissitudine Principibus imitationem. 282.*

*Grues agunt nocturnas vigilias. 533.*

Gryphus cogit matrem venenu bibere, quod ipsi paraverat. 336. (148.
GVAGVINVS de Lescone Principe Polonia
Gubernandi ratio qua sit optima. 169.
Gubernatio nulla est felix, nisi à Deo adjuvetur. 284. nulla est sine calamitatibus 206. 207 neq; sine peccato. 207 ejus mutatio mutat etiam leges & doctrinam. 193. asperitas est pœna curiositatis. 515.
Gubernator omnis aut pater, aut tyrannus, aut quæstor. 299 parum efficit, si subditi leges ipsius aspernentur. 319. ei necessaria virtus est clementia & æquitas. 303. 304 &c. quid maximè caveãu 848
Gubernatores alij sũt heroici, alij mediocres alij tyranni. 299 alij lupi, alij mercenarij, alij boni pastores. ib. sæpe coguntur aliud agere propter pauciorũ improbitatẽ. 777. eorum latis intijs non est confidendũ. 247. 248 exempla multũ valent 280 281. &c. 316. 317. &c. ijs opus est omni genere doctrinæ. 264. impiis Deus benefacit propter pietatem subditorũ. 318. temerarios dat Deus, quando vult punire peccata. 303. pro iis orandum. 248.
Guiciardinus est infelix in mercatura & petitione honorum. 658.
Guido Astianus provocatus vincit. 497.
Guildonia societas prohibetur. 758.
Guilielmus Rex Siciliæ pendet à nutu Majonis. 344. 825. (107.
Guilimerus dat pœnas fraude occupati regni
Guimandi fidelitas & constantia erga Childericum IIII. Regem Francorum. 42. 59.
Guntherus Imp. medicum cogit venenum bibere, quod ipsi paraverat. 336.
GYGES necat Candaulem. 297. (&c.
Gynæocratia semper est infelix. 188. 189.

## H

HABRAIMVS est exemplum aulicæ benevolentiæ. 408. Vide Imbreboscha.
Hæreses causa sunt eversionis regnorum. 70. ex cupiditate vindictæ oriuntur. 73.
Hæretici plerumq; crudeles & sophistæ. 183
Haganо Laudunẽsis totũ possidet Carolũ 344
Hagar ingrata est erga Dominã suã. 818.
Haman propter crudele consilium perit 333 552. 831. propter insolentiam. 641. 792
Hamilcar dicitur salvator patriæ. 544.
Hannibal infeliciter contemnitur à Romanorum Ducibus. 530. virtutes æquat vitiis. 215 incipit bellum, ideo Romani vincunt. 447. 453. post victoriam ad Cannas valde fit insolens. 63. Romam capere non potest. 234. 383. 688. fervidos Romanorum Duces non sita timet, ut cautos, & prudentes. 255. valde metuit Fabium, eumq; nominat nubem. ib. evadit insidias. 266. evertit suis bellũ Carthaginem. 423. celeritate sua hostibus incutit terrorem. 483. vincit Romanos propter dissensionem Coss. 513. metum simulans vincit hostes. 531. jocatur de Fabio & Marcello. 571. excitatur à Mercurio 839. est clemens erga devictos hostes 584 nimis duras conditiones proponit Saguntinis. 587. propter securitatem Romanorũ elabitur. 588. columnam auream rursũ suo loco collocat. 697. stratagemate fallit Fabium. 767. deplorat fatum Carthaginis. 424. de summa rerum dimicãs vincitur. 458. non diu est in gratia apud eos, ad quos profugerat. 561. ejus exercitum in Campania delitiæ & luxus enervant. 39. 60. 647. salutare consilium impeditur. 293. vires à Romanis detrectando pralium franguntur. 571. dictũ de appetitione alieni. 520. ei fratis non succedit 337. celeritas dee. 482.
Hannibal & Himilco infeliciter eruunt sepulcra. 707.
Hannibal, Scipio & Philopœmen eodem anno moriuntur. 600.
Hanno adversatur factioni Hannibalis. 423 imprudenter pugnat. 589. audacter fidit Romanis. 599.
Hanoniorũ apud Carthaginenses factio 423
Hanõ Rex Ammonitarũ est Midas 412. 413
Harmodio & Aristogitoni statuæ positæ. 92

*Harmonia semper magna fuit vis in Repub* 726.
*Harpagus vastat Ioniam.* 103. *est assentator.* 414. *Astyagen privat regno.* 65. 313 *ei admonitio sua malè cedit.* 410.
*Harpyja quid significent.* 360.
*Hatto devoratur à muribus.* 379.
HECTORIS *presentia multum facit ad victoriam.* 860.
*Hecuba non vult reddi Helenam.* 191.
*Hegesilochus Rex Rhodiorum libidinosissimus.* 59.
*Heli propter indulgentiam punitus unà cum liberis.* 34. 58 69.
*Heliacus Tyrannus exscindit legatis testiculos.* 300.
*Heliodorum non amplius incessit cupido spoliandi templum.* 832.
*Heliogabalus semper in promptu habet laqueos & gladios ad se interimendū.* 377. *vult Deus esse, sed necatur.* 641.
*Heliotropij natura.* 243.
*Hellespontus fatalis limes Persarum.* 113.
*Hellopida dictum ad Dionysium Tyrannū.* 197 654.
*Heltus ejicitur ex aula Caroli V.* 289.
*Helvetij sunt strenui disciplinæ militaris.* 437. *levi causa incitantur ad bellum contra Carolum Burgundum.* 442. *ante bellum sibi prospiciunt de annona.* 492. *in causa religionis dissident.* 559. *pauci reprimunt exercitum Gallicū.* 568.
*Helvetiarum mutationum causa memorabilis.* 92.
*Helvetici fœderis origo.* 59.
*Hemer civibus frustrà stem facit.* 745
*Henets ad Christum conversi.* 8.
*Henricus III. Imp. divinitus in periculo servatur.* 268 *suis nimium indulget.* 838
*Henricus IIII. Imp. periclitatur, & mirabiliter servatur.* 268. *vincit Rudolphum Ducem Sveviæ.* 662. *à filio incarceratur.* 144. *ejus hostes omnes à* DEO *puniti.* 662.
*Henricus II. Rex Galliæ leniter animadvertit in Aquitanos rebellantes.* 309. *sua facilitate pessūndat regnum.* 254.
*Henricus IIII. Rex Galliæ gladius celeberrimas consequitur victorias.* 574.
*Henricus I. Angliæ Rex fratrem immaniter tractat.* 204.
*Henricus VI. Anglorum Rex cur post funestiss. bellum cum suis necatus.* 346.
*Henricus VIII. Eboracensē incarcerat.* 409
*Henricus Dux Saxoniæ expugnat Bardevicum* 529.
*Henricus Barbatus divinitus servatur in periculo.* 273.
*Henricus Thuringiæ Princeps occisus.* 107.
*Henricus Dux Brunsvicensis ab Antonio Leva callidè circumvenitur.* 133.
*Henricus Schwartzburgensis Comes in latrina perit.* 268.
*Henricus Guisius amico reconciliato non fidit.* 731.
*Henrici Regis Castiliæ filia ex regno pellitur.* 145.
*Henrici Schleinicij Epitaphium* 602.
*Heraclida cur amiserint regnum.* 58.
*Heraclides est ingratus erga Dionem, sed dat pœnas.* 760.
*Heraclides Imp. provocatus vincit.* 497.
*Heraclti dictum de Sole exorbitante.* 106.
*Hercules habet præceptorem.* 264. *provocatus vincit.* 497. *ministrum in mare projicit.* 435. *tandem fit furiosus.* 213. 219 641.
*Hereunius filio dat diversa mandata.* 357.
*Hermannus Buschius in vili vestitu non est Buschius.* 722.
*Hermocratis salutare consilium de non accersendis externis auxiliis.* 540.
*Hermodorus propter virtutem patria ejicitur* 612. *in exilio est autor legum XII. Tabb. apud Romanos.* 815.
*Hermolaus increpat Alexandrum M.* 640.
*Hernosa attrahit Turcas in Bosniam.* 441.
*Herod a quemodo magistratus elegerit.* 167.
*Herodes renovat templum.* 5. *frustrà conatur tollere Christum* 46. *etsi occidat Jum-*

mum Senatum. 106. & pueros. 770 regnum difficulter filio potest relinquere 386. perpetrata una cæde, facit plures. 387. in periculis servatur. 275. est timidus, ideoq; prodigus. 833. Aristobulū per ludum submergit. 835. parricidiis regnum suum firmat. 201. propter cupiditatem plura habendi omnia amittit. 523. miserè perit. 378. 379. junior initiò bonus, postea degenerat. 251. cur Christum libenter videre cupiat. 426. propter ambitionem punitur. 792. ejus successores exterminantur. 145. nemo illi Christi cognitionem monstrat. 417.

Herodotus non discernit inter bonum Principem & Tyrannum. 152. ejus dictum de Democratia. 167. de gubernatorib. 302. de divina vindicta. 666. de bellis civilibus. 479. de excelsis. 487. de legum mutationibus. 620. de superbia. 629. de delictis atrocibus. 664. 667.

Heroës quando excitantur divinitus, sequuntur urbium & regnorum eversiones 115. 116. aliquot, qui uno & eodem tempore vixerunt. 600.

Hercici viri dantur, quando aliquod regnū debet florere. 119 ferè omnes insigni probro à Satana deformātur. 210. 211. &c. singulari modo in periculis à Deo castodiuntur. 265. 266. &c. multi facinus fatali impetu. 319. 320. sunt ornati privilegio speciali. 320.

Heroici motus sunt supra regulam. 319. non sunt imitandi. 78.

Heroici furores. 362.

Hesiodus de pœna totius civitatis. 32. de diffidentia. 295. de malis consiliis. 332. de iis, qui plura appetunt. 520. de superbia. 583.

Hetrusci vates dicunt de periodis regnorū. 4

Hestiæa status cur mutatus. 118.

Hierò moderatè utitur victoria. 586. laudatur à Pindaro. 772. liberè loquentes amat. 397. propter crudelitatem à suis occisus. 65. propter neglectum Senatum. 348. ejus posteri non possunt retinere regnum. 385.

Hieronymus stringit stylum contra Ruffinū. 215. 322. amicitias reconciliatas purè colit. 729. fuit pauper. 744. explicat adagium Pythagoræ. 802.

Hierosolyma expugnatur à Davide. 564. cur eversa. 94. 117. non potuit restitui. 103. non obtemperat Ieremiæ suadenti deditionem. 704. ejus eversionem varia præcedunt signa. 48. segregantur ibi pij ab impiis. 676.

Hillus provocans vincitur. 498.

Hinnitus equi pro Musica. 222.

Hipparchus & Hippias interfecti. 92. 97. 315. 380. 384.

Hippias ulciscitur necem fratris, & regno pellitur. 58. 164. fuit luxuriosus. 60.

Hippocratis aphorismus. 56. 526.

Hircanus cum fratre dimicat de regno. 200 230. 479. amittit aures. 479.

Hispania recuperata. 10. habet sapiens consilium. 288.

Hispani irruptione hostium fiunt concordes. 484. infeliciter contemnunt Germanos. 528. opprimunt eos, à quibus invitantur. 542. in Saxonia sunt felices. 809. ita & in Italia. ib. duo post duellum fiunt acerrimi inimici. 731. eorum adventus in Americam prædicitur. 48.

Hispanicus quidam præses est injustus judex 186. 773. sed malè ei cedit. 774.

Histiæenses cur mutārint formam gubernationis. 441.

Histiæus pro Dario verba facit. 25. seditiosus cruci affigitur. 662.

Holofernes muliebri manu cadit. 63

Homerus fabulatur de Æolo. 131. est causa colaphi ludimoderatori. 223. est in precio. ib. de Monarchia. 150. 154. de lite. 440. de bellis civilib. 478. 580. de cæcitate mentis. 703. de inquietis ingeniis. 770.

Homicida perpetratā una cæde, non faciunt finem cædium. 387. non manent impuniti

666. 668. non diu vivunt. 713. plerunq; sunt timidi. 709. quidam suas cades Iudici ipsi imputat. 844.
Homines sæpe peccant κακοζηλίᾳ. 73. gustata carne humana, fiunt lupi. 387. non sunt contenti præsenti statu & conditione 514. 515. &c. judicat ex vetu 668. 669 frustrà nitũtur contra decretũ Dei. 678. 683. 684. &c. ante pœnas fiunt furiosi. 700. 701 &c. non audiũt recta monẽtes. 702. lũ sũt pauperes, vicia natura occultãt, sed vecti prodũt 818. 819 &c. eorũ res nõ diu manent intra terminos. 796.
Honores non semper ex animo exhibentur. 649. mutant mores. 818. 819. &c. eorũ cupidit.as homines trãsversos abripit 195
Honorius quales sibi amicos legerit. 263. nugatur. 300.
Hora apud Matth. significant millenarios mundi. 7. 8.
Horatius de Deo, quòd humiles extollat 146 de aspectu. 243 de natura perversitate 421. de fastidio præsentis status. 516. de non violandis sepulchris. 705 de reconciliationibus. 730.
Horodes Rex Partherũ à filio occiditur. 199
Hosti fugienti pons aureus sternendus. 455.
Hostem contemnere non bene cedit. 526. 527 veq; etiam Principem occidere. 278.
in Hostem vindicta plùs quàm Diabolica. 799. 800.
Hostes ex iniuria audaciam sumunt. 588. induciarum tempore in urbes admissi, sæpe illas occupant. 868. eorum fuga non semper fuga putãda. 768. vires sæpe plùs franguntur detrectando, quàm committendo prælium. 570 nostros quid nobis faciat superiores 864. 865.
Hvgo Capetus invadit regnum Gallia. 6. 203. captivum Principem non vult occidere. 204.
Humiles ad honores vecti fiunt insolentiss. 818. 819. 828. oderunt eos, qui ipsos humiles fuisse sciunt. 840. (dunt. 783.
Hunni mirabili occasione Scythiam invaHyllvs provocans vincitur. 498.
Hyorchus Dux infeliciter facit fœdus cum Henrico VI. Anglorum Rege. 598.
Hyperbolus Athenienſis, qui aream lucernas faciebat, eligitur in Principem. 107.
Hyperides suasor belli Laconici. 161.
Hypocrisis non est diuturna. 250.

I

Iabini, qui volunt esse neutrales, cadunt. 535.
Iacob mirabiliter defenditur contra Laban & Esau. 382. contra Sichemitas. ib.
Iacobus Apostolus est spectator excidij Hierosolymitani. 117. per seditionem interfectus. 341.
Iacobus Scotiæ Rex vincitur, id quod Veteres indicant. 503.
Iacobus IIII. est bonus chirurgus. 284. non obtemperat seni ignoto, qui ei apparet. 328.
Iacobus VI. Rex Scotiæ & nunc etiam Angliæ in magno periculo divinitus servatur 276. 277.
Iacobus Bussularius Monachus insigni hypocrysi petitur dominatu Ticinensi. 108.
Iacobi Sturmij querela de fœdere Smalcaldaddus flectit Alexãdrũ M. 234. (dico 596
Ianizari tandem evertent regnum Turcicũ 29. 30. habent potestatem eligendi Imperatorem. 119. eorum petulantia. 30.
Iantinus non vult Dario elocare filiam. 97.
Ianus ipse dicit jus. 257.
Iason perit ruina navis. 219.
Iason Pheræus dissuadet bellum cum despe
Icarvs vult volare. 635. (ratis. 456
ἰδιοβουλεύτης sunt natura occulti & insidiosi. 795.
Idolatria causa calamitatum in Imperio. 89. 90. 91 &c. tria complectitur. 89. nullũ peccatũ Deus tam odit, ac illud. 91
Iebvsabi nimiùm confidunt suæ munitioni. 564. (vindictam. 800.
Iecur humanum comestum ad explendam
Ieremias aliud suadet, quàm reliqui Prophetæ. 325 frustrà populo dat consilium.

614. 704.
Ieroboam deficit à Salomone. 66. insidiatur ei. 294. de Viro Dei exgenere mortis judicat 670.
Iesabel est mulier tyrannica. 191. importat cultum Baal in regnum 318
IGNAVIA evertit Respub. 183.
Ignorantia pestis aularum. 412.
ILLYRII absente Rege Macedonum illos vincunt, praesente verò, vincuntur. 860.
IMBERCORTVS Ambianus non vult esse consiliarius crudelis. 831. capitur. 872
Imbraimus Turca dicit Germaniam esse similem bellua. 867.
Imbrebascha est exemplum aulica benevolentia. 408. propter virtutem interfectus 300. 790. 798. 828.
Imitatores inepti quibus similes. 18. 19.
Imma Caroli M. filio dorso portat amatorem suum. 510.
Imperare est difficilimum opus. 207. 208.
Imperata non semper rectè fiunt. 323.
Imperator habens Capricornum in ascendente, facit mutationem in Imperio 108. 109 miser quis sit. 243. est similis arbori. 385
Imperatores non legitimè electi, miserè pereunt. 195. duo simul electi. 106. quatuor, & miserè omnes perierunt. 107 gloriam praeferunt stolidi. 506. 507. &c. ambitiosi semper puniti. 793. Romanorū remedium contra invidiam. 607.
Imperium Occidentis cur corruerit. 29 novi Principis non est durabile. 385. praesens semper grave. 514. 515. per quos optimè gubernetur. 101. 102. externum non placet. 881. 882. ejus majestas non stabilitur violando jus divinum. 36. nervus. 171.
Imperia evertuntur dissensionibus intestinis 26 27. sed inprimis novem vitiis. 35. 56 57. &c. superbia. 630. quomodo citò mutentur. 55. propter usuras. 98. & quando officia sunt venalia. 100. nulla sunt durabilia 138. per successiones quae fiunt, sunt durabiliora. 385. non legitima sunt infelicia. 105. habent signa fatalia. 108. citius admittunt tres, quàm duos. 134. non firmantur aut restituuntur viribus humanis. 139. sunt Dei opera. ib. debent esse moderata. 170. sophistica sunt tyrannica. 185. non ferunt socium. 132. 133. immoderata in Tyrannidem degenerant. 796. à Septentrione in Austrum propagata. 110. 111. eorum fatales periodi. 1. 2. &c. 9. 10. 11. potentia debilitata. 9. vinculum adamantinum. 21. mutationes sunt poena peccatorū. 36. 136. habent aliquid saevitia. 136. sunt fatales. 140. vis semel motis, non facilè pax restituitur. 131. cur in iis multa sint calamitates. 208.
Impietas est exitiosa Principibus. 69.
Impiis aufertur mens ante poenas. 703. (13.
Imprudentia est mittū mutationis in Imperiis
Impunitas scelerū non manet impunita. 31.
INARIME insula delsciarū plena 839. (32
Incendia sequuntur aquarū eluviones. 690
Inds suos reges venerantur ut Deos. 25. eorum Rex ipse jura dicit. 257.
Inducarum violatores semper habent funestos exitus. 590.
Inertia Rerumpub. pestis. 182. 183.
Infelicitatem sequitur mutatio benevolentia. 14.
Ingenia magna habent magnas virtutes & magna vitia. 211. inquieta subindè novas turbas excitant. 769.
Ingratitudo usitatum malum. 126. 127.
Inimico reconciliato cū cautione fidēdū. 728
Injuria leves sape vindicem in Tyrannos inveniūt. 380 pro beneficiis: redditur 816
Innocentius de ambitiosis. 822.
Inopia causa dissensionum & seditionum. 41 non reddit homines meliores. 43.
Insidias aliis qui struit, ipsi eadem perit. 331. 332. &c.
Insolentia gubernatorum est causa mutationis Rerumpub. 57. evertit Reges & Principes. 62. insignis est secutura ruina signum. 633 634. &c.

Inter-

*Interfectores Dominorum suorum malam reportant gratiam.* 278.
*Interpretationes virulentæ sæpe sunt causa bellorum.* 439.
*Invidi iis, quibus invident, etiam nocere conantur.* 612.
*Invidia comes est virtutis.* 604. 605. &c. *etiam urbes evertit.* 612. *vescitur serpentibus & hydris. ib. est similis blattis.* 608 *vipĕræ.* 609.
IOAB *flectitur oratione mulieris in Abel.* 398. *sub specie amicitiæ confodit Abnerum.* 369. 790. *non debuisset consentire in eadem Uria* 414. *est imago aulicorum* 416. *sentit pœnam talionis.* 665. *interficitur.* 416.
*Ioachin Rex in captivitate moritur.* 144.
*Ioahai Rex vix potest L. equites armare.* 565.
*Ioas mirabiliter servatur ad regnum.* 46. *tribus victibus terram ferit.* 234. *feliciter utitur consiliis Iehojadæ.* 353. *post cujus mortem degenerat.* 219. 248. 261. 262. *seducitur à Consiliariis.* 261. *interficit Prophetam bene meritum.* 130.
*Iobazus videt suos filios à Dario mactari.* 438.
*Johanna Regina Neapol. tres Reges maritos interficit.* 192.
*Iohannes Baptista sentit vulgi inconstantiã.* (735.
*Iohannes Cantacuzenus Imperio se abdicavit.* 133.
*Iohannes Ducas Imp. prohibet peregrinum vestitum.* 723.
*Iohannes Svecorum Rex fratrem in carcere detinet.* 204.
*Iohannes Rex Francorum infeliciter pugnat cum desperatis.* 457.
*Iohannes Rex Vngaria infeliciter se conjungit cum Turcis.* 597.
*Iohannes XXIII. PP. evadit præsens periculum.* 272. *ejus dictum de vulgi ingenio.* 750.
*Iohannes Hunniades in auxilium accersitus, sibi ipsi & posteris consulit.* 92. *divinitus servatur.* 269. *sua virtute defendit Hungariam.* 15. *ejus mortem quid consecutum.* 677.
*Iohannes Dux Saxoniæ in ruinosa navi divinitus servatur.* 272. *fuit mitis & beneficus.* 384.
*Iohannes Fridericus autoritatẽ donatus.* 21
*Iohannes Marchio Elector sapienti oratione sedat bellum inter duos Reges.* 398.
*Iohannes Britanniæ Dux dum peregrinos præfert indigenis, tota dittone excidit* 551
*Iohannes III. Dux Venetus petit alium sibi subrogari.* 209.
*Iohannes Veidanus crudeliter sævit in seditiosos.* 371.
*Iohannes ex Giscala seditionem concitat contra Iosephum.* 660.
*Iohannes Dux Justiniani Imp. est exemplũ fortunæ aulicæ.* 409.
*Iohannes Dux Pribusiensis consiliarium suum injustè delatum decollat.* 610.
*Iohannes Comes Sonnebergius prõvocatus vincit Italum.* 498.
*Iohannes Vicentinus Monachus insigni hypocrisi potitur principatu Bononiensi.* 108
*Iohannes Damiata Gallus sacrificulus Davidem Rizium salutariter monet, sed frustrà,* 817.
*Iohannes Mangevus à machina discerpitur, quam constaverat.* 336.
*Iohannes Funccius decollandus deplorat suam* πολυπραγμοσύνην. 76.
*Iohannis Major de obitu magnorum virorum.* 676.
*Iohannis Ducis Burgundiæ Symbolum.* 420.
*Iojadæ malam reportat gratiam.* 407.
*Ionadab malum dat consilium.* 327. *adulatur suo Domino.* 414.
*Ionathan cum armigero totum exercitum fugat.* 568. 766.
*Ionia cur vastata.* 95. *non potuit restitui.* 103. *in servitutem redigitur.* 137.
*Ioram à conjuge seducitur ad idolatriam* 318. *est exemplum aulicæ curiositatis.* 426. *seipsum ad eadem offert.* 566.

*Iosaphat primogenitum præfert reliquis filiis* 233. *eius mortem sequitur irruptio Arabum* 676
*Ioseph ait se fabrilis sibi victū comparat* 144
*Iosephus è carcere ad regnū* 142. *ejus autoritas fuit magna* 221. 226. *ei invident fratres propter virtutem* 610
*Iosephus de Tyrannis* 373. *de invidia* 608. *de humilib. ad honores evectis* 823
*Iosias habet infideles consiliarios* 130. *fit exemplum humanæ imbecillitatis & interficitur* 212. 453. 781. 791. *eius mortem sequitur captivitas Babylonica* 676
*Iosina Rex Scotorum facit multos chirurgos & medicos* 284.
*Iosua quando distribuerit terrā Canaan* 8.
IRA *est pestis Rerumpub.* 73. 84. 85. &c. *multa mala suadet* 85. 86. *obstat bonis consiliis* 321. 322. *est causa bellorū civilium* 73. *difficulter frenatur in fortuna secunda* 741
*Iracundia fulmen in imperio* 84
ISAACIVS *Angel. est timidus, ideoq; crudelis* [illegible] *videtur, sed frustrà* 613 (*dolis* 712
*Isabella filiam Regi Lusitaniæ adigit, ut serva fiat* 145
*Isboseth movet bellum non necessarium infeliciter* 447. *eius interfectores malam referunt gratiam* 279.
*Iscla insula incolæ Regem, etiamsi sit hostis, venerantur* 24.
*Ismaël Rex Persarum è carcere ad regnum* 143. *necat fratres* 197
*Isocrates de adulatione* 364. *de bellorum exitu* 438. *de fastidio præsentis status* 515 *de fœderibus* 592
*Israëlitæ quando habuerint mutationes* 4. 5. *comportant annonam* 492. *etiam in justa causa puniuntur* 505. *cupiunt novā politiæ formam* 521. *vincunt magnas Syrorum copias* 567 *ter deficiunt à Regibus Babylonicis* 704. *fœdus ipsis cedit infeliciter* 704
*Israëliticum regnum quàm diu durârit* 9. *cur deletum* 91
*Isthmi Corinthiaci perfossio tentata* 678. 680. *Gnidiorum* 679. 680. *ad montem Atho. ib.* 681
ITALIA *cur à Gothis occupata* 39 *vastatur sub Carolo V.* 116. *magnas patitur mutationes* 138. *infeliciter invitat peregrinos Reges in auxilium* 543. *ejus populi pro diversitate locorum diversa habent ingenia & naturas* 809. 810.
*Italus quidam vindicta plus quàm Diabolica sævit in adversarium* 801
IVDA *regnum cur deletum* 91
*Iudæa cur eversa* 28. *concutitur seditionib.* 117. *qualem habuerit formam gubernationis* 153. *bellis civilib. perit* 479
*Iudæi frustrà conantur instaurare politiā* 5. 685. 686. *certis signis præmonentur* 47. *propter impietatem subjiciuntur Tyrannis* 69. *infeliciter attrahunt externa auxilia* 543. *cur Christum oderint* 610. *seditiosi trucidantur* 662. *eorū* μανιαχλία 80. *gubernatio non diu est felix* 138. *crudelitas* 686. *præscitur ipsis captivitas* 47.
*Iudaicam gentem cur Deus voluit esse superstitem* 14. (100
*Iudicatura officium debet esse invendibile*
*Iudex prudens & integer facilè potest seditionem componere* 776
*Iudices justi non possunt lædi à veneficis* 774 *injusti severè puniuntur & contrà* 773
*Iudicia hominum ravò mediocria* 747
*Iudicij justi & severi exemplum* 257
*Iugurtha tollit fratres collegas* 133
*Julianus Apostata infeliciter trāsit fatalem limitem* 113. *clementia persequitur Ecclesiam* 507. *pluris facit gloriam, quàm prædam* 507. *cupit Judæis instaurare politiam* 685. 687. *non creat* [illegible] *ib. dissuadentibus expeditionem in Persas* 691. *in locum Phrygiæ* 698
*Julianus Cantabriæ Comes attrahit Mauros in Hispaniam* 95
*Julianus Caroli V. Imp. Dux plus ait efficere se gladiis, quàm scelere* 574
*Julius Cæsar veretur reddere rationem rerum à se gestarū* 38. *est in periculo apud*

*milites propter annonæ defectum* 44. *non potest fere sæpe stare* 83. *repudiat Collegium in Conciliabulo* 133. *eyit milites, legit comites, libertatem & lenocinium* 174. *propter principatum omnia jura subvertit* 196. *habet maximas virtutes & maximas vitia* 216. *non fert molestè Accij Poetæ incivilitatem* 217. *fuit bonus Astronomus* 225 *servatur in navi, & habet naufragio esse bono animo* 266. *dicit fortunam secum navigare* 781. *nõ vult legere literas continentes nomina eorum, qui in ipsius mortem conspiraverant* 298 *est clemẽs, nec Syllam vult imitari* 306. 307. *non vult inspicere literas hostium* 308 *regiam potestatem sibi oblatam noluit recipere* 315. *Senatui nõ assurgit* 348. *dissentit à Catone in vindicanda Catilinæ cõjuratione* 855. *corrumpitur ab adulteris* 432 *non vult pugnare cum desperatis* 456. *quomodo tantas res effecerit* 482. *propter denegatum sibi triumphum concitatur ad bellum civile* 511 *interrogat Ducem quendam de pugna Pharsalica eventu* 568. *solus fertur in hostes, & milites suos ad idem faciendum extimulat* 569. *lacrymatur Pisonem Pompeij capite eiusq; percussores ulciscitur* 588. *ætia erga transfugam est beneficus* 761. *ipse est præsens in prælijs* 860. *invadet Galliæ propter Idus Martias* 698. *jubet patri Brutio, à quo postea occiditur* 843. *trucidatur in Senatu* 384. 630. 655 *eius magna fuit auctoritas* 20 *symbolũ* 195. *percussores hostes petuntur* 279. *nõ diu vivunt* 284. *milites consternãtur ad solam mentionẽ Germanorum* 760. *remittit* 790 *propter quã pacem* 792. 793. *sub eius statua palma enata significat victoriã* 697. *sobrietas* 40. *fastus insignis & insolentia* 639 *mortẽ quid portenderit* 707. *dictũ de pertinacia* 773

*Iulius Cæsar Scaliger de ingenio vulgi* 752

*Iuris rẽcta administratio est causa pacis, & contrà* 776

*Iurisconsultorum regula* 735

*Iustinianus imp. proponit edicta contra hæreticos & vincit Vandalos* 107. *se dimittit à conjuge* 192. *Belisarius malam refert gratiam* 130. 407. 409 655. *est in magno periculo* 442

*Iustus iracundus sæpe falsò pretexitur* 853

*Iuvenalis de vitijs* 288. *de vindicta* 322. *de Tyrannis* 377. *de manifestis vitijs* 428

*Iuvenum consilia nimis calida* 120. 121. 122. *eorum est obtemperare senibus* 122. 123

## K

Κακοηθεία pestis Reipub. 72. *semper est infelix* 73. 78. 79.

κάπηλα βιβλία 811.

Κολακεία vulpes 444

κόρακι τὸν ὄφιν 656.

## L

*Laban reprimitur à Deo* 382

*Labinythus Rex Babylonis* 14

*Laboribus nostris sæpe alieni fruuntur* 732

*Lacedæmones Regis nom. habuerunt sanctum* 24. *propter immanitatem sceleris amittunt libertatem* 34. *quare eam tum fuerint* 40. *sæpe mutant formam gubernationis* 53. 203. *occupatã arce Thebanis adimunt libertatem* 179 *sunt autores belli Thebani, sed infeliciter* 447. *metuunt Athenienses, quos tamen in auxilium vocaverant* 557. *trecenti totum Xerxis exercitum sustinent* 570. 765. *servunt ijs, quorum prius fuerant Domini* 653. *jubent hospitem domi Milesiæ exercere* 720. *victoria contra Atheniensis ipsis malè cedit* 454. *eorum Respub. quàm diu durârit* 5. *eorum novus Rex solvit omnia debita* 853

*Lacedæmonij cujusdam scitum dictum de Philippo Macedone* 308

*Lachares Athenas occupat, dum laborant intestina dissensione* 469

*Lætitia nimia sæpe est causa magna calamitatis* 631

*Laici propter neutralitatem servitute opprimuntur* 535
*Laius exponit Oedipum filium* 374. *à quo interficitur* 93. 374
*Landulphus Mediolano pellitur* 72
*Laodice qu. nūq; filios jugulat* 93. *quod aliis paraverat, ipsa experitur* 336 (832
*Largitiones impiè dictæ sūt signū timiditatis*
*Latro quidam cædes suas ipsi Judici imputat* 844
*Laudes suæ non sunt defraudandi Reges & Principes, ne fiant Tyranni* 511
*Laurentius Medices arripit imperium* 165. *tollit suum cognatum* 386
*Laurentius Ludovicum XII. horas apud Matth. ad annos mundi dirigit* 7. 8.
*Laurentius Span de obitu magnorum Virorum* 676
*Lazarus Schwendius in præsentiss. periculo divinitus servatur* 276. 277 *cōqueritur de dissolutione disciplinæ militaris* 866
LECHUS *insigni astutia potitur principatu, sed quo malè ipsi cedit* 107. 108 (595
*Legatus quidam juvenis habet centū annos*
*Lex nautica* 121. *Salica cur lata* 554. 884. *Oppia* 721. 724
*Legi per plures sancita facilius obtemperatur, quàm illi, quæ per paucos* 286
*Leges recidunt in autores* 339. *novæ, datæ novis Principibus; ratio servantur* 340. *politicæ violantur in sanctis* 341. *Romani Imperij à quib. scriptæ* 354. *cum doctrina simul florent & intereidunt* 359. *sumptuariæ sæpe latæ* 721. 724. *earū autoritas perit crescente tyrānide* 181. *mutationes pernicioſæ sunt Rebusp.* 615. 616.
*Lenitas anteferēda severitati* 169 (&c.
*Leo flectit Attilam* 235. 382
*Leodienſes duras accipiunt à Carolo cōditiones* 740. *eos desperatio reddit fortes* 457
*Leones conqueruntur de hominibus picturis* 671
*Lepidus amicus reconciliatus non est fidelis* 730. *provocans Herculem vincitur* 497
*Lepos est autor, ut Roma capiatur* 787. *animal. in terræmotu servat incolumes ib.*
*Lescus homo plebejus fit Princeps Polonia* 147. *obtruncatur* 273
*Leucadia propter convenarum multitudinē facilius occupatur* 524 (851
LIBERALITATE *plus efficitur, quàm vi*
*Libidines causa mutationis Imperiorum* 55. 58. *calamitatū in Imperiis* 89. 93. 94. &c.
*Licinius Imp. omnes doctos Roma pellit* 222
*Licinius Stolo legem patitur, quam tulerat* 340
*Licinius Galliæ præfectus menses & annum miro commento contrahit* 41
*Lilybæum deditionē volens facere, à proposito magnis promissis avertitur* 879. 880
*Limites regnorum fatales* 112. 113
*Lindavij, optimatibus sublatis, popularem imperium stabiliunt* 545
*Literarum amor aut odium commēdat aut obscurat gloriā Principum* 221. 222 &c.
λιτοσγεῖμ. 123.
*Livia est Ulysses stolatus* 191
*Livius Cos. cum Collega redit in gratiam propter salutem patriæ* 424
*Livius de dissensionibus civilib.* 71. *de salutaribus consiliis* 325. *de exitu bellorum* 446. *de vulgi judicio* 750
LOCRENSES *magno cum suo malo excipiunt hospitio Dionysium Tyrannum* 179. *eorum lex contra novitatis cupidos* 76. *mos inferendis novis legibus* 621. *eos desperatio reddit fortes & victores* 457
*Longobardorum regnum quàm diu duraverit* 9
*Loth invitus Sodoma educitur* 47. *ager commaculat incestum* 806 *eius post discessum Sodoma perit* 676
LUCANUS *de paupertate* 44. *de amulatione* 132. 134. 197. *de Tribunis plebis* 164. *de homicidiis* 387. *de celeritate* 482 *de ambitione* 790. *de victoria* 567. *de furore in impia* 703. *de Pompeij pugna Pharsalica* 841
*Lucatius horrendo supplicio afficitur* 371
*Lucifer propter superbiā factus Dæmon* 62
*Lucretius de malis consiliis* 333

*Lucullus parva manu obtinet Victoriã 765*
*Lucumon scelere suo attrahit Celtas 96*
*Ludimoderat. propter Homerũ accipit colophũ 223. quidã ex paupere fit ditiss. 658.*
*Ludovicus Pius totus pendet à consiliis uxoris 191. nimiũm tribuit peregrinis 555. prohibet luxum in vestibus 722. 723*
*Ludovicus Bavarus facit novum PP. 741. tandem fit infelix 806*
*Ludovicus Sanctus salutarem admonitionem relinquit filio 410*
*Ludovicus Simplex regno pellitur 145*
*Ludovicus XI. graviter ulciscitur cives Regiaci 87. hortatur filium, ut consiliarios senes audiat 124. 263. Medico suo magnum dat stipendium 226. conqueritur se in regno suo non habere veritatem 245. dum spernit literas, habet multos imitatores 284. non consulit Senatum 348. est flagitiosè timidus 376. purgat regnum suum 449. causam quaerit, ut Carolo Burgundo bellum inferat 461. non vult violari sepulchra 707. ille et Carol. Burgundus sunt amici reconciliati 731. agit cum Carolo de pace, sed infeliciter 869. dum neutrarum vult esse partium, accersit sibi hostes 534. subditos, cũ quib. fœdus fecerat, necat 597. colloquitur ipse cum Carolo, sed nõ sine magno periculo 872. cum Henrico Rege Castiliæ 873. 876. irridetur ab Hispanis 876. prohibet fieri eruptiones ab obsessis 881. eius dictum de temerariis consiliis 327.*
*Ludovicus XII. primus vendit officia regalia 100. divinitus in regnum restituitur 272. duo precatur à Deo 308. est fidelis erga Carolum V. 353. triplici praelio vincit Venetos 535*
*Ludovicus Rex Vngariæ juveni consiliario obtemperans, amittit regnum & vitam 124. 328. 654.*
*Ludovicus Crassus bellum transfert in hostile solum 486*
*Ludovicus Dux Aurelianensis dum mortem expectat, evehitur ad regnum 144. ejus Symbolum 420*
*Ludovicus Sfortia capitur ab ijs, quos in auxilium evocaverat 543. in cavea ferrea expirat 145*
*Ludovicus Vives de assentatione 367 (387*
*Lupi fiunt homines, gustata carne humana*
*Lusitani in more habent, ut primogenitus in regno succedat 233. vincunt Gallos & Hispanos 552*
*Lutetia sunt depicti Reges Galliæ, & non est amplius spacium 49*
*Lutherus habet multos ineptos imitatores 155. eius mortẽ multa secuta mala 676*
*Luxus multas perdidit urbes 39. & Respub. 60. est mater superbiæ 642. 643. &c.*
*Luxum in vestitu sequitur paupertas 723*
LYCHAS *ab hero malam accipit mercedem 435*
*Lycurgus jubet timeri inopes 41. mutat statum Reipub. 135. fit Rex 203. lege plectitur, quam ipse tulerat 339. fidem fratris filio servat incolumem 599. cives juramento obstringit 621. non vult peregrinos in urbem admitti 884. eius instit. tutũ de vestitu 721. versus de pœnis impiorum 703 (sunt 150*
*Lydi tantùm unum Regem, nõ plures admittunt*
*Lydiades ex Tyrãno fit bonus Princeps 252*
*Lysandri dictum de fœderibus 592*
*Lysimachus exuitur à Pyrrho 133. capitur à Rege Getarum, & dimittitur 453. Philippidẽ amat propter libertatem loquendi 397. objicitur leonibus 176. 411*

# M

MACCABAEIS *fœdera sunt exitiosa 596*
*Macedones opprimũtur à Romanis 37. 461 quib. bellum inferunt propter crescentem ipsorum potentiã. ib. fiunt victores propter Regũ, pusilli adhuc, præsentiam 860. eorum regnum quàm diu durávit 5.*
*Machina tormentaria discerpit fabricatores 336*
*Machinæ novæ & hostibus incognitæ multũ faciunt ad victoriam 572*

*Macrinus conjurat in necem Antonini Imp.* 445. *vento retrahitur ex fuga* 503
*Macro interficitur ab eo, quem ille servârat* 843 (844
*Magdeburgensiũ actio cum Nicolao Cusano*
*Magi ad prodendũ Christum invitãtur* 369
*Magi & venefica Iudicibus ordinariis non possunt nocere* 774. *id quod ipsa fatentur* 775
*Magistratus cùm non punit atrocia scelera, delentur regna & totæ gentes* 31. 32. *quando contemnitur, Respub. mutantur* 50. *regnans sine legitimâ vocatione, est infelix* 105. *ostendit virũ* 818. 812. *eum gerere est res difficilima* 207. 208. *qui collegis abrogant, annum non supervivunt* 733
*Magistratus quando fiunt Tyranni, nõ sunt diuturni* 90. *novi semper aliquid habent novi* 137. *divinitus tuti sunt à magorum & veneficarum injuriis* 774. *id quod ipsi Magi fatentur* 775. *eorum potentia nimiũ aucta, cives ad tyrannidem invitat* 313. *mutatio nihil adfert boni* 622. *eos quandopecunia ad gubernationem evehit, magis sua quàm Respub. consulunt* 98. *præstat esse perpetuos, quàm annuos* 734. *pro ijs orandum* 248
*Magnatum unũs temerè lapsus facilè potest etiam reliquos ad conspirandum impellere* 180 (*gratiam* 843
*Magnentius benefactori suo malam refert*
*Magni Domini quantum de ira, tantum etiam de gratia remittunt* 732. *sæpe fallaces prætextus prætendunt institutis suis* 746
*Magni Viri fiunt tandem exemplum humanæ imbecillitatis* 210. 211. *&c. interdũ aliquid singulare dicunt aut faciũt* 216. *sæpe sunt pauperrimi* 743
*Magus quidam dum aliis exitium machinatur, sibiipsi accersit* 338
*Mahomet occupat Athenas* 192. *recitat fabulam de canibus versicoloribus, quorum similes sint Christiani* 866
*Mahometus III. regnum à cæde XVIII. fratrum auspicatur* 200
*Makometes Persia Sultanus regno privatur ab ijs, quos in auxilium evocaverat* 543
*Majestas regia quid sit* 19. *parùm tuta sine viribus* 297
*Majõ Barensis Regẽ totus possidet* 344. 825 *quod alteri parat, ipse experitur* 334. 755
*Majores domus in Gallia, pulsis Regib. ipsi regnum obtinuerunt* 67
*Malichus veneno eum tollit, qui vitam illi servârat* 843
*Malitia extrema homines rarò fiunt meliores* 842. 843. *&c.*
*Malleatiorum factiones* 41
*Malum malo curatur* 848
*Mamaluchorũ regnum quàm diu durârit*
*Mammæa est mulier avara* 69 (10
*Manasses nocet exemplo* 283. 290. *cur abductus in captivitatem* 91, *tandem resipiscit* 252
*Mandonij uxor iterum atq; iterum deprecatur Scipionem* 864
*Mancipia quomodo emenda* 812 (51
*Manilius de fato* 45. *de mutatione regnorũ*
*Manlius Torquatus nõ vult esse Cõsul* 243. *propriũ filium securi percuti jubet* 473. *provocatus vincit* 496. *eius quoq; filius. ib. eius dictum de invidia* 606
*Manna propter quæstum evanescit* 699
*Manthius de Oratorum dissensionibus* 393
*Mantua olim libera Imperij civitas* 54
*Marcellus ex inimico facit amicum* 174. *Hãnibalis insidiis circumvẽtus perit* 571
*Marcha & Marchiones unde* 55
*Marchio Pesquerensis cur contra Carol. V. conspirârit* 346
*Marcus Meierus fax belli nõ necessarij* 795
*Mardonius autor mali consilij interficitur* 327. 345. *eius vox de decreto Dei* 678. 684. 703.
*Margaretha Danorũ Regina nõ servat legẽ præscriptam in regni introductione* 341
*Maria ob paupertẽ offert par turturũ* 144
*Maria propter ambitionem punitur* 791

Maria Scotia Regina tur ab Anglis in carcere detineatur 304. in delitiis habet Davidē Rizium humilis genere ortum 826
Maris Caspij & Euxini conjunctio tentata 679
Marius uritur gloria contra Syllam 780 levi occasione occupat castellū in Numidia 785. auctoritate sua terret percussorē 22. suo proprio gladio jugulatur 336
Marmor est sacrosanctum apud Scotos 257
Martialis de exemplis Principum 282
Martianus nō vult vēdere magistratus 101
Masinissa mirabili fato tandē ad regnū venit 143. plus canibus, quàm filijs propriis
Massilia cōdita à Phocensib. 178 (fidit 376
Mathusalemi mortē sequitur diluvium 677
Matthaus Bonellus experitur vulgi inconstantiam 755. 825
Matthias Rex Vngariæ è carcere ad regnū, dum supplicium expectat 142. est ingratus benefactori suo 130. nimium rigidus 236. aberrat interdum à comitatu, ut audiat quid de se dicatur 244. torserem propter facetias auribus & naso truncat 340. eius mortem quid secutum 677
Mauri quomodo in Hispaniam attracti 95. quàm diu eam tenuerint 10
Mauritius Imp. propter avaritiā deseritur à militibus, & postea caditur 68. 711. 806. in somnijs admonetur de pœna & percussore suo 711
Mauritius Dux Saxoniæ in Vngaria periclitatur 275. eius dictum de quodam assentatore 367 (hostis 251
Maxentius in. tio fautor Christianorū, post.
Maximianus deponit imperium 563
Maximilian. I. cum insidiantib. sibi prādet intrepidè 194. non feritur glebis 269. in summa rupe sectans capreas miraculosè servatur 270. in somnijs monetur de suo periculo 271. parva manu vincit Venetos 456. est severus disciplinæ custos 732 Comiti donat magna summā sibi subla. tam 804. ejus mortē quid secutū 677
Maximilianus I. I. in venatione aberrans, in præsentiss. periculo divinitus servatur 274. multos habet imitatores 283
Maximinus interficit Gratianū, & cur 854
MEDEA necat liberos 297, varie argumentatur 754
Media via non semper tutiss. 356. 357. neq; amicos parat, neq; inimicos tollit 533
Mediatores utrinq; accipiunt detrim. 738
Medici boni officium 141. in magno sunt apud Romanos honore 224
Mediocritas semper optima 173. nō diu durat 796. 797 adfert felicitatem. tb.
Mediolanensibus seditio fuit exitialis 72.
Medorum potentia quàm diu duraverit 9. Reges neminem in conspectum admiserunt
Medusæ caput 19. 21. (297
Medycæa gentis exules obsident patriā 526
Medyci inse mutuò sæviunt 386
Megabyzus dicit sententiam pro Oligarchia 153
Megapolitanus Dux ex captivitate Aegyptiaca liberatur 269
Megarenses quomodo popularem statum amiserint 167. male sibi consulant, dum exules revocant 525. eorum contentio cum Atheniensib. 440
Melancholici quales naturā sint 258. 259.
Melechsela Rex obtruncatus 10
Membrū consilium repudiatur 704
Menander de Vetula 191. de astu Tyrannorum 358. de legib. 620. de atrocibus delictis 566. de amico bene monēte 795.
Meno, Thekel, Phares 11 13. 14.
Menelaus est Sophista & Tyrannus 186
Menenio Agrippæ funus ad sepulturā deMercenarius anguis 126. 127 &c. (fuit 744
Mercurinus hortatur Carolum V. ad moderata consilia 289. 293. est vir excellēs
Mercurius excitat Hannibalem 839 (292
Merob filia Saulis alteri traditur 370
Merodach Monarchiā Assyriorum ad Chaldæos transfert 16
Messala Valerius liberè loquitur ad Tiberium 397
Messana infeliciter intromittit Campanos 544

*Metellus ineptè est jactans* 633. *cuius vox de morte Scipionis Africani* 677
*Methone expugnatur* 565
*Mores corrumpit homines* 770. 772. *mutuus fit societatem fidelem* 798. *eius simulatio sæpe fallit hostes* 531
MICHAEL *Imp. deponit Imperium* 209.
*Michaël Balbus Armenii Imp. trucidat* 445
*Milesio non vult obtemperare Aetolis* 422
*Milia calumniatoris dictum* 367
*Migrationes gentium plurimæ ab ortu in occasum, paucæ contrà* 110. *plerunque post mille annos factæ* 111.
*Milesii cur mutârint formam gubernationis* 441 (sia 720
*Milesius hospes jubetur domi exercere M. le-*
*Miles conductitius evertit regna* 536. 537. &c.
*Milites sunt infelices, qui lacrymas & execrationes secum pro viatico auferunt* 437 *plerunque sunt jactabundi Thrasones* 779. 849. *ob eorum contumaciam maxima copia delentur* 471. *ocium & segnicies est causa seditionum* 854. 855 *quid eos faciat negligentes & contumaces* 472
*Milo cur insensus Clodio* 83. *est ἀφρωδόμενος* 496
*Milo Crotoniatæ miserè perit* 219
*Miltiades parva manu vincit ingentes copias* 765. *malâ reportat gratiam* 130. 408. *in carcere vitam finit* 754
*Milvorum pugna cum corvis* 499. 500.
*Ministeria in aulis sunt periculosa* 435
*Ministri sunt simiæ Dominorum* 288. *sunt insolentiores suis Dominis* 428. *sunt similes calculis Arithmeticis* 402. 409. *Tyrannorum, quâdo crescunt, removetur* 834
*Minutius cõtra mandata Ducis pugnãs, est in magno periculo* 475. *eius vox de fortuna* 652
*Mirramalinus Maurorum Princeps* 10.
*Misena incendio deformatur* 690
*Miseris nemo invidet* 220
*Mites diutiùs florent, quàm crudeles* 384
*Mithridates Asiam pervagatur cum paucis* 245. XXII. *linguas callet* 257
*Mithridates scaphismo necatus* 371
*Mithridaticum pharmacum* 151
*Mityleneusium gubernatio mutata* 65. *cur ibi seditio nata* 118
MODERATI *à vehementioribus opprimuntur in dissensionib.* 736
*Molon Xenæam nimis secum opprimit* 589
*Monachus cum vasculo mellis* 771. 772. *quidam festivè commendatur à Philippo* 844 (194
*Monarchæ non patiuntur se astringi ad leges*
*Monarchia prima quàm diu durârit* 6. *Persarum* 9. *Græcorum & Romanorum ib. Assyriorum transfertur ad Chaldæos* 16. *& cur* 91. 95. *Chaldæorum ad Persas* 91. *& cur* 92. *Græcorum cur eversa* 28. *cur Romanorum ib.* 480. *est optimus status* 149. *& cur* 154. *quid sit* 149. *degenerat in Tyrannidem ib.* 155. *est res insolens* 176 *Rege capto, stat tamen imperium* 156. *earum series fatalis est* 688
*Monembasia urbs vitiferâ* 597.
*Monumenta non debent violari* 705
*Morbum non sentire, est signum lethale* 56
*Morbi novi causa crescentium peccatorum* 735
*Mordacitas verborum sæpe præbet causam mutationibus Rerumpub.* 443
*Moscovitæ contemnunt Polonos, ab ijsq; vincuntur* 528
*Moscoviticus Princeps captus* 522
*Moses patitur repulsam, ideoq; movet bellum* 97
*Masella atq; Araris cõjunctio tentata* 681
*Moses prædicitur Pharaoni* 47. *multa didicit à socero* 124. *malâ reportat gratiam* 129. *eadem facit ex motu heroico* 321. *Deo pugnante vincit hostes* 766 *eius magna & peculiaris fuit auctoritas* 22
*Moses Cretensis seducit Iudæos* 686.
MYLEASSES *ad unius pavonis cõdimenta centum aureos insumit* 56 644
*Muliebre imperium semper est infelix* 187. 188. *&c. consilium invalidum* 190

*Mulierculæ*

*Mulierculæ sæpe produnt cõjurationes* 590
*Mulieres sunt faces Virũ, ut appetant imperia* 803.
*Multa Via & Danubij conjunctio tentata* 682
*Multitudo est similis mari* 751. *sæpiùs facilitate flectitur, quàm duritia* 755 *potiùs ira & furore, quàm cõsilio ducitur* 756. *gubernatorum cur mala* 151. 155. *eius ingenium* 752. *exemplum plurimi sequuntur* 802
*Mummius fuit pauperrimus* 744
*Mundus rependit mercedem anguinã* 126. *non potest ferre duos Soles* 151. 155 *blãdus periculosior est, quàm asper* 368
*Murates III. necat fratres* 197. *cur sibi Victoriam de Christianis promittat* 865.
*Musa Zelebi fratris interfectores ulciscitur* 279
**Muscheln** *propter quæstum amplius non apparent* 699
*Musica cùm mutatur, mutantur & tempora* 724. 725. *reddit homines tractabiles & humanos* 726
*Musici modi qui præcellant* 726
*Mustapha Bassa canibus obijcitur* 371
*Mutatio Dominorum post inundationes* 690.
*Mutationes non fiunt sine sævitia* 136. *sunt pœna peccatorum. ib. sunt fatales* 140. *periculosæ* 193. 615. 616. *omnes fiunt in deterius* 515. *quando fiunt, tunc magna est impiorum pertinacia* 837
MYCALESSVM *à Thracibus crudeliter infestatur* 329

N

NABVCHODONOSOR *delet templũ & regnum* 5. *abducit populum in captivitatem propter idolatriam* 91. *est fastuosus* 83. *& propterea punitur* 62. 63. 624 641. 704. 792.
*Nabas seducitur à consiliarijs* 260 *trucidatur* 638
*Nahasson cur suspensus* 94
*Narses vivus crematur* 409
*Nathã præceptor Salomonis fuit doctus* 284
*Nationum diversarum diversa sunt ingenia & mores* 809. 810. *&c. diversa in una urbe excitant seditiones* 812. *una præstat alteri. ib.*
*Natura vehementes neq; secundas neq; adversus res moderatè ferunt* 562. *distorta beneficijs potiùs exasperantur, quàm leniuntur* 760
*Navarrorum Regum insignia unde* 509
*Navigia insolitæ magnitudinis sæpe parùm prosunt* 487
*Navis Pauli non mergitur* 104
*Nautica turba an utilis aut damnosa civitati* 807
*Nazianzenus laudat legem nauticam* 121 *de Briarei manibus* 803
NEAPOLITANI *tempestate ab obsidione repelluntur* 503
*Necessaria tantùm facienda* 74. 75
*Negligentia post Victoriam sæpe est causa novæ cladis* 588
*Nemesis comes superbiæ* 633. 640
*Nero non potest successorem tollere* 45. *exculat parricidium* 187. *primo quinquennio est optimus* 250. *multos facit mimos & histriones* 286. *delectationis ergò incendit Romam* 306. *non vult subscribere capitalis sententiæ* 307. *corrumpitur ab adulatoribus* 432. *matrem occidit* 378. *cujus eadem apud Senatum excusat* 370. *conqueritur se materni furijs exagitari* 376. *est ingratus erga Corbulonem* 409. *fuit ignavus & sævus* 713. *timidus, ideoq; prodigus* 833. *non habet amicũ, qui ipsum jugulare velit* 377. *fit* αὐτόχειρ 378. *eius discursationes habent multos imitatores* 285. *vox tyrannica* 373.
*Nestoris consilium magni fit* 124
*Nestorius fuit dictus* πυρόφορος 394
*Neutrales in periculum incidunt, quod vitare volunt* 533
NICANOR *punitur propter insolentiam* 638

*Nicephorus fato fit Imperator.* 46. *propter negligentiam & nimiam confidentiam perit.* 298.
*Nicias exercitum amittit propter Solis defectionem.* 436.
*Nicocles Salaminiorum, regnum cade occupat.* 89. *ejus dictum de Tyrannis.* 150.
*Nicolaus intercedit pro damnato.* 262.
*Nicolaus PP. in carcere vitam finit.* 741.
*Nicolaus V. PP. propter judicij præcipitantiam pœnitentia ducitur.* 323.
*Nicolaus Cusanus dicit Saxones esse saxa.* 845.
*Nicolaus Picininus nimium indulget militibus.* 474.
*Nicolaus Fert. brachius pro libitu per mutũ quendam suspendit, quemcunq; vult.* 388
*Nicolaus Hostilenius ex ea furia suspenditur, quam alius exercuit.* 337.
*Nicolai Schonbergij judicium de tribus Regibus.* 288.
*Nicomedes, necem procurat patri, quam pater ipsi intentârat.* 64. 230. 231.
*Nili & rubri maris conjunctio tentata* 678 681. (682.
*de Nili inundatione memorabilis historia.*
*Niobe punitur propter insolentiam.* 639.
*Nisi exundationes* 689. 690. 692.
*Nive liquescente sequitur magna luti copia.* 677.
NOBILIS *quidam se arbitrio suo vestiens, ex aula ejicitur.* 721.
*Nobilis titulum affectat plebejus, & sic desinceps.* 517.
*Nobilior quò quis, eò magis misericors.* 583
*Nobiles olim dicti strenui.* 602. *eorum factiones semper periculosæ.* 418. *ijs solis gubernatio si committatur, quid fiat* 424
*Nobilitatis insigne est amare literas & literatos.* 221. 263.
*Noha orditur concionem pœnitentiæ,* 8. *jubetur Arcam ingredi.* 47.
*Non mihi sit servus medius, propheta, sacerdos* 366.
*Noriberga & Augusta diversa petunt.* 150. 161. *qualis status gubernationis ibi.* 150 *nulla artificum admittuntur conventicula.* 758. *post aquarum eluviones sequuntur bella.* 691.
*Noribergensis Senatoris responsum Ferdinando datum.* 173.
*Novus Rex, nova lex.* 137.
NUMA *est Rex pacificus.* 240.
*Numantia excisa.* 590.
*Numantini sæpiùs vincunt Romanos.* 39.
*Numida deficiunt à Carthaginensib. propter acceptam cladem.* 575.
*Numitor restituitur in regnum.* 232.
*Nuptiæ mirabiles.* 49.

## O

OBEDEDOM *domus est felix.* 104.
*Obedientia erga leges conservat Respub.* 319. *conservat rem militarem.* 471. *non semper est salutaris.* 323.
*Obitus magnorũ virorũ sunt fatales.* 672.
*Obsessorum eruptiones periculosæ.* 881.
*Obsidio sine commeatu non potest esse diuturna nec felix.* 879. *in ea qui de deditione agunt potiùs donis, quàm vi, placandi. ib.*
*Obtrectator in aulis primus tenet.* 358.
OCCASIONES *leves ad res magnas gerendas sæpe se offerunt.* 782.
*Occidentis imperium quando defecerit.* 6. *tres habet Imperatores quatuor annis.* 138.
*Ochozias, quia Samaritanos Iudæis præfert, caditur.* 552.
*Ochus attrahit regno Persico pœnas fratres.* 37. 64 *est crudelis erga Ecclesiam.* 139.
*Ocium militibus præbet causam movendi seditiones.* 855.
*Ocrisia ab igne fit gravida.* 698.
OCTAVIANUS *Strozza consulit aliud de defensione Albæ Regalis, quàm Barbarossa.* 841.
*Octavianus ex malo fit bonus Princeps.* 252.
*Oculus videt, auris audit.* 13.
*Oculi plus valent, quàm oculus* 318.

ODETTVS *Foixius obsidet Neapolin.* 134
*Odij ad gratiam difficilis est transitus.* 728
*Odia accendunt bella.* 439 *inter cognatos sunt implacabilia.* 476. 477.
OEDIPVS *à terra absorbetur.* 213. *ejus historia tragica.* 96. *querela.* 625. 627.
OFFA *Merciorum Rex primum avaritiæ mus, postea fit alius.* 253.
OIZERICVS *vult per manus regni esse successores.* 233.
OLIGARCHIA *quid sit.* 150.
*Oligarius Firmanus propter crudelitatem sublatus.* 313.
*Olympias generoso animo fert mortem.* 232
ONINIVS *furatur aureum poculum in convivio, postea ei apponitur calix fictilis.* 246.
*Onamademus cur non tollat omnes seditiosos.* 483.
OPERARVM *publicarum ingens utilitas.* 182.
*Opificum conventicula sæpe sunt suspecta.* 757. *progenies ad honores evecta, sæpe est insolentissima.* 819.
*in Oppugnationibus temeritas semper malè cedit.* 880.
*Optimates malè suo statui consulunt, quando quosvis peregrinos admittunt.* 545. 546.
*Optimorum virorum optima consilia.* 153.
*Opulentia mutat homines.* 400 *eam comitatur luxus & alia scelera.* 35. 36.
ORATIONE *sapientis maximi sæpe motus sedati.* 397.
*Orationes pro Democratia, Aristocratia, & Monarchia.* 152. 153.
*Oratoris definitio.* 393.
*Oratores plerunq; tuba & faces bellorum.* 161. *sæpe sunt exitio Rebupub.* 389. 390. *&c. mutuò se devorant.* 390. *in opus est magna astutia & calliditate.* 395
*Oratoria natura sunt* κακόζηλοι. 78. *turbulenta.* 160. *pertinaces, vexatrices, pugnaces.* 389. 390. *&c.*
*Orchanes regnum cæde fratrũ invadit.* 374
*Ordo in Imperiis est opus Dei.* 139. *in prælijs multum facit ad victoriam.* 518.
*Organa salutaria* DEVS *ijs adjungi, quos vult evehere.* 797.
*Oriens cur Turcis subjaceat* 92. *ab eo in Occidentem fiunt irruptiones gentium.* 110.
*Orientales Reges dissidijs intestinis evertuntur.* 470. *populi semper fuerunt duris Monarchia.* 150.
*Orodes necat fratrem.* 64.
*Orætes decipit Polycratem.* 877.
*Orta omnia occidunt.* 50.
OSEAS *abducitur in Assyriam.* 663.
OTANES *dicit sententiam pro Democratia.* 152. *ejus judicium de Monarchia.* 176.
*Othomannica familia Turcarum præstantissima* 203 *illis usitatum auspicari imperium à cadibus.* 197. 198.
*Otto Sylvius necat Galbam, ut imperio potiatur, sed non diu possidet.* 201. 242. *propter temeritatem, imperium, exercitũ, & vitam amittit.* 330.
*Otto Imper. ante imperium est simulator.* 824. *eam paupertas ad imperium excitavit.* 43.
*Otto III. spectat ossa Caroli M. sed non impunè.* 706.
*Ottocarus affectat imperium, sed frustrà.* 140.
OVIDIVS *exprimit dictum Solonis.* 248. *de majestate regia.* 20. *de cupidis vindicta* 85. *de difficultate gubernationis.* 207 *cambus Actæonis.* 244 *prisci Regibus.* 257 *Porsilo.* 335. *falsis amicis.* 368. *generosis, quòd sint placabiles.* 583. *Niobe.* 639. *judicantibus ab eventu.* 670. *Medea.* 745.

## P

PACATII *vox memorabilis.* 292.
*Paches est Sophista & Tyrannus.* 185.
*Pacorus cum toto exercitu à Romanis cæsus* 199.

*Pacuvius Calvinus sapienter reprimit cives, Senatū ad supplicia deposcentes.* 398
*Padi inundatio præcedit mortem Iulij Cæsaris.* 691.
*Palæstini de Iudæis judicant ex eventu.* 671
*Palladio ablato, evertitur Troja.* 104. 109
*Pallas laudat Vlyssem.* 84. *increpat Agamemnonem.* 838. *ejus scutum.* 19. 21.
*Panicus terror.* 762. 763. 765. 767.
*Panthera invisa est hominis facies.* 605.
*Papinianus non vult defendere fratricidiū.* 181. 197.
*Papyrius sectatur senum vestigia, ideo sit magnus.* 124.
*Parelia nunquam conspiciuntur impunè.* 693.
πάροργα *homines imitantur, non ἔργα.* 78. 781.
*Paridis voluptates everterunt Trojam* 61.
*Parisienses crudeliter sæviunt in proceres.* 480.
*Parthi attrahuntur in Iudæam.* 479. *eorū regnum cur defecerit.* 64. *mos.* 323.
*Partialitas in urbe est quasi vermis in caseo.* 71.
*Paryſatis omnium fœminarum pessima.* 191 *fax est belli inter fratres. ib.* 803. *scāphismo quendam necat.* 371.
*Pasquillus Romæ impunè loquitur.* 281.
*Pater cogitur jaculari ad pomum, quod filius in capite positum habebat.* 92.
*Pater ex duobus filiis neutrum potest eligere.* 328.
*Patronus à cliente caditur.* 844.
*Paulus Apostolus experitur vulgi inconstantiam.* 753.
*Paulus Aemylius ex divite præda nihil sibi sumit.* 506. *objurgat Perseum muliebriter lamentantem.* 507. *triumphans duos amittit filios* 657. *fuit pauperrimus* 744 *Dux electus, protestatur suo se arbitrio res bellicas administraturum.* 830.
*Paulus Chuporius tergo bovino insuitur* 441
*Pavo opiparè & ādmodū carè cōditus.* 56.
*Pauperrimi sæpe fuerūt præclari viri.* 743.
*Paupertas causa multorum malorum.* 41. *in ea occultata naturæ vitia, exerunt se in imperio.* 818. 819. *&c.*
*Pausanias turpiter degenerat.* 213. *exagitat Simonidem.* 220. 638. *mutans vestitum, mutat etiam mores.* 720. *amittit favorem.* 129. *rapit & obtruncat puellā* 214. *fame necatur. ib.* 220. 577.
*Pausanias cur occiderit Philippum.* 34. 346 380.
*Pausanias de Principum obitu.* 136. *de Cleombroto obtruncato.* 675. *de Dei decreto.* 678. *de Panico terrore.* 764.
PECCATVM *quod sit maximum.* 634.
*Peccata propter priora Deus punit, etiamsi in præsenti negotio causa sit justa.* 504. *ijs crescentibus, crescunt etiam pœna.* 735.
*Pecunia nervus bellorum.* 592.
*Pedianus definit arcem.* 178.
*Pegasus equus Bellerophontis.* 640.
*Pegnessus ter exundat, & semper sequitur bellum.* 691.
*Peka seditiosus interficitur.* 663.
*Pelopidas non dat operam rei pecuniariæ.* 743. *propter rem præclarè gestam accusatur & damnatur.* 735.
*Pelorus cur necatus.* 491.
*Penthalida cur sublati.* 65.
*Perdiccas movet bellum infeliciter.* 563.
*Peregrina auxilia sæpe sunt ijs exitiosa, qui ea accersiverunt.* 535. 536. *&c.*
*Peregrini non sine periculo in urbes admittuntur.* 545. *quando indigenis præferuntur, sequuntur magna turba.* 547. *sæpe & ipsi bene imperant.* 813. 814. *Roma pulsi.* 884. *ijs pro meritis redduntur odia & calumniæ.* 556.
*Peregrinitas concitat seditiones.* 813.
*Perennis unà cum filio necatur.* 826.
*Perfidia in aulis toleratur.* 462.
*Periander mutat imperium Corinthiorum.* 53. *instigante Thrasybulo, fit crudelis.* 370. *à nemine tributum exigit.* 853. *ejus dictum de malo.* 772. 848.

*Periander Ambracia Tyrannus querit puerum, an nondum ex se pregnans factus sit.* 66. 380.

*Pericles fuit pauper.* 38. *est autor belli Peloponnesiaci, ne cogatur reddere rationē.* 38. 77. 161. 394. 438. 440. 459. 815. *est Sophista & crudelis.* 187. *in opera publica opes publicas effudit.* 182. *quid in seipso maximè praedicet.* 308. *lege plectitur, quam ipse tulerat.* 340. *infeliciter sustulit consilium Areopagitarū.* 349. *milites consternatos propter Eclipsin confirmat.* 437. *cur singulis annis classem adornārit.* 449. *sentit Vulgi inconstantiam.* 755. *non vult ad multitudinem furentem habere concionem.* 757. *post mortem rursus expetitur.* 523. *ejus judicium de Peloponnesiis.* 476.

*Periculā dum vitamus, in ea incidimus* 461

*Perillus imbuit suum taurum.* 335.

*Periodus fortunae humanae.* 622. 623. *&c.*

*Periodi fatales imperiorum.* 1. 2. 3. *&c.* 9. 10. 11. *quibus circumactis, deficit autoritas, & sequuntur mutationes.* 11. 12. 13. *&c.*

*Serpentia benefactorem suum trucidat* 512

*Persae summis honoribus coluerunt Reges suos.* 23. *cur jugulārint gubernatorem suum.* 491. *ex ignoratione Thermopylarum caduntur, ibi ante expeditiones comportant annonam.* 492. *eorū limes fatalis.* 112. 113. 114. *regnum quomodo creverit.* 115. *non diu felix permanet.* 139. *eorum eversio praedicitur.* 47. *quae facta est propter crudelitatem.* 64. *eorum Principes deliberant de forma gubernationis.* 152. *Regi licet facere quod libet.* 182. *mos inferendis legibus.* 621. *novus Rex solvit omnia debita.* 853. *Reges ipsi per se judicant.* 257. *potentia sublata per Alexandrum M.* 37.

*Perseus factus insolentior, mutatur in lapidem.* 219. 631.

*Perseus incitat patrem contra fratrem.* 200 *accusat fratrem.* 233. *deseritur à sociis.* 598. *captus muliebriter lamētatur.* 507 649. *honorificè à Romanis sepultus.* 24. *ejus filius factus scriba vel faber.* 655. 744. *ei non fidit Romanus Dux.* 871.

*Persuasio magnam vim habet in bellis.* 436.

*Pertinacibus quid accidat.* 772.

*Pestis post aquarum eluviones.* 689. *nulla ullum Carolum attigit.* 273.

*Pestes duae Ecclesiarū & Rerumpub.* 183.

*Petitiones in aulis quomodo instituēdae.* 427

*Petrus peccat* πολυπραγμοσύνῃ. 781. *ambitione.* 792.

*Petrus de Vineis malā repertat gratiā.* 407

*Petrus Lombardus plebi capillos impetrat.* 286. (batur. 828.

*Petrus Gambacurtius extollitur & deturPetrus Apianus metuit globos bombardarum.* 273.

PHACEAS *Rex ab amico caditur.* 298.

*Phaëthon vult regere Solem.* 77. 778.

*Phalaris est munificus erga Medicum suum* 225. *est Tyrannus crudelissimus.* 305. *ejus crudelitas pertenditur signo.* 698.

*Pharao magnificat Iosephum.* 226.

*Pharao induratur.* 704. *quod prius contempsit, postea cupidissimè arripit.* 773. *everti tur propter superb. am.* 62. *et praedicitur Moses.* 47. *quam praedictionem non potest impedire.* 688.

*Pharisaei nemo fidē Abrahae cōmendat.* 417

*Pharisaei cur Christum oderint.* 609.

*Pharnaces praefertur fratri.* 233. *Mithridatem reliquis filiis praefert.* 230.

*Pheretima horrendum exercet crudelitatē in Barcaeos sibi dedit os.* 585.

φιλαρχία *semper causa magnorum scelerum.* 195.

*Philarchus de Aristomacho.* 199.

φιλαυτία *sequitur securitatem.* 627.

φίλαυτος *fit* ἰδιοβουλεύτης. 627.

*Philippus Macedo ex hoste facit sibi amicū.* 174. *gratulatur filiū sibi natū Platōne Aristotele.* 225. *est pecuniae prodigus.* 285. 493. *magis gaudet victo hoste per dolum, quàm*

*quàm aperto Marte.* 330. *Oratores vult sibi dedi ab Atheniensib.* 397. *ex defensore fit delator.* 541. 733. *jubet sibi sacrificari.* 639. *interfectus propter conniventiam.* 34. 66. 346. 380. *ejus conatus impeditur.* 293. *Virtutes & vicia.* 600.

*Philippus ult. Rex Maced. occidit filium.* 200. 201. *ab anu admonetur officij.* 258 *infert bellum Atheniensibus.* 244 *fingit metum bellicum, ubi nullus est.* 767. *imperium nactus deponit humilitatẽ, quam antea simulârat.* 823. *ejus Ducum dissensio est ipsi perniciosa.* 514.

*Philippus Arabs occidit Gordianũ.* 67. 553

*Philippus Pulcher Rex Franciæ pendet totus à nutu aliorum.* 344.

*Philippus Rex Galliæ transfert bellum in hostile solum.* 486.

*Philippus pater Caroli V. propter autoritatem suam veneno tollitur.* 434.

*Philippus Bonus Dux Burgundiæ multos habet imitatores.* 284 *ejus mortem multa mala secuta.* 677.

*Philippus II. Burgundionum Princeps duas urbes inter se dissidentes facilè occupat.* 469.

*Philippus Landgr. Hassiæ non habet tantam autoritatem, quantam Saxo.* 21. *dissuadet bellum Germanicum.* 494. *dicit sine pecunia non potuisse se conservare disciplinam militarem. ib. post calamitatem concidit ei animus.* 649.

*Philippus Maria Mediolanensis est valde comis & benignus erga captivos.* 761.

*Philippus Melanchthon est mediator, & utrinq; accipit plagas.* 738. *festivè commẽdat Monachum quendam.* 844. *ejus versus de inani labore.* 217.

*Philippi in Macedonico regno fatales.* 42.

*Philistæi fulgure sternuntur.* 765.

*Philistus opponitur Platoni.* 419.

*Philonis dictum de ingratitudine.* 844.

*Philopœmen postremus inter Græcos bellatores.* 600. *habet cor hirsutum. ib.*

*Philotas proditur à meretrice.* 591.

Φιλοτιμία *non est sine invidia.* 81.

*Philoxenus non vult adulari Dionysio.* 222. 367.

*Phlegmatici quales naturâ sint.* 259.

*Phocas est timidus, ideoq; homicida.* 712. *trucidatur & truncatur.* 379.

*Phocenses experiuntur seditionem.* 118. *fiũt eorum Domini, qui illis concesserant extruere urbem.* 178.

*Phocion solus adversatur vulgo.* 749. *non vult recipere oblatam pecuniam.* 743. *sentit vulgi inconstantiam.* 754 *est nimis durus erga multitudinem.* 756. *damnatur capitis.* 129.

*Phocylides de Camarina.* 620. *de ingenio vulgi.* 749. *de eo quòd sit cedendum tempori.* 847. (ori. 179.

*Phœbidas occupat arcem, quam debebat tu-*

*Phœnices miro commento condunt Carthaginem, & fiunt Afrorum Domini.* 177.

*Phœnix honorificè excipitur à discipulo* 226 *ejus verba ad Achillem discipulũ.* 265.

*Phormio adhortatur milites, ut servent ordinem.* 578.

*Phraartes necat patrem, filium & triginta fratres, ideoq; regno pulsus.* 64. 199.

*Phrygibus respondet oraculum.* 159.

*Phul Belochus Iudæos bello aggreditur* 736

PICARVM *pugna cum graculis.* 501.

*Picti & Scoti levi de causa funestum bellũ excitant.* 441.

*Pictor pingit Germanum sine vestibus.* 721.

*Pij præripiuntur malis.* 674. *eorum res crescunt maximè, quando iis invidetur.* 613

*Pindarus magni fit ab Alexandro.* 224. *de ingratitudine,* 127. 405. 816. *de seditionibus.* 131. *de sapientia sine Deo.* 218 *de ira.* 322. *de parvis initiis.* 440. *bellis.* 450. 465. 836. *victoria.* 566. *Panicis terroribus.* 762. *spe.* 770. *Hierone.* 772 *commotione gubernationis* 620. *fato* 684 *agendis præsentibus.* 846. 847.

*Pipinus humili genere ortundus sit Rex.* 147 *ejus posteritas tenet regnum Galliæ.* 9.

*Pisani tandem coguntur parere Tyrannis.* 54
*Piscator cum aureo pisce.* 771. 772.
*Pisistratus invadit tyrannidem.* 164. 669. *fuit insignis Orator.* 394. *strategemate quodam tertiò potitur Athenis.* 587. *ejus filij propter tyrannidem interfecti.* 92. 97 164. 315. 380. 384. *eorum interfectoribus statua posita.* 315. 380.
*Pisistratidarum tyrannis cur extincta.* 58.
*Piso tyrannus insignis sit* αὐτόχειρ. 379.
*Piso judex rigidus tres innocentes necat.* 853
*Pittacus electus contra exules.* 158. *recusat principatum.* 209.
PLATO *accersitur in aulam Dionysij junioris* 419. *de causis mutationis imperiorū.* 4. 25. *de dissidijs intestinis.* 70 *ambitione.* 80. *virtute heroica.* 119. *Democratia.* 163. *confusione actionum* 168. *moderata gubernatione.* 170. *similitudine Principum & civium* 316. *pernicie adulationis* 364. *veritate.* 435. *mutationibus legum.* 618. 620. ὕβρει. 629. *superbia.* 637. *obitu bonorum virorum.* 675. *mutatione Musica.* 724. 725. 726. *ingenio vulgi.* 749. *nimia vindicta.* 801.
*Plautianus Afer potentia sua in sui perniciem abutitur.* 67. 345. *est exemplum aulica benevolentia.* 402 *ejus insignis insolentia.* 641.
*Plautus pistori ad molas manuarias se locat* 744. *utitur vocabulo angina* 806. *de eo, quòd consilia eventis ponderentur.* 669. *de rebus secundis.* 817.
*Plebeij ad honores evecti fiunt insolentiss.* 819. 828.
*Plebē in officio continent externa bella.* 483
*Plinius de terramotib.* 696.
*Plutarchus utitur similitudine à Planetis.* 306. *à Geometris* 373. *ejus dictum de ineptis imitatoribus.* 78 79. *de ambitione* 80. 81. 82. φιλοτιμία. *ib. Democratia* 163. *viris heroicis.* 211. *aularum moribus.* 365. *appetitione alieni.* 520. *adversa fortuna.* 648 *timidis.* 710. *contumelijs.* 741. *Cleomene.* 833. *honoribus qui offeruntur Regibus.* 649. *tempore, quòd illi sit serviendum.* 847. *ejus fabula de serpente.* 168.
POCVLVM *ex calvaria.* 522.
*Pœna facinorosorum in capita defensorum redundat.* 842. 843.
*Pœna atroces comitantur atrocia delicta.* 664. 665. *&c. mitigantur pœnitentiam agentib.* 664. *interdū differuntur.* 666. *cur vageptur in g. h.* 667. *in ijs furor summa est pœna.* 614.
*Polstiarum emendationibus tentatis sequēs status nova vicia genuit.* 181.
*Polonorum regnum quando ceperit & est incertum, ib. vestitus.* 717.
*Polybius de* κακοζηλία. 78. *de benevolentia Regum.* 402. *de invidia.* 556. 606. *de causa eversa Carthaginis.* 621.
*Polycletus Medicus est in magna gratia* 226
*Polycrates est fratricida.* 202. *non semper est fortunatus.* 139. 202. *stulta credulitate auro inhians perit.* 877. *id quod filia ipsius in somnu videt.* 878.
*Polynicis vox tyrannica.* 196. (73. 74. *&c.*
πολυπραγμοσύνη *pestis Rerumpub.* 72. *unde oriatur.* 74. *est vicium familiare magnis ingentis.* 780. 781.
*Pompejus populo charior, quàm Cæsar.* 21. *valde meruit militum Cæsaris sobrietatē* 40. *non vult inspicere literas hostium.* 308 *occupat Hierosolymam.* 479. *parva manu vincit Mithridatem.* 761. *non vult prodere arcana.* 260. *non vult concedere Cæsari triumphum.* 511. 815. *non est usus erga eum æquitate. ib. suppliciter pedum se universam Italiam militibus completurum jactitat.* 570. 624. 626. 655. 793. *tandem fit infelix post multas præclaras victorias.* 567. *cogitur dimicare cum Cæsare propter siniſtros rumores.* 841. *tandem vincitur.* 215. 640. *non potest fari post amissam pugnam.* 649. *dum non satis est cautus, vincitur.* 331. 458. *negat providentiam* 670. *cur victus fuerit à Cæsare.* 808. *evertit Rem. Imperiū* 815.

815. ejus autoritas. 21. symbolum. 83. 195. expostulatio cum Sylla. 511. uxor stupratur. 657. exercitus ante conflictū est tristis. 503. filius mox amicos, mox hostes habet. 237. idem non vult Augusto & Antonio fallere fidem 599 idem se vocat Neptuni filium. 633.

Pompilius Antiochum circulo includit. 395

Pompilius à murib. devoratur. 378.

Pomponius Atticus nunquam redijt cum matre in gratiam. 729.

Pomponius Lana Ciceroni patrono suo malam refert gratiam. 843.

Pomum venenatū alteri præparatū ab architecti illius fraudis filio devoratur 334

Pons ex Calabria in Epirum tentatus. 679.

Pontifices Iudaici attrahunt peregrinos Reges. 28. 443. sunt autores bellorum civilium. ib.

Populares civitates semper inquietæ. 164.

Populari status omnium deterrimus. 160.

Populari aura captatio est deterior tyrannide. 162. 164.

Populus est bestia multorum capitum. 748.

Porcius Latro admonet Catilinā de occasione. 782.

Portenta plerunq; res magnas præcedūt 696

Poscentium importunitas est molesta. 427.

Posthumius Dictator factus. 158.

Potentia magna seipsam evertit. 29. nimia ministris concessa ipsos Principes evertit 66. magna rarò manet intra justas metas. 152. 563. affectatur sæpe infelicissimè 205. magistratuum quò magis reprimitur, eò magis est diuturna. 314. crescens parit invidiam. 459. magna non potest diu quiescere 562. nulla est tanta, quam non de gradu deijcere possit Deus. 564. ejus spes sæpe mutat homines 400. metus sæpe est causa magnorū bellorum 461

Potentiores plerūq; premūt inferiores. 461 præsertim si quando ab illis invitantur. 537. 538. &c.

PRÆCEPTORES senes olim præfecti juventuti. 124.

Præcipitantia semper est infelix. 322. in resistentione gubernatori maximè fugienda. 848.

Præda nimia aviditas sæpe victoriam è manibus amittit. 575. 576.

Prædo sæpe Rex optimus factus. 237.

Præfectus de provincia aliqua bene meritus, non debet contemni: malè enim cedit. 557.

Præliū sæpe detrectare præstat, quàm committere. 570.

Præsentia semper fastidiuntur. 514. 515. &c. ea rectè consulere, magna est sapientia. 772.

Præsūptio mater multorū dāmnorū. 518.

Prætextus tantùm in bellis narrantur. 459. sæpe fallunt subditos. 746.

Prætoriani apud Romanos. 119.

Praga condita à Primislao. 148.

Primislaus III. mirabiliter pervenit ad Ducatum Bohemiæ 148.

Primogenitus quando in imperio succedit, facit ad pacem. 232. contrà quando fit, sequuntur bella & parricidia. 228.

Primum mobile magna incitatione fertur. 260.

Princeps novus semper aliquid affert novi. 137. idem non debet statim exterminare eos, qui antecessorib. fuerunt amici & familiares. 241. 242. idem potest liberalitate sibi conciliare animos subditorum. 852. adolescens facilè corrumpitur. 261. quomodo optimè & diutissimè possit imperare. 172. 173. illiteratus quid sit. 222. qui non habeat opus præsidio militū 227. propter bona consilia fit celebris etiam apud exteros. 254. bonus rectè judicat, & ut rectè judicetur, constituit. 256. qui omnia alijs committit agenda, est segnis & miser. ib. qualis ipse est, talis est & ipsius Senatus & ministri. 280. 287. peccans non facto tantùm, sed etiam exēplo nocet. 281. 282. 290. 317. rectè faciendo docet etiam subditos rectè facere,

cere. 281. non debet tantùm unius amici consilio uti. 342. debet cavere, ne alterum odio, alteram gratia prosequatur 345. inconsulto Senatu nihil bene gerit. 346. 347. &c. licet non sit sapiens, tamen bene imperabit, si utatur fidelium amicorum consiliis. 354. debet patienter audire sententias. 396. non debet factiones inter suos alere. 418. melius bellab. extra fines sua ditionis, quàm intra. 485. debet esse Cosmographus. 490. aliquid erogare in speculatores. 493. esse gloriæ cupidus 506. male facit, quando peregrinos indigenis prafert. 547. externus malult suos augere honoribus, quàm indigenas. 555. debet cavere, ne alius propè eum crescat. 850. quidam tractantes de fœdere, quarit, an etiam sint servaturi fœdus. 595. reprehenditur propter novitatem vestitus. 721. ejus nimia facilitas multis malis prabet causam 253. domesticis sæpe sunt hostes acerrimi. 294. majestas sine armis parùm tuta ib præsentia in bello multum facit ad victoriam. 817. 858. &c. nimia familiaritas parit sui contemptũ. 877. bellatori succedit togatus. 239. eum hostẽ occidere, non semper benè cedit. 278. non semper decet, quod privatum. 315. præstat esse malum, & bonos consiliarios, quàm contrà. 352. omnium maximè ornat fides. 598.

Principes evertuntur superbia 62. crudelitate. 63. quando veniunt in contemptũ 65. nimia potestate ministris concessa. 66 impietate. 69 è carcere ad regnum, & contrà. 141. 142. 143 boni sunt à Deo 139. in uno annulo sculpi possunt. 300. sævitia irritant subditos. 170. diu meminerunt injuriarum. 180 conflictantur cum duobus generibus hominum 242 circumsæ habent fœminam mirabilẽ. 245 seducuntur ab assentatoribus 261. 431. sæpe decipiuntur per Sycophantas. 262 non debent locum dare calumniatoribus. 413. fiunt furiosi, remotis bonis consiliariis. ib. juvenes negligunt consiliarios majorum. ib. semper in disciplinam traditi præstantibus magistris. 263. 264. &c. habent suam quandam fortunam. 265. in Palæstina sũt in magnis periculis. 267 subditos in suos mores fingunt. 280. 283. 287. malis vicia infundunt in aulã. 287. 317 non afficiuntur magna religionis curis. 291 acerbius examinabuntur à Deo, quàm reliqui homines. 291. dum omnibus sine delectu confidunt, sæpe in magna incurrunt pericula. 294. sæpe pereunt propter negligentiam in quibusdã rebus fortunatas, & propter confidentiam. 298. debent imitari chirurgum. 305. non esse mercatores. 315. plurìs faciunt suas voluptates, quàm ipsam Rempub. 359. fideles monitores habent pro inimicis. ib. à turpibus hominum generibus vexantur. 360. cur delectentur assentatoribus 362. sanguinarij sunt Deo exosi. 377. moderati contrà. 384. novi sine summa virtute difficulter imperium tuentur. 385. sæpe sunt ingrati erga bene meritos. 401. fiunt superbi, quando impendet ruina. 602. quidam multarum dictionum titulis se exornant, in quibus tamen nihil habent. 603. salutares auferuntur, impendentibus magnis cladibus 672. 673. sæpe de futuris divinis admonentur. 696. ante pœnas fiunt amentes. 701. sævi plerunq; etiam sunt ignavi. 713. omnia evertunt sua negligentia & pigritia. 838. non possunt evitare calumnias, etiamsi omnia rectè faciant. 829. cur dicantur pastores. 859. non debent ipsi tempore belli cum adversa parte colloqui. 869 870. &c. quomodo debeant esse parati. 876 pacis tractationem instituere. 868. sæpe periculosa ad alios, tanquam amicos, instituunt profectiones 877. externi varò plerunq; 882 883 &c. eorum autoritas concidit. 15. mores magis movent subditos, quàm ipsæ leges 136. mutationes sunt pœna peccati. ib. mul-

*ib multitudo est mala* 151 *securitas qua in re consistat* 204. *religionem sequitur multitudo* 289. *laudatissimi conatus sæpe pereũt* 292. *tres sunt gradus* 299. *crudelitas subditos facit rebelles* 312. *benevolentia similis tempestati Aprilis* 401. *animi mutabiles* 402. *lapsus trahunt secum magnam multorũ ruinam* 815. *longior à suis regnis absentia nõ est bona* 857 *congressus periculosus* 871. *nostrorũ bella cur fuerint infelicia* 106. *ita & fœdera* 596. *ijs magnũ est impositũ onus* 208. *sapientib. libenter obtemperatur* 245. *quid autoritatẽ conciliet* 305. *ruina impẽdet, quando non dãt locum salutarib. consiliis* 325. *consulere post calamitatem difficile est* 646. 647. *imputantur errata in gubernatione ab aliis commissa* 837. *eos præcipuè commendat clementia & lenitas* 304. *qui corrumpunt, vel in proprio corpore, vel in posteritate punitur* 830. 831. *sub orphano exerit se malitia hominum improborum* 228. *de ijs nõ citò judicandum* 248.

*Principatus dantur fato* 44. 45. 194.

*Principium omne grave* 797. *mali malus est exitus* 439

*Prior Campanus à meretrice proditur* 591

*Priscus Helvidius intrepidè loquitur cum Vespasiano, minitante ei mortem* 396.

*Probus Augustus tantùm tela & arma ex præda sibi sumit* 509

*Proceres lapidatur propter novas exactiones* 853

*Procurator cum capite suo deliberat* 849. *à cliente suo occiditur* 844

*Prodigalitas est pestis Rerumpub.* 60

*Proditores semper sunt in suspicione* 560

*Proëreso professori statua collocatur* 224

*Promnesius Virgines cognoscit ante connubium, ideoque occiditur* 58

*Prophetæ etiam fuerunt gubernatores* 264

*Prophetia cessante dissipatur populus* 27

*Protadius dum peregrinus in Gallia omnia solas vult moderari, obtruncatur* 555

*Protagoras falsò pro sapiẽte celebratur* 742

*Proverbium de ingratitudine* 126. *de honore* 208. *de magnorũ virorum magnis erratis* 211. *de Abbate* 283. 289. *de cassita* 390. *de similitudine Dominorum & servorũ* 317. *de magnis Dominis* 343. 402. *de aulis* 405. 406. *de fastidio præsentis status* 518. 519. *de potentioribus* 561. *de invidia* 613. *de fortuna* 623. 631. *de seditionib.* 661. *de equis* 732. *de Repub. Veneta* 602. *de fune ex arena* 749. *de Quæstorum furacitate* 804. *de humilib. ad honores evectis* 820. 821. 823. *de peculiaribus quorundã populorum moribus* 811. *de furibus* 803. *de successibus* 623. *de asino ib. de Senatoribus* 739. *de adversa fortuna* 823.

*Provocator plerunq; vincitur à provocato* 495. 496. *&c.*

*Prudentia conservat Respub.* 795. 796.

*Prudentissimi quoque non semper rectè judicant* 739.

*Prudentius de pœna superbiæ* 638

*Prusias à filio occiditur, quem ipse occidere cogitabat* 64. 230. 231. 336.

*Pruteni infeliciter se avellunt ab Imperio* 137. *contemnunt Polonos* 530. (201

PSAMMETICHVS *tollit Collegas* 132.

PTOLEMAEVS *non obtemperat Catoni recta monenti* 325. *Romanum populum propter fidem fãcit tutorem filio* 599. *sua præsentia ex victis facit victores* 861. *captivos Demetrio sine precio remittit, idemque postea experitur* 761. *percussor Pompeij suffocatur* 580

*Ptolemæus κέραυνος specie nuptiarum sororem decipit, eamq; occidit* 202. *φιλάδελφος petit viros doctos à summo Pontifice* 224. *Sotadem propter admonitionem liberiorẽ incarcerat* 411. *Lagi filius juniori filio tradit regnum, sed malè* 229. *Physco juniorem filium præfert majori ib. Philometor à matre odio flagitat. exagitatur* 230. *in nulla est autoritate propter ignaviam* 241. *Lathurus propter crudelitatem fit infelix* 584

*Ptolemæici Reges multos faciunt Mathematicos* 286
PVBLICA *quando privata fiunt, degenerant* 698
*Pudor in re bellica sæpe res perditas instaurat* 568 (tias 841
*Pugnaces non semper dicunt optimas senten-*
*Pugnam Pharsalicam præcedit terrificum sidus* 697
*Pugna avium bellorũ indices* 499. 500. &c.
PYASTVS *mirabiliter pervenit ad principatum Poloniæ* 148
*Pyramides cur extructæ* 183
*Pyrrhus tollit Neoptolemum* 133. *excutit Lysimachum ib. reprehendit Athenienses, quòd ipsum in artem intromisissent* 179. *provocatus vincit gigantem* 498. *Romanis captivos reddit* 761. *eius colloquium cum Cinea* 521. *medicus Regi malum struens, sibi ipsi parat* 333
*Pythagoras de delicatis* 39. *eius adagiũ de olla* 729. *de judicio vulgi* 753. 802
*Pythias ex hoste fit amicus* 174
*Pythij filius in duas dissecatur partes* 438

Q

QVADI *fulmine sternuntur* 766
*Quæstor Phorcensis expetit justitiam, non misericordiam* 804
*Quæstores sunt stryges* 803
QVINCTIVS *non vult sævire in milites rebelles* 309
*Quinquennium Neronis* 250
*Quintus Cottus vincit provocatus* 497

R

RABSACES *est insolens* 83
*Ranimirus graviter ulciscitur facetias* 430
*Ratione quod fit, melius fit, quàm quod vi*
*Ravennensis pugna* 528. (330
RECONCILIATIONES *sunt lupina amicitia* 727. 728. &c. *Senatorum urbi sunt salutares* 424
*Reconciliatus amicus non statim potest esse testis* 728
*Rex debet esse Lex loquens* 151. *tantùm debet esse unus. ib. quando adhuc est infirma ætatis, consiliarij mala moliuntur* 228. *fit sæpe ex fratre* 231. *est servus* 149. *in regione thuris ferax sub legibus vivit* 256. *qualis ille, tales & ministri* 288. *talis & sacerdos* 289. *eius domus debet esse munda & honesta* 281. *indulgentia in filios est pernitiosa* 231. *præsentia multum facit ad victoriam in bello* 857. 858. &c. *eum qui laudes suas defraudat, ex ea facit Tyrannum* 511. *est opus in seditionibus* 159. *sine liberis mortuo, regnum est in periculo* 203
*Reges multi propter voluptates regno pulsi* 39. *propter superbiam* 62. *propter crudelitatem* 63. *quatuor tragicè perierunt* 107. *putant licere sibi fratres necare* 133. *fiunt etiam ex humili genere* 145. 146. *dum volunt autoritatem suam stabilire, fiunt Tyranni* 235. *ludunt fœderibus* 236. *etiam optimi non sunt sine latebris gravibus* 238. *moderati post Tyrannos* 240. *per assentatores seducuntur* 242. *non debent planè pendere ab aliorum nutu & consilio* 245. *plures à suis, quàm ab hostibus interfecti* 296. *sæpe tantùm unum in precio habent* 342. 343. &c. *sæpe divinitus admonentur de futuris* 696. *quomodo stabilire se sua imperia posse putent* 850. *plura efficiunt liberalitate, quàm vi* 851. *non debent ipsi colloqui cum adversa parte in bellis* 869. 870. &c. *qui soli regnum tenent, aliter se gerunt, quàm illi, qui socij tantùm regni sunt* 840. *duo ad Vratislaviam* 398. *nimis sæpe in Tyrannos degenerant, & minores cum damno* 155. *nihil habent tam sanctum, quod non violent* 198. *eorum tituli* 603. *honestissima sepultura qua* 197. *impetus divinitus gubernantur* 233. *crudelitas subditos facit rebelles* 312. *gloriam nihil tam obscurat, quàm neglectus*

*neglectus Virorum doctorum, & contrà* 221. 222. *&c. exempla imitantur ministri* 287. *qua multum nocent* 290. *Iuda & Israëlis catalogus* 302, *ijs nihil utilius sapientibus amicis* 227

*Regia dignitas semper fuit sacrosancta* 23. 24. *debet esse* 204

*Regia filia fit serva* 145

*Regiati cives malè tractati* 87

*Regij filij de imperio per monomachiam certant, & provocatus vincitur* 497

*Regio interdicta* 559. *corruptos habet mores, qua multum habet gentium peregrinarum* 807. *earum diversi mores* 812

*Regnandi cupiditate nihil tetrius* 194. 195 *inde orta multa bella & incommoda* 195. 196. *&c.*

*Regnum semel destructum, non facilè restituitur* 103. *malis artibus comparatum non est diuturnũ* 105. 383. *quando debet florere, DEVS ei dat Viros heroicos* 119. *non capit duos* 151. *frustrà appetitur contra decretum DEI* 194. *quando à juniore majors praripitur, parit clades* 229. *nullum sine domestica cade* 231. *divisum inter plures, fit infirmius. ib. nõ potest esse diuturnum, quod austeritate & minis regitur* 303

*Regna plerunq; quingentos annos durant* 1. 2. 3. *&c. interdum* 250. *tantùm* 8. 9. *evertuntur propter dissensiones intestinas* 26. 27. *impunitatem scelerum* 31. 32. *ebrietatem* 38 *& alia vicia* 35. 36. 90. *sæpe degenerant in Ducatus* 51. *habent signa fatalia* 108. *fatales limites* 112. 113. 114. *quomodo crescant & evertantur* 115. *circa finem sunt turbulenta* 116. 117. *non ferunt socium* 132. 155. *quatuor ex uno* 135. *non diu sunt felicia* 138. *sunt in periculo propter opulentiores, Rege sine liberis mortuo* 203. *debent esse defensio & gubernatio* 234. *non sunt diuturna, qua peregrino milite utuntur* 536. *plerunque inchoantur à clementia* 248. *à socijs non bene administrantur* 840. *eorum optimus status est Monarchia* 149. *in ijs, qua militaris disciplina gubernantur, summa potestas est penes milites* 118

*Regulorum quorundam sordes.* 316

*Regulus pugnans cum desperatis vincitur* 456

*Rehabeam amittit decem tribus* 68 654. 791. *idque propter consilium juvenile* 124. 174. 262. 263. 325. 327. 413. 796. 852. *responsionem differt in tertium diem* 427. *corrumpitur ab adulatoribus* 432. *vincitur* 735

*Religio quando degenerat, quid ex ea fiat* 796. *Principum imitatur multitudo* 289. *earum mutatio pernicioſa Reipub.* 615. 616. *extrema sunt superstitio aut profanitas* 796. *præsentes semper fastidimus* 514

*Repetunda mutant Respub.* 37

*Respublica est immortale animal* 28. *non potest diu consistere, ubi nec legibus nec magistratibus habetur honos* 49. 50. *nulla potest esse stabilis* 50. 51. 52. *propter ingratitudinem non est deserenda* 127. *sine arte, ex sola experientia, malè regitur* 140. *in periculis servari potest, si gubernatio ad unum referatur* 156. 157. *habet multas belluas* 207. *non potest conflari ex duabus aut tribus formis* 151. *melior est, in qua Princeps malus, & boni consiliarij, quàm contrà* 352. *ea est infelix, in qua non licet liberè loqui* 395

*Respublica evertuntur impunitate scelerum* 31. 32. *Sophistica & ignavia* 183. 184. *luxu* 643. *per civitates recens extructas* 177. *mutantur propter certa gubernatorum vicia* 56. 57. *per quos optimè gubernentur* 101. *non evertuntur, donec hospitia præbent Ecclesiæ* 104. *& quàm diu ibi regnat sapientia & consilium. ib. non possunt esse quietæ, regnante magistratu non*

*legitimè* 105. *crescunt tribus rebus* 115. *melius reguntur à senibus, quàm juvenibus* 119. 120. 121. &c. *conservatur prudentia* 795. 796. *earum mutationes certis signis à Deo revelantur* 46. 47. *præcipua pestes* 72. 73. 74. &c. 182. *tres formæ* 149. *gubernatio est difficilima* 207. *ijs quando immineat interitus* 56. *pernicioſa est legum mutatio* 615. 616. &c. *eos qui constituerunt, malam reportant gratiam* 125. 127. 128. &c.

RHADAMANTI *Versus* 332

*Rhegini infeliter Romanos in auxilium accersunt* 544.

*Rheinſteinēſis Comes strāgulatur ab eo ipſo, quem ipse strangulare volebat* 337

*Rheni & Danubij conjunctio tentata* 679. 682.

*Rhodij cur statum ſuum mutārint* 38. 59. 167. 168. *Perſeum ſocium in calamitate deſerunt* 598. *eorum Tyrānus paciſcitur conjuges* 300.

RICCIUS *Monticlarius blandè invitatos ad cœnam, poſtea trucidat* 388.

*Richardus fruſtrà conatur eſſe Imperator* 106. *in templo cæditur* 107.

*Richardus frater Eduardi IIII. dolo occupat regnum, quod tandem unà cum vita amittit* 107

*Richardus Principis Gallenſis filium in carcere vitam finit* 145.

*Richmontius Comes ex profugo & exule fit Rex* 143

*Rigor multùm placet prò conſtantia* 440. 853.

*Ritho gigas ex barbis Regum ſibi facit pelles* 530

ROBERTUS *Rex Neapolit. propter avaritiam dictus Fiſcalis* 316

*Robertus Sanſeverinius humanitate certat cum latronibus Arabicis* 761

*Robertus Princeps Salernitanus laudat militem, qui eſt obediens* 475

*Roberti Dudlai varia fortuna* 656

*Roboam, vide Rehabeam*

*Rodericus attrahit Mauros in Hiſpaniā* 95

*Roma quàm diu habuerit Reges* 9. *vaſtatur à Totila* 10. 116. *eſt ingrata erga bene meritos* 130. *expugnatur mirabili occaſione* 787. *quibus debeat, quòd tam diu ſteterit* 165. 349. *habuit multos turbatores Reipub.* 206. *viros heroicos* 119. *vertitur bellis civilibus* 480. & *horum qualis fuerit exitus* 543. *eſt templum Martis* 562. *non potuit capi ab Hannibale* 234. 383. 688. *punitur propter uſuras* 98. *ibi oriuntur bella ex bellis* 131. *parata via ad Monarchiam* 167. *quid Reſpub. mutārit in popularē ſtatum* ib. *cur facta mutationes* 28. 36. *Reges ejecti* 95. *Decemviri ſublati* ib. *quid ſeditiones excitārit* 118. *militum prætorianorum ſumma eſt poteſtas* 119. *ſæpe latæ leges ſumptuariæ* 721. 723. 724.

*Romani Regis nomen habuerunt ſacroſanctum* 24. *Reges in cuſtodia mortuos honorificè ſepelierunt* ib. *deliberant, utrum Carthago debeat deleri, nec ne* 28. *in magnis periculis & bellis eò plerunq; decurrerunt, ut gubernationem omnem uni tantùm crediderint* 157. 158. *ter faciunt ſeceſſionem* 164. *plebem remiſſione debitorum deliniunt* 175. *vicinas urbes deijciunt, ut Roma creſcat* 177. *erga Medicos fuerunt valde munifici* 224. *attrahuntur contra Philippum* 244. *negotiatoribus non conceſſerunt militare* 316. *ſine conſilio multorum nihil ſtatuūt* 349. *ad furcas Caudinas malè tractantur* 357. *propter diſſenſiones inteſtinas in magno ſunt periculo* 467. *transferunt bellum in Africam* 486. *annonam ſemper habuerunt in promptu* 492. *noluerunt eſſe provocatores* 496. *non utuntur externis auxiliis* 541. *invitati à Rheginis, eorum urbem occupant* 544. *noluerunt peregrinos, imò neſocios quidem, in Senatum coöptare* 554. *cum Carthaginenſes terrent & vincunt* 572. *valde metuunt Elephantos* 573. *nimis duras proponunt conditiones Carthaginenſibus* 586.

586. 587. dum post victoriam nimis sunt securi, faciunt Hannibalis viam evadendi 588. vincuntur 589. graviter ulciscuntur violatores inducierum 590. deseruntur à sociis propter cladem Cannensem 598. fidem servant quibuslibet 599. seipsos commendant ob justitiam causæ in bellis Punicis 671. sunt ingrati erga bene & merentes 754. ultra Pontum Euxinum non extenderunt 793. paulatim creverunt 797. facilè occupant Asiam 808. non in quibuslibet locis collocant colonias 815. obsidentes Agrigentum propter annonæ defectum sunt in periculo 879. eorum Coss. quàm diu floruerint 5. in Occidente imperium quando corruerit 6. Respublica 10. eadem quando maximè floruerit 11. Monarchiam quid everterit 28. 29. 31. 36. Respub. sæpissimè mutata 52. 53. 54. 58. bellis civilibus evertitur 72. 117. plures ceciderunt ambitione, quàm armis 81. fatalis terminus 113. 114. imperium quomodo creverit 115. 121. mos laudabilis 292. Senatoribus licuit loqui, quàm diu voluerunt 396. ijs portento Rex prædicitur 48. in secundo bello Punico bellum non succedit ex sententia 467. bella externa fuerunt salutaria 483

*Romulus & Remus à lupa nutriti* 266. *æmulantur inter sè* 790

*Romulus eligit gubernatores ex senibus* 121. *provocatus vincit* 497. *non parcit fratri* 297. *à Senatoribus necatur* 348. 379

*Rosa seditiosus seipsum confodit* 662

RVDOLPHVS *Habsburg. non sine providentia divina fit Imperator* 140

*Rudolphus Anhaltinus vincit Venetos* 527

*Rudolphus Dux Svevia amittit dextram & vitam* 662

*Ruina secutura signum est superbia* 633. 634. &c.

*Rusticus liberat serpentem, & sentit ingratitudinem* 127. 128

*Rusticorum tumultus in Germania* 154. *unde ortus* 443. *trucidantur* 662.

RYTHMI *proverbiales Germanorum* 191. 623

## S

SABINA *Poppæa habet multos imitatores* 284

*Sacerdos talis, qualis Rex* 289

*Sacerdotes suis consiliis plus damni in Rempublicam invehunt, quàm Princeps secularis* 462

*Salvitia ubi est, ibi etiam est Sophistica* 185.

*Saguntini propter nimis duras conditiones, seipsos perdunt* 587

*Sal evanescit, dum non licet amplius gratis sumere* 699

*Saladinus relinquit regnum fratri* 89. *Ægyptum occupat, à qua fuerat in auxilium vocatus* 544. *moritur* 198

*Salapienses æstus vitant astutiam Hannibalis* 337

*Salica lex cur lata* 554. 884

*Salmanassar punit idolatriam regni Israël* 9. 91.

*Salomon à DEO circundatur autoritate* 22. *habet suum præceptorem* 264. *non potest tollere suum successorem* 45. 83. 688. *habet sapiens Collegium* 227. 289. *fuit Princeps pacificus* 239 & *sapientiss.* 245. *fit idolatra* 212. 219. 239. *propter impietatem fit infelix* 69. *eius filius propter idolatriam amittit decem tribus* 91. 174. *mortem quid consecutum* 677

*Saltza oppidum infeliciter contemnit hostem* 528.

*Salvoison occupat oppidum Cæsare* 39.

*Salustius de bonis consiliis* 347 *de celeritate* 481. *de victoria* 584. *de favore* 14. *de prodigis* 643

*Samaria regnum cur deletum* 91. *Reges cur infelices* 205

*Samnites malè faciunt, quòd media incedunt via* 357. *septies pacem factam cum Romanis violant* 590
*Samo fit Rex Slavorum* 59
*Samogeta dumaliis exitium parant, etiam ipsi pereunt* 338.
*Sampaulum mirabili occasione expugnatur* 783
*Samson ministrat Delila* 219. *cur ducat Palastinam conjugem* 320.
*Samuel non imitatur exemplum filiorum Eli* 318
*Sanctius Navarrorum Rex egregiam obtinet victoriam de Smaragdo* 508. *ex praeda hostili quid petat* 509
*Sanguinem humanum qui semel bibit, semper eundem sitit* 387
*Saphadinus occupat regnum Saladini* 89. *cujus filios novem occidit* 198
*Sapientes non leviter errant* 211. *tum maximè, cùm confidunt sua sapientia* 739. *stulta amulatione sape in maxima pericula se & alios conjiciunt* 846. 847.
*Sapientia conservat Respub.* 104. *est infelix, cùm à DEO deseritur* 217. 218. *&c.*
*Sapimus post factum melius* 739
*Sapit nemo omnibus horis* 739
*Sapores Valerianum detinet in captivitate* 144
*Saraceni attrahuntur dissensionibus Graecorum* 29 *quos exturbant* 92. *quomodo attracti in Hispaniam* 95. 542. *cur à Rom. Imperio defecerint* 443. 557. *ex Italia pulsi* 138. *ex Asia extracti* 542
*Sardanapalus amissa autoritate, amittit regnum* 16. 17. 18. 58. 95. *propter luxum* 60. 297
*Sarraco Aegyptum occupat, quam juvare debebat* 543.
*Satanas propter ambitionem deturbatur* 791
*Saturninus docet, imperare esse magnum malum* 208
*Saul à DEO circundatur autoritate* 21. 22. *non potest tollere Davidem* 45. *cur Davidi infensus* 83. *cur infelix, & David contrà* 205. *habet multos Duces impios* 206. *fallit Davidem* 370. *malè suspicatur de Davide* 376. *odit eum* 406. 610. *laudabiliter dissimulat injurias vulgi* 760 *fit exemplum humanae imbecillitatis* 211. 219. 239. 248. *nocet exemplo* 318. *cur regno exutus* 37. *ei praedicitur privatio regni* 47
*Saxones conspirant contra Henricum III. Imp.* 838 *sunt saxa* 845
SCAEVOLA *insigni acumine legatione fungitur apud Carthaginenses* 395
*Scaphismus quale supplicij genus* 371
*Scedasi historia* 96 97
*Scelera fiunt praeter fatum* 770. *eorum impunitas est signum ruituri regni* 31. 32. 33
*Scelerati in publicis tumultibus emergunt* 659
*Sciarra Banditarum Dux à Collega interficitur* 664
*Scipio praedicit interitum urbis Romae* 10. *prohibet luxum in castris* 39. *exautorat nobilem quendam Romanum propter luxum* 40 *fit magnus propter cultum senis patris* 124. *non vult, ut fratres armis de regno certent* 230. *maluit unam civem servare, quàm mille hostes occidere* 308. *populum tumultuantem jubet tacere* 216. *leniter animadvertit in milites* 309. *servat patrem in acie* 327. *cur noluerit Carthaginem deleri* 483. *invidiam sentit propter virtutem* 610. *est mitiss. erga devictos hostes* 584. *est murus urbis Romae* 677. *propter successorii adventum facit pacem cum hostibus* 734. *est paucis contentus* 743. *captivos sine precio dimittit* 761. *idem experitur ab Antiocho.* ib. *ipse in oppugnationibus ubique praesens est* 861. *est continentiss.* 864. *habet rationem diligentem uxoris Mandonij.* ib. *malam reportat gratiam* 130. *in voluntarium abit exilium* 754. *eius magna fuit autoritas* 22. 23. *sententia*

*tentia de transferendo bello in Africam vincit* 740. *filia ex publico dotata* 744. *dictum de exitu bellorum* 446. *de scuto* 743. *ei funus de publico exolutũ propter paupertatem* 744

*Sclopi in bellis sæpe parùm prosunt* 573

*Stolæ Philosophorum à peregrinis ferè apertæ, non à civibus* 814.

*Scots marmor habent sacrosanctum* 257. *cum Pictis levi de causa funestum bellum excitant* 441. *non possunt Gallorum imperium perpeti* 883. *pellunt eos, à quibus fuerant in auxilium evocati* 544

*Scotus captivus ex ventis judicat de eventu pugnæ* 503

*Scytha de tollendo Dario deliberant* 25. *eorum servi non armis, sed flagris vincuntur* 766

*Scythicæ gẽtes semper tẽtatæ infeliciter* 793

SEBASTIANVS *possidet Zenonem Imp.* 345

*Sebastianus à Fleckenstain non vult à Turca recipere sacculum plenum pecunia in pugna* 509.

*Sectarum apud Philosophos ferè omnium autores fuerunt peregrini* 814

*Securis Tenedia* 340

*Securitas post victoriam Duces non paucos perdidit* 588 *eam comitatur superbia & tandem eversio* 622. 623. *&c.*

*Sedechias in captivitate moritur* 144

*Seditio in Vngaria* 662. *Roma* 842. *militaris tristior urbana. ib.*

*Seditiones præcedunt Rerumpub. eversiones* 26. 27. 28. 70. 71. 116. 117. *oriuntur ex nimiis subditorum expilationibus* 41. *ex dolore & indignatione* 117. 118. *prosunt sceleratis* 160. 658. 659. *&c. sæpe oriuntur propter peregrinos* 545. 812. 828. *nunquam cedunt feliciter* 661. *intestina sunt pernitiosiores externo hoste* 468. *earum initia sunt periculosiss.* 440. *ijs semel motis, subindè plures fiunt dilacerationes* 131

*Seditiosi non cohærent inter se bona fide* 663

*Sedulitas versatur inter duo extrema* 76

*Segoregiores dum permittunt aliis extrue-re civitatem, amittunt dominatum* 178

*Sejanus possidet Tiberium* 345. *etiam imperium invadere audet* 67. *experitur benevolentiam aulicam* 409 835. *Vulgi inconstantiam* 755

*Seleucus Asiæ Rex Regis nomen habet sacrosanctum* 204

*Selgensium urbs ab hostibus induciarum tempore intromissis occupatur* 868

*Sellum seditiosus interficitur* 663

*Selymus habet Capricornum in ascendente* 109. *regnum Mamaluckorum delet* 10. *est parricida* 300. 387. *necat patrem & fratres* 198 *Mustapham Bassam canibus dilaniandum objicit* 371 *perpetrata una cæde, plures facit* 386

*Semiramis fraude petitur imperio* 191. *movet bellum non necessarium* 452. *Vincitur ab Indorum Rege* 113. *eius sepulcrum cum inscriptione* 707

*Sempronius autor cladis ad Trebiam* 327

*Senatum urbe capta, omnis gubernatio eversa* 156

*Senatores dissensione sententiarum sæpe non nocent Reipub.* 354

*Senatus nomen habet à senibus* 121 *in omni Repub. est necessarius* 347

*Seneca respondet Neroni* 227. *eius dictum de ambitione* 80. *de mutationibus imperiorum* 131. *æmulatione* 132. *moderatione* 173. *Cæsaribus* 291. *superbia* 623. 626. 627. *Vulgi judicio* 750. *indiciis ægræ civitatis* 646. *inconstantia fortunæ* 651. *malis consiliis* 332. *adulatoribus* 366. *Tyrannis* 371. *luxu, qui evertit Rom. Imperium* 643. *atrocibus deliciis* 666. *Judicibus* 774. *de beatitudine aulica* 405

*Senes melius regunt Respub. quàm juvenes* 119. 120. 121. *&c. dolent se contemni* 655.

*Sennacherib movet bellum non necessarium* 452. 792. *cur Ezechiam bello lacessi-*

*ver-*

verit 464. 465. reprimitur divinitus 383. non servat fidem 788. eius posteri cur amiserint Monarhiam 92
Sententiarum dissensio interdum bona 354. 355. interdum mala 355. 356.
à Septentrione omne malum 111.
Sepulcrorum violationem sequitur fortuna mutatio 705. 706. &c.
Sepultura honestissima Regum quæ 197
Serah Rex AEthiopum Panico terrore fugatur 764
Seranus cænat agresti mensa 744
Serinensis Comes toties erumpens ex arce, malè facit 881
Serpens vult necare benefactorem 127. 128 devorans serpentem fit Draco 736. eius cauda non vult amplius obtemperare capiti 168
Sertorius propter Sylla importunitatem deficit 512. 526. semper fuit in bellis superior 512. non vult violare sepulcra 708. per proditionem ab eo caditur, quem tamen hæredem fecerat 512
Servi apud Tyrios opprimũt Dominos 125
Servilius vicies ter provocatus vincit 497
Servius Tullius experitur immanẽ impietatem filiæ 193. 196 miraculosè natus 698
Sesak Rex Aegypti vincit Roboam 735
Sesostris vincitur transgressus fatalem limitem 114. à quatuor Regibus in curru vehitur 655
Severiani mirabili occasione adjuvãtur in loci cujusdam oppugnatione 785
Severianus in exilium pellit Chrysostomum, à quo evectus fuerat 400
Severitas nimia sæpe nocet 169
Severus Imp. jus ipse dicit 257. interfectores antecessoris sui loco mercedis occidit 278. magnificit Plausianũ Afrum, quem postea necat 345. aperit sepulcrum Alexandri M. 706
Sextus Pompejus ab eo occiditur, cuius ille vitam servârat 844
SIBARITAS luxus perdidit 61
Sicariĩ plerunq; in ipso actu caduum fiunt pusillanimes 277
Sichemita divinitus reprimuntur 766
Siccius Dentatus octies provocatus vincit
Siculi puniuntur bello 536 (497
Sidera sæpe portendunt bella 696
Sigismundus Imp. in precio habet literatos 224. divinitus liberatur 268. 272. occupat Vngariam 883. odit assentatores, & uni ex illis colaphum impingit 433. non redit ad bellum Turcicum 742. post colloquium cum Carolo Burgundo fit ei infensior 874
Signa præcedunt calamitates 696. 698.
Signifer mirabiliter dat occasionem oppugnandæ urbis Romæ 783
Silberbergerus Canonicus sordidiss. 732
Silius Italicus de paupertate 41. de Fabio 571
Simeon & Levi peccant iracundia 86
Simeonis filij certãtes de Pontificatu, Hierosolyma magnas accersunt clades 72
Similitudo ab ardore ignis 120. à gubernatore navis. ib. à cytharoedis. ib. à mercatoribus. & navigantib. 126. navi 155. medicina. ib. anguillis 160. 659. 660. morbis 169. corpore 171. cytharis 173. pomis aureis 263. muribus 368. astragalis 371. Geometris 373. sagittis 413. lippis & Sole 608. umbra & virtute 606. ædificio & legib. 615. diætæ ib. serpentib. & mutatione legum 620. melle & cõsilio 647. 648. oculo & civitatib. Sole & Repub. ib. arboribus & peregrinis gentibus 814. imbribus & humili loco natis 820. Planetis 306. parelio 693.
Simonides retundit Pausaniam 220. 638
Sisamnes injustus Judex excoriatur 371.
Sisyphi saxum volvere 205. (273
SLAVI cur defecerunt ab Hunnis 59
Sluſa concha amplius non apparent propter quæstum 699
SMARAGDVS invadit Hispaniam & vincitur 508. 509.
Smerdis est liberalissimus erga subditos 853
SOCIETAS inter malos nõ est diuturna 664. bona duo sunt fundamenta 69

*Socij deficiunt à socijs in calamitatib.* 598.
*Socrates* cogitur ex inuidiâ bibere venenum. 611. *quod Critia propinat.* 314. *non vult accipere dona Alcibiadis.* 744. *ejus morituri vox ad uxorem.* 611. *dictum de Musicæ mutatione.* 725.
*Soderinus* increpat *Florentinos.* 165.
*Sodoma* cur deleta. 62. 94.
*Sol* imitandus in gubernatione. 169. *orientem qui primus viderit, Rex esto.* 125. *plures adorant, quàm occidentē.* 434. 511.
*Solon* lege plectitur, *quam ipse tulerat.* 339. *cur à Crœso pulsus.* 367. *simulat insaniam.* 436. *Senatum juramento obstringit.* 621. *ejus colloquium cum Æsopo.* 365. *dictum de fine vitæ.* 248. *de diffidentia* 295.
*Solymannus* contra Persas *semper fuit infelix.* 114. *necat filios.* 198. *magnis præmijs piratas ad se pellicit.* 238. *Habraymū contra fidem datam necat.* 408. 790 798. 828. *attrahitur in Vngariam, ex qua pelli non potuit.* 543. *cur noluerit cōfligere cum Carolo V.* 628. *ejus oratio ad Magnum Rhodi Magistrum.* 507.
*Sophistica* evertit *Respub.* 183. *est nocentior Tyrannide. ib. dissipat religiones. ib. semper est coniuncta cum Tyrannide.* 184 185.
*Sophocles de urbis ruiturę signis.* 32. 183. *de pertinacia.* 74. *de* ἀναγκαίᾳ. 154. *fastidio præsentis status.* 516. *mutatione mētis in infortunio.* 647. *adversa fortuna.* 648. *Tyrannis.* 834.
*Sotades propter admonitionem liberiorem malè perit.* 411.
SPARGAPISES *per ebrietatem cadit.* 533.
*Sparta non semper admisit peregrinos.* 813.
*Spartani fuerunt crudeles & Sophista.* 185. *nolunt Athenas deleri.* 523.
*Spes mutat homines.* 400. 770. 772.
STABILE *nihil in rebus humanis.* 50.
*Statius de victoria.* 567.
*Sceno sub specie colloquij capitur à Christierno.* 875.
*Stephanus interfectus per seditionem* 341.
*Stephanus Vvintoniēsis Episcopus, autor persecutionū in Anglia, miserè moritur.* 831.
*Stilliconis* vox *de Ambrosio.* 676.
*Strabo de Imperatore, qui sit Cosmographus.* 490.
*Strati sepulchrum violatum ulciscitur violatores.* 708.
*Strato senex informat servum.* 125.
*Stratoclis decretum.* 414.
*Strozius de ingenio vulgi.* 749.
*Studia commendant magnates.* 221.
*Studiosior quò quis, eò titulorum avidior.* 603
*Sturmius de Hispanorum gladijs.* 574.
SVANTOPVLTVS *duobus Principibus insidias struit.* 273.
*Subditi non ferunt injustum imperium.* 170. *nomen Regis debent habere sanctum & inviolabile.* 204. *imitantur Principum mores.* 279. 280. *ut timeant Principem, quid ipsi agendum.* 305. *ob quas causas facilè rebellent.* 312. *potentes injuria affecti à Principe, graviter solent se ulcisci.* 558. *in bellis sæpe nesciunt, quem sequantur.* 558. *bonos magistratus naturâ amant, & contrà.* 851. *eorum nimia expilationes præbent causam seditionib.* 41. *præstat eos habere divites, quàm inopes. ib.*
*Successionis in regno* violatum *jus, parit ingentes clades* 229.
*Successor quando est iners & degener, contemnitur, pellitur, vel occiditur.* 241. *suum nemo potest tollere.* 44. 45.
*Successus pluris fiunt, quàm virtus.* 604. *faciunt homines insolentiores.* 626. 630. 631. *&c. & contrà.* 742.
*Succinum Romæ in magno est precio.* 284.
*Sufficit diei afflictio sua.* 772.
*Suidas de invidia.* 604.
*Sulla non vult facere cōtra mandatum Cæsaris.* 473.
*Sulpitius exquisitiss. malitia homo.* 660.
*Superbia est Regibus & Principib. exitiosa.*

62. *semper est infelix.* 634. *constata est ex sex vicijs.* 636. *nascitur ex luxu.* 642. 643. *&c. crescit, cùm virtus decrescit.* 601. *comitatur res secundas.* 623. 624. *&c. ejus pedissequa.* 327. *eam comitatur eversio.* 633. 634. *&c.*

*Superborum duæ summa pœnæ.* 636.

*Superstitiones sæpe non fiunt sine præsagijs.* 708.

*Suspicio pestis aularum.* 412. *sæpe causa bellorum.* 439.

SYAGRIVS *interfectus.* 9.

*Sybaritæ propter luxum perierunt.* 644. *hospites passivi volunt esse activi.* 813. *de eorum luxu aliquot proverbia.* 644.

*Sycophantæ dominãtur in Democratijs.* 161 *in aulu plurimi fiunt, quã viri fortes.* 360.

*Sylla felicem se arbitratur, quòd Athenas conservârit.* 308. *expostulat cum Pompeio, quem postea in magno habuit honore.* 511. *dat Sertorio causam ad defectionem.* 512. *crudelitate fœdat victoriam.* 580. *atrociter sævit in Athenas.* 741. *jubet interfici Cæsarem.* 770. *tãdem sit privatus.* 252. *placidè moritur.* 378. *ejus oratio ad Bocchum Mauritaniæ Regem.* 227.

*Syllanus suam sententiam in Senatu lenit interpretatione.* 355.

συμμαχίαι *evertunt imperia.* 536. *sunt periculosæ.* 591.

*Symmachus cæditur à Theodorico Veronensi.* 379.

συνάγχη. 807.

*Syphax à Romanis honorificè sepultus.* 24.

*Syracusani malè faciunt cives ex hospitib.* 813. *malè sibi consulunt, dum non etiam novos cives faciunt magistratus.* 829. *quomodo mutârint statũ.* 167. 168. 442.

*Syria regnum evertitur bellis civilib.* 117.

*Syrorum fuga.* 764.

*Syrus sibi plagas accersit.* 769.

## T.

TACITVRNITAS *præstanda.* 259. 260.

*Tamberlanes capt. cum Bajazetem ducit in cavea ferrea.* 111. 145. 149. 507. 655. *est ex humili genere ortus.* 149. *disciplinam militarem servat strictè.* 474. *ejus oratio ad Bajazetem.* 507.

ταμίαι λαμίαι 803.

*Tanais fatalis limes Romanorum.* 114. *ejus & Volgæ coniunctio tentata.* 679. 683.

*Tannenbergensis pugna & clades memorabilis.* 530.

*Tarquinius cur dictus Superbus.* 182. *pro regia majestate se gerit.* 877. *quærit expavire, quid cum Gabijs sit agendum.* 850. *ejectus propter Senatus contemptum.* 348.

*Tartaricus Princeps ex calvaria facit poculum.* 522.

*Tartaros plùs metuunt sapientes, quàm Turcas.* 111.

*Taurea Campanus habet linguam impediebus.* 779.

TEMERITAS *non semper est felix.* 863. 880. *Duces ac Reges invidiæ obnoxios reddit.* 331. *conjuncta est audacijæ.* 777. *ejus pedissequa.* 327. *canthil pernitiosius.* 330.

*Templum Salomonis quàm diu steterit.* 5. *renovatur ab Herode.* ib.

*Tennes legem patitur, quam tulit.* 340.

*Terni oppidum, in quo extat exemplum vindictæ plùs quàm Diabolicæ.* 799.

*Terræmotus semper magnas calamitates denunciant.* 695.

*Terror multum nocet in re bellica.* 767. *in Terrorib. divinis etiam Deorum liberi fugiunt.* 762. 763.

*Tertullianus discedit à vera Ecclesia.* 221.

*Tessa urbs propter dissensiones intestinas occupatur.* 469.

*Testudo vult volare.* 635.

THEBAE *etsi sunt restitutæ, tamen postea caruerunt potentia.* 103. *quando floruerint* 165. *statum amiserunt.* 168.

*Thebani belli cum Phocensib. causa* 95.

*Thebani campi sunt orchestra Martis.* 562.

*Thebani movent bellum non necessarium.* 448. *dum*

448. dum sunt neutrales, sunt in periculo. 538. vincunt Lacedæmonios. 97. eorũ singularis lex. 316. ijs arx magis obfuit, quàm profuit. 179. graviter nocet invidia. 612.

Themistocles laudatur à tota Græcia. 79. certat ambitione cum Aristide. 84. explorat ejus animum. 457. spernit prædam, & alium jubet tollere. 507 dolet sibi non invideri. 608. est ambitiosus. 796. varius serpens. 561. jubet se & Aristidem in barathrum dejici. 791. propter fortunæ prosperitatem totus mutatur. 632. malam reportat gratiam. 129. 130. 816. trahitur publicè à nudis meretricib. 213. 632. propter virtutem exilio mulctatur. 611. privatus laude sua se ad hostes cõfert 511 577. in aula Persica est suspectus. 561 in exilium pellitur, & miserè perit. 220 754. ejus pater dehortatur ipsum à gubernatione. 129 816. autoritas 22. excellens virtus. 79.

Theocritus de ingratitudine. 816.

Theodoricus Veronensis propter Symmachũ & Boëtium casos dat pœnas. 379. ejus existimatio de Repub. 283.

Theodoricus II. regni causa fratrem necat, sed sentit talionem. 202.

Theodosius ira peccat graviter 86. 327. 328 Arsenium filiorum suorum præceptorem magni facit. 226. nullam sancit legem sine omnium procerum consensu. 286. 349. pugnans adjuvatur à gentu. 503. vincit seditiosos. 662. 764. ejus dictum de bono Principe. 152. morte secuta mala. 676.

Theodosius propter nõ relatam gratiam deficit. 558.

Theognidis dictum de disidijs. 28. de infirmitate humana. 211. diffidentia. 295. infidelitate amicorum. 296. petulantia. 591.

Theophilus Imp ijs, qui patrem suum, casu alicro, Imperatorem fecerant, malam refert gratiam. 278. Imperatricem propter mercaturam graviter increpat. 316.

Theophilus Episcopus odit Dioscorum Episcopum. 215.

Theophilus Bergmannus non potest effugere invidiam. 610.

Theopompus Rex adjungit sibi Ephoros. 175. propter quod ab uxore reprehenditur. 315

Theramenes propter consilia moderata necatur. 186. 737.

Therma dum fiunt venales, evanescũt. 699.

Theronis sepulcrum fulmine concussum tremit. 707.

Theseus pro maximis beneficijs sensit maximam ingratitudinem. 130. filium proprium perdidit. 297.

Thessalonicensis seditionũ origo. 328.

Thibni seditiosus vincitur. 662.

Thocis impedit salus are Hannibalis consilium. 293.

Thomas Pontanus de ambitione. 82. de amore. 759.

Thomas Volsæus neq; se neq; veteres amicos amplius novit 633.

Thraces Mycalessi atrocissimè sæviunt. 329 non possunt esse inter se concordes. 867.

Thrasybulus patriam à XXX. Tyrannis liberat. 314. 315. propter excubitorum negligentiam caditur. 533.

Thrasybulus Miletis Tyrannus autor est Periandro, ut fiat crudelis. 370.

Thryzus propter insignem crudelitatem caditur. 64.

Thucydides de ambitione. 81. de fastidio præsentis status. 515. fœderibus dissimilium. 591. mutationibus legum. 620. mediatorib. 738. bellis. 467.

Thules Rex punitur propter insolentiam. 637.

Thyestea epula. 372.

Thynnus piscis confertur cum Oratoribus. 393.

TIBERIS exundationes. 689. 690. 692.

Tiberius præditus est magnis virtutib. & magnis vicijs. 216. 249. non potest tollere successorem. 45. matrem nominat Ulyssem sem-

*sem stolatum.* 191. *AEmylium Scaurũ facit Ajacem.* 376. *non est, quem se esse simulat.* 824. 247. *provehit adulatores.* 368. *blandiens fallit.* 369. *periclitatur.* 266. *de omnibus rebus refert ad Senatum.* 287. 349. *multa cogit ut fiant αὐτοχειρες.* 370. 376. *nullum diem sine cede abire sinit.* 388. *tollit Seianum, quẽ exercrat.* 409. 835. *munera publica rarò mutat, & cur.* 734. *in insula Inarime voluptatib. se dedit.* 839. *neminem patitur sibi obviam fieri. ib. non vult deglubere oves.* 852. *placidè moritur.* 378.

*Tiberius Gracchus Collega abrogat magistratum* 733.

*Tibullus de vindicta divina.* 665.

*Tigranes corrumpitur ab adulatorib.* 432. *contemnit Romanorum copias, à quibus tamen vincitur.* 529.

*Tigurini optimates ejecti, obsident patriam.* 526 *populare imperium stabiliunt.* 545.

*Timidus omnis homicida.* 709. *& prodigus.* 832.

Τιμοκρατία. 150.

*Timoleon, demolitur arcem Syracusanam suo quodam consilio.* 178. *pugnantem adjuvat tempestas.* 504.

*Timotheus censet Ducem senem eligendum, non juvenem.* 124. *malam reportat gratiam.* 129. *propter superbiam sit infelix.* 624. 626. 632. 641.

*Titius benefactorem suum occidit.* 844.

*Tituli quando crescũt, decrescit virtus.* 602. *speciosi scelerate factis pratenduntur.* 745. *Regum & Tyrannorum ærei & potentia sumpti.* 603. *eorum ubi multum, ibi multum vanitatis. ib.*

*Titus ubi solus principatum obtinet, mutat malos mores.* 840. *confertur cum Augusto.* 253. *periclitatur.* 276. *neminẽ vult tristem à se discedere.* 307. *Vide plura in Vespasiano.*

Τομορρει *Monachi temeritas & ambitio.* 134.

*Tomumbeius suspenditur.* 10.

*Tongrorum urbs ex improviso occupatur.* 872.

*Tonsori facetia malè cedunt.* 430. 431.

*Tormentis maiorib. qui primus fuerit usus in prælio navali & terrestri.* 573.

*Torrens prater opinionem adjuvat Severianos.* 785.

*Totilas vastat Romam.* 10.

TRAIANVS *prandet apud insidiantem sibi.* 194. *facit eum Consulem.* 851. *fuit nimium deditus amorib. puerorum.* 216. *accedit amicos nulla septus custodia.* 228 *mirabiliter servatur in terræmotu.* 267. *liberto jubet impingi colaphum.* 428. *opprimit Iudaos.* 686. *est kerba parietaria.* 603. *præditus est magnis virtutibus, & magnis vicijs.* 216.

*Transfuga non diu amantur.* 559. *semper sunt in suspicione.* 560.

*Tres facilius imperant, quàm duo.* 135.

*Trevirenses lapidant præfectum propter novas exactiones.* 853.

*Tribuni plebis multos bene meritos ejecerũt urbe.* 161. *sunt turbatores.* 164. 421. *abolisti & restituti.* 161. 162. *eorum maxima fuit auctoritas. ib.*

*Tribus decem cur abducta.* 91.

*Tricipitium in Imperio Romano.* 135.

*Triginta Tyranni perpetrata una cade, plures committunt.* 387. *abutuntur sua potentia.* 563. *sed non diu durant.* 164. 314.

*Triumphantes tarnificem habuerũt in curru.* 653.

*Triumviratus non diu constat.* 135. *ejus dissensiones fuerunt cruentæ.* 202.

*Troia eversa propter raptum Helenæ.* 34. 40. 61. 94. *non potuit instaurari.* 103. *evertitur sublato Palladio.* 104. 109. *habuit signum fatale.* 109. *ejus occupationem præcedit ostentum.* 48.

*Tryxus etiam gestus subditis prohibet.* 375.

TVLLIA *occidit maritum, ipsius sororem, ipsum denique patrem.* 193. 196.

*Tumultus semel excitati, non facilè consilescunt.* 621.
*Tunarum præses, dum alij inter se dissident, Regem se facit.* 469.
*Tunetani Regis filius propter libidines regno excidit.* 56.
*Turbulenti in seditionib. crescunt.* 659 *non possunt quiescere.* 769.
*Turci quomodo attracti in Graciam.* 29. 79. *Valachiam.* 72. *Bosniam.* 441. *Vngariam.* 597. *gaudent propter nostras dissensiones.* 29. *puniunt blasphemias Arrianas Orientis.* 93. *ubi primùm habitârint.* 111. *vincuntur aliquoties, idq; præcedente Dium pugna.* 501 *infeliciter accersuntur in auxilium.* 542. 543. *sæviss. mi sunt ex Christianis nati* 670. *plerunq; ab eventu judicant.* 671. *solent interficere crescentes virtute.* 300. 790. *pluris faciunt robur Europæum, quàm Asiaticũ.* 808. *propter quas res sibi certas de Christianis promittant victorias.* 865. *rigidè servant disciplinam militarem. ib.* 867 *nominant se Islamos. ib. eorum virtus decrescit.* 16. *imperium tantùm stat sua mole.* 29. *quod evertendum est tandem per Ianizaros.* 29. 30. *id quomodo creverit.* 115. *Reges plerunq; fratricida.* 197. 198. *Regum filij sunt miserrimi.* 198. *præstantissima familia est Othomãnica.* 203. *eos quid formidabiles reddat.* 40. *Imperator eorum jubet sibi depingi diversos gentium habitus.* 721.
*Turnus Troianis objicit vestitum.* 720.
*Turquemenius invadit regnum Mamaluchorum.* 10.
TYRANNVS *quis.* 153. *nullum diligit sine utilitatis, aut voluptatis causa.* 350. *odit honestos cives, & est intractabilis.* 351. *omnis ferè habet tragicum exitum.* 377. 378. *tribus tantùm exceptis.* 378. *non habet tertium haredem.* 383.
*Tyranni non temerè in urbẽ recipiendi.* 180. *à triplici hominum genere reguntur.* 358. *blandientes fallunt.* 368. *sæpe non possunt habere, qui eos jugulet.* 377. *propter leges sæpe iniurias habẽt suos vindices.* 380. *specioso prætextu sævitiam explent.* 369. *quos tollere volunt, priùs falsò criminũ insimulant. ib. non sunt contenti vulgaribus supplicijs.* 371. *nulli fidunt.* 372. *ex moribus suis fingunt alios. ib. ludunt fœderib.* 370. *semper furijs ultricibus excarnificantur.* 373. *sunt similes suibus. ib. utramq; & Arithmeticam & Geometricam proportionem turbant.* 562. *sunt cõflati ex perfidia & crudelitate.* 788. *plerunq; sunt ἄθεοι prorsus.* 833. *non ferunt crescentes ministros.* 834. *sæpe tamen facti modestiores.* 251. 252. *habẽt certum terminum.* 381. *eorum impetum frangit* DEVS. 381. *dona non sunt dona.* 370. *jus & regula.* 373. *ijs omnes boni invisi & suspecti.* 350. 369. *nihil absurdum.* 787. *eos sæpe sequuntur Reges moderati.* 240.
*Tyrannis quid sit.* 140. *est causa calamitatum in Imperijs.* 89. 92. *duo complectitur.* 89. *est obnoxia mutationib.* 162. 164. *semper coniuncta cum sophistica.* 184. 185. *ea crescente, interit legum auctoritas.* 181.
*Tyrannica natura sunt regnandi cupida, suspicaces & timida.* 372.
*Tyrannicus status non est durabilis.* 383.
*Tyrij à servis trucidantur, qui deinde gubernationem ad se transferunt.* 125.
*Tyrrheni cur oppressi à Celtis.* 96.

## V.

VALENS *frustrà conatur tollere successorem.* 46.
*Valentinianus nihil vult statuere sine consilio Senatus.* 349. *fuit valde timidus.* 712
*Valerianus infeliciter transgreditur fatalem limitem.* 113. *in captivitate consenescit.* 144.
*Valerio Publicola rogus funebris defuit.* 744.

*Varro dissentiens à Collega, perdit exercitum.* 513.
*Vascones in Svecia felices.* 809.
*Vasculum mellis.* 771. 772.
*Vasto Fuxam infeliciter pugnat cum desperatis.* 458.
*Vaticinium mirabile.* 49.
VBERTI *Folieta admonitio.* 629.
VEIENTES *à stipe revulsi propter violatas inducias.* 590.
*Velleius Paterculus de Principe, quòd exemplo peccet.* 181.
*Venalitas magistratuum semper damnosa.* 99.
*Venefica illud ipsum venenum bibunt, quod alijs coxerant.* 335. *non possunt nocere Iudicibus ordinarijs,* 774. *id quod illa ipsa fatentur.* 775.
*Venetis semper circa quatuor millia hominũ operibus publicis exercent, & cur.* 183. *rei militaris rudes, tamen magna bella gerunt.* 256. *adificant navem stupendæ magnitudinis* 489. *vincuntur ad Vincentiam.* 527. *à Ludovico XII. triplici prælio.* 535. *solos patritios ad honores vehunt.* 546. *infeliciter faciunt fœdus cum Genuensib.* 597. *à quibus tamen naturaliter dissident. ib. sunt tenaces in servãdis legibus.* 621. *eorum mos.* 154. *de Republica proverbium.* 602.
*Ventis sæpe indices victoriarũ.* 502. 503. *&c*
*Verbum unicum mordax sæpe affert mutationem regnis & Reb. upub.* 443.
*Veritas in aulis est res periculosa.* 410 *& tamen tandem gratior, quàm assentatio.* 429.
*Verona incendio deformatur.* 690.
*Versus remunerantur aut aureo, aut colapho.* 223. *de aulis.* 365. 426.
*Vetus Cæsar non potest tollere successorem.* 45.
*Vespasianus delet politiam Iudaicam.* 5. *dicit Principatus fato dari.* 44. *habet Capricornum in ascendente.* 109. *cur intentus in adificationes.* 183. *insidiantes sibi reprimit verbis.* 194. *succedit Principi ebrioso.* 240. *est nimium rigidus.* 236. *quales elegerit amicos.* 263. *periclitatur.* 267. *dissuadet pugnam cum desperatis.* 457. *non potest beneficijs vincere suos hostes.* 817. *adhuc spirans à fratre sepelitur.* 201. *ejus autoritas.* 22.
*Vesperæ Siculæ.* 96. *unde ortæ.* 550.
*Vestis facit virum.* 716. 717. *earum usus triplex.* 717. 718. *luxum sequitur paupertas.* 723.
*Vestitus unde originem suam habeat.* 716. *peregrinus offendit* DEVM. 723 *ejus mutatio est signum mutationis morum.* 714. 715. *&c. excessus peccat multifariam.* 718. 719.
*Vetula semper infeliciter imperat.* 187. *saltans magnum excitat pulverem.* 188.
VGOLINI *Giradesquij insignis insolentia & pœna.* 640. 656.
*Vguccio uno prandio duas integras urbes absumit.* 45.
VICTERICVS *Luybam antecessorem suum tollit, sed non impune.* 202.
*Victor non debet in subditos victi Principis sævire.* 582. *ejus clementia & continentia multa parit bona.* 581.
*Victoria est a Domino.* 565 *à virtutis opinione.* 569. *à novis machinis.* 572. *insperata sæpe Duces ipsos ad occupandum regnum impellit.* 576. *in bellis civilibus raro servat modum.* 579. *immanis non habet diuturnos successus* 581. 582. *&c. insolens est causa rebellionis.* 585. *ad eã multum facit, vare ordinem & silentium in pralijs* 578 *post eam negligentia sæpe est causa novæ cladis.* 588. *eam quid præsagiat.* 597. 566
*Vigiles nocturni, si somno indulgent, sæpe sunt causa capiendarum urbium.* 530.
*Vincentia propter enorme scelus venit in potestatem Venetorum* 97.
*Vindicta animis evadit in furorem Diabolicum.* 799. *devorat carnes humanas.* 880. *severè punitur à Deo.* 581. *laudatur à quibus-*

*quibusdam.* 85. *ejus cupiditas est causa bellorum civilium.* 73. *exitiosa Rebuspub. ib.* 84. 85. 86. *plus fecit damni, quàm amor.* 85.
*Violentum nullum diuturnum.* 581.
*Viperarum natura.* 609.
*Vires humanæ minores divinis.* 565. *similes puerilibus crepundijs.* 652.
*Virgilius de ingenio vulgi.* 749.
*Virginius occidit propriam filiam.* 95.
*Viriatus ex pastore factus Dux fuit cautiss.* 330. *non ab hostibus, sed à suis jugulatur.* 296.
*Virtus est duplex.* 78. *heroica non inest naturæ.* 119. *unita fortior dispersa.* 157. *sine* DEO *est languida.* 218. *nulla perfecta.* 215. *quando non compensatur, est occasio deficiendi ad hostes.* 577. *habet suas periodos.* 600. *cùm decrescit, crescit jactantia.* 601. *est similis Soli, & quidem eo splendidior.* 608. 794. *non potest latere.* 794. *senescit.* 632. *ejus opinio plurimum facit ad victoriam.* 569. *comes est invidia.* 604. 605. *&c. mutationem sequitur fortuna inclinatio & interitus.* 625. 626. *initiò magna raró diuturna.* 247. *cum ijs etiam magna vicia conjuncta.* 211.
*Visenburgius pro Henrico Barbato occumbit* 274.
*Vitellius Galbæ patricidas tollit.* 278. *evectus ad honores, veterum sodalium non obliviscitur.* 840. *ait cadavera hostium benè olere.* 306.
*Vitellius Syriæ prefectus & acceptus Judæis, propter remissionem vectigalium.* 852
*Vitia sortiuntur virtutum nomina.* 363.
VLADISLAVS *Rex Vngariæ in seditione Prugensi in magno est periculo.* 276.
*Vladislaus Iagello Rex Poloniæ ingenti strage vincit Magistrum Prussiæ.* 530.
*Vladislaus alienis inhians, amittit propria.* 523.
*Vlpianus de mutationib.* 620. *ejus consilium de emendis mancipijs.* 812.
*Vlricus à Iungingen Magister Prussiæ infeliciter contemnit exercitum Polonicum.* 530.
*Vltrajectum suos Coss. pellit in exilium.* 610.
*Vlysses non capit voluptatem ex calamitate inimici sui.* 84. *ei salutaris fuit diffidentia.* 297.
*Vlysses stolatus.* 191.
VNGARI *semper eligunt primogenitum.* 233. *Cracovia sunt in periculo.* 883. *eorum regnum quando ceperit.* 6. *per quid evertatur.* 28. 117.
*Vnus melius regit, quàm plures.* 156. 157.
*Vnius audacia auget petulantiam multorum.* 777.
VOLGAE *& Tanais coniunctio tentata.* 679. 683.
*Volscorum Ducis adhortatio ad milites.* 458.
*Volsinienſium civitas propter luxuriam in servorum potestatem devenit* 61
*Voluntates hominum instabiles* 747
*Voluptas plures perdidit, quàm crudelitas* 55. 61. *multas etiam urbes* 61
*Vota anniversaria pro salute Principis* 24
*Vox importuna cujusdam fastuosi* 194
VRATISLAVIA *obsidetur à duobus Regibus* 398
*Vrbs quæ sit felix.* 161. *sæpe occupantur per ebrietatem & vigilũ negligentiam.* 532. *earum mors.* 103. *excidia quid præcedat.* 33.
*Vrias alludit ad opiniones Regis.* 290. *experitur benevolentiam aulicam.* 416.
VSIAS *vult esse sacerdos, sed malè ei cedit.* 212. 249. 781. 791.
*Vsuræ sunt causa mutationis Imperiorum.* 98.
VVLGVS *fertur vesano impetu.* 153. *more torrentis ruit.* 163. *aut nimiùm odit, aut nimiùm colit.* 746. 747. *&c.*

*Vulpecula laborat pituita.* 351. *est prudēs in partitione prædæ.* 562. *fruitur alieno labore.* 733. *pro summo beneficio experitur summam ingratitudinem.* 127. 128.
*Vulpes Samsonis quid significent.* 663.

# VV.

*VVALACHORVM factiones attrahunt regno interitum.* 72.
*VVENCESLAVS est timidus, ideoq; crudelis.* 712.
*VVILHELMVS Comes Hollandiæ occiditur.* 107.
*VVillegisus Archiepiscopus Moguntinus fuit plaustrarij filius.* 147.
*VVirtembergensis Ducis insolentia.* 641.
*VVOLDEMARI fraus fraude eluditur.* 333
*VVolgæ & Tanais conjunctio tentata.* 679. 683.

# X.

XANTIPPVS *excisas Carthaginensium vires reparat.* 400. 861. *propter invidiam in patriam redit.* 611. *mercedis loco ab ijs ipsis submergitur.* 556.
*XENOCRATES legatione feliciter fungitur.* 395.
*Xenætas propter securitatem ab hoste opprimitur.* 589.
*Xenophon de juvenibus gubernatoribus.* 120. *de mutationib gubernationis.* 131. 136. 616. 617. *de celeritate in bellis.* 481. *de Victoria quòd sit à DEO.* 567. 763. *novitijs citharædis.* 120.
*Xerxes repertor inovarum voluptatum cōstituit præmium.* 61. 286 *consiliarijs junioribus obtemperat.* 263. 325. *pendet à Mardonio.* 345. *Pythij filiū in duas partes dissecat.* 438. *effodit Beli sepulchrum infeliciter.* 706 *perfodit montem Atho.* 681. *pollicetur sibi aureos montes.* 771. *in pugna ad Thermopylas ter resilit ex solio.* 570. *fugit in parva cymba.* 327. 452. 654. 792. *interficitur.* 654. *ejus copiæ omnes deletæ.* 567. *pater remittit subditis tributum.* 852.

# Y.

ὕβρις τίκτει τιμωρίαν. 636. *ejus duo insignia exempla* 92.

# Z.

ZALEVCVS *lege plectitur, quàm ipse tulerat.* 339.
*Zancklæi invitant Samios, à quibus ejiciuntur.* 544. 813.
ZEDECHIAS *capitur.* 5. *ejus* κακοζηλία. 79.
*Zeno Imp. totus pendet à quodam Sebastiano.* 345.

*FINIS INDICIS.*

## ERRATA.

Pag. 56. lin. 8. leg. Christianus. Pag. 60. l. 28. l. Seplasiarei. P. 329. l. 34. l. ij. P. 335. l. 37. l. venefícis. P. 423. l. 21. l. videtur. P. 576. l. 28. l. victoriam. P. 580. l. 27. l. Pompeij. P. 833. l. 24. l. placavit. Pag. 840. lineam 12. expunge. Cætera corrigat candidus Lector.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0030457